Quæst. 483. *An & quando in foro conscientiæ possit injuriatus aut teneatur instituere vel remittere actionem injuriarum.*

Quæst. 484. *Libellus famosus quid sit, quæ illius causa, quis reus illius, & quæ ad eum requirantur, quis finis, effectus, pœnæ.*

CAPUT II.

De Damno dato.

Quæst. 485. *Quid intelligatur per damnum datum, de quo secunda pars hujus tit. & in jure civili l. 9. t. 2. ad Legem Aquiliam.*

Quæst. 486. *Quot modis damnum hoc dari seu inferri possit.*

Quæst. 487. *A quibus, & in quibus rebus hoc damnum detur.*

Quæst. 488. *An & quando quis obligetur ad compensationem damni fortuitò dati.*

Quæst. 489. *Ex qua culpa detur obligatio reparandi damnum.*

Quæst. 490. *Qualis & ad quid, & cui detur actio ad damnum datum.*

Quæst. 491. *Repressaliæ quid sint, & num sint licitæ, & contra quos concedi possint.*

TITULUS XXXVII.

De Pœnis.

CAPUT I.

De Pœnis in genere.

Quæst. 492. *Quid & quotuplex sit pœna.*

Quæst. 493. *An & quæ pœnæ ipso jure latæ, seu per legem annexæ delicto, ante omnem sententiam Judicis, etiam declaratoriam, sint subeundæ.*

Quæst. 494. *An & quis Judex minuere vel augere possit pœnam ordinariam seu à jure latam aut etiam arbitrariam.*

Quæst. 495. *Num pœna arbitraria extendere se possit ad pœnam mortis.*

Quæst. 496. *An & in quos præter sontes pœnæ cadant, extendantque se etiam ad bruta & res inanimatas.*

Quæst. 497. *Ubinam & quo tempore executio pœnarum facienda.*

Quæst. 498. *Qualiter pœnæ morte rei, præscriptione & aggratiatione Principis tollantur & mitigentur.*

CAPUT II.

De Pœnis Ecclesiæ in specie.

Quæst. 499. *Pœnæ pecuniariæ an & quibus, & à quibus Judicibus ecclesiasticis imponi possint.*

Quæst. 500. *Pœnæ pecuniariæ quibus ab Episcopo aliisque Judicibus ecclesiasticis applicandæ.*

Quæst. 501. *An pœna confiscationis bonorum locum habeat in Clericis, & quibus bona confiscata cedant.*

Quæst. 502. *An torturæ subjici & pœnis corporalibus à Judicibus ecclesiasticis affici possint clerici.*

Quæst. 503. *Pœna carceris, detrusionis in monasterium qualiter irrogari possit clericis.*

Quæst. 504. *Qualiter pœna relegationis, & exilii irrogari possit clericis.*

Quæst. 505. *Infamia quid & quotuplex, & qualiter etiam à Clericis contrahatur.*

Quæst. 506. *Quinam sint infames infamiâ juris ex delicto alieno.*

Quæst. 507. *Quinam sint infames sententiâ Judicis.*

Quæst. 508. *Quinam sint effectus infamiæ.*

Quæst. 509. *Infamia quamdiu duret, & qualiter aboleatur.*

Quæst. 510. *Irregularitas quid sit.*

Quæst. 511. *A quonam, & à quo jure inducatur irregularitas, aut induci possit.*

Quæst. 512. *Qualis debeat esse actus, ut ex eo contrahatur irregularitas.*

Quæst. 513. *Specialis an & qualiter inducatur irregularitas per actum, de quo dubitatur, num sit obnoxius irregularitati.*

Quæst. 514. *Num irregularitas incurratur ab ignorante eam annexam delicto.*

Quæst. 515. *Ex quibus delictis & qualiter oriatur ab irregularitas.*

Quæst. 516. *An & qualiter citra delictum ex defectu lenitatis, sive ex officio incurratur irregularitas.*

Quæst. 517. *An & qualiter irregularitas inducatur ex defectu natalium, & quis in ea dispensare possit.*

Quæst. 518. *Quinam irregulares sint ex defectu corporis, & quis possit in ea irregularitate dispensare.*

Quæst. 519. *An & qualiter ex defectu animæ, ætatis, libertatis, ex defectu sacramenti seu bigamiæ, item ex defectu perfectæ lenitatis irregularitatas incurratur.*

Quæst. 520. *Quinam sint effectus irregularitatis.*

Quæst. 521. *Qualiter tollatur irregularitas.*

Quæst. 522. *Privatio numerata inter pœnas ecclesiasticas quid sit, & qualiter incurratur, quisque ejus effectus.*

Quæst. 523. *Depositio quid & quotuplex.*

Quæst. 524. *Num depositus simpliciter & absolutè privetur privilegio clericali fori & canonis.*

Quæst. 525. *An & quando Episcopus in pœna depositionis dispensare possit.*

Quæst. 526. *Crimina, ob quæ Clericus in perpetuum deponi potest, quænam sint.*

Quæst. 527. *Quid & quotuplex sit degradatio.*

Quæst. 528. *A quibus fiat degradatio.*

Quæst. 529. *Quis modus, seu quæ forma & solennitates observandæ in actuali degradatione.*

Quæst. 530. *Quæ crimina actuali degradationi & traditioni curiæ sæculari sint obnoxia.*

Quæst. 531. *An & à quo degradatus restitui possit.*

TITULUS XXXVIII.

De Pœnitentiis & Remissionibus.

Quæst. 532. *Pœnitentia pro quo hìc supponat, & quotupliciter sumatur.*

Quæst. 533. *Quænam sit pœnitentia occidentis presbyterum.*

Quæst. 534. *Quæ pœnitentia indicenda illi, qui defendendo libertatem suam vel Ecclesiam occidit alium, dum excessit modum.*

Quæst. 535. *Quænam sit pœnitentia frangentium sigillum Sacramentale, & quæ ad subeundam illam requirantur.*

Quæst. 536. *Quis sit Judex in causa violati sigilli, qualiter procedere debeat, & qualiter probandum hoc crimen in ordine ad pœnitentiam publicam pro eo infligendam.*

Quæst. 537. *Indulgentia quid & quotuplex.*

Quæst. 538. *Quinam possint indulgentias concedere.*

Quæst. 539. *Num consuetudine legitimè præscripta inferiores Episcopo Prælati acquirere possint potestatem dandi indulgentias.*

Quæst. 540. *Ubi & quibus indulgentiæ concedi possunt.*

Quæst.

Quæst. 541. *Quæ conditiones requirantur in lucraturo indulgentias.*

Quæst. 542. *Num uno eodémque tempore diversis actibus, quorum singulis diversæ indulgentiæ concessæ, lucrari quis possit indulgentias.*

Quæst. 543. *Num eadem indulgentia repetita eodem opere obtineri possit.*

Quæst. 544. *Num, qui opus injunctum exequitur lepidè seu remissè, vel ex aliqua circumstantia vitiatum, minus consequatur indulgentiæ, quàm qui illud exequitur omnino honestè & ferventer.*

Quæst. 545. *An, dum indulgentia concessa iis, qui contriti & confessi ecclesiam aliquam visitaverint, requiratur confessio actualis.*

Quæst. 546. *Jubilæi nomen & initium unde, in quo differat ab indulgentia plenaria, & qualiter definiendum.*

Quæst. 547. *Quænam in specie opera præscripta sint volentibus lucrari indulgentias.*

Quæst. 548. *Num opera præscripta una eademque hebdomade, aut etiam uno eodémque loco peragenda.*

Quæst. 549. *An & qualiter durante Jubilæo indulgentiæ aliæque facultates suspendantur aut amittantur.*

TITULUS XXXIX.

De Sententia Excommunicationis, Suspensionis & Interdicti.

CAPUT I.

De Censura in genere.

Quæst. 550. *Quid sit censura.*

Quæst. 551. *Quotuplex sit censura.*

Quæst. 552. *Quinam in specie habeant vel non habeant potestatem ferendi censuras.*

Quæst. 553. *In quos censura ferri possit, aut non possit.*

Quæst. 554. *Ob quam causam inferri possit censura.*

Quæst. 555. *An & qualis præmonitio necessariò præmittenda censuræ ferendæ.*

Quæst. 556. *Quibus de causis excusetur quis ab incurrenda censura.*

Quæst. 557. *Censura qualiter tollatur.*

Quæst. 558. *Qua forma & ritu concedatur absolutio à censura.*

Quæst. 559. *Quinam absolvere possint à censuris.*

CAPUT II.

De Censuris in specie, Excommunicatione, Suspensione, Interdicto.

Quæst. 560. *Quid & quotuplex sit excommunicatio.*

Quæst. 561. *Qui excommunicati vitandi, & qui non.*

Quæst. 562. *In quibus rebus cum excommunicandis toleratis communicare possint non excommunicati.*

Quæst. 563. *In quibus casibus vitari debeant excommunicati publicè & nominatim denunciati, & notorii percussores Clericorum.*

Quæst. 564. *An & in quibus casibus licitum communicare cum excommunicatis vitandis.*

Quæst. 565. *Quinam sint effectus excommunicationis majoris.*

Quæst. 566. *Excommunicationis minoris quis effectus.*

Quæst. 567. *Quid & quotuplex sit suspensio.*

Quæst. 568. *Suspensio quibus, & à quibus infligatur.*

Quæst. 569. *Quæ forma in ferenda suspensione.*

Quæst. 570. *An & qualiter ob culpam alienam & propriam incurratur suspensio.*

Quæst. 571. *Qui sint effectus suspensionis.*

Quæst. 572. *Quibus modis tollatur suspensio.*

Quæst. 573. *Quid & quotuplex sit interdictum.*

Quæst. 574. *Quænam & qui interdicto generaliter lato comprehendantur.*

Quæst. 575. *Ad interdictum locale servandum quinam teneantur.*

Quæst. 576. *Qui sint affectus interdicti, & qualiter singuli intelligendi.*

Quæst. 577. *Qualis sit obligatio servandi interdictum, & quænam illud violantium.*

TITULUS XL.
De Verborum significatione.

Quæst. 578. *Quænam sint regulæ de verborum significatione interpretanda.*

LIBER QUINTUS DECRETALIUM

TITULUS I.

De Accusationibus, Inquisitionibus, Denunciationibus.

CAPUT I.

De variis modis procedendi contra criminosos, & in specie de accusatione.

Quæst. 1. *Quot modis causæ & actiones criminales deducantur in judicium.*

RESP. Horum modorum in genere sunt duo, dum nimirum Judex procedit vel ad instantiam partis, accusantis, denunciantis, petentis; vel ex officio suo, seu citra ullius querelam, denunciationem, petitionem; sub quibus proinde comprehenduntur tres modi sequentes in *Rubrica.h.t.* expressi, scilicet sub priore accusatio & denunciatio; sub posteriore inquisitio; quibus duo alii addendi; nimirum modus procedendi per exceptionem, (de qua, quid sit, & quotuplex, qualiter instituatur, & criminaliter intentata induat naturam accusationis, & quales proinde conditiones requirat &c. dictum *Lib. 2. tit. 25. per totum à quæst.* 858.) & modus procedendi sine ordine, intellige, consueto judicii, uti fit, quando reus in flagrante deprehenditur, aut delictum est notorium. Nunc de iis singulatim in sequentibus, excepto quarto, utpote de quo accuratè actum, *L. c.* & quidem incipiendo ab ultimo, sit.

Quæst. 2. *Delictum quodnam & quotupliciter notorium.*

1. RESP. Ad primum: Notorium propriè dicitur, quod per evidentiam rei, quæ nulla tergiversatione celari potest, patet. Huic notorio opponitur occultum, tam propriè tale, nimirum quod non solùm soli DEO scrutatori cordium cognitum est, sed & quod nulla ratione probari potest. Jo-And. *in c. vestra. de cohabit. cler. cum mulier. num.* 12. Anchor. *ibid. num.* 14. Abb. *n.* 10. Fagn. *n.* 45. Quò referuntur etiam à Claro *pract. crim. §. fin. q.* 9. *n.* 2. Farin. *pr. crim. q.* 18. *n.* 105. Haunol. *de J. & J. Tom.* 6. *tr.* 2. *n.* 27. apud Wiestn. *h. t. n.* 2. quorum probatio ex communiter contingentibus haberi non potest; quia per se clam & in occulto fieri solent, ut sunt dolus, furtum, adulterium, suppositio partûs, Sodomia, Simonia &c. Item quæ non propriè, sed pene occulta dicuntur. *cit. c. vestra.* qualia sunt, quæ in judicium nondum deducta à paucis sciuntur; & probari possunt: v. g. à duobus, tribus, vel ad summum quinque; cùm secretum adhuc dicatur, quod in præsentia quinque personarum dicitur aut fit. *can.* 87. *de pœnit. dist.* 1. §. *hæc ergo secreta.* & Gl. *ibid. v. secreta.* Porrò notorium propriè tale confunditur cum *publico* in supremo gradu tali, differt tamen à *publico* in secundo gradu, quod convenit cum notorio penè, seu quasi tali, multóque magis à publico in imo gradu, utpote quod saltem à duobus scitur, & sic adhuc probari potest. Differt à manifesto, (etsi hoc subinde cum notorio confundatur. Arg. *c. constitutionem. de V. S.* & *c. fin. de cohabit. cler. cum mulier.*) quòd manifestum propriè tale illud sit quid minus quàm notorium propriè tale, ut Abb. *in cit. c. vestra n.* 12. Fagn. *n.* 55. & dicitur cum addito famosè notum, seu ex certa scientia, certisque authoribus, ut Abb. & Fagn. *LL. cit.* Tusch. *Lit. N. concl.* 104. à qua famositate abstrahit notorium.

2. Resp. Ad secundum: Notorium aliud est notorium notorietate juris, nimirum, quod evadit tale per confessionem propriam (intellige, spontaneam, & non gravi metu aut tormentis extortam) factam in judicio, non revocatam, vel per probationes judiciales plenas, hoc est, testium omni exceptione majorum depositiones legitimè receptas;

vel instrumentum publicum & authenticum in judicio productum; vel per sententiam definitivam condemnatoriam ad pœnam, vel criminis declaratoriam, quæ transiit in rem judicatam, utpote quibus, quia jam in causa concluſum, nihil opponi potest; quin & per sententiam interlocutoriam, latam cum cognitione causæ, quæ in rem judicatam transiit; ut cum Abb. in *c. cùm olim. de V. S. à n.* 3. Fagn. *in c. vestra. à n.* 71. Masc. *de prob. concl.* 1106. *à n.* 9. quos citat Wiestn. *h. t. n.* 3. Ad quam notorietatem juris reducitur notorietas præsumptioonis fundatæ in circumstantiis, ex quibus jus ita aliquid præsumit, ut id haberi velit pro veritate, & ex ea perinde, ut ex alia probatione plena ad sententiam procedi possit. Aliud est notorium notorietate facti, quod gestum palàm in oculis hominum, puta, coram majore parte populi, viciniæ, parochiæ, collegii alteriúsve communitatis, ita tamen, ut non requiratur, gestum esse coram totius populi existentis in aliquo loco. puta, civitatis majore parte; sed major pars intelligatur respectu viciniæ, parochiæ, collegii, communitatis; ut Sanch. *L. 6. consil. mor. c. 3. du.* 3. Abb. *in cit. c. vestra. n.* 16. Reiffenst. *h. t. n.* 251. Quin nec requiri semper majorem partem communitatis, si hæc valde ampla, ut tenere videtur Sanch. *l. c.* contrarium tenentibus Abb. *l. c.* Fagn. *l. c. n.* 88. quos citat Reiffenst. *n.* 250. dicens ridiculum esse, dicere, non sufficere ad constituendum notorium, quod gestum coram centum, dum communitas constat 300. hominibus. Num vero requiratur totius communitatis præsentia, dum hæc exigua est: v. g. constat decem; an vero sufficiat major ejus pars; v. g. sex præsentes, non est extra controversiam; posterius sentiunt Abb. *l. c.* Sylv. *v. notorium. q.* 4. Navar. *c.* 27. *n.* 55. quos citat & sequitur Reiffenst. *n.* 249. ex ea ratione, quòd decem constituant populum. Arg. *c. unic.* 10. *q.* 3. & quòd per majorem partem populi totus populus designetur. *L. aliud. ff. de reg. jur.* & consequenter, quod coram majore parte talis communitatis fit, censeatur fieri coram omnibus. Idem sentire videtur Pirh. *ad tit. de excom. n.* 114. dum inquit: Si percussio fiat coram tot oculatis testibus, ut vel toti communitati, quæ saltem decem personas habet, vel majore ejus parte, saltem coram sex, nota sit; & mox subdit: quare etiamsi Petrus percutiat Clericum coram tribus aut quatuor, (intellige, personis talis communitatis constantis decem) ut in judicio probari possit, non tamen propterea censetur notorium evidentiâ facti. Porrò notorium facti aliud est facti permanentis, quod constanter omnium oculis exhibetur; v. g. incarceratio Clerici, qui in carcere publico omnium oculis patente continuò detinetur. Aliud facti transeuntis, seu momentanei, quod in conspectu totius vel majoris partis populi commissum; v. g. homicidium in foro, blasphemia coram pluribus audientibus prolata; quæ, si sæpius coram iis iterata, dicitur notoria notorietate facti interpolati: ita Sylv. *l. c. n.* 2. Abb. *l. c. n.* 15. Fagn. *l. c. à n.* 78.

Quæst. 3. *Quæ requirantur, ut Judex non servato juris, seu processûs judicialis ordine contra crimina notoria procedat.*

1. REsp. Requiritur primò, ut factum notorium sit non tantùm quò ad substantiam, seu existentiam, sed etiam in ratione delicti; v. g. ut constet, num homicidium factum ex dolo vel culpa, cùm fieri potuerit ad sui defensionem, servato moderamine inculpatæ tutelæ; quia, si de hoc non constaret, posset adhuc excusatione vel tergiversatione celari; ita Clar. *pract. crim. §. fin. q.* 9. *n.* 3. Farin. *pr. crim. q.* 21. *num.* 49. Haun. *l. c. n.* 30. Passerin. *tribun. regul. q.* 10. *n.* 5. apud Wiestn. *n.* 6. iis inhærentem juxta *c. tria nos. de cohabit. cler. cum mul.*

2. Secundo, ut de ipsa notorietate Judici constet, quod fieri potest duobus modis; uno, si dictum commissum in præsentia Judicis pro tribunali sedentis, aut aliàs in exercitio jurisdictionis existentis, præsente & intuente majore parte populi; ut Specul. *tit. de notor. crim §.* 8. *n.* 12. Salycet. *in L. ea quidem. c. de accusat. n.* 41. Gometz. *L.* 3. *var. c.* 1. *n.* 48. Passer. *l. c. n.* 6. Altero (dum sermo est de notorietate facti) si testes, saltem duo omni exceptione majores, jurati, & parte citata judicialiter examinati de delicti existentia, & simul notorietate ex proprio sensu deponant; Wiestn. *num.* 7. citatis Specul. *l. c. n.* 17. Masc. *l. c. concl.* 1105. Fagn. *n.* 105. vel, si sermo sit de notorietate juris, per authenticum extractum, aut attestationem judicialem. His itaque compertis, Judex ad judiciarii ordinis observantiam non constringitur, juxta claros textus *c. ad nostram. de jurejur. c. super eo. de test. cog. can. prohibentur. §. his omnibus.* 2. *q.* 1. *can. Lotharius. ead. caus. & q.* ex ea ratione, quòd ordo ille juris introductus ad veritatem indagandam & deprehendendam; adeóque dum ea notoria est, observatio illius non sit necessaria.

3. Tertiò requiritur, ut constito Judici de notorietate, is quoque de ea pronunciet, non quidem seorsim, sed in ipsa sententia, in qua, si illius mentionem non faciat, ea totúsque processus sit nullus; Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 106. *n.* 18. Tambur. *de jure Abb. Tom.* 3. *d.* 7. *q.* 2. *n.* 19. Reiffenst. *h. t. num.* 264.

Quæst. 4. *In quibus itaque in specie juris ordine non servato Judex procedere possit ad dicta crimina notoria punienda.*

1. REsp. Primò, ut opus non sit accusatore aut denunciatore, juxta *c. evidentia. h. t.* & *c. manifesta.* 2. *q.* 1. sed Judex possit sine accusatore ex officio procedere ad ferendam contra notorium delinquentem sententiam.

2. Secundò, ut multò minùs opus sit libello; Gomez. *l. c. n.* 42. Farin. *l. c. n.* 65. Scaccia *de Judic. c.* 79. *num.* 8. Wiestn. *h. t. n.* 9. Arg. *clem. sæpe.* 2. *v. hoc autem. de V. S.* dum ibi dicitur, quòd libellus ad summarium processum non requiratur, & consequenter multò minùs ad procedendum contra crimina notoria, quippe quæ, ne quidem summarium ordinem judicii requirunt.

3. Tertiò, ut neque opus sit citatione, saltem ubi delictum ita notorium est, ut nulla egeat probatione notorietatis, constétque evidenter, reo nullam excusationem, defensionemve, quâ delicti gravitas aliquo modo extenuetur, competere; Haunol. *l. c. n.* 33. Passerin. *l. c. n.* 11. Wiestn. *n.* 10.

4. Quartò, ut non requiratur productio, & examen testium ad probandum crimen, ut patet ex terminis, cùm constito evidenter aliunde de veritate, ii frustra producantur; quamvis constito de veritate criminis, quia quandoque non satis adhuc constat de notorietate, ad eam probandam, adhibendi sunt testes, Reiffenst. *h. t. n.* 256.

5. Quintò,

5. Quintò, ut non requiratur sententia condemnatoria ad pœnam; sed sufficiat, ut Bossi. *tit. quomodo proced. in crim. not. n.* 16. Passer. *l. c. n.* 12. & alii apud Wiestn. & Reiffenst. *n.* 259. loco illius præceptum Judicis pœnam reo dictantis, multòque minus requiratur, ut sententia hæc proferatur in scriptis cum aliis juris solennitatibus; Gl. *in c. fin. de sent. & re jud. in.* 6. *v. illustrium.* & *ibidem* Franc. *n.* 6. *limit.* 9. Innoc. *in c. ex parte. il.* 1. *de V. S. n.* 1. Farin. *l. c. q.* 21. *n.* 115. Gomez. *l. c. n.* 45. Reiffenst. *h. t. n.* 258. Requiri tamen sententiam declaratoriam notorietatis delicti, (intellige, etiam si nulla adsit sententia condemnatoria ad pœnam, dum reus negat, delictum esse notorium, docent Passer. *l. c.* Covar. *in c. Alma. p.* 1. §. 2. *n.* 2. Farin. *l. c. n.* 116. Clar. §. *fin. q.* 9. *n.* 8. apud Wiestn. *l. c.* quin & Clar. *ibid.* Fagn. *in cit. c. vestra n.* 96. apud Reiffenst. *n.* 259. asserunt, quòd, quidquid sit de jure, consuetudine observari, etiam in notoriis ferri sententiam, quod de sententia condemnatoria intelligere videntur.

6. Sextò, effectus notorii est, quòd in notoriis non admittatur recusatio Judicis tanquam suspecti. *C. proposuit, de appell.* si pœna pro delicto, jure vel statuto aut consuetudine determinata est; secus, si indeterminata, seu arbitrio Judicis relicta; cùm in ejus arbitrio commissis sæpe rationabiliter possit esse suspectus, ne inordinato affectu ductus pronunciet pœnam æquo graviorem, ac illa possit recusari. Wiestn. *n.* 12.

7. Septimò, quòd non contradatur appellatio, (intellige, ab intimatione seu dictatione pœnæ à Judice facta) sed ea non obstante, Judex procedere possit ad executionem pœnæ. *C. cùm sit. §. fin. c. pervenit. c. consuluit. c. proposuit. de appell.* eò, quòd in notoriis Judicis pronunciatio juris sit potiùs executio, quàm sententia; Specul. *l. c.* §. 8. *n.* 15. Clarus *l. c. q.* 74. *n.* 2. Gomez. *n.* 47. Reiffenst. *num.* 260. Wiestn. *n.* 12. quòd tamen ipsum limitandum est ita, ut appellationi locus esset à pronunciatione Judicis, si in ea non fieret expressa mentio notorietatis, item à sententia declaratoria notorietatis criminis, dum essent, quæ eam tollerent aut obfuscarent; v. g. dum confessus crimen confessionem suam in appellatione diceret erroneam, non spontaneam, sed metu extortam, uti &, si appellatione interposita, Judex, ad quem inhibuisset, ne Judex, à quo procederet ad executionem, recurri potest pro executionis intimatæ revocatione ad Judicem, ad quem fundamentum hujus limitationis est, quòd, ut ait Papa *cit. c. consuluit. de appell.* multa dicuntur notoria, quæ non sunt. Unde etiam cum Salycet. *in L. ea, quæ. c. de accus. num.* 93. Fagn. *in c. vestra de cohab. Cler. cum mulier. n.* 102. & Claro *l. c. q.* 9. *n.* 5. aliique passim monent Judices, ne delicta temerè asserant notoria, honestiúsque acturos, si, quantumcunque delictum videatur notorium, super ejus tamen notorietate quamplurimorum commodè possunt, testium depositiones recipiant, & citatione monitioneque omissa, non facilè ad condemnationem, executionemque procedant, ne se periculo statutæ pœnæ depositionis ab officio exponant, si de notorio nequeant docere; ita Wiestn. *h. t. n.* 14.

Quæst. 5. *Quandonam & quotupliciter dicatur quis deprehensus in flagrante, & num contra eum procedi possit, non servato juris ordine.*

1. RESP. Ad primum: In flagrante deprehensus dicitur delinquens, si in actu ipso delicti, v. g. actualis fornicationis, furti &c. deprehenditur; idque vel ab ipso Judice extra judicium, aut exercitium jurisdictionis; cum v. g. monitus, Titium tali die & loco delictum committere, assumptis secum testibus, illuc accedit, & deprehendit illum in actu delicti; vel sedens pro tribunali, aut aliàs jurisdictionem exercens, adstantibus aliis, ipse cum aliis evidenter advertit, ab aliquo committi crimen; v. g. testem in judicio falsum deponere, Advocatum prævaricari; vel alium audit blasphemantem! vel denique ab ipsis ministris justitiæ, aliisve deprehensus, statim ad Judicem ducitur.

2. Resp. Ad secundum: Contra talem quoque procedi posse non servato, saltem in omnibus, juris ordine, habet communis, ut ait Reiffenst. *h. t. num.* 268. eò quòd, ut Gl. *in c. cùm non ab homine. de judic. v. deprehensus*: in flagrante deprehensus æquiparetur delinquenti notorio, quamvis non in omnibus; dum non pari modo in memoratis tribus casibus procedi queat, sicuti in delicto notorio, nimirum nullo ex iis, quæ alias in ordine juris circa reum servari debent, servatò; nam licèt, dum in oculis ipsis Judicis versantis in exercitio jurisdictionis, & præsentia plurimum circumstantium opùs non sit accusatione aut denunciatione; neque productione & examine testium, aliáve probatione vel termini ad se defendendum assignatione, neque etiam condemnatione per sententiam propriè talem prolatam cum aliis solennitatibus juris, sed pœna imponi possit per simplex decretum vel præceptum. Quod idem dicendum videtur de secundo; eò quòd talis Judicis, etiam extra judicium versantis, & ab eo ad hoc assumptorum testium oculatis inspectio actu delinquentis circa aliud eorum examen inducat probationem criminis evidentem, & sufficientem ad causæ decisionem, procedendúmque ad pœnæ inflictionem, ut Specul. *l. c. n.* 12. Salycet. *n.* 91. Farin. *q.* 21. *n.* 158. Gometz *l. c. c.* 1. *num.* 48. apud Wiestner. *num.* 16. His non obstante, quòd, ut Idem ait, nimirum, quòd, si in hoc casu deprehensus seu reus neget delictum, aut illud in conspectu judicis commissum, punitionem non præcitandam; sed recipiendas delicti probationes; cùm non appareat, qualiter reus verosimiliter, aut etiam rationabiliter id negare possit. Unde potius tali negatione tanquam frivola contempta sine ulteriore probatione ad punitionem delicti progredi posse videtur. Nihilominus quoad tertium, dum delinquens non à Judice, sed à ministris justitiæ, aliisque deprehensus, ductus ad Judicem est, recipiendi sunt testes super delicto, & apprehensione in flagrante, examinandúsque ipse reus: &, si delictum simpliciter sine ulla excusatione, & defensione fateatur, pœna ei secundum facti & personæ qualitatem decernenda; si verò defensionem aliquam adferat, quæ pœnam excludat vel diminuat, v. g. quòd ad sui defensionem occiderit alium, quòd rem subripuerit in compensationem crediti, quòd aliâ viâ consequi non potuerit, terminus ad exceptionis suæ probationem ei prorogandus. Si denique nihil ad sui defensionem afferat, sed purè delictum negat, repetendi sunt testes, & siquidem ab eis convictus plene, deveniendum ad pœnam infligendam. Ita fere Wistner. *n.* 17. de cætero, ut idem *n.* 18. an in flagrante deprehenso, postquam delictum extra, vel in tortura confessus, aut de eo legitimè convictus, pœna infligi possit, sine prævia sententia controvertunt, Abb. affirmante hoc ipsum. Glos. *in L. JCtus fustium. v. ead. ff. de his, qui infam. notant.* & Covar. *in c. alma mater. de sent. excom. in* 6. *p.* 1. §. 1. *n.* 9. sic in plerisque

locis observari attestante, Claro tamen *l. c. n.* 4. Farin. *n.* 153. exigentibus sententiam tamen sine solennitatibus in jure præscriptis prolatam sive decretum de pœnæ executione, à quo tanquam juris executione appellationem negant, sed tantùm ab excessu pœnæ judicis arbitrio infligendæ.

Quæst. 6. *Accusatio qualiter definiatur?*

Resp. Accusatio propriè, prout hic accipitur pro actione criminali, definitur, quòd sit criminis alicujus ad judicem competentem legitimè facta delatio vindictæ publicæ causâ, ita ferè ab omnibus communiter sumitur. *L.* 9. *L.* 16. *L.* 20. *C. de his, qui accus.* Dicitur primò: *criminis delatio:* in quo adhuc convenit cum actione civili, quæ & ipsa accusatio civilis dicitur. *L.* 4. *C. de edendo.* possunt enim crimina non tantùm criminaliter, sed & civiliter deduci in judicium, & institui circa illa actio. §. *in summa. Inst. de jure jurando.* quamvis, qui aliàs in causis civilibus dicitur simpliciter actor, in criminalibus dicitur accusator. *L. cum prior. ff. de judiciis.* Laym. *L.* 3. *tr.* 6. *c.* 1. convenit item cum denunciatione, cùm & per hanc crimen deferatur ad judicem; differt tamen per hoc ab inquisitione, utpote quæ fit ab ipso judice ex officio illius; accusatio verò ad instantiam inchoatam. Dicitur secundò: *ad judicem competentem*, qualis de jure civili in criminalibus non est Magistratus municipalis, sed qui jurisdictionem criminalem vel merum imperium habet. Lauterb. *in ff. de accus.* & quidem in eo loco, ubi accusatus seu reus habet domicilium sive originis, sive habitationis, *L.* 1. & 2. *C. de jurisd.* & ibi Brunnem. *L.* 1. *C. ubi. de crim. mer. p.* 5. *dec.* 299. vel ubi deliquit, *cit. l.* 1. quem locum delicti forum principalius dicit Carpz. *q.* 110. *n.* 47. vel forum sortitur de consuetudine, ubi reperitur. Lauterb. Dicitur tertiò: *legitimè facta*: quo verbo continentur omnia, quæ ad ejus formam requiruntur. De quibus *quæst. seq.* Dicitur quartò: *publicæ vindictæ causâ*, ut nimirum ob bonum publicum, ad terrorem & exemplum aliorum reus puniatur publicè pœnâ temporali, aut pecuniaria fisco applicanda, vel privatione dignitatis, officii, beneficii, atque ita licèt per hoc non differat ab inquisitione, differt tamen ab actione seu accusatione civili, quæ non ad vindictam publicam, sed solùm ad commodum & satisfactionem accusantis, alteriúsve injuriam vel damnum passi intentatur.

Quæstio 7. *Quæ forma accusationis criminalis instituenda?*

1. Resp. primò de jure communi ad formam accusationis (sive accusator sit advocatus fisci, sive privatus) requiritur, ut fiat in scriptis *L.* 3. *ff. h. t. auth. offeratur. c. de lite cont. can.* 1. *caus.* 2. *q.* 8. atq; ita hodiedum accusatores & reos solere petitiones, & intentiones suas in scriptis offerre, ait Lauterb. *ad ff. h. t.* §. 15. *in fine.* idque tum, ut constet, quid accusator probare debeat, & ut nihil mutare possit, si videat se in probatione deficere. *Less. l.* 2. *de just. c.* 30. *n.* 2. in fine. Pirh. *h. t. n.* 2. tum ut judex, qui sententiam conformiter allegatis in accusatione formare debet, eam faciliùs, & sine errore concipiat. Nihilominus vigore hodiernæ consuetudinis, in levibus delictis necesse non esse, ut in scripto fiat accusatio, facilè asserunt DD. & in specie Sanch. *L.* 6. *cons. d.* 50. *n. arg. L. levia. ff. h. t.* sed ut etiam in gravibus possit fieri sine scriptura, vivâ voce, testantur Clarus §. *fin. q.* 12. *n.* 6. Salycet. *in l. penultima c. h. t.* Azor. *p.* 3. *l.* 13. *c.* 19. Pirh. *l. c.* Reiffenst. *h. t. n.* 6. idque secundum Constit. Carol. V. *a.* 89. teste Lauterb. *l. c.* modò tamen accusatio oretenus prolata statim per notarium seu actuarium publicum, in scriptis redigatur. Quin &, ut idem cum Carpz. *pr. crim. q.* 106. *n.* 77. *ait*, quòd in foro Saxonico & Wirtenbergico litium abbreviandarum causâ accusator & reus regulariter viva voce accusare & se defendere jubeantur. Ubi verò delictum per libellum accusatorium ab accusatore in judicium deferendum, ut is tanquam ineptus ex officio judicis rejici non possit aut debeat; in eo exprimi debet nomen judicis, ut appareat, num competens sit; cum si talis non sit, processus ab eo institutus lataque sententia sint nulla, juxta *L.* 1. *& l. fin. c. si non compet.* Item nomen accusatoris & accusati *L.* 3. *ff. h. t.* ut constet, num sint legitimi seu tales, qui accusare & accusari possint. Item species delicti, ut judex pro qualitate illius pœnam statuere possit, *cit. l.* 3. Item accurata facti narratio, secundum omnes circumstantias, nimirum quoad personas complices, locum, certúmque tempus, puta anni, mensis, *can. fin.* §. *libellorum caus.* 2. *q.* 8. & L. *libellorum* 4. *h. t.* ita ut si unum ex his omissum, libellus tanquam vitiosus rejiciendus. Gail. *L.* 1. *obser.* 64. *n.* 9. *& seq.* Clar. *L.* 5. *ff. fin.* 4. 12. hæc omnia de substantia accusationis esse dicens. Idque ex ea ratione, tum ne accusato reddatur vaga, & obscura; tum ne accusato adimatur occasio facilior se defendendi, dum nimirum difficulter probare posset negativam, ita determinatam ad locum & tempus certum, nec testes convincere falsitatis; tum etiam, ut judex videre possit, num crimen & accusatio sint præscripta. Regulariter tamen opus non est, ut exprimatur hora aut dies, *L.* 3. *ff. h. t.* Lauterb. §. 16. Reiffenst. *h. t. n.* 9. nisi tamen, ut iidem cum Farinac. *de reorum defens.* 3. *c.* 3. *n.* 7. dicta expressio diei & horæ nisi accusatori facilis, & accusato utilis & necessaria sit, eò quòd exinde defensionem sui deducere velit, & possit; v. g. ostendendo se illa die aut hora in illo loco non fuisse, ac proinde accusatus illam expressionem exigeret: aut etiam quia contingere posset, ut valor processus ab illa die dependeret, dum v.g. judex ea die fuisset suspensus ab officio, vel accusator inimicus accusati, vel quia delictum ratione diei, in quo commissum esset, specialiter punibile. Lauterb. *in ff. h. t.* §. 15. Secundò de jure communi requiritur inscriptio seu subscriptio accusatoris, quâ is subscribat in pœnam talionis, obligando se ad crimen à se objectum probandum, vel si in probatione deficeret, ad subeundam pœnam eandem, quam reus subiturus sit, si delictum probetur. *c. super his. h. t. can.* 2. & 4. *caus.* 2. *q.* 8. *L. fin. c. h. t. L. ult. c. de accus. & ibi gl. v. vinculum inscriptionis.* Sicque jure veteri Romano accusatores statim libello oblato subscribebant, sic statutum ex ea justissima ratione, ut refrænaretur temeritas facilè prosilientium ad accusandum, dum sciebant, accusationem calumnioſam seu falsam non fore inultam, *L. sicui ff. de accus.* Verùm hodiedum hæc inscriptio solennis (sakrem in judicio & foro sæculari) per non-usum seu desuetudinem est abolita, & pœna talionis in pœnam arbitrariam commutata, ne hominibus ab accusando deterritis propter onus illud probandi sub tali periculo subeundum, delicta manerent impunita. *Clar. l.* 2. *c.* 9. *n.* 9. *Gail. l.* 1. *de pace publica. c.* 9. *n.* 3. Covar. *Var. resol. l.* 2. *c.* 9. *n.* 9. Felin. in *cit. c. super his. n.* 5. *h. t.* Pirh. *h. t. n.* 2. Goudel. *de jure novo l.* 1. *c.* 14. *v. quod dixi.* Lauterb. *ad ff. h. t.* §. 17.

Ubi

Ubi etiam cum Mev. *p. 3. decis. 294. ait*: quòd dictæ inscriptioni successerit satisdatio, seu cautio fidejussoria ab accusatore ab initio præstanda tam judici, quam reo pro impensis, damnis, injuriâ accusato causatis per accusationem temerariam falsam, aut probatione destitutam. Et ab hac satisdatione præstanda, nullum (etiamsi sit Princeps) immunem esse juxta *const. crim. a.* 14. Addit tamen Officiales & Procuratores fiscales, dum criminum reos accusant nomine publico, nullam hodiedum præstare solere cautionem, *arg. l.* 2. §. 2. *ff. de fundo dotali.*

Dixi *jure saltem civili*; nam in foro Ecclesiastico, & jure canonico adhuc necessaria est istiusmodi inscriptio, prout sumitur *ex c. super his, & c. qualiter h. t.* Host. *in summa ibid.* Clarus *L.* 1. *q.* 12. *n.* 18. Less. *l.* 2. *c.* 30. *n.* 9. Pirh. *h. t. n.* 2. Quin & si convinceretur quis, quod innocentem verè malitiosè accusasset, aut denuntiasset, eum pœnam talionis adhuc subire debere, vi constitutionis Pii V. *cum primum.* innovantis pœnam talionis; eámque, etsi solùm loquatur de accusatione de criminibus Sodomiæ, blasphemiæ, concubinatus, extendi à Passerino. *Tribunal reg. q.* 7. *n.* 44. testatur Reiffenst. *h. t. n.* 11. qui etiam *n.* 12. addit certum esse, pœnam talionis adhuc locum habere in locis & regionibus, ubi speciatim de ea exstant statuta, uti ea in suo ordine exstare ait. De cetero casus quosdam, in quibus nec de jure civili, nec de jure canonico dicta inscriptio necessaria, adeoque pœna talionis locum non habeat, exceptos & recensitos vide à Gl. *in c. super his h. t.* v. *oportet inscribi.* & Host.

Quæstio 8. *Num accusationi præmittenda monitio, aut fraterna correctio?*

Resp. Affirmat id ipsum Sylvest. *V. accusatio. q.* 3. juxta illud Matth. *c.* 18. *v.* 14. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Negant cum *glos. in c. licet de Simon. V. inscriptio.* D. Thom. *in* 4. *d.* 19. *q.* 2. *a.* 3. *Quæstiunc.* 1. Distinguunt cum communiore Sanchez *l.* 6. *cons. dub.* 28. *n.* 6. Sess. l. c. *n.* 12. *Wiestn. h. t. n.* 42. ita ut ex Lege caritatis præmittenda sit monitio secreta, dum crimen occultum, certáque spes est delinquentem illa admonitione corrigendum, & damnum tertio alicui privato vel reipublicæ illatum, aut impendens, justa satisfactione compensandum, aut impediendum, maximè si persona sit honesta. Secus verò si publicè diffamatus, aut reipublicæ, vel etiam privato grave damnum immineat, aut illatum, quod privata monitione non impediendum aut resarciendum prævidetur, aut rationabiliter judicatur. Quia in hoc casu malum publicum privato est præferendum. Verum tamen num peccetur graviter, & quidem sub obligatione restituendi, non conveniunt AA. Affirmativam, seu quòd peccetur, accusando de peccato occulto non præmissa monitione fraternâ privatâ, cum Soto L. 5. *de justitia. q.* 5. *a.* 1. & *q.* 6. *a.* 2., tenent quidam Recentiores, etiam si delinquens jam emendatus, vel spes emendæ, & aliunde nullum damnum reip. vel alicui tertio ex omissione accusationis immineat. Negativam cum Mercado *de contract. l.* 6. *c.* 9. & aliis sequitur de Lugo *d.* 38. §. 1. *n.* 8. eò quòd usus quotidianus probet, quòd similes accusationes, & denunciationes fiant sine scrupulo: ex ea etiam ratione, quòd via punitionis (in ordine, ad quem instituitur accusatio;) diversa sit à viâ privatæ & fraternæ correctionis, quæ solùm tendit ad bonum privatum delinquentis; illa verò intendat bonum commune reipublicæ, ne scilicet invalescant crimina, deterrendo alios ab iis committendis quod bonum, utpote prævalens privato, semper intendere potest accusator, licèt obiter simul intendat commodum proprium. Hinc ad accusationem, de qua hic, requiritur, ut fiat ob bonum publicum, publicámque vindictam, qua à criminibus perpetrandis deterreantur criminosi, dum vident iis pœnam publicè infligi. Quòd si fieret solum ad satisfactionem. & utilitatem illius qui damnum passus est, jam non actio criminalis, sed accusatio & actio civilis foret, quæ, ut dictum, non requirit inscriptionem, nec solennitates, quas actio criminalis. *Gonz. in c.* 1. *h. t. n.* 1.

Quæst 9. *Quinam criminaliter accusare possint?*

Resp. Omnes, qui ex natura rei non impediuntur, neque specialiter à jure prohibentur accusare. Clar. *pr. crimin.* §. *fin. q.* 14. *n.* 1. Farin. *p.* 1. *l.* 2. *tit. q.* 12. *n.* 18. Durand. in spec. *part.* 1. *h. t.* Pirh. *h. t. n.* 3. Lauterb. *l. c.* §. 2. accusare siquidem, de jure civili est de genere permissorum, & quod jure non est prohibitum, intelligitur esse concessum. *c.* 2. *de transl. Episc.* juncta *glos. V. non incurritur.* Unde hanc facultatem subditi à Principe impetrare necesse non habent, cùm quod Lege concessum, specialiter impetrandum non est, *l. unic. de Thesaur.* nisi forte jure quodam statutario generaliter prohibitum esset, sine speciali Principis concessione, aut Judicis decreto accusare criminaliter. Notanda tamen hic, quòd ad potestatem accusandi, distinctio inter delicta publica & privata, cum omnibus, & cuivis de populo (intellige non tantùm civibus, sed & forensibus, ut probabilius de Lugo, *cit. d.* 38. *t.* 2. *n.* 12. cum Fagund. in *præc. decalog. præcep.* 8. *c.* 48. *n.* 1.) regulariter competat potestas accusandi de publicis, juxta §. 1. *Inst. de Publ. judic.* eò quòd hæc puniri publicè spectet ad utilitatem publicam. Talia autem sunt, quæ directè vergunt contra Deum, resque divinas; ut blasphemia, apostasia, hæresis, simonia, magia, sacrilegium, aut contra majestatem Principis vel reip. ut perduelliones. aliáque læsæ majestatis crimina, ut sunt crimen peculatus, fraudatæ annonæ, falsæ monetæ &c. vel quæ, licèt contra privatam personam committuntur, jus vel consuetudo pro publicis haberi voluit, *Farin. p. crim. q.* 18. *n.* 17. Haun. *tom.* 6. *de j. & j. t.* 2. *n.* 2. & 3. qualia sunt, homicidium, adulterium, veneficium, crimen falsi. De delictis verò privatis, (qualia sunt, quæ privatam vel propriam injuriam spectant quæque à jure vel consuetudine dictam denominationem publicorum non receperunt, ut sunt furta, expilatio hæreditatis, aliæque injuriæ citra damnum publicum, seu irrogatum reipublicæ) accusare criminaliter non competit cuivis, sed iis solùm, ad quos pertinet, seu qui damnum vel injuriam passi sunt in se vel suis; nomine autem suorum veniunt personæ conjunctæ seu propinquæ, ut conjuges, parentes, consanguinei, secundum aliquos ad septimum usque gradum; secundùm alios ad decimum in linea recta, & usque ad septimum in linea transversa; Alii ad sextum; alii communius & veriùs cum Fagund. *l. c. n.* 10. de Lugo *l. c. n.* 11. ad quartum. Quamvis tamen Clericus injurias suas & non suorum prosequi possit accusando, cum protestatione, se id non facere, ad expetendam vindictam & pœnam sanguinis, vel potius denuntian-

do solùm qualiter cum majore proprietate loqui, Sanch. *l. 6. cons. c. 1. dub. 30. n. 3.* ait de Lugo *l. c.* Alii tamen cum Fagund. *l. c. n. 11. & 12.* non agnoscentes in hoc puncto differentiam inter denunciationem, & accusationem cum dicta protestatione, utuntur nomine accusationis simpliciter, & magis, ut putant, proprie ad *c. 2. de homic.* Et hæc distinctio inter delicta publica & privata magis est de jure civili quàm canonico, quo omnia delicta censentur publica, ita ut sublatis hodiedum Locorum statutis & consuetudinibus nullum inter ea sit discrimen, & judex procedere possit ex officio, admissis ad accusandum quibuscúmque, de cætero ad hoc non inhabilibus, uti monent Clar. Farin. paulò ante citati apud Wiestn. *h. t. n. 26.*

Quæstio 10. *Quinam accusare prohibeantur?*

1. Resp. Ab accusando criminaliter prohibentur plura hominum genera, tum ex natura rei, tùm vi legum ob varios defectus & causas, puta ob defectum rationis vel ætatis, ob sexum, statum, officium, delictum, infamiam, excommunicationem, inimicitiam, suspicionem calumniæ, conjunctionem sanguinis, affinitatis, reverentiam, quæ congesta à Gl. *in cap. si legitimus. h. t. & l. 8. ff. qui accusare possint.* sic itaque:

2. Primò ex natura rei accusare non possunt ob defectum animi seu rationis furiosi & mente capti, cum, quæ geruntur, non intelligunt, *l. dum modo. §. 1. ff. de procurat.* Et ob defectum surdi & muti à natura. Decian. *tract. crim. l. 3. c. 1. n. 1. & 3.* Reiffenst. *h. t. n. 21.* & Wiestn. *n. 27. cum communi arg. l. 1. §. 3. de postul.*

3. Secundò ob defectum ætatis repelluntur, non tantum non egressi infantiam, sed & pupilli, aliique impuberes infante majores. *l. qui accusare. ff. hoc tit. can. prohibentur. can. 2. q. 1.* nisi quòd hi, adhibito tutoris consilio & consensu, suas suorúmque injurias prosequi possint, ut liquet ex *L. 2. §. 1. ff. hoc tit.* Pirh. *h. t. n. 4. §. 3.* Wiestn. *n. 27.* Lauterb. *ad ff. h. t. §. 3.* Brunnem. *ad L. 4. C. de auth. præst. n. 1.* uti & de crimine Læsæ Majestatis accusare, *L. 8. H. ad L. Juliam Majest.* Wiestn. *l. c.* sed neque puberes, minores tamen 20. annis soli sine authoritate curatoris, non nisi in dictis casibus ad publicè accusandum admittuntur; cum eadem tamen authoritate in aliis casibus seu delictis accusare permittuntur, modo ejus sint ætatis, ut postulare & in publicum procedere possint, nimirum 17. annorum, ut Reiffenst. *h. t. n. 6.* citans *L. 1. §. 3. ff. de postuland.* & *L. 4. de auth. præst.* Quin & indistinctè omnes, modò annum 14. excesserint, admitti ad accusandum, testantur Pirh. & Reiffenst. *cum Claro §. fin. q. 14. n. 7.* his non obstante *L. 15. §. 6. ff. ad L. Juliam de adulteriis.* Ubi specialiter ab accusatione adulterii excluduntur minores 25. annis, nisi eorum thorus proprius fuerit violatus; nam dum exceptio unius solius, præsupponit & firmat regulam, quoad alia crimina exclusio unius est exclusio aliorum, ac ita per hoc ipsum probatur, posse illos accusare de cæteris aliis criminibus.

4. Tertiò ob sexum utpote verecundiorem facilioremque ad concipiendum odium vel amorem, repelluntur ab accusando mulieres per *LL. cit. l. 8. ff. hoc tit. & L. 12. c. qui accus. non poss.* excepto tamen iterum casu, quo sibi, suisque illatas injurias prosequi possunt per easdem leges, item crimina Læsæ Majestatis, & quæ huic æquiparantur, ut hæresis, per *c. vergentis: de hæretic.* aliáque quædam crimina atrocissima & excepta, qualia *quæst. præced. n. 2.* enumeravimus, iisque similia aut affinia, Farin. *pr. crimin. a. 10. n. 16.* Pirh. *n. 5.* Reiffenst. *n. 30.*

5. Quartò ob conditionem, v. g. servilem, dum enim servi, agere nequeunt in civilibus *juxta l. 6. de judiciis* multò minus id poterunt in criminalibus, *juxta can. 6. & 7. causâ 3. q. 5. & l. 26. c. ad L. Jul. de adult.* Excipiuntur tamen crimina læsæ Majestatis divinæ ac humanæ, fraudatæ annonæ, falsatæ monetæ, Lauterb. *ad ff. h. t. §. 3.* Wiestn. *n. 28. per LL. 7. ff. ad l. Juliam majestatis.* item interfectio domini sui, cujus necem accusatione vindicare intendit servus, juxta *L. 1. C. de prec. Imperat. offerend.* item crimina suppressionis tabularum testamenti, quo dominus servo libertatem reliquit, *cit. l. 1. & l. 7. ff. ad L. Cornel. de falsf.* ut iidem, & sic quoque ob conditionem ab accusandò repelluntur pauperes minus quàm 50. aureos habentes, *per l. non nulli h. t.* Pirh. *n. 6.* Lauterb. *h. t. §. 4.* ob periculum perversionis *L. 8. ff. ad legem Jul. majest.* paupertas enim sæpe cogit ad illicita.

6. Quintò, ob statum: sic filios familias accusare non posse sine consensu patris, (excepto tamen adulterio ab uxore commisso, ut Lauterb. *l. c. cit. L. 37. ff. ad legem Juliam de adult.*) tenent cum Gl. *in L. fin. v. necessitate. c. de bonis quæ liber.* Farinac. *p. crim. tit. de accusat. q. 22. n. 10.* Bart. *in L. 6. ff. ad l. Juliam de adult.* Alii ut Lauterb. *ad ff. h. t. §. 3.* Wiestn. *n. 28. per ll. cit. 7. ff. ad l. Jul. majest.* probabilius censent, posse id illos sine consensu patris, ex ea ratione, quod accusatio spectet ad jus publicum, & causam publicam; in iis verò, quæ ad jus publicum pertinent, non attendatur jus patriæ potestatis, juxta *L. 9. ff. qui his, qui sui vel alien.* Item ob statum clericalem vel religiosum accusare criminaliter non possunt clerici & religiosi, *can. 51. c. 2. q. 7. can. 6. caus. ead. & q.* præsertim ubi infligenda pœna sanguinis. Unde licèt accusare possint clerici laicos ad arcendam suam, (non tamen suorum) injuriam, (ut de Lug. *l. c. n. 11.* cum Fagund. *l. c. art. 10.*) ita & monachi seu religiosi (non nisi tamen de licentia Abbatis, & ubi interesse, & utilitas monasterii sic exigit, ut Pirh. *h. t. n. 10. not. 3. juxta c. ex parte h. t.* & Innoc. & Abb. *ibidem.*) si verò est causa sanguinis, protestari debent, se non agere ad vindictam sanguinis, sed præcisè ad avertendum damnum; cùm alias peccent moraliter, & si mors vel mutilatio sequatur, fiant irregulares, juxta *c. 21. de homic.* & *c. 2. eod. in 6.* de Lug. *cit. n. 11.* cum Fagund. Reiffenst. *h. t. n. 19.* De cætero monachi seu religiosi, prout statuitur *c. ex parte h. t.* non sunt repellendi ab accusatione sui Abbatis seu Prælati, non obstante obedientia, subjectione & reverentia ei debita, nisi causa aliqua rationabilis (quia v. g. sunt excommunicati, vel inimici, vel conspiratores, ut Glos. *in c. ex parte. v. aliarationabilis*) impediat. Præmissa tamen summaria cognitione, num accusans procedat malo vel bono zelo. Extenditúrque hæc potestas accusandi, vel denuntiandi proprium Prælatum, ad conversos Laicos, utpote qui non sunt propriè Laici, & quorum non minus, quàm aliorum interest, habere Prælatum non criminosum. Abb. *in cit. c. ex parte n. 1.* Pirh. *h. tit. n. 14.* Arg. *L. 3. h. tit.* Sed neque necesse est, ut quidam volunt, petere priùs & impetrare ab ipso Prælato vel Episcopo licentiam & potestatem hanc accusandi, cum ea ab ipso jure concessa sit cuilibet de monasterio. *cit. c. ex parte,* & *c. illa h. t.* Sanchez. *L. 6. moral. c. 12. num. 19.* Pirh. *notab. 3.* ex ea etiam ratione, quòd Prælatum diffamatus

diffamatum de crimine, aut mala administratione accusando, procuretur utilitas, avertanturque gravia damna monasterii, cujus summè interest, non habere Prælatum malum, seu, ut inquit Pirh. *Lupum pro pastore.* Jo-And. *in cit. c. ex parte, num.* 2. Abb. *n.* 9. Cui tamen, pendente accusatione in licitis parendum, non tamen in eo, si præciperet, ut ab accusatione desistant; quia præceptum hoc iniquum est. Abb. *in cit. c. ex parte n.* 4. Sanch. *l. c. n.* 13. Pirh. *n.* 10. Porrò, quod spectat expensas faciendas, dum Religiosi accusant Prælatum suum; quæ necessariæ sunt ad litem seu causam accusationis prosequendam, subministrandæ sunt ex rebus monasterii, usque dum dicta causa finem debitum consequatur, juxta *c. ex parte.* & Gl. *fin. ibidem.* & Abbas *n.* 9. Uti etiam Prælato accusato debentur expensæ à monasterio ad defendendum se, quia non minùs interest monasterii, non deponi Abbatem culpæ expertem. Pirh. *n.* 12. cum Gl. *in cit. c. ex parte. v. alia*; idque etiamsi amotus & suspensus ab administratione, modo verè & realiter non sit depositus, & privatus titulo. Abb. *l. c. n.* 5. Sanch. *l. c. n.* 24.

7. Sextò, propter officium, quod gerunt, accusare nequeunt milites in castris merentes, ne hac occasione à signis & castris, & sic à defensione reip. avocentur. *L.* 8. *ff. h. t.* Decian. *tr. crim. L.* 3. *c.* 15. & ibid. de Lug. *d.* 18. *t.* 1. *n.* 12. Wiestn. *h. t. n.* 30. Reiffenst. *n.* 20. Lauterb. *h t.* §. 4. qui tamen sic limitat; nisi crimen suum, suorumque injuriam contineat. Item Magistratum gerentes accusare non possunt, ne eorum potentia accusati opprimantur; & quia eos, qui ob potestatem in alios vocari nequeunt in judicium, posse alios in judicium accusando provocare, non videtur æquum. Quod proinde intelligendum de Magistratibus supremam potestatem & jurisdictionem exercentibus, & alium superiorem non recognoscentibus; non verò de judicibus inferioribus, & ordinariis superiorem recognoscentibus. Lauterb. *l. c.* & AA. paulò ante citati, juxta *cit. L.* 8. *L. nec Magistratibus. ff. de jurejur.* & *L.* 4. *c. de offic. præf. prætor. orient.*

8. Septimò, ob delictum proprium & suspicionem de eo, v. g. de crimine falsi, aliòve diffamatus, etsi nondum accusatus & condemnatus, accusare nequit alium. Clar. §. *fin. q.* 14. *n.* 9. Reiffenst. *n.* 22. *arg. can.* 17. & 18. *caus.* 2. *q.* 1. Multóque minùs id potest, qui jam actu accusatus pendente hac accusatione, donec priùs se purgaverit, absolutúsque fuerit & declaratus innocens. Et sic in specie, accusatus accusatorem reaccusare nequit de pari vel minori crimine: Secus est de crimine majore, de quo accusatorem accusare potest. *arg. L.* 19. *c. de his, qui accus. non poss. L. ii, qui. ff. de pub. judic.* Pirh. *n.* 6. Lauterb. §. 4. Reiffenst. *n.* 23. Excepto hic iterum crimine læsæ majestatis; item nisi suam, suorumque injuriam prosequantur. AA. *cit. per LL. cit.*

9. Octavò, ob suspicionem calumniæ inferendæ, ab accusando arcentur, qui semel falsum testimonium subornati dixerunt. *L.* 9. *ff. h. t.* Quique semel prævaricati & calumniati sunt. *L.* 7. §. 3. *ff. h. t. L.* 5. *ff. de prævar.* Lauterb. §. 4. Item turpem quæstum exercentes, dum duo judicia adversus diversos diversorum criminum reos subscripta habent. *L.* 16. *c. de his, qui accusare, vel pro pecunia accusare, aut ab accusatione desistere parati. L.* 4. *ff. h. t.*

10. Nonò, criminosi omnes & infames, qua tales. *L.* 8. *ff. h. t. c.* 17. *caus.* 6. *q.* 1. cum hoc tamen discrimine, ut jure civili arceantur tantùm infames infamiâ juris, id est, qui ob crimen judicio aliquo publico infamiam irrogante condemnati. *cit. L.* 4. *ff. h. t.* De jure canonico etiam infames infamiâ facti, etiam citra accusationem & condemnationem. *arg. can.* 17. & 18. *caus.* 2. *q.* 1. juncto *cap.* 17. *de sponsal.* Clarus §. *fin. q.* 14. *à n.* 9. Farin. *pr. crimin. q.* 12. *n.* 17. Pirh. *h. t. n.* 5. Wiestn. *h. t. n.* 29. Reiffenst. *n.* 22.

11. Decimò, propter excommunicationem majorem, quâ ligati, sicut agere nequeunt in judicio, *c.* 7. *de judic. c.* 1. *de except. in* 6. ita nec accusare, cum accusator in causa propriè actor sit. Pirh. *n.* 6. Reiffenst. *n.* 24. Lauterb. h. 4. §. 4. Extenditúrque hoc ipsum ita, ut etiam suam, suorúmque injuriam accusando prosequi nequeant; Iidem cum Farin. *l. c. n.* 31. servandúmque id ipsum in foro civili. Clar. *l. c. n.* 26. Farin. *n.* 26. & 28. Pirh. *l. c.*

12. Undecimò, infideles & hæretici accusare nequeunt Christianos & Catholicos ob suspicionem calumniæ inferendæ. *can. pagani* 25. *caus.* 2. *q.* 7. Pirh. *h. t. n.* 6. qui etiam id cum glos. *ibidem V. accusare.* extendit ad crimina excepta. Quod tamen de hæreticis in locis, ubi illi mixtim cum Catholicis tolerantur, locum non habere videtur.

13. Duodecimo. Ob inimicitiam capitalem vel gravem, quam quis cum alio gerit, accusator esse non potest, ob vehementem suspicionem calumniæ, dum rationabiliter præsumitur accusare ex odio, & potiùs privatæ vindictæ causâ, quàm ex zelo justitiæ, Far. *l. c. n.* 34. & *seq.* Clar. §. *fin. q.* 14. *n.* 17. Pirh. *h. t. n.* 7. Wiestn. *n.* 35. juxta claros textus *can.* 2. *caus.* 3. *q.* 5. *c.* 13. & 19. *h. t.* non obstante, quòd, qui accusatur, dederit causam inimicitiæ, qui & ipse excipere potest contra inimicum accusatorem, modò non ex fraude & dolo, ut contra eum excipere posset, dederit causam inimicitiæ. Pirh. *l. c.* Reiffenst. *n.* 25. cum Abb. in *cit. c.* 7. *n.* 5. Extenditurque hoc ipsum per *c.* 7. *h. t.* ad cohabitantes vel multùm conversantes cum inimico accusati, utpote qui præsumuntur amici accusatoris, ideóque ejusdem cum illo affectionis. Unde præsumuntur quoque inimici illius, qui accusatur, per *l.* 1. *dist.* 93. etsi non capitales. Unde etiam non totaliter repelluntur à testificando, sed minor fides eis adhibetur, ut Pirh. *l. c.* cum Farin. *pr. crim. p.* 2. *l.* 2. *q.* 13. *n.* 46. De cætero potest quis inimicum suum ob injuriam & damnum sibi suisque illatum accusare: aliàs nemo posset alterum ob inflicta vulnera vel cladem sibi suisque illatam accusare, cùm ex hoc plerumque inimicitia oriatur. Reiffenst. *n.* 26. *citt.* Mascard. *de probat. consil.* 899. *à n.* 1. Monach. de præsumpt. *L.* 5. *præsumpt.* 43. sic etiam, quamvis quis, qui tulit testimonium contra se (idem est de eo, qui accusavit, in causa criminali non possit postmodum accusare in eadem causa, quia præsumitur exinde orta inimicitia, ut Pirh. *h. t. n.* 8. *arg. l.* 10. *h. t.* poterit tamen id ipsum, si non sponte se obtulit ad testificandum, sed coactus fecerit; cùm cesset tunc præsumptio inimicitiæ. Pirh. *l. c. in fin.* cum Abb. *in cit. c.* 10. *n.* 14.

14. Decimotertiò ob conjunctionem sanguinis, & affinitatem, amorémve, accusare nequeunt in delictis gravibus, liberi parentes suos. *Nov.* 115. *c.* 3. §. 3. *L.* 8. *ff. h. t.* & è contra parentes, ascendentesque & descendentes *l.* 14. *c. de his qui accusare.* Item fratres & sorores invicem, *L.* 13. *c. eod.* excipiuntur tamen structæ insidiæ vitæ, crimen læsæ Majestatis *cit. l.* 14. juncta *L. penul. c. eod.* Item si suam suorumque injuriam prosequantur, ut Lauterb.

ad ff. h. t. §. 5. sic ob reverentiam & ratione beneficia accusare prohibentur: Libertus patronum, ejúsque hæredem, *L.* 8. *ff. h. t.* alumnus educatorem, *L.* 17. *c. h. t.* discipulus præceptorem, *L. penult. c. eod.* Lauterb. *l. c.* vasallus & servus dominum. 2. *feud.* 33. *c.* 1. Pirh. *n.* 6. Azor. *L.* 13. *c.* 19. *dub.* 6. *n.* 2. familiaris eum, cujus familiaritati adhæsit. *L.* 20. *c. de his, qui accusare.* Wiestn. *num.* 33.

Quæst. 11. *An plures simul eundem accusare possint?*

Resp. Pro diversis casibus diversimodè: plures, quorum omnium interest, simul uno libello reum accusare possunt. Lauterb. *in ff. h. t.* §. 7. Carpz. *pr. crim. q.* 104. *à n.* 47. *arg. L.* 4. *c. h. t.* concurrentibus simul ad accusandum pluribus, quorum non omnium interest, potest ac debet Judex, cognitâ causâ, æstimatáque eorum qualitate, puta ætate, dignitate, moribus, aliisque circumstantiis, ex eo, quod interest, vel alia justa de causa, ex iis eligere unum, qui ad accusandum admittatur. *L.* 16. *ff. h. t.* Lauterb. *l. c.* cum Gilhaus. *a.* 26. *pr. crim. c.* 3. *p.* 2. *n.* 3. instituta jam accusatione ab uno, supervenientes alii volentes reum in eodem judicio publico accusare, repellendi à judice, juxta *L.* 3. §. 1. *L.* 11. §. 2. *ff. & L.* 9. *c. h. t.* Lauterb. *l. c.* id ipsum cum Carpz. *l. c. n.* 46. sic limitans: nisi prima accusatio fuerit deserta, vel alio modo, ne promoveretur, impedita. *cit. L.* 11. §. 2. vel nisi ex eodem facto plura crimina nascantur, & reus de eorum uno, de quo necdum accusatus, accusatur. *cit. L.* 9.

Quæst. 12. *Procuratores num accusare possint?*

Resp. Procuratores, Notarii, Advocati, similésve personæ minùs principales, jure communi, tam canonico, quam civili regulariter in causis civilibus, in quibus condemnato pœna capitalis, aliáve corporis afflictiva decernitur, nomine ipsius principalis, accusare nequeunt. *c.* 15. *h. t. can.* 2. *caus.* 5. *q.* 3. *ubi dicitur, in criminalibus accusator non nisi per se ipsum auditur. L. penult.* §. 1. *ff. de publ. judic. l. c. h. t.* Menoch. *de arbit. L.* 1. *q.* 80. *n.* 1. & 2. Clar. §. *fin. q.* 32. *n.* 2. & 3. Pirh. *h. t. n.* 30. Lauterb. *l. c.* §. 13. Ubi etiam, quod ipsum procedat juxta *L.* 15. *L.* 3. *c. ubi Senator. vel clara.* licèt accusator sit persona illustris & clarissima. Quamvis addat hodiedum ex parte accusatoris, communiter admitti procuratorem; juxta *ordin. crim. à* 12. intellige non tantum ad excusandum principalem, ratione absentiæ, ut Pirh. *n.* 32. diluendásque motas contra eum exceptiones, sed & ad agendum causam principalem, seu ad agendum, ut patet ex adjuncta ab eo ratione; quia nimirum hodiedum necessitas inscriptionis, & pœna talionis, abiit in desuetudinem. Sed neque ex parte rei, ad defendendam ejus causam, in judicio criminali admittitur procurator, ubi agitur de pœna capitali, vel corporali afflictiva corporis. *cit. L. penult. ff. de publicis judiciis*, & AA. *cit.* bene tamen in causis criminalibus, dum reo imponenda pœna pecuniaria, similésve juxta *L.* 1. *ff. an per alium. caus. appellat.* Menoch. *l. c. n.* 119. Clar. *l. c. n.* 4. Pirh. *n.* 33. ex ea ratione: quòd, quando imponitur pœna pecuniaria, executio non fiat in persona rei, sed in bonis illius; ideóque nihil interfit fisci, utrum reus personaliter, an per Procuratorem compareat. Sic in specie admitti Procuratorem, dum agitur de pœna relegationis, aliáve minore, tenent per *cit. L.* 1. §. *etsi.* cum Glos. *ibid. v. relegationem.* Menoch. *l. c. n.* 103. Clar. *l. c. n.* 5. citatus à Pirh. *n.* 33. contra Abb. *in c. veniens. h. t. n.* 18. & 19. ubi, quòd in nullo judicio criminali regulariter intervenire possit Procurator, quàm in quo imponitur tantùm pœna pecuniaria. Sic quoque, quoties reus comparere per se nequit, vel impossibilitate facti, ut dum est universitas, quæ deliquit, vel impedimento juris, v. g. monialis, quæ monasterio egredi nequit; ita Pirh. *l. c. cum Abb. in cap. veniens n.* 14. Quin etiam dum reus carceri inclusus, vel extra territorium judicis per se comparere nequit; ut Bart. *in cit. L. penult.* §. *ad crimen. ff. de publicis judiciis, n.* 10. Quod etiam intelligendum videtur, dum agitur de pœna corporali, saltem dum reus tenetur in carcere; eò, quòd tunc judicium criminale eludi non possit, à reo nunquam durante processu per se comparente, ut Pirh. De cætero de Advocato omnino est aliud, utpote qui ad causam criminalem principalem, etiam dum agitur de pœna corporali, patrocinio suo in causis publicis defendere potest, ac debet; juxta *L.* 2. *c. de exhib. & transmitt. reis.* & Ord. *crim. a.* 88. Lauterb. §. 13. Carpz. *pr. crim. q.* 105. & *q.* 115. nisi sit manifestus & famosus latro, Quamvis hodiedum reo etiam non petenti dandus sit Advocatus, vel unus ex Assessoribus, juxta *cit. ord. crim.* eidémque liber ad reum concedendus accessus, qui, si denegetur, decernitur in denegantem Imp. decret. Laut. *l. c.*

Quæst. 13. *Qualiter inhabiles ad accusandum, repelli possint & debeant ab accusando, ut non valeat processus.*

1. Resp. Primò, inhabilis ad accusandum, vel quia infamis, excommunicatus, inimicus, etsi in judicio agere & accusare nequeat accusatorem suum, potest tamen excipere de inhabilitate ipsius, ac ita repellere eum ab accusatione, si ante litem contestatam opponatur: est enim talis exceptio dilatoria, & valet, quia rationem dilationis habet. Barth. *in L. servos. ff. h. t.* Clarus *cit. q.* 15. *n.* 3. Pirh. *h. t. n.* 17. Reiffenst. *n.* 32. Oppósita verò post litem contestatam nihil prodest, seu effectum nullum habet, nisi reus, seu accusatus ignorârit hanc exceptionem sibi competere. Pirh. *n.* 15. cum Abb. *in c.* 1. *h. t.*

2. Resp. Secundo, potest quoque Judex, ac debet, accusatorem infamem, aut aliunde prohibitum, seu inidoneum accusare, ab accusando repellere, etiamsi nec accusatus, nec ullus alius contra talem accusatorem excipiat, idque ex officio, seu ratione reip. cujus interest, illegitimum accusatorem non admittere. *arg. c.* 1. *h. t.* Quòd si verò nec accusatus, aut quisquam alius contra eum exceperit, nec Judex ex officio illum repulerit, valet processus accusationis, & effectum habet. Clar. *l. cit. n.* 4. Pirh. *n.* 17. Reiffenst. *l. cit.*

Quæst. 14. *An, & qui obligentur accusare criminaliter?*

1. Resp. Primò, supponendo cum de Lug. *d.* 38. *s.* 1. *n.* 1. regulariter nunquam est obligatio accusandi accusatione propriè tali, ut condistincta à denunciatione, (quæ qualiter ab hac distinguatur, dicetur *c. seq.*) siquidem omnibus, quæ ex omissione accusationis timeri possunt, satis providetur denunciando judicialiter delinquentem apud judicem vel fiscalem: atque ita opus non est, ut aliquis

aliquis sibi assumat onera accusatoris, quæ multa sunt & gravia, propter periculum deficiendi in probatione ex defectu vel malitia testium, & propter odium, inimicitias, expensas & similia, quæ accusatores consequuntur; ita de Lugo. Dixi tamen: *regulariter*: quia occurrere posset casus, etsi rarò, in quo ex delicto grave damnum spirituale, vel etiam temporale imminerer reip. quod denunciatione, monitione, aliove modo, quàm accusatione, & instituto contra eum judiciali processu, averti non posset, quia v. g. non patitur moram inquirendi, prout requiritur facta denunciatione. In quo casu teneretur etiam quisque privatus, accusare reum omissa denunciatione, etiam cum detrimento proprio, utpote cum quo tenetur prospicere bono communi, seu totius reip. modò tamen probare crimen illud posset, ne aliàs objiceret se suspicioni calumniæ. De cætero extra talem casum obligatur disjunctivè, vel ad accusandum vel denunciandum crimen vergens in damnum grave reip. ita cum D. Thom. 2. 2. *q. 68 à* 1. Sylv. *v. accusatio. q.* 2. *n.* 3. Layman. *L.* 3. *tr.* 6. *c.* 3. *n.* 6. Pirh. *h. t. n.* 18. Reiffenst. *n.* 33. Et sic in specie tenentur ad accusandum, vel judicialiter denunciandum fiscales, custodes, vigiles, & similes, nisi alio modo damnum illud avertere possint; cùm non teneantur accusare vel denunciare, nisi in quantum necessarium, ad tale damnum publicum vel privatum avertendum, & bonum commune procurandum, de Lug. *l. c. n.* 3. Tenentur autem hi obligati ex officio denunciare vel accusare, ex justitia; cæteri ex caritate, vel alia virtute, ut idem *n.* 2. *in fin.* porrò quoad obligationem denunciandi vel accusandi, non tam veniunt ea crimina, quæ sunt ratione quadam generali contra bonum commune, quatenus alii ex illis sumere possunt scandalum, ad similia perpetranda, si impunita relinquantur, quàm, quæ directè & immediatè sunt contra bonum commune, seu reipublicæ: ut schisma, proditio civitatis, crimen læsæ majestatis, expilatio ærarii publici, hæresis, & sparsio dogmatum contra fidem, quibus de Lugo *cit. n.* 2. annumerat peccatum aliquod turpe in religioso, quod probabiliter publicabitur & cedet in magnum religionis damnum.

2. Resp. Secundò, aliud est de criminibus privatis, taliter non vergentibus in damnum publicum boni communis; in iis enim agere & accusare nemo invitus tenetur, juxta *L. unic. c. ut nemo invitus*, etsi licitè posset: sunt siquidem plures casus, in quibus licitum est accusare, non tamen obligatorium, quos videre est apud Henriq. *L.* 3. *de pœnit. c.* 25. §. 9. *Lit. G.* sic, qui novit crimen alicujus, etiam graviter nocivum proximo, cujus damnum aliter ab eo averti nequit, quàm denunciando vel accusando, etsi denunciare vel accusare teneatur ex lege caritatis, si fine suo gravi damno possit, non tamen ad hoc tenetur, cum lex caritatis non obliget, ad impediendum grave damnum, nisi id commodè, vel saltem sine notabili damno proprio fieri possit; de Lugo *l. c. n.* 3. Sic etiam in specie nemo regulariter accusare tenetur de delicto contra se commisso, cum quilibet sit dominus propriæ famæ & bonorum fortunæ, adeóque condonare injuriam sibi illatam possit; nisi forte, prout id ipsum limitat de Lug. *n.* 4. cum Sot. & Navar. ita pauper esset, ut se suamque familiam alere non posset, nisi repetendo per accusationem bona sibi ablata. Idem est de injuria suis illata. Idem *n.* 5. quin etiamsi delictum sit quidem contra bonum commune, non tamen ita graviter eidem nocivum, ut idem *ibid.*

Quæst. 15. *Num accusatione inchoatâ, desistere ab ea possit accusator, & quas pœnas desistens incurrat?*

1. Resp. Primò, in civilibus accusator, dum agit de proprio solùm suo interesse, desistere potest, de Lug. *de jur. & just. d.* 38. §. 1. *n.* 9. cum communi. In criminalibus quoque, dum accusator etiam post libellum judici oblatum, litémque contestatam deprehendit, se erasse accusando innocentem, qui falsò putavit esse reum, non tantùm potest, sed & debet desistere. Idem est, si de innocentia accusati cœpit dubitare, & post diligentem inquisitionem perseveret dubitatio. Item dum videt, se crimen non posse probare, cum, si in hoc casu pergat accusare, vere calumnietur, Sylv. *v. accusatio. n.* 6. Wiestn. *h. t. n.* 47. Quamvis, ut hic addit ex Abb. *in cap. fin. de calumniat. n.* 5. in his casibus, ut calumniatorum pœnam effugiat, probare debeat, se justâ causâ aut probabili errore ductum ad accusandum; nunc autem legitimæ probationis copiam non habere, eò quòd v. g. testes mortui, sive absentes sint, aut fidem fefellerint, sibique defecerint, Pirh. *h. t. n.* 20. cit. Lessio *L.* 2. *de just. c.* 30. *n.* 14. Item debere illum desistere, postquam Judex accusationem refutavit, seu rejecit, vel admissam rescidit; quia v. g. deprehendit libellum continere substantialem defectum; vel persona accusata talis est, quæ non potest sine gravi reip. perturbatione puniri. Tunc enim potest Judex vel Princeps accusationem inchoatam abolere, idque etiamsi privatus ob injurias sibi illatas accuset, quia illius est damnum publicum cavere, etiam cum incommodo privato. Quod tamen ob eandem causam non potest Judex inferior, sed solùm accusationem non admittere, vel admissam suspendere, relato toto negotio ad Principem, & quidem non jure & potestate ordinaria, sed ex tacita quadam voluntate Principis, seu per epiikiam. Quin &, si agatur de injuria partis accusantis, non potest non accusationem admittere, etiam sub prætextu majoris boni, debétque jus parti dicere; cùm ad eum non spectet principaliter promotio boni publici, sicut ad principem, qui etiam propterea potest accusationem factam abolere, seu rescindere, casu quo persona accusata censetur bono publico necessaria, vel valde conducibilis: Ita Less. *l. c. n.* 15. & 16.

2. Resp. Secundo, in causis omnibus, etiam criminalibus, in quibus quis accusare non tenebatur, desistere potest ante libellum accusationis judici oblatum, idque etiamsi publicè dixisset, se accusaturum, Pirh. *n.* 3. Wiestn. *h. t. n.* 46. Reiff. *n.* 51. *arg. c. licet h. t.* Quin &, ut de Lug. *cit. num.* 9. potest desistere non tantùm gratis, sed & accepto pretio, (cujus contrarium est, si ex justitia tenebatur desistere; si enim tunc acciperet pretium, ut desisteret, venderet, quod ex justitia dare & facere tenebatur) estque ratio, quòd, ubi accusatio non est sub obligatione, etiam ejus prosecutio non est sub obligatione. Extenditque hoc Pirh. *n.* 22. *notab.* 3. ita ut, qui ante oblatum libellum professus est, se velle accusare, adhuc desistere possit, juxta *cit. c. licet.* etiam facta jam citatione rei, pro quo citat Abb. *in cit. c. n.* 6. & Bartol. *in L. quæsitum. ff. ad S. C. Turpilian.* Non tamen desistere potest post datos fidejussores de lite prosequenda, Pirh. *l. c.* nihilominus etiam in hoc casu ab accusatione criminis publici, quam minatus est, libello nondum porrecto desistens, postea ad reum accusandum, de

eodem crimine non admittatur ampliùs, Arg. *cit. v. licet*, & *L. 6. c. de his, qui accusare. L. miles. ff. ad L. Jul. de adult.*

3. Resp. Tertiò, post litem contestatam, vel saltem post libellum, cui inscriptio facta, judici oblatum accusator, (intellige etiam eum, qui accusare non tenebatur) si accusatio justa est, impunè desistere nullo modo potest, juxta *L. 15. §. 5. ff. ad S. C. Turpill. cit. L. miles. auth. qui semel c. quomodo & quando*; ex ea ratione: quia eo casu contracta jam est obligatio probandi delictum, & perseverandi usque ad sententiam: cùm interst reip. accusationem cœptam non intermitti, ut si accusatio vera est, delictum, si falsa, accusator tanquam calumniator puniatur; de Lug. *l. c.* Reiff. *num.* 50. Wiestn. *n.* 45.

4. Resp. Quartò, quod attinet ad pœnas desistentium ab accusatione post oblatum libellum, eique factam inscriptionem, sine consensu accusati, & licentia omittendæ accusationis, concessa à judice ex justa causa, dum crimen est publicum, præter indictum iis perpetuum silentium de eodem crimine posthac accusandi, de quo *resp.* 2. & repulsam, si pœnitentiâ ducti denuò prosequi velint, juxta *L. 2. ff. & L. 3. c. ad S. C. Turp.* incurrunt infamiam, juxta *L. 2. c. eod.* damnantur in expensas compensandaque damna, juxta *L. 3. c. de his, qui accus. non poss.* & ad alias pœnas ejusdem *S. C. Turpill.* nimirum ad pœnam quinque librarum auri fisco solvendam. Dum verò crimen privatum est, ad pœnam arbitrariam à judice infligendam, juxta *L. 7. §. 1. ff. ad Senatus cons. Turp.* Sylvester *v. accusatio n.* 8. Less. *de justitia. L. 2. c. 30. n.* 14. Wiestn. *num.* 14.

Quæst. 16. *Quinam accusari possint, aut nequeant?*

1. Resp. Primò, regulariter & in genere loquendo accusare possunt delinquentes judiciorum publicorum rei, tam servi, quàm liberi, sine discrimine sexûs, tam Clerici, quàm Laici, tam impuberes, quàm puberes, tam minores, quàm majores, modò usum rationis sufficientem ad delinquendum habeant, & modò minoribus suis in negotiis civilibus accesserint curatores, & pupillis tutores, Lauterb. *h. tit.* §. 8. & Clarus *cit.* §. *fin. q.* 16. *n.* 1. Pith. *h. t. n.* 23. Wesenb. *in parat. ff. h. t. n.* 10. cum communi; quamvis Lauterb. *ibid.* addat, hoc ipsum moribus nostris non servari ubique, ita tamen etiam, ut impuberes accusati puniantur pœnâ mitiore, & habita ratione ætatis & imprudentiæ, juxta *c. 1. de delictis puerorum. & L. ferè. ff. de reg. jur.* Dixi: *regulariter & in genere loquendo*; quia excipiuntur, qui accusari nequeunt. Unde

2. Resp. Secundò, accusari primò nequeunt ob defectum rationis infantes, & mente capti, seu furiosi; quia, cùm se defendere nequeant, æquitatis ratio non permittit, aliquem de criminibus indefensum accusari, multò minus damnari, *L. 5. c. 1. h. tit.* Unde, si ante furorem deliquerint, accusatio & prosecutio illius suspenditur usque ad reditum sanæ mentis, Lauterb. *l. c.* qui tamen addit, aliud esse, si delictum ante furorem commissum fuerit levius, & tendebat tantùm ad pœnam pecuniariam; talem enim pœnam, dum de delicto tali evidenter constat, statui, seu infligi posse, etiam ante reditum sanæ mentis, extra dubium esse, Arg. *L. 1. ff. de requir. vel absent.* pro quo citat Menoch. *de arb. judic. L. 2. cas. 325. n.* 12. Carpz. *pr. crim. q.* 146. *num.* 26.

3. Secundò, absentes nequeunt accusari in delictis gravioribus, cum effectu, ut contra eos instituatur processus, & feratur sententia, juxta *c. 1. caus. 2. q. 8. & L. 1. princ. ff. de requir. vel absent.* possunt tamen accusari ad effectum, ut à Judice legitimo citentur, *cit. L. 1.* relatis in acta publica accusatorum nominibus, anno tali, quo accusati, & obsignatis eorum bonis, ut *L. 1. §. 2.* Et si ad statutum diem contumaciter, seu citra purgationem non comparitionis, emaneant, possunt puniri pœnâ pecuniariâ, vel aliâ arbitrariâ, etiam infamiæ, ad relegationem usque, non tamen pœna capitis, *L. 5. ff. de pœnis, & c. 8. de dolo & contum.* Laterb. §. 11. loquens etiam de delictis levioribus notoriis, cum Carpz. *l. c. q.* 140. *n.* 3. quin imò, ut Reiffenst. *h. t. n.* 26. si citati intra annum (qui iis ad defendendum se conceditur, per *L. 1. ff. & c. de requir. reis.*) non compareant, bona eorum arrestata fisco remaneant, *L. fin. ff. de requir. vel absent. dam.* nisi contumaciam purgaverint probando legitimum non comparendi impedimentum, *arg. L. 9. ff. ex quibus caus. major.*

4. Tertiò, accusari non possunt Reges & Principes non agnoscentes superiorem, coram quo accusatio foret instituenda; & quidem de Papa constat ex *c. 13. caus. 9. q. 3. & c. 14. & 15. caus. 9. q. ead.* De Imperatore quoque, qui propter excellentiam dominus mundi dicitur, *per L. 9. ff. ad L. Rhod. de jactu.* Qualiter tamen is civiliter accusari possit, vide ex bulla aurea *c. 5. §. 3.* Principes quoque Imperii, quos habeant Judices in criminalibus, adeóque apud quos accusari possint, vide apud Myler. *de princip. & stat. Imp. p. 3. c. 93. n. 5.* ad quem remittit Lauterb. §. 11.

5. Quartò, propter dignitatem accusari non possunt Legati Imperatoris, id est, qui provinciæ præsunt, & qui causâ reipublicæ absunt, *L. 12. pr. ff. h. t. L. 2. ff. de in jus voc.* nimirum durante officio de delicto commisso, vel de delicto commisso ante legationem & officium, *cit. L. 12.* tenentur tamen cautionem præstare, de judicio sisti finito aliquando officio, *L. 38. §. fin. ff. ad L. Jul. de adult.* De cætero aliud est, si finito officio, vel circa illud ipsum delictum commissum, vel contra jurisdictionem superioris, vel involvat privationem officii, Lauterb. §. 9.

6. Quintò, accusari nequeunt mortui; quia extinguitur crimen mortalitate, *L. fin. ff. ad L. Jul. majest.* nec institituta criminis accusatio peragi potest, *L. 2. & 3. & ultima. c. si reus vel accusat. mort. L. 6. ff. de pub. judic.* quia morte rei solvitur judicium per *L. 15. §. 3. ff. ad S. C. Turpil.* Unde nec accusatio, nec pœna transit ad hæredes, etsi accusatio jam inchoata, & lis contestata, non tamen condemnatio secuta, *L. 20. ff. h. t.* Nisi tamen sit manifestum crimen læsæ majestatis divinæ, *L. 4. §. 4. t. de hæret.* Lauterb. §. 12. vel etiam humanæ, *L. fin. ff. ad L. Jul. majest.* ubi: hoc crimine hæreditas à fisco vindicatur, nisi à successoribus purgetur.

7. Sextò, qui crimen, ortamque ex eo actionem criminalem præscripserunt, ampliùs nequeunt accusari, sed elapso requisito ad hoc tempore, computando à die notitiæ commissi criminis, jus accusationis, adeóque & jus inquisitionis de officio judicis faciendæ sublatum censetur. Quantum verò temporis, & qualiter longius vel brevius pro diversitate delictorum ad hanc præscriptionem requiratur, vide satis accuratè à me tractatum, *L. 2. q.* 934.

Quæst.

Quæstio 17. *Num accusatus absolutus, vel condemnatus denuo de eodem delicto accusari possit?*

1. RESP. Accusatio criminalis legitimè instituta, de eodem crimine, à quo quis semel absolutus vel condemnatus fuit, regulariter reiterari nequit; ita quoad substantiam, juxta *L. 6. h. t. L. licet. ff. naute, caup.* & *L. 41. ff. de pœnit.* Clar. §. *fin. q.* 17. *n.* 1. Covar. *L. 2. var. c.* 10. Farin. *pr. crim. q.* 1. *n.* 51. Pirh. *h. t. n.* 24. Lauterb. *in ff. h. t.* §. 10. Marant. *spec. aur. p.* 6. Barbos. in *cit. c.* 6. *n.* 2, citatis plurimis; quia de eodem delicto hominis sæpius quæri non debet *cit. l. licet.* cùm aliàs rei legitimè absoluti innocentia nunquam tuta esse posset. Ad hæc semper accusare iteratò volenti, obstat exceptio rei judicatæ; quin & cùm accusatio criminalis respiciat publicum interesse, adeóque competit collectivè omnibus constituentibus tempublicam; ita facta ab uno totum jus omnium deducitur in judicium, à quo per sententiam absolutoriam superatur accusatio. Unde hac iteratò in judicium deductâ præjudicatur reip. & omnibus eam constituentibus. Donell. *in l. 63. de re judicata.* Hæc responsio variis clausulis limitata, quoad singulas dilatatur.

2. Dixi primo: *actio criminalis seu criminaliter instituta ad vindictam publicam.* Contrarium siquidem est, de accusatione civili seu tendente ad privatum solùm interesse, v. g. ad injuriam vel damna resarcienda, dum eâ factâ & vi illius condemnato reo, locus adhuc est actioni & accusationi criminali ad vindictam seu pœnam (intellige tam ab injuriato, quàm tertio aliquo) Marant. *l. c. n.* 89. cit. aliis Pirh. *h. t. n.* 26. Wiestn. *h. t. juxta l.* 1. *c. quando civiliter act. præjud. crim.* Nisi tamen accusatus civiliter fuerit absolutus, quia delictum vel commissum non est; vel commissum non est probatum; tuncenim nec criminaliter, nec civiliter accusari potest, quia competit accusato exceptio rei judicatæ *cit. l. 9. junct. gl. v. ab alio.* Abb. *in c. de his.* Felin. *ibid. n.* 8. Marant. Pirh. *LL. cit.* quia, si crimen commissum non esse plenè probatum est, absolutus ab eo, à nullo ampliùs accusari potest; quia tum respectu omnium commissum non est.

3. Dixi secundò: *de eodem crimine*; quia absolutus ab uno crimine de alio etiam orto ex eodem facto accusari potest, ut constat ex *L. 9. c. qui de crimine.* & *ibi* Brunnem. *n.* 6.

4. Dixi tertio: *accusatio legitimè instituta*; qualis, quia non est instituta ab eo, qui legitimus accusator non est, v. g. ab inimico, utpote qui ob inimicitiam, quæ finita accusatione remanere censetur, ab accusando repellitur, saltem jure canonico, potest ab alio, qui talis non est, reiterari accusatio juxta jus canonicum; juxta jus verò civile, quo non repelluntur inimici ab accusando, potest etiam à priore accusatore, qui in priore accusatione remansit inimicus, accusatio reiterari. Marant. *L. c. n.* 53. uti etiam reiterari potest, saltem ab alio, si libellus à primo ineptè conceptus fuit, cùm in his casibus, repulso accusatore, reus non à crimine, sed solùm ab observatione judicii absolutus fuerit. Pirh. *h. t. n.* 25. citatis Covar. *L. 2. resol. c.* 10. *n.* 1. Abb. Felin. item Wiestn. *n.* 50. Reiffenst. *n.* 44. juxta *L. 3. ff. h. t. can.* 14. *caus.* 3. *q.* 1. juncta Gloss. *ibidem V. abolitione.* Idem est, dum prior accusatio instituta non fideliter, accusatore nimirum prævaricante aut colludente cum accusato, dum nimirum quis assumeret personam accusatoris, adduceretque probationes falsas, vel infirmas, ob quas accusatus absolutus cum clausulâ, ne ab illo ampliùs accuseturi; in hoc siquidem casu commissæ prævaricationis & collusionis, & per eam latæ sententiæ absoluroriæ, potest reiterari accusatio ab alio, qui doceret de prævaricatione & collusione, aut saltem judicia ejus sufficientia afferret; qualia sunt inter alia, si accusator conversatur cum accusato; si post litem contestatam neque accusator, neque accusatus comparet in termino à judice statuto, uti ex Abb. *in c. de his. col. fin.* ait Marant. *l. c. n.* 51. atque ita juxta *cap. fin. de collus. deteg. l.* 3. §. 1. *ff. de prævar. L. si quis homicidii c. h. t.* Docent Abb. *in c. de his h. t. n.* 8. Covar. *l. c. limit.* 1. Clar. *cit.* §. *fin. q.* 57. *n.* 5. Reiffenst. *n.* 42. Wiestn. *n.* 50. ex ea etiam ratione, quòd dolus primi accusatoris, obstare non debeat secundo, pro quo accusare volente est favor publicus, ne delicta maneant occulta.

5. Dixi quartò: *absolutus per sententiam* (intellige absolutoriam definitivè à crimine) nam primò, si, dum actum criminaliter, reus absolutus fuit per viam exceptionis quam reus in judicio proponit, non, ut non puniatur, sed ad hoc, ut testis, vel accusator repellatur à testificando vel accusando, casu quo absolvatur accusatus, potest is denuò accusari. Wiestn. *l. c.* Reiffenst. *n.* 46. Marant. *l. c. n.* 85. citatis Bald. *in l. ubi falsi. c. de falsis.* Felin. in *c. de tuis. h. t. v.* 3. Idem dicit de condemnato viâ exceptionis, si ei non irrogetur pœna ordinaria per legem inducta, sed mitior: quia tum, cùm delictum non fuit sufficienter punitum, agi possit denuo, ut puniatur pœna ordinaria; adeóque contrarium dicens, dum quandoque irrogari pœna ordinaria solet per viam exceptionis, & sic irrogata est. Secundò dum actum est de crimine per viam denunciationis evangelicæ, potest iterum inquiri, & delinquens accusari ad pœnam ordinariam, cum per hanc viam agatur tantùm, ut delinquens emendetur, non ut puniatur. Covar. *l. c.* Abb. *in c. de his. h. t. n.* 5. Felin. *n.* 3. & 4. Marant. *l. c.* Secus tamen est, si judex processit ordinariè, imponendo pœnam legitimam, idem dicunt Covar. *l. c. limit.* 8. & alii, dum actum de crimine via inquisitionis; quorum tamen utrumque negari rectius à Claro *cit. q.* 57. *n.* 8. Decian. *tract. crim. l.* 3. *c.* 30. *n.* 5. & 6. ait Wiestn. *l. c.* propter praxin contrariam, & quod tam inquisitio, quam denunciatio ad vindictam proposita succedant loco accusationis. Tertio & principaliter, dum reus liberatus seu absolutus est per viam transactionis; nam si transactio accusatorem inter & accusatum invalida fuit, potest reus tam à primo accusatore, quam ab alio rursus accusari; tametsi accusatio institui nequeat ampliùs ab eo, cum quo transactum, potest tamen ab alio fieri instituto novo processu, utpote cui prior accusatio præjudicare non potuit. Abb. *in c. de his. h. t. n.* 3. Felin. *n.* 3. *limit.* 2. Covar. *l. c. n.* 5. Marant. *l. c. n.* 55. Pirh. *n.* 25. *limit.* 5. Clar. §. *fin. q.* 57. *n.* 6. Wiestn. *n.* 52. Unde cùm multò magis possit judex non obstante transactione inquirere in casibus, in quibus transactio fieri non poterat in præjudicium fisci, ut Marant. *l. c.* non tamen potest tertius ille accusator prodere illum, & cœptam instantiam prioris judicii prosequi, aut judex inquirens ex eo condemnare, cùm vi transactionis validæ seu factæ in iis, in quibus fieri permissa, processus prior sit & maneat extinctus quoad omnes; ita ut juxta dicta opus sit novo processu, secus se res habet si transactio facta fuerit in non-permissis à jure, in quibus tam accusator novus quàm judex potest prosequi

processum eundem. Marant. *l. c.* dicens hunc esse effectum transactionis in criminalibus, nimirum in casibus permissis, impedire prosecutionem ejusdem processus, non verò alium initiari ad inquisitionem judicis, vel ad instantiam tertii accusatoris & exclusionem transigentis; citatis pro hoc Bart. *in l. transigere c. de transact. col.* 1. *in fin.* Alex. *ibidem* & abb. *in c. de his. h. t. col. fin.* idémque dicens, ex mente tamen potiùs alterius, de casu, quo Princeps accusante offenso, & accusatione pendente generale indultum fecit de omnibus delictis, nimirum parte offensa concordata, ut tunc non obstante tali indulto judex ex officio prosequi possit. Porrò prædicta procedere quoque de transactione circa privata delicta, tradit idem *n.* 57. & 58. sic in specie: si passus injuriam in suam personam ante vel post accusationem remittat ei injuriam, non quidem ipse offensus, sed offensi consanguineus, possit adhuc accusare offendentem ex ea etiam speciali ratione: quòd injuria facta uni, censetur facta omnibus de ejus cognatione, juxta *L. lex Cornel. ff. de injur.* & ibi Barth. *col.* 2. *in pr.* Verùm de hoc postremo vide eundem pluribus, & dicenda à nobis paulo post.

6. Dixi quintò: in eodem foro; nam primò accusatum à seipso, & absolutum à sacerdote receptâ & expletâ salutari pœnitentiâ, nil verat denuo accusari ab alio & puniri in foro externo; quia in foro conscientiæ facta accusatio & punitio non est ad vindictam & reipublicæ per crimen læsæ satisfactionem, sed ad reconciliationem cum DEO per peccatum offenso: Unde, cùm hæ accusationes & pœnæ tendant ad diversos fines & effectus, una per aliam non tollitur, idque etsi à sacerdote facta absolutio esset publica; ita ex communi & certa praxi, Glos. *in cit c. de his. v. replicari.* Abb. *ibid. n.* 3. Covar. *l. c. n.* 3. Clar. *l. c. n.* 10. Marant. *l. c. n.* 87. Pirh. *h. t. n.* 27. sic quoque per susceptionem baptismi tollitur peccatum, omnisque pœna temporalis infligenda à Deo, non tamen per hoc impeditur, quo minus baptizatus accusari in foro externo possit de crimine ante baptismum commisso, & desuper condignè puniri. Abb. *l. c. n.* 5. Covar. Pirh. *ll.* citatis. Lauterb. *ad ff. h. t.* §. 12. contra Felin. in *cit. c. de his n.* 8. & alios quosdam. Huc etiam referendum, quod tradit Marant. *l. c. n.* 88. nimirum quòd, dum offensus in foro animæ remisit sibi illatam injuriam, possit adhuc accusare offensorem suum etiam criminaliter, sive in ordine ad pœnam legitimam & vindictam publicam, eò quòd censeatur solùm odium & rancorem, & non jus accusandi remittere. Secundò, cùm plura crimina sint fori mixti, ut adulterium, usura, sacrilegium, magia, de uno eorum accusatus & punitus vel absolutus in foro Ecclesiastico, potest de eodem accusari denuò in foro sæculari & à judice sæculari puniri. *arg. c. felicis* §. *per hoc quoque. de pœnis in* 6. Covar. cit. *c.* 10. *n.* 6. *limit.* 11. Abb. *in c. tuæ. de procur.* Felin. *in c. de his col. fin.* Bald. in *l. placet. c. de SS. Eccl.* Marant. *l. c. n.* 97. Pirh. *l. c. limit.* 8. Reiffenst. *h. t. n.* 48. cum communi usu recepta; ex ea ratione: quòd cùm jurisdictio Ecclesiastica & sæcularis sint prorsus distinctæ & separatæ, sententia lata vi unius in uno foro, non possit impedire ferendam vi alterius in alio foro, pariendo exceptionem rei judicatæ; adeóque nec pœna spiritualis inflicta in foro Ecclesiastico pœnam temporalem infligendam in foro sæculari, & è converso; quod ipsum tamen limitant Clar. *cit. q.* 57. *n. ult.* Jo-And. *in cit. c. felicis*, Covar. perh. Reiffenst. ita ut saltem procedat, si pœna inflicta in uno foro fuit insufficiens & improportionata delicto, vel pœna tantùm medicinalis, v. g. excommunicatio. Sic quoque duplici pœna puniri potest reus à diversis judicibus, utroque competente, dum nimirum pro eodem delicto citatus ab utroque, respectu utriusque fuit contumax coram neutro comparendo, potest ab utroque puniri pœna contumaciæ; in quo tamen casu non punitur duplici pœna pro eodem delicto, quia revera sunt duo delicta, nempe duæ contumaciæ, cum sint duo contemptus duorum judicum, quorum unusquisque punit contemptum sibi irrogatum. Unde etiam dici nequit puniri bis pro eodem delicto. Ita Marant. *n.* 98 cum Bart. *in L. sepulchri. ff. de sepult. viol.* & Abb. *in L. quamvis ff. de in jus. voc.* De cætero dum præter has exceptiones seu limitationes responsionis principalis AA. addunt & hanc, quod iteratò quis accusari possit, dum secundus accusator suam suorumque injuriam prosequitur, modò doceat, se accusationem jam ab alio factam ignorasse, juxta *l.* 7. §. 2. *de accus.* idipsum sic intelligendum videtur, si prima quoque accusatio facta de crimine publico ab aliquo, cujus offensam privatam non concernebat; nam nil verat, ut constat ex dictis, fieri accusationem à secundo, etiamsi sciviſſet accusationem primam ab alio saltem principaliter quoque offenso factam sive criminaliter, sive civiliter. Sic consanguineus potest accusare pro injuria consanguinei, qui jam accusaverat, non quidem civiliter, sed criminaliter; accusare enim civiliter tantùm potest consanguineus pro consanguineo; nisi offensum habeat in sua potestate, ut pater filium, maritus uxorem, cùm tunc accusando vindicet propriam injuriam, & nomine proprio agat, adeóque pro libitu suo accusare potest, tam civiliter quàm criminaliter, quod non possunt alii consanguinei collaterales, v. g. fratres, utpote quorum uno offenso, non dicitur propriè & alter offensus, sed solùm dolens de injuria fratris & prætendens interesse aliquod affectionis, ut Alex. *in l. si finita. ff. de damno infecto.* Ita Marant. *cit. n.* 60. *junctо n.* 61.

Quæst. 18. *Qui sint effectus accusationis, seu quas obligationes, favores, vel odia causet, respectu judicis, accusatoris, accusati?*

1. Resp. ad primum. Effectus accusationis respectu judicis, est obligatio, qua ille facta accusatione tenetur inchoare processum captando informationem super persona accusatoris & accusati aliisque, citando reum, quin etiam ante citationem incarcerando illum custodiæ causâ, ubi necesse est, v. g. ne is testes subornet, impediat, terreat, vel ne fugiat, dum de fuga suspectus est; modò delictum sit grave, adsintque sufficientia indicia, & semiplena probatio commissi delicti. Clar. §. *fin. q.* 28. *n.* 2. Passerin. *tribun. regul. q.* 20. quos refert. Reiffenst. *h. t. n.* 327. effectus item accusationis respectu judicis & quidem principalis est obligatio, quâ obligatur judex reo legitimè convicto seu probato crimine procedere ad ferendam sententiam de infligenda pœna ordinaria quidem & certa, si talis jure statuta est, aut aliàs alia extraordinaria arbitraria condignè. Pirh. *h. t. n.* 37. cum Hostiensi *in summa h. t. n.* 12. & Zoësio *in comment. h. t. n.* 5. si enim ad hæc tenetur judex facta sibi denunciatione delicti, de qua loquuntur citati AA. multò magis tenebitur ad ea, facta sibi accusatione, utpote fortiùs urgente

inchoa-

inchoationem & prosecutionem, & absolutionem per sententiam.

2. Resp. ad secundum, effectus accusationis respectu accusatoris est, quod is facta accusatione teneatur delictum probare probatione plena, uti expresse statuitur *l. fin. c. h. t.* & *can. 2. caus. 2. q. 8.* Lauterb. *h. t. n.* 19. quod ubi non fecerit, quam pœnam incurrat, dictum est supra, uti etiam quando ab inchoata accusatione desistere possit; plures accusationis criminalis effectus, utpote denunciationi judiciali, & inquisitioni communes ob easdem rationes & textus juris, qui & harum meminerunt, & quidem frequentius & expressiùs, uti videbimus in duobus *cap. seqq.*

Quæst. 19. *Accusatore non probante vel se absentante, vel mortuo, & reo interim infamato, qualiter procedere debeat judex?*

1. Resp. primo: Accusatore vel denunciante non probante objectum crimen, dum accusatus antecedenter infamis fuit, nec per talem accusationem, utpote destitutam probatione, puniendus est, sed absolvendus, ut nec desuper ampliùs gravandus. Ubi etiam dum objecto crimine non apparet, qui crimen probare possit aut velit. Host. *in c. acced. h. t.* §. *si vero. coll. ult.* Pirh. *h. t. n.* 95. *arg. c.* 46. §. *fin. de appell.* & *c.* 7. *de concess. prabend.* Unde, si quis post objectum crimen non probatum petat mitti in possessionem beneficii sibi collati, in hanc immitti debet, non obstante illa objectione. Secus est, si legitimè electo nondum confirmato objiciatur crimen: hic in dicto casu non statim confirmandus est, cùm is ante confirmationem non habeat jus in beneficio, sicut habet is, cui beneficium collatum; ita fere Pirh. *l. c.* Nihilominus tamen, dum objecto crimine, objicienti deficit probatio, ei indicendam purgationem, ut infamia purgetur, in qua si defecerit, imponendum ei, etiam jam proviso de beneficio perpetuum silentium, uti è contra etiam excipienti de crimine; quod si reus purgaverit infamiam, eum contra quem exceptum, condemnandum in sumptus, tradit Pirh. *l. c.* quem loqui credo de infamia tali, qualis eidem per talem criminis objectionem causata est.

2. Resp. ad secundum & tertium: Ex quo post cœptam accusationem, non apparet transactio, nec remissio accusatoris, sed stat in suspenso causa propter ejus absentiam, judicem debere substituere virum unum idoneum in locum absentis accusatoris, qui causam ejusdem prosequatur in terminis, in quibus reperitur, ut ita judex, quam citiùs potest, procedat ad processus definitionem per condemnationem, non impunita manente accusatoris contumacia in non-comparendo; tradit Marant. *p. 6. de inquisit. n.* 81. juxta constitutiones regni, credo Neapolitani. Addens quoque juxta easdem in casibus, in quibus non vertitur interesse fisci propter aliquam pœnam, licere accusatori impunè desistere, antequam accusatus compareat; verùm de jure communi potiùs dicendum videtur, quod idem dicit *l. c.* de casu, quo pendente accusatione moritur accusator, nimirum in omni crimine, in quo intervenit accusator, & pendente accusatione in judicium deducta moritur, judicem procedere debere ex officio, prosequendo processum per viam inquisitionis, ne delicta maneant impunita, ut haberi ait *c.* 1. & 2. *de col. deteg.* & ad hoc teneri vult Bart. *in l. inter accusatorem. ff. de publicis judiciis.* Ubi is tenet idem ob similitudinem de accusatore absente.

Quæst. 20. *Accusatio quibus modis cesset seu extinguatur ante latam sententiam irrogatámque pœnam?*

1. Resp. primò per mortem accusatoris actio criminalis, ante latam sententiam, ita ut hæredes ipsius eam prosequi nequeant. Clar. §. *fin. q.* 51. *n.* 10. Pirh. *h. t. n.* 46. *juxta l.* 3. §. *fin. h. t.* sed neque alii, nisi forte dicere velles, conformiter ad id, quod paulò ante retuli ex Marant. de accusatore contumaciter se se absentante; quòd nimirum in hoc casu judex substituere possit alium, qui accusationem prosequatur in iisdem terminis, de quo tamen jus commune nihil. Dum autem judicem in hoc casu ex officio suo prosequi debere accusationem dicit Pirh. *l. c.* citante *l. penult. ff. de publiciis judic.* & Clar. ubi ante *n.* 9. & 11. id ita intelligendum, non ut prosequatur cœptam accusationem pergendo accusare, ut patet, cùm accusare non competat judici, sed per viam inquisitionis ad finiendum processum.

2. Secundò cessat per mortem delinquentis quòad pœnam corporalem, utpote quæ vi illius etiam probatæ exigi non potest ab ejus hæredibus, *juxta l. defuncto. de publ. judiciis*; juncta *L.* 1. & *seq. si reus vel accus. mort.* ita Clar. *n.* 12. dicens esse communem, & Pirh. *l. c.* Dicitur autem: *quoad pœnam corporalem*, nam dum agitur ad pœnam pecuniariam, distinguendum ita, ut si agatur criminaliter ex delicto ad pœnam confiscationis omnium bonorum, aliámque pecuniariam fisco applicandam, actio criminalis reo mortuo, etiam post litem cum defuncto contestatam, ante tamen sententiam condemnatoriam ad talem pœnam, non transeat ad vel contra hæredes defuncti, ex ea ratione, quòd actio pœnalis ex delicto vel quasi delicto descendens authorem tantùm insequitur. *L.* 23. §. *hanc actionem ff. ad l. Aquil.* §. *de perpet. & temp. act.* Quamvis & sint quædam delicta v. g. læsæ majestatis, hæresis & in quibus etiam accusato mortuo ante litem contestatam procedi possit contra ejus hæredes, ut bona illius fisco vindicentur. Farin. *pr. crim p.* 1. *t.* 1. *de inquisit. q.* 10. *n.* 38. Clar. *cit. q.* 51. *n.* 13. Pirh. *l. c.* juxta *L. ex judicior. ff. h. t.* Si verò agatur civiliter ad pœnam pecuniariam parti læsæ persolvendam, actio pœnalis illa transit ad hæredes, si lis cum defuncto fuit contestata, etsi condemnatio rei nondum fuerit secuta, quia is mortuus est causa principali pendente; ita Pirh. *l. c.* citans eand. *L. ex judiciorum.* & Glos. *ibi V. pœna & v. secuta*, citato Giphan. *in* §. *non autem. Inst de perpet. & temp. act.* cò quòd litis contestatio sit quidam quasi contractus, & veluti novet priorem obligationem & transmutet in aliam, ac ita faciat, ut actio pœnalis jam non sit ex delicto, sed ex contractu nasci videatur; actiones autem ex contractu vel quasi contractu dentur etiam contra hæredes. De cætero reo mortuo post sententiam condemnatoriam quælibet pœna pecuniaria transit ad hæredes illius; Pirh. *l. c.* cum Farin. *l. c. n.* 45.

3. Tertio Accusatio criminalis regulariter & ordinariè finitur seu extinguitur per præscriptionem 20. annorum lapsorum à die commissi criminis, *L. querela. c. ad L. Cornel. de falsis.* Farin. *l. c. n.* 1. Pirh. *cit. n.* 46. Dixi *regulariter*, quædam enim crimina seu actiones criminales præscribuntur seu tolluntur breviore tempore, quàm 20. annorum. Farin. *n.* 15. & *seq.* Zœs. *inff. h. t. n.* 28. Pirh. *l. c.* Actiones

etiam criminales breviore tempore finiuntur quam civiles, etiam ex delicto descendentes, quæ durant ad annos 30. cum odiosa facilius tollantur, Zœs. *n.* 29. Portè hæc intelligenda de criminibus, quæ semel patrata transeunt & cessant, non verò de iis, quæ successiva sunt, & continuantur, v. g. ut matrimonium initum contra canones, hæresis, apostasia; facta enim accusatione ad ea abolenda & finienda nulla præscriptio locum habet, nisi à tempore cessantis delicti, ut Zœs. *l. c. n.* 27.

4. Quartò cessat accusatio per abolitionem illius, quæ nihil est aliud quàm accusationis peremtio concessa per interlocutoriam judicis cognitâ causâ. Glos. *in rub. c. de abolit.* Specul. in *tit. de abolit.* §. 1. *in pr.* Marant. *p. 6. de inquis. n.* 83. Quam abolitionem etsi quidam velint non posse peti ab alio, qui inferior sit Rege, per constitutionem regni; censet tamen Marant. *l. c.* idipsum verum non esse, ne aliàs omnes leges juris communis concedentes hanc potestatem permittendi abolitionem accusationis judicibus & officialibus inferioribus, necesse esset corrigere; cùm tamen legum correctio nunquam præsumatur, nisi expressè appareat, juxta *L. præcipimus in fin. c. de appell.* & *ibi* Barth. Unde jam patet juxta Marant. tali abolitioni de jure communi locum esse.

CAPUT II.
De Denunciatione.

Quæst. 21. *Quid sit denunciatio in genere.*

Resp. Denunciatio, prout hic accipitur, definiri aliquandò explicatius potest, quod sit criminis alicujus manifestatio, seu delatio facta legitimè Superiori, sine solennitate seu subscriptione & probatione. Dicitur primò: *manifestatio seu delatio criminis*, non qualiscunque, quâ etiam comprehenditur revelatio vel narratio criminis commissi ab aliquo, facta alteri ex fine malo, sed ut alter ad pœnam, emendationem vel correctionem adducatur; ita ut & accusatio, aliæque species, in quas subdividitur, hoc termino generico comprehendantur. Dicitur secundò, *facta Superiori*; qualis non est quisque privatus, utpote in quò dicti fines locum non habent. Quamvis non omnis denunciatio fiat ad aliquem quâ superiorem, seu jurisdictionem propriè talem in denunciatum habentem, ut mox patebit ex dicendis de denunciatione caritativa. Dicitur tertiò: *Sine solennitate*, cum denunciatio non tantas, quantas, juxta dicta, accusatio requirat, quæ consistunt potissimum in inscriptione & obligatione, quâ quis obligat se ad probandum crimen denunciatum. Est que hæc principalis differentia illius ab accusatione.

Quæst. 22. *Quotuplex sit denunciatio?*

Resp. Dividitur ordinariò trifariam: alia est Evangelica, sic dicta, quia à Christo tradita in Evangelio *Matth. c.* 18. seu caritativa, quia ex caritate tendit non ad vindictam criminis, sed ad delinquentis bonum, nempe ad emendationem & correctionem paternam, seu procurandam à Superiore, vel etiam quandoque à privato, tanquam patre. Quæ ad eam requirantur, & quis in ea servandus ordo, dicetur *qq. seqq.* Alia est canonica sic dicta, quia à SS. canonibus inducta, qua denuncians recurrit ad Superiorem vel Judicem non intendendo vindictam, seu ut is delictum puniat; sed ut ipse pro officio impediat damnum commune ex delicto imminens, vel alicujus privati. Hanc aliqui in latiore significatione quandoque judicialem vocant, quia non fit Superiori ut patri, sed ut judici, seu ut habenti potestatem & curam publicam; de Lug. *de J. & J. d.* 28. §. 2. *n.* 3. Unde etiam quidam denunciationem bifariam dividunt, nempe in Evangelicam & judicialem, & hanc dein subdividunt. De cætero denunciatio canonica, prout distincta à judiciali, est duplex, generalis nimirum & specialis, Marant. *p. 6. tit. de denunc. n.* 7. Honor, *h. t. n.* 77. Wiestn. *n.* 66. Generalis ea est, qua agitur apud superiorem ad delictum aliquod publicum, vel etiam privatum, damnum aut incommodum ejusque continuationem impediendam, v. g. ne matrimonium aliquod cum impedimento impediente contrahatur, aut ut illud cum impedimento dirimente contractum dissolvatur; de quo agitur *c.* 13. *de despons. impub. c. fin. de cland. despons.* Marant. Wiestn. *locis cit.* Quo etiam spectat, dum quis agit, ne indignus promoveatur ad ordines, aut qui malè præfuturus timetur, eligatur aut instituatur. Wiestn. *l. c.* cum Vallensi *h. t.* §. 5. *n.* 5. intendens nimirum non tam privatum seu speciale suum commodum, quàm bonum publicum, aut etiam ipsius promovendi aut eligendi. Specialis denunciatio est, quæ fit eidem Superiori per eum, cujus interest (intelligendum videtur specialiter) habere bonum Prælatum, vel administratorem, vel subditum, ut is corrigatur, vel si monitus sit incorrigibilis, Prælaturâ, officio vel beneficio moveatur. Marant. *l. c.* Wiestn. *n.* 67. juxta *c.* 1. *de offic. cust. & c.* 31. *de Simon.* Alia est denunciatio judicialis, propriè talis sic dicta à judicio & modo judiciali procedendi, qua defertur crimen judici, ut is ex munere suo delinquentem puniat, quem tamen denuncians non vult accusare, nec facere causam suam, seu se partem in judicio, sicut facit accusator; sed totum relinquit curæ judicis, ut is suo muneri satisfaciat. Salicet. *in l. ea quidem. in pr. c. h. t.* Lugo *l. c.* Marant. *l. c. n.* 2. Subdividitur in publicam & privatam; publica est, quâ in judicium deducitur crimen, principaliter ad vindictam publicam, & reip. per crimen læsæ satisfactionem, aliorúmque exemplum, præcipuè ab officialibus & ministris publicis ad denunciandum deputatis. Unde etiam propriè denunciatio criminalis dicitur, de qua potissimùm in præsenti. Privata est, qua denuncians quærit non vindictam publicam, sed proprium suum interesse seu commodum, nimirum damni sui reparationem, sibi debiti satisfactionem, gravaminis sibi illati amolitionem seu relevationem, v. g. dum filius à patre, vel servus à Domino (adversus quos juxta *L.* 1. §. 8. *ff. de off. præfecti urb.* §. 2. *instit. de his, qui sui vel alieni jur.* non competit eis actio) indebitè Monachus à suo Prælato vel Superiore, rusticus vel persona miserabilis à Potentiore oppressi suum gravamen denunciant Judici, ut ab ipso ex officio releventur. Abb. *in c. novit. d. judic. n.* 48. & 51. Marant. *l. c. n.* 3. Pith. *h. t. n.* 87. Wiestn. *n.* 63. Unde potiùs denunciatio civilis dici debet. Laym, *L. 3. t. 3. p. 6. c.* 4. *n.* 1. Reiffenst. *h. t. n.* 84. apud quem aliqui hujus subdivisionis membra aliter explicant, ita ut velint, eam denunciationem

ciationem dici publicam, dum fit à ministro publico, sive criminaliter, sive civiliter; privatam, quæ fit ab alio, sive civiliter, sive criminaliter. His additur ab aliquibus quarta species, nempe denunciatio regularis, quæ expeditur secundum diversas Religiosorum constitutiones, & in ea proceditur simpliciter de plano, nec contra eam appellari potest, *c. 3. & c. 26. de appell.* Abb. *l. c. n. 61.* Durand. *in specul. L. 3. p. 1. de denunc. n. 15.* Pirh. *h. t. n. 17. in fin.*

Quæst. 23. An & qualiter denunciationi Evangelicæ præmittenda monitio secreta delinquentis?

1. Resp. Primò, Denunciationi evangelicæ (per quam, ut ex Bart. ait Marant. *l. c. n. 4.* reparantur multa, quæ auxilio juris civilis destituta sunt) ut debitè fiat, præmittenda necessario est duplex monitio secreta, seu correctio fraterna, (etiam in dellictis notoriis, ut Pirh. *h. t. n. 8.* citato pro hoc Marant. *de ord. judicii p. 6. de denunc. num. 5.*) ordine præscripto à Christo *Matth. c. 18.* nimirum prima ad *vers. 15. si peccaverit in te* (intellige, te solo sciente) *frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum*; non tantùm semel, sed iterum, & tertiò, ut Pirh. *h. t. n. 86.* Altera coram uno, vel duobus testibus facienda, *v. 16. si te non audierit, adhibe tecum unum, aut duos testes*: ac demum, si hisce duabus secretis monitionibus adhibitis non resipiscat, facienda publicè ipsa denunciatio, juxta *vers. 17. quod si non audierit vos,* (nimirum testes illos) *dic Ecclesiæ*, sive defer, ad Superiorem ecclesiasticum, tanquam patrem, ut ipse delinquentem paternè corrigat: ita declarat Bald. *in auth. ad hæc. de usu. coll. 2. in fin.* Abb. *in c. nov. de judic. coll. 11. & seq.* & cum communi Theologorum & Canonistarum tenens Marant. *p. 6. cit. de denunc. n. 4.* Castrop. *tr. 6. d. 3. p. 8. n. 1.* Pirh. *h. t. n. 86.* Reiff. *n. 62.* Wiestn. *n. 57.*

2. Resp. Secundo, est hic ordo servandus non tantum de consilio, respectu saltem Laicorum, ut Glos. *in c. 19. caus. 2. q. 1. v. eodem,* sed etiam de præcepto, utpote cujus vim habent citata verba, dum posita sunt in imperativo, ut habet communis conformis textui, *cit. can. 19.* Sed neque præceptus solum respectu delictorum injuriosorum & damnosorum ipsi corripienti, ut vult Salmeron, *Tom. 4. in Evang. p. 3. tr. 11.* propter verba illa: *si peccaverit in te.* Verùm etiam respectu aliorum peccatorum proximi, ut cum D. Thom. 2. 2. *q. 38. q. 7.* Suaretz. *Tom. 4. de relig. L. 10. c. 7. à n. 10.* Coninck. *d. 28. dub. 8. num. 138.* Castropal. *l. c. n. 3.* Corn. à Lapid. *in Matth. l. c. § 3.* quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. n. 60.* non obstantibus dictis verbis: *si peccaverit in te*: cum ut dictum *respons. præced.* significent: *te sciente*, & ex commisso peccato scandalizato, ut interpretantur S. Augustt. Chrys. aliique PP. apud Suarez. *l. c. n. 12.* Ex ea etiam ratione, quòd si intelligenda de peccatis in nos commissis, etiam intelligi debere de commissis in proximum, utpote quem sicut nosmetipsos diligere debemus: multòque magis de commissis in Deum diligendum plùs quàm nos; ut arguit à Lapid. *l. c. §. dices,* ideoque dicens, sub illatis nobis injuriis per synecdochen comprehendi omnia peccata. Estque hoc præceptum divinum, juxta quod decisum ab Alex. III. & Innoc. III. dum istiusmodi correctionem fraternam vocant mandatum divinum, & regulam evangelicam, *cit. c. Novet. c. licet 31. de Simon. & c. 12. de hæret.* Et quidem non solum divinum positivum, sed & naturale, seu juris naturalis; cùm lumen naturæ dicter, correctionem fraternam faciendam cum minimo, quantum fieri potest, damno bonæ famæ ejusdem; adeoque si secreta monitio sufficiat, abstinendum à denunciatione facienda Ecclesiæ, utpote qua saltem apud illam læditur bona fama delinquentis, ne juxtà *cit. can. 19. si peccaverit.* erroris non tam correctores simus, quam proditores. Præterea, cùm nullum in lege Evangelica contineatur præceptum Divinum, quod non sit juris naturalis, exceptis, quæ sunt de sacramentis & fide, ut Reiff. *h. t. n. 83.* citato D. Thom. 2. 2. & 1. 2. *q. 108. art. 1. & 2.* rectè sequitur, hoc præceptum esse naturale, & necesse ex præcepto præmitti has monitiones denunciationi.

3. Resp. Tertio, nihilominus variæ dantur hujus præcepti Divini exceptiones, ita ut denunciationi præmitti necesse non sit dictas monitiones secretas. Et prima quidem, si delictum non sit ampliùs occultum, seu soli denunciatori notum, sed jam manifestum & notorium, cùm tunc delinquens jus ad famam amiserit, bonúmque commune exigat, ut delictum notorium non maneat occultum: ita communis juxta illud Apostoli 1. *ad Tim. V, 20. Peccantes coram omnibus argue*, nec ampliùs urgeant illa Evangelii: *Si peccaverit in te*, id est, te solo sciente, juxta datam paulò ante PP. & DD. interpretationem. Secunda, si secreta illa monitio, seu correctio foret monenti damnosa; ut si ex tali monitione, rationabiliter timeretur gravis offensa personæ delinquentis, quæ monenti multùm aliàs prodesse vel obesse posset: cùm charitas non obliget cum periculo talis damni, Reiff. *n. 69.* Wiestn. *n. 61.* Tertia, si prævia monitio nihil profutura crederetur, ut dum monendus esset majoris conditionis seu dignitatis, qui monentem spernat, aut nihil curet, aut ita in malo habituatus & arrogans, ut privati alicujus monitioni non videatur acquieturus: Ita quoque communis, juxta illud Augustini relati *in c. 4. dist. 7. de pœnitentia: Si scirem, tibi non prodesse, non te monerem.* Quarta, si ex delicto etiam occultè machinato, imminet reipublicæ, vel etiam alicui privato grave damnum, quale v. g. est: proditio, falsificatio monetæ, ruina spiritualis proximi: cædes, incendium, quod moram non patitur, & secreta tali admonitione non creditur tollendum vel amoliendum, Sanchez. *consil. L. 6. c. 2. d. 5. n. 9.* Lessius *de justit. L. 2. c. 30. n. 10. & 17.* Wiestn. *h. t. n. 43. & 61.* Reiff. *n. 66.* Quinta, si delictum statim sibi denuntiari præcipit Prælatus, ut respectu certorum delictorum solent inquisitores hæreticæ pravitatis, Castrop. *de carit. tr. 6. d. 3. p. 13. n. 4.* Sexta, dum domestici, aut etiam extranei delicta occulta etiam gravia domesticorum patrifamilias, uti & delicta scholasticorum à condiscipulis, aliisve, præfecto scholarum, aut magistro sine prævia delinquentium monitione ad eorum salubrem correctionem, ac competentem iis punitionem statim denunciare solent; absque eo, quòd talis denunciatio deficiat à denunciatione caritativa, cum non tendat ad vindictam, sed ad salubrem punitionem, ultimatè spectantem emendationem, ad quam patentes, patres familias, præceptores respectu sibi commissorum, sine eorum gravi infamatione aptiores censentur, Layman. *L. 3. t. 3. part. 2. c. 4.* citatis Cajetan. 2. 2. *q. 73. a. 2.* Navar. *in manual. c. 18. n. 33.* Septima, dum in religionibus vi statutorum delicta graviora etiam occultissima, soli delinquenti & denuncianti, qui ea

extra

extra confessionem, & citra secretum naturale scit, nota, sine monitione prævia superiori denunciari ordinariè debent, ut Sanchez. *L. 6. mor. c. 18. num. 46. & 50.* Castrop. *l. c. p. 10. n. 2. & 3.* Suarez. *Tom. 4. de relig. L. 10. c. 9. n. 11.* Laym. *L. 3. t. 3. p. 2. c. 4. n. 5.* ex ea etiam ratione, quòd superior religiosus ordinariè loquendo, melius & efficacius monere, corrigere & emendare possit, removendo occasiones, & invigilando delinquenti, ita fere Reiffenst. *n. 71. & 72. & 73.* bene notans in religionibus, & rarò quoque apud sæculares requiri monitiones istiusmodi fraternas, quia plerumque & fere ordinarie adest una ex prædictis exceptionibus. Quod si tamen, ut potest quandoque contingere, inferior æque idoneus foret, ac superior ad efficaciter emendandum delinquentem; in eo casu præmittendas ab eo dictas monitiones, antequam paternè denunciet delictum superiori religioso, docent Sanch. & Laym. *ll. cit.* Octava, dum quilibet in particulari, imo & totæ communitates dicto Evangelicæ denunciationis, & fraternæ correctionis ordini renunciant, quod fieri etiam potest ex fine etiam honestissimo, nempe ex studio majoris perfectionis, renunciando juri suo, & famæ propriæ, uti de facto contingit in pluribus religionibus juxta jam dicta. Neque per denunciationem talem immediatè factam Prælato omissa illa monitione prævia delinquentis contravenitur præcepto divino aut naturali, in quo aliàs, ut dictum, fundatur ordo denunciationis & correctionis Evangelicæ, dum dicta denunciatio immediata fit de consensu & voluntate delinquentis denunciati; sicut præcepto Divino & naturali, intentoque fini servandi sigillum confessionis non contravenitur, dum manifestatio auditorum in confessione sacramentali fit ex voluntate, & de expressa licentia ipsius confitentis, utpote domini famæ & honoris sui: ac ita rectiùs contra paucos alios docent Suaretz. *Tom. 4. de relig. L. 10. c. 7. n. 28.* Sanch. *cons. mor. c. 18. n. 43.* Cöninck. *d. 28. d. 11. n. 297.* Castrop. *tr. 6. p. 9. num. 3.* conformiter constitutioni Gregorii XIII. *ascendente domino. edita Calend. Junii 1584.* quâ confirmavit institutum societatis, & sub excommunicatione prohibuit impugnationem cujuscunque ejusdem societatis constitutionis, inter quas est dicta delatio immediata defectuum ad superiorem. Et inter cætera damnavit libellum cujusdam impugnantis memoratam denunciationem in societate usitatam, teste Alphonso Rodriq. *de perfectione p. 3. tr. 8. c. 6.* Castrop. *l. c. n. 4.* circa quæ tamen cum Suar. *l. c. c. 12. n. 3.* & Sanch. *cit. c. 18. num. 50.* notandum, cessionem illam famæ respectu defectus occulti deferendi immediatè ad superiorem in societate fieri tantùm ad illum, ut patrem, & non ut judicem: quia sic cedenti denunciatio est utilior, & minùs onerosa. Unde licet vi illius superior in denunciatum animadvertere queat moderata & paterna correctione, judicialiter tamen & rigorosè contra eum procedere nequit, ut Sanch. & Suar. *ll. cit.* apud Wiestn. *h. t. n. 64.*

4. Resp. Quartò, præmissis binis monitionibus, si monitus fraternè non resipiscat, adeundus in hac denunciatione evangelica Judex, seu Prælatus ecclesiasticus formato oblatoque libello, in quo narretur legitimè adhibitas dictas monitiones, monitumque in peccato persistere, rogando, ut is eum, qui v. g. rem alienam cum peccato retinet, desistere à peccato, restituendo rem domino suo, compellat, non tantùm per censuras ecclesiasticas, sed & per missionem domini in earum possessionem, Marant. *l. c. n. 5. & 6.* citatis Bald. *in auth. ad hæc. c. de usur. col. 2. in fin.* & Felin. *in c. novit. de judic. col. fin.* qui dicit, hunc esse bonum modum recuperandi rem per alium detentam, dum aliud ad hoc civile remedium deficeret. De cætero denuncians in dicto libello se inscribere, & ad probandum crimen denunciatum non tenetur: si enim ad hoc non tenetur, qui denunciat judicialiter, ut paulò post dicetur; multò minus teneri videtur, qui denunciat charitativè, Laym. *L. 3. tr. 6. c. 3. n. 5.*

Quæst. 24. Quinam charitativè denunciare possint, aut etiam ad hoc obligentur.

1. Resp. Ad primum: quilibet denunciare potest charitativè, quin & infames & criminosi, vel aliàs ad accusandum inhabiles modò ipsi non perseverent in crimine, ob quod infames sunt, aut ad accusandum inhabiles; quia, qui propria peccata non corrigit, præterquam, quòd sit indignus, ut corrigat, & audiatur; præsumitur non bono zelo denunciare, ut Glos. *in c. 19. c. 2. q. 1. v. eod.* Wiestn. *n. 58.* cessante hac conditione, ad denunciandum admittuntur prædicti: non enim refert, quis denunciet, modò animam fratris sui lucretur, ita Pirh. *h. t. n. 86.* cum Abb. *in c. novit. de judic. n. 390.* Durand. *in spec. L. 3. p. 1. tit. de denunc. §. 2. n. 8.* & communi: idque, etiamsi juraverint, se non denunciaturos, Reiffenst. *n. 77. arg. c. 26. §. fin. de jurejur.* ex ea ratione, quòd hac denunciatione non intendatur vindicta, sed bonum seu emendatio, & salus animæ delinquentis: sic in specie potest is, qui sententiâ injustâ, quæ jam transiit in rem judicatam, succubuit, etsi exclusus sit ab omni remedio civili, adhuc denunciare evangelicè illum, quem scit injustè sententiam obtinuisse, & per hanc denunciationem compellere ad restitutionem eorum, quæ vi talis sententiæ adversarius obtinuerat, ut sic à peccato desistat; ita Marant. *p. 6. t. de denunc. n. 6.* cum Abb. *in c. 1. de concess. præbend. col. fin.* modò tamen ei constet de conscientia injusta obtinentis; quod ei constare potest, si obtinens fortè extra judicium confessus fuerit, se injustè obtinuisse, juxta eosdem.

2. Resp. Ad secundum: quilibet ex præcepto charitatis fraternæ ad hanc denunciationem tenetur, cùm dicta verba evangelica præferant modum præceptivum, Abb. *l. c. n. 35. & 36.* Pirh. *l. c.* contra Joan. Andr. *in cit. c. novit. num. 6.* & alios quosdam, qui tenent, non esse obligationem denunciandi aliam, quàm qualis est ad alia opera pia, nempe consilii; nisi respectu illorum, ad quos spectat correctio, ratione curæ & officii. Sed neque ab hac obligatione denunciandi charitativè excusantur, qui in jure non admittuntur tanquam testes legitimi, aut etiam illi, qui ad testificandum non obligantur; quia hæc obligatio oritur ex jure naturæ & præcepto charitatis, impediendi damnum proximi, quando fieri potest sine gravi dispendio. Unde nullo privilegio juris aut exceptione tolli potest, ubi hæc denunciatio necessaria aut profutura creditur ad dictum finem, de Lug. *l. c. n. 15.* Verùm quidquid sit de hac obligatione denunciandi fundata in natura rei & præcepto evangelico, vi edictorum, seu præcepti ad denunciandum facti à Prælato seu superiore, non tenetur quis denunciare charitativè, sive Prælato ut patri; cùm istiusmodi edicta & præcepta, ut si quis sciat tale crimen commissum, denunciet seu deferat ad superiorem, ordinariè ordinentur ad forum externum, & ad judicium; unde

tales

tales denunciationes, & manifestationes ad præceptum superioris factæ excipiuntur in scriptis & coram notario, asservantúrque, ut accedente alia notitia possit inchoari processus, de Lug. *d.* 38. *s.* 2. *n.* 31. qui tamen idipsum sic limitat, ut, si constaret de intentione superioris volentis denunciari ut patri, subditi teneantur obedire servato ordine correctionis fraternæ, & manifestare delicta etiam occulta, quorum nulla est infamia aut probatio, modò superior æstimaretur tantæ virtutis & prudentiæ, ut prodesse possit, & non obesse; essèque adhuc tunc denunciationem faciendam juxta ordinem charitatis, cùm ordinaretur ad bonum proximi, notat Nav. apud de Lug. *l. c.* secus si superior credatur minùs prudens & mansuetus, ut idem cum Sanch. *L.* 6. *cons. c.* 2. *d.* 17.

Quæst. 25. *Quænam delicta charitativè denunciari possint?*

Resp. Quòdlibet delictum, etiam occultissimum, & nulli notum, præterquam delinquenti & denuncianti, denunciari charitativè potest. Reiff. *h. t. n.* 78. cujus tamen contrarium sentire videtur Pirh. *h. t. n.* 86. dum ait: hæc denunciatio charitativa locum habet in quolibet delicto occulto, modo non sit omnino occultum, sed saltem probari possit per duos testes. Unde hoc ipso à contrario sentit, in eo locum non habere dictam denunciationem, si non nisi denuncianti notum sit; quia tunc per duos testes probari nequit. Verùm probabilius est, eum locum habere in eo casu, ubi crimen soli committenti & denuncianti notum est: uti & locum habet in delictis notoriis, ut dictum *q.* 23. *n.* 1. ex Pirh.

Quæst. 26. *Facta denunciatione charitativa, qualiter procedere debeat superior?*

Resp. Facta hac denunciatione, dum crimen occultum est, & nemini præjudiciosum superior, seu Judex tenetur se accommodare intentioni, seu petitioni denunciantis, illiúsque modo denunciandi, ita ut, si hic eidem ut patri crimen denunciet, volens, ut delinquentem non nisi secreto nomine, vel non nisi uno alterove præsente & taciturno moneat, corrigat aut puniat, id omnino servare teneatur superior, peccétque graviter, si denunciatum publicè confundat aut puniat, ita Arg. *can. si peccaverit. caus.* 2. *q.* 1. cum communi, Reiffenst. *h. t. n.* 74. ne aliàs injustè diffamando subditum, non tam paternum correctorem, quam injustum proditorem ageret, ut dicitur *cit. can.* Si verò crimen jam est notorium, aut majori parti communitatis cognitum, non tenetur superior juxta petitionem denunciantis procedere, in corrigendo & puniendo denunciatum, sed potest, imò plerumque tenetur, processum criminalem contra illum instituere per modum inquisitionis, maximè dum delictum est scandalosum, Reiffenst. *num.* 75. cum Ludov. de Ameno *in praxi criminali tit.* 9. *v. denunciatio* §. 1. *n.* 7. eò, quòd occasione denuntiationis evangelicæ, cùm resciat delictum notorium, jam ex officio inquirere, & inquirendo instituere processum possit, & bono communi exigente teneatur, non quidem vi denunciationis evangelicæ, sed vi officii sui, etiam nullam faciendo in processu mentionem istius sibi factæ denunciationis: quin & potest denunciantem adhibere testem, aut eidem, *ut Reiffenst.* mandare, ut denunciet judicialiter, si delictum vergat in præjudicium communitatis vel tertii: cùm etiam in eo casu, quisque ex se teneatur denunciare judicialiter, adeóque denuncians petens à superiore servari modum aliàs in denunciatione evangelica servandum, audiendus non est.

Quæst. 27. *An & quando superior delicta occulta sibi charitativè denunciata, revelare, haustáque ex hac denunciatione scientia uti possit?*

1. Resp. Ad primum: Prælatus seu Superior delictum occultum gravè charitativè sibi denunciatum manifestare aliis non debet, si solus emendare possit; si verò id non potest, debet illud manifestare alteri potentiad adhibendum remedium; Quin &, si is solus ad hoc non sufficiat, pluribus, qui necessarii videbuntur ad denunciati emndationem, Laym. *L.* 3. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 4. Idque, etiamsi denuncians inhibuerit adhiberi plures; cùm aliàs hæc denunciatio frustraretur suo fine, qui est emendatio denunciati, aut etiam impeditio vel amolitio scandali, aut damni, si quod ex delicto denunciato imminet tertio alicui, aut is de facto patitur. Sic in specie per se loquendo concessum est patri familias delicta occulta etiam gravia liberorum, famulorum, & ancillarum revelare matri familias, & ob paritatem, aliis licitum est, eorundem delicta denunciare tali personæ, quæ ob incumbentem ei curam administrandi familiam, jus & autoritatem habet salubriter corrigendi, & puniendi istiusmodi domesticorum delicta. Idem est de revelatione talium delictorum occultorum à scholaribus commissorum, facta eorum præceptoribus puniendi gratia; modò ex tali revelatione & punitione plùs commodi, quàm incommodi secuturum speretur, Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 11. citati: Navar. *in manual. c.* 25. *n.* 58. Molin. *de just. t.* 4. *d.* 29.

2. Resp. Ad secundum: quamvis Prælatus denunciatum sibi delictum subditi sui secretum servare teneatur, nullâ causâ urgente ad ejus revelationem; nihilominus notitiâ illius haustâ ex ejusdem delatione charitativa uti potest ad delinquentis gubernationem, v. g. invigilando illi sollicitius, præscindendo occasiones, mittendo illum aliò, vel etiam movendo ab officio sub probabili aliqua ratione citra ejus infamiam, Laym. *L.* 3. *tr.* 6. *c.* 2. *num.* 5.

Quæst. 28. *An & qualiter Prælatus, Pater familias, Ludimagister constituere possit aliquos, qui suorum delicta observent, ad charitativè ea sibi denunciandum.*

Resp. Cum Laym. *L.* 3. *t.* 3. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 12. citante Bannez. & Turrian. id eum posse, attendendo tamen constituti denunciatoris ingenium, prudentiam, affectus; cavendóque, ne plùs ei credat, quàm oportet, spectatis omnibus circumstantiis; item cavendo, ne jubeat observari in particulari personam certam, quæ alioquin publicè suspecta non est, ne aliàs ejus fama patiatur: quamvis tamen quandoque talis causa esse possit, v. g. periculum impendentis mali alicujus, ob quam talis qualis diminutio famæ personæ jussæ observari, posthabenda sit ejusdem spirituali bono aliorumve damno, Laym. *l. c.* item curando, ne constitutus ad observandum & denunciandum, factaque ab eo denunciatio cognosci possit à denunciato, nisi aliud gravitas aut periculum postulet, & tum non curandum,

quòd denunciandus aut denunciatus veniat in dictam notitiam, & exinde denuncians passurus sit qualecumque incommodum, utpote posthabendum bono denunciati vel bono communi. Unde jam etiam prudens superior, nulla urgente causa contrarium, poterit facta jam sibi denunciatione supersedere correctione, eam differendo in tempus opportunius, Laym. *ibid.*

Quæst. 29. *Qualiter charitativè denuncians in denunciando procedere debeat.*

REsp. præter dicta *q.* 23. de præmittendis denunciationi charitativæ, monitio secreta delinquentis ante omnia procedere debet ex lege & motivo charitatis, habendo semper præ oculis tanquam finem hujus denunciationis bonum spirituale, tum delinquentis, nimirum ejus correptionem & correctionem; tum communitatis, nempe impeditionem & amolitionem scandali, si quod ei imminet, dein præcavere debet, ne denunciet incerta tanquam certa & explorata; item ne delicta nimis augeat, sed simpliciter deferat, prout gesta sunt; neque dicat delinquentem habere consuetudinem sic delinquendi, si semel tantum, iterúmque illum sic deliquisse sciat, Laym. *cit. n.* 12. cum Turrian. *d.* 39. *du.* 5.

Quæst. 30. *Quinam judicialiter denunciare & denunciari possint, aut non possint?*

1. REsp. primò. Denunciare posse, & ad sic denunciandum etiam publice, etsi aliàs ad accusandum inhabiles, admitti posse omnes juxta communem tribunalium praxin & receptam hodiedum consuetudinem, eò quòd per hanc denunciationem sternatur solùm via ad inquirendum; asserit cum Ludov. Ameno *tit.* 9. *v. denunciatio.* §. 3. *n.* 15. Reiffenst. *h. t. n.* 86. quamvis subjungat in suo ordine servari contrarium. nempe inhabiles ad accusandum, haberi etiam inhabiles ad denunciandum judicialiter. Verùm quidquid sit de hoc, generaliter loquendo, criminosi à denunciando judicialiter repelluntur, juxta *c. cum in tua de sponsi.* nisi suam suorúmque injuriam prosequantur, *arg. c.* 2. *caus.* 4. *q.* 6. Pirh. *h. t. n.* 95. Unde etiam publicus concubinarius ad denunciandum aliorum peccata admittendus non est, juxt. *c. vestra de cohabit. cum mulier.* Gl. *in cap. cum dilectus. h. t. v. concubinarios.* Host. *v. excommunicationis.* Pirh. *l. c.* qui tamen etsi idem dicat de excommunicato ob concubinatum publicum, juxta quod in *cit. c. dilectus*; utrumque sub disjunctione conjungitur; nempe concubinatum publicum vel excommunicationem (intellige incursam ob aliam causam sufficere ad hoc, ut repellatur quis à denunciando judicialiter. De cœtero nullo casu denunciare possunt, qui delicti notitiam ex sola confessione sacramentali habent, ut cum communi de Lug. *d.* 38. §. 2. *n.* 37. Adde quòd licèt accusatio fieri non possit per alium, v. g. per procuratorem, judicialis tamen denunciatio per eum fieri possit. Pirh. *l. c. n.* 35. cum Abb. Plura de his paulò post.

Quæst. 31. *An & quinam obligentur ad denunciandum judicialiter citra præceptum judicis vel superioris?*

REsp. Quamvis ferè nunquam privati citra tale præceptum obligentur ad denunciandum propriè judicialiter, cùm satisfaciant suæ obligationi denunciatione Evangelica; vel ad summum canonica, qua datur notitia judici, committiturque ejus prudentiæ, quid fieri oporteat, de Lugo *l. c. n.* 14. tenentur tamen ad hoc, quibus ex officio incumbit procurare, ut delicta puniantur, quales sunt fiscales, custodes, syndici, aliique ad hoc munus deputati, cæteris, non nisi ad denunciandum canonicè obligatis, quando necessaria est denunciatio ad damnum publicum vel alicujus privati impediendum aut amoliendum, quod aliter impediri nequit, sine magno & proportionato damno judicialiter denunciantis; qui tamen ad hanc denunciationem canonicam non tenentur ex justitia, ut patet, sed solùm ex charitate, ita ut ex omissa hac denunciatione non obligentur ad restitutionem & compensationem damnorum inde ortorum; ita de Lug. *l. c.* remittens ad Sanch. *l.* 6 *cons. c.* 2. *d.* 9. Sic quoque tenetur quilibet saltem ex charitate, ad denunciandum judicialiter crimen cedens in publicam perniciem reip. aut præjudicium tertii, si certum sit ei, denunciatione evangelica sufficienter occurri non posse. Sanch. *l.* 6. *cons c.* 2 *d.* 9. *n.* 4. Sylv. *v. denunciatio.* Fachin. *l.* 9. *controv. c.* 86. cum communi. Si verò ei occurri potest, omissa judiciali denunciatione, evangelicè denunciandum crimen, nisi tamen specialiter expediat, ut crimen ad exemplum aliorum publicè vindicetur, Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 13. Et sic in specie clericum teneri ad denunciationem canonicam criminis digni pœna sanguinis, quando aliter malum imminens reip. aut alicui privato impediri nequit; factâ tamen protestatione debitâ quòd non intendatur vindicta, aut pœna sit solùm impeditio damni, docet de Lug. *l. c. n.* 16. citans pro hoc Sanchez, *uti ante. n.* 10. idque ex ea ratione, quòd, cùm hæc obligatio sit juris naturæ, non possit jure positivo impediri. Unde nec incurrit irregularitatem, si pœna sanguinis sequatur, cum irregularitas imposita non sit, pro casu, in quo Lex naturæ clericum obligat ad aliquid sub peccato.

Quæst. 32. *Respectu quorum delictorum sit obligatio denunciandi ea judicialiter, orta ex interrogatione vel præceptoSuperioris?*

1. REsp. primò supponendo primò posse Superiores habentes indicia sufficientia interrogare de delicto hic & nunc commisso. Supponendo secundò, posse illos, & imprimis Episcopos, Vicarios, Visitatores, similesque Prælatos Ecclesiasticos, imò & Judices sæculares, præcipere sub variis etiam pœnis, ut qui tale vel tale delictum sciunt, illud manifestent, intellige, etiam judicialiter denunciando, nimirum in ordine ad vindictam publicam, Glos. *in l. civile c. de furtis.* Abb. *in c. delictis. de excess. Prælat.* Nav. Soto, quos citat & sequitur de Lugo *l. c. n.* 17. conformiter usui & consuetudini approbatæ, in Trid. *sess.* 23. *c.* 3. Supponendo tertiò in talibus edictis seu præceptis variam esse posse mentem præcipientis, ratione objecti, vel modi denunciandi; dum quandoque præcipitur, ut manifestetur fama de delicto, aut ejus notorietas; quandoque accusatio; quandoque denunciatio, eáque vel evangelica, vel judicialis; quandoque testificatio: quæ mens ex ipsis verbis præcipientis, vel interrogantis, vel etiam ex materia colligenda, ut de Lug. *l. c. n.* 18. quem vide. Supponendo quartò, Superiores in talibus edictis habere intentionem tacitam vel expressam, ut manifestatio fiat servato juris ordine in tali denunciatione servando Lug. *l. c.* Unde his suppositis

2. Resp.

2. Resp, secundò in genere, dum occultum delictum denunciari potest, est etiam obligatio denunciandi illud, eo modo, quo aliàs denunciari debet; secus, dum denunciatio est illicita. D. Thom. 2. 2. *q.* 3. *a.* 7. *ad* 5. Sylv. *v. correctio q.* 7. Navar. *in man. c.* 17. *n.* 114. Sanch *l.* 3. *tr.* 3. *q.* 2. *c.* 4. *n.* 8. Unde denunciare quis non tenetur superiori interroganti de crimine occulto, dum illud incerto tantùm rumore, vel à personis indignis fide novit. Sanch. *l. c. n.* 7. Nav. *l.* 5. *cons.* 3. *de hæret. n.* 1. Cön. *to.* 2. *d.* 27. *dn.* 7. *n.* 61. Laym. *l. c. coroll.* 2. Item denunciare non tenetur superiori interroganti, dum firmiter credit delictum plenè emendatum, & parti læsæ satisfactum; cùm tunc cesset finis denunciationis, adeóque parcendum famæ aliàs denunciandi, Nav. *in man. c.* 25. *n.* 46. Laym. *l. c. coroll.* 1. Item non tenetur judicialiter denunciare interroganti, neque licitè potest, si speret, se secreta admonitione delictum emendaturum, aut impediturum, Laym. *l. c. coroll.* 3. cum D. Thom. *cit a.* 7. Nav. *l. c. c.* 22. *n.* 83, Gutier. *l.* 1. *can.* 99. *c.* 11. *n.* 17. Item denunciationem intermittere debet, interrogatus à Prælato de crimine occulto, si arbitratur ex ea majus incommodum aut scandalem oriturum, Nav. *l. c. n.* 29. Laym. *coroll.* 4. Qui licet addat, hæc à se dicta esse de denunciatione charitativa & canonica, videntur tamen non minùs locum habere in denunciatione judiciali.

3. Resp. tertiè in genere. Vi edicti præcipientis denunciationem est obligatio denunciandi judicialiter (de denunciatione siquidem judiciali hic agitur, cum juxta dicta supra *q.* 24. istiusmodi edicta ordinariè ordinentur ad forum externum, adeóque de ea intelligenda, etsi in præcepto non fiat expressa mentio denunciationis judicialis) delicta non tantum ea, ad quæ sic denuncianda quis aliàs tenebatur, ut habet communis; superaddendo hac ratione priori obligationi obligationem seu debitum obedientiæ: Verùm etiam ea, quæ quidem poterat, sed non tenebatur denunciare, Sanch. *l.* 6. *consil. c.* 2. *d.* 14. *n.* 1. & *dub.* 15. *n.* 8. illud ut certum supponens de Lug. *l. c. n.* 30. qui licet aliquo modo id restringat, dicendo, plerumque ad hoc teneri subditos; probari tamen idipsum posse ait ea ratione: quòd dentur delicta, ex quorum omissa denunciatione licèt non oriatur magnum reip. damnum obligans secundum se ad denunciandum; quia tamen secum afferunt aliquid, ratione cujus eorum denunciatio sit actus honestus, hæc præcipi possit, atque ita subditus, qui aliàs non tenebatur denunciare, jam vi talis præcepti teneatur obedire & denunciare. Unde jam etiam in specie vi talis præcepti esse obligationem denunciandi judicialiter delicta contra bonum commune vel in damnum privati, pendentia adhuc in fieri vel conservari, dum damnum tale est, quod quisque independenter à tali præcepto seu edicto tenebatur impedire omni via, etsi ea probari non possint in judicio, tanquam indubitatum tenet de Lug. *l. c. n.* 24. cum Dian. *tr. de denunciat. resolut. prima*, citante pro se multos alios, probátque id ipsum ex usu communi, præsertim in tribunali S. Inquisitionis, ubi denunciare etiam jubentur illi, qui plenè probare non possunt. Uti & ex Bullis Pontificum Pii IV. & Greg XV. in quibus pœnitens jubetur denunciare confessarium sollicitantem in confessione ad res turpes: quod tamen pœnitens, cum sit unicus testis probare nequit, contrarium tamen tenentibus pluribus aliis relatis à de Lug. & inter eos Suarez *de censur. d.* 20. §. 3. *n.* 11. & Sanch. *l. c. d.* 14. hoc nixis fundamento; quòd denunciatio judicialis ordinetur ad punitionem, quæ, quia fieri nequit, ubi delictum non probatur, sit inutilis; quod tamen fundamentum benè diluit Lug. *n.* 26. hac ratione: quod licèt delictum probari nequeat, ejus tamen denunciatio serviat ad plura conducentia aut etiam necessaria ad punitionem denunciati, v. g. ad inquirendum specialiter de persona denunciata, eique invigilandum; item ad hoc, quod accedente ad hunc unicum testem denunciatore alio ei ignoto, coram quo idem delictum potuit esse commissum, aut aliis indiciis, quæ fortè judex habet, accedentibus, jam plena consurgat probatio, ut denunciatus incarcerari & torqueri possit. Atque ita, si judex præcipiat sub excommunicatione denunciari sibi crimen, quod probari nequit, tale præceptum non contineret errorem intolerabilem, ut cum Navar. ait Angel. *v. excommunicatio c.* 3. §. 20. Procedereque videntur hæc à fortiore, dum delicta sunt gravia, v. g. proditio reip. machinatio mortis principis, speciali eorum gravitate fortiùs urgente tale præceptum denunciandi delictum, etsi probari nequeat; v. de Lug. *l. c. n.* 25. qui de cætero *n.* 27. monet, circa denunciationem delictorum, quæ probari nequeunt, attendendum ad verba talium edictorum, num explicitè vel implicitè contineant præceptum denunciandi, etsi delictum probari non possit; item ad gravitatem materiæ; & in dubio semper præsumendum pro Prælato, eum velle denunciari ea delicta etiam occulta, quæ probari nequeunt; deque justitia talis præcepti & obligatione illud implendi, maximè in delictis, quæ sunt contra fidem & religionem, utpote ex quibus graviora & certiora mala oriuntur; dubitari nequit.

4. Resp. quartò. Contra vi edictorum non est obligatio in sequentibus casibus, primò, dum delinquens est omnino emendatus, omneque damnum reparatum, sublatóque scandalo, Reipublicæ (dum crimen erat publicum) satisfactum, deque ea emendatione & satisfactione constat certò, nec est periculum recidivæ; cùm tunc cesset ratio præcipiendi, & finis denunciationis, & consequenter obligatio. Nav. *in summ. c.* 25. *n.* 46. Soto *de just. q.* 5. *a.* 1. *in fine.* & *de sigillo memb.* 2. *q.* 6. *concl.* 2. De Lug. *l. c. n.* 19. Avila de *censur. p.* 2. *d.* 5. *n.* 4. Estque responsio sic clausulata communis, secus verò est, si delictum fuit publicum, & correctio secreta, & vel sic reipublicæ non plenè satisfactum, aut scandalum sublatum; tunc enim superiorem habere adhuc jus ad procurandam reip. satisfactionem per punitionem publicam, & consequenter ad præcipiendam denunciationem judicialem, tradit de Lug. *l. c.* remittens ad Sanch. *ubi supra d.* 15. & Dian. *tom.* 3. *tr.* 3. *resol.* 2. qui etiam dicit, in dubio emendationis esse obligationem denunciandi.

5. Secundò, dum delictum in damnum solius delinquentis cedens est occultum, etsi probari possit, ex vi edicti non est obligatio denunciandi illud; cùm judex non habeat potestatem inquirendi de occultis, Sylv. *v. correctio.* §. 7. Soto de sigil. *l. c. memb.* 2. *q.* 4. *coroll.* 3. & 4. Avil. *l. c. d.* 4. *dn.* 2. Lug. *l. c. n.* 20. sub hac limitatione; nisi delinquens non credatur aliâ viâ emendandus, & aliunde speretur profutura denunciatio ad ejus emendationem.

6. Tertiò nemo tenetur vi edictorum peccata contra se commissa; cùm enim sit consilium evangelicum, remittere injurias proprias, credendum non est, Superiores quoad hæc delicta præcipere contrarium. Ita de Lug. *n.* 21. si tamen constaret, aut præsumeretur rationabiliter, id eos præcipere,

cipere, ex fine aliquo honesto præsertim contingente bonum publicum, uti possunt, non videtur quis liberari ab obligatione denunciandi illa delicta.

7. Quartò. Nec tenetur seipsum denunciare delinquens, ut Avil. *l. c. du. 7. Dian. tom. 1. tr. de denunc. resol. 8.* cum pluribus à se relatis; item de Lug. *l. c.* & consequenter nec complices denunciare tenetur, si eos manifestare nequit, quin suum delictum manifestet; nisi fortè delictum cederet in tam grave damnum commune, cui postponenda foret manifestatio proprii delicti. Dian. *l. c. resol. 9.* & de Lug. item sub dicta limitatione, Suar. *de censur. tom. 5. d. 20. §. 4. n. 18.* plurésque alii relati à Lug. Est tamen casus, in quo delinquens potest & tenetur manifestare proprium delictum, v. g. denunciando confessarium, à quo pœnitens sollicitatus in confessione ad turpia in eo consensit, absque eo, quòd hunc consensum suum manifestet, quin & absque eo, quòd judex de hoc confitentis consensu confessarium illum interrogare, aut etiam de eo dicere volentem audire possit. Uti de hac obligatione manifestandi talem confessarium in dicto casu significasse Urban. VIII. litteris datis 1624. testatur Diana apud de Lug. *l. c.*

8. Quartò. Denunciare nunquam tenentur, quibus de delicto constat ex confessione sacramentali, sed neque irregulariter possunt, quibus notum ex petito ab eis consilio, aut remedio, v. g. Theologi, Advocati, Medici, obstetrices; cum servare in hoc casu secretum ad commercium vitæ humanæ necesse sit. Nisi tamen ex illa occultatione seu non-denunciatione sequeretur damnum reip. aut tertii alicujus, quod machinatur quis contra illum vel illum. Molin. *de just. tom. 6. d. 5. n. 6.* de Lug. *n. 37.* Sanch. *l. 6. c. 2. du. 21. n. 3.* Fagund. *in decal. præcep. 8. c. 5 1. n. 7.* ex ea ratione, cum majus bonum sit miseris non præcludi viam consulendi viros doctos ac probos, ad remedium suæ miseriæ corporalis, vel spiritualis, quàm delicta taliter cognita denunciare punienda; contra Soto, *l. 5. de just. q. 7. a. 1.* adi aliósque citatos à Sanch. *l. c.* quatenus dictam limitationem rejiciant, absolutè dicentes, tales à denunciando non excusari, etiamsi delictum non vergat in damnum alicujus. Sic etiam, qui sub juramento promisit, se non denunciaturum crimen, cujus notitiam sub secreto accepit, non potest, nec debet denunciare, non vi juramenti, quia sub secreto naturali ejus notitiam acceperat, limitanda tamen hæc ipsa assertio denuò; nimirum nisi ad vitandum damnum imminens ex culpa petentis consilium, à qua is cessare non vult. Unde cognoscens impedimentum matrimonii secretò, denunciare illud potest ad impediendum matrimonium, à quo contrahendo desistere non vult, qui impeditus est contrahere, de Lug. *l. c.* Quid verò sit de denunciando confessario sollicitante pœnitentem ab eo, qui id secretò accepit, statues ex dictis *n. præced.* & desuper videri potest Dian. *tom. 1. tr. de denunc. resol. 24.* ad quam remittit Lug. *l. c.*

9. Sextò vi edictorum non tenentur denunciare certas personas, qui contra eas in jure prohibentur, testificare, uti nec ii, qui quidem prohibentur, cogi tamen non possunt ad testificandum contra illas personas, propter conjunctionem cum eis, vel contra honorem, vel statum, ut Episcopi, sacerdotes, de quo v. de Lug. *l. c. n. 35.* qui tamen ait, eam deobligationem denunciandi admitti communiter ab aliis, quando sunt alii, qui denunciare possunt & denunciabunt, & ita tenet Sanch. *l. c. du. 18. n. 9.* Atque ita à denunciando delicta manifestari præcepta etiam sub excommunicatione, deobligari conjunctos intra quartum gradum, ex ea etiam ratione, quia propter magnam illam conjunctionem viderentur denunciare seipsos, tradit Lug. *cit. n. 33.* Excepta tamen hæresi (quod intelligendum de locis, ubi hæretici non tolerantur) propter maximum nocumentum publicum, quod ea affert. Unde & teneri patrem ad denunciandum filium hæreticum, ex communi tenet Sanchez. *l. 6. consil. c. 2. du 19. n. 3.* apud de Lug. consentientem, quin & filium teneri denunciare patrem, affirmant Suar. *de fide d. 20. s. 4. n. 21.* Dian. *tr. de denunciatione resol. 4.* Azor. Comisol. Sanctarel. Bonacin. & alii apud de Lugo, aliis ab eodem citatis id negantibus, Sanch. *n. 6.* id distinguente, nimirum filium teneri ad hoc, quando non est probabile alios denunciaturos patrem, & quando hæresis est specialiter perniciosa reip. quia pater plures pervertit. Extenditur quoque hoc ipsum ab Avila apud de Lugo, ad delicta alia, quando hæc vergunt in magnum reip. detrimentum.

10. Septimò. In casu quo denunciator ex denunciatione timet sibi grave malum in vita, honore, pecunia, quod quo gravius, majorisque momenti contra bonum publicum, ut obligetur denunciare & subire damnum illud proprium. Sanch. *l. c. c. 2. du. 12.* varia adducens illius damni exempla. Dian. *tom. 1. tr. de denunc. ref. 7.* de Lugo *n. 36. cit.* quam pluribus.

11. Octavò. Dum edicto jubentur denunciare, qui sciunt vel audierunt, non tenentur denunciare qui audierunt à levibus personis vel ignotis, quas non possunt declarare, Sanch. *l. c. du. 16.* de Lug. *n. 38.* Quamvis, ut idem, tantum posset esse periculum ex omissione denunciationis imminens, ut quæcumque notitia, à quocumque hausta esset, utilis ad cautelam & malum avertendum, in quo casu judicat esse obligationem communicandi illam qualemcumque notitiam.

12. Nonò. Edicta fundata in præsumptione non obligare ad denunciationem illos, qui sciunt præsumptionem esse falsam, tenent Riccius & Valero apud Dian. *l. c. ref. 10.* docentem contrarium, eò quòd judicium circa suspicionem non pertineat ad denunciantem, sed ad judicium Ecclesiasticum. Lug. *l. c. n. 42.* distinguit; ita, ut non sit obligatio, quando non tantùm præsumptio est falsa, sed neque quod præsumitur, est peccatum. Secus vero quando, quod falsò præsumitur, est peccatum; sic denunciandus adhuc confessarius sollicitans ad turpia, quia præsumitur suspectus in fide, etsi constet non esse in fide suspectum; delictum enim sollicitationis de se movet ad illam suspicionem concipiendam.

Quæst. 33. Quam diu durent hæc edicta, eorumque obligatio post eorundem promulgationem.

1. REsp. primò. Dum promulgata tempore visitationis alicujus ordinariæ, obligant pro toto solùm tempore, quod moraliter sufficit ad talem visitationem, adeóque qui ante hoc tempus vel intra illud novit delictum, denunciare tenetur; secus si eo tempore transacto novit illud, de Lug. *l. c. n. 39.* eum verò, qui intra illud tempus sciens delictum, culpabiliter omisit, teneri adhuc illud denunciare dicto tempore elapso, docet Sanch. *cit. c. 2. du. 25. n. 8.* cum Nav. & aliis, cujus contrarium tenet Fagund. *in decal. præcep. 8. c. 2.* cum Sayr, quibus consentire videtur de Lug. eò quòd præceptum illud

illud videatur alligatum ad tempus visitationis. Licet culpabiliter omittens intra illud denunciationem, jam inciderit in excommunicationem, dum sub ea præceptum latum est.

2. Resp. Secundò: Edicta verò istiusmodi lata ab Inquisitionibus durant per totum annum, donec alia promulgentur, Lug. *l. c.* ut cum Sanchez & Avila.

3. Resp. Tertiò: Dum aliàs istiusmodi edicta ab aliis Prælatis, independenter etiam à visitatione, promulgari quandoque solent, assignatis tribus vel sex diebus pro termino, intra quem facienda est denunciatio; dies hi numerandi sunt, non à die promulgationis, sed notitiæ ejusdem; cùm dentur hi dies, ut ii, quibus præceptum denunciare, consulere & considerare possint de rebus denunciandis, Sanchez. *l. c. num.* 6. de Lugo *n.* 40. Unde etiam notat Sanchez. *L.* 6. *cons. c.* 2. *du.* 25. *n.* 6. apud de Lugo. *num.* 41. quòd si quis ultimo die termini præfixi acceperit notitiam edicti, incipiant ei currere totidem dies, quot præfixi fuerunt denunciationi faciendæ.

4. Resp. Quartò: Edicta, quibus excommunicantur damnificatores, si non restituant, & scientes, si non revelent illos, semper obligant, donec damnificator restituat, nisi author edicti fuerit mortuus, vel officio motus; cùm tunc exspiret obligatio, Nav. *in man. c.* 27. *n.* 2. Sanch. *l. c. n.* 8. Lug. *l. c.*

Quæst. 34. *An denunciationi judiciali præmittenda sit bina monitio charitativa?*

Resp. negativè cum Layman. *L.* 3. *t* 3. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 13. Less. *de just. L.* 2. *c.* 3. *du.* 3. Castrop. de charit. *tr.* 3. *d.* 3. *p.* 16. *n.* 3. Molin. *de just. tr.* 4. *d.* 132. *n.* 6. Palud. Soto apud Reiffenst. contra Azor. *p.* 3. *L.* 13. *c.* 25. *du.* 5. Pirh. *h. t. num.* 91. quatenus docent binam monitionem requiri ad denunciationem, quæ fit in foro Ecclesiastico, non tamen ad faciendam in foro civili; pro ratione responsionis est consuetudo, usus & praxis omnium tribunalium, quâ nullus Judex de correctione illa charitativè facta interrogat, aut de ea facienda monet vel mandat; quod tamen facere deberet, si prævia, secreta, fraterna correctio ad valorem & substantiam judicialis denunciationis requireretur. Alia ratio desumitur ex fine hujus denunciationis principali, qui non est emendatio, vel bonum privatum delinquentis, sed vindicta publica ad bonum publicum, ut nimirum alii illâ terreantur, & à similibus committendis retrahantur. Unde talis denunciatio potius actum justitiæ, quam charitatis contineat, Reiff. *h. t. n.* 99. His non obstantibus juribus, quæ in contrarium adferunt adversarii: quia loquuntur, non de denunciatione judiciali propriè tali, seu criminali ad vindictam publicam, sed de denunciatione evangelica, vel de canonica, quatenus hæc ad illam reducitur, vel intelligendi sunt in ordine ad pœnam, quæ de speciali jure, vel saltem de consilio requiritur. Et ideò non loquuntur specialiter de denunciatione judiciali, quia eo tempore ea non fuit in usu, sed duo tantùm modi judicialiter procedendi per viam nempe accusationis & inquisitionis, quibus jure novo & consuetudine accessit modus tertius, nempe per viam denunciationis propriè talis, quæ hodie frequenter loco accusationis adhibetur, & eosdem ferè cum hac effectus habet; ita Reiff. *num.* 101. Sed neque hæc posteriora eliduntur dicendo jus canonicum in genere requirens monitionem præviam fundari in jure divino evangelico, contra quod nulla dari potest consuetudo. Nam ex eo gratis dato plus non sequeretur, quod ad licitè denunciandum judicialiter, (quod præcipuè intendit Evangelium) requiratur monitio prævia, non verò, quòd etiam requiratur ad judicialiter denunciandum validè, de quo loquuntur Canonistæ: & præcipue procedit responsio nostra, altera quæstione, num requiratur prævia monitio ad denunciandum judicialiter licitè, seu sine peccato relicta Theologis discutienda. Ad quam, si respondeatur affirmativè, jam etiam necesse est dicere, requiri quoque dictam monitionem quoad forum civile, utpote in quo jus divinum non minùs, quàm in foro ecclesiastico obligat. De cætero certum apud omnes, quod in casibus & circumstantiis omnibus, in quibus denunciatio evangelica fieri potest licitè sine prævia monitione, à fortiore quoque sine illa fieri licitè possit denunciatio judicialis: atque ita delictorum adhuc occultorum, quin & emendatorum, & eorum, quæ non nisi delinquenti nociva, & sic cujuscumque delicti denunciationem licitè fieri posse, modò probari possit, tradit Laym. *L.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 13. citatique ab eo Pet. Nav. *L.* 2. *c.* 3. *n.* 254. Less. *L.* 2. *c.* 30. *du.* 3.

Quæst. 35. *Quænam requirantur ad legitimè procedendum in denunciatione judiciali?*

Resp. Requiruntur ferè eadem, quæ in accusatione, excepta inscriptione, quæ tamen & ipsa hodie vix est in usu, ut Less. de just. *tr.* 6. *c.* 3. *n.* 4. & juxta à nobis dicta supra: quia vices accusationis subit, ut Clar. cum communi. Proinde requiritur primò: ut in scriptis fiat, vel oretenus à denunciatore, prolata exceptáque per Actuarium, seu Notarium publicum, referatur in acta. Secundò, ut exprimatur nomen Judicis, denunciatoris & denunciati. Tertiò, qualitas seu species delicti, ejusdemque commissi locus & tempus, nimirum annus, mensis, & probabiliter etiam dies. Suntque hæc omnia de forma denunciationis hujus substantiali, & ita necessaria, ut si unum ex illis omitteretur, processus sit nullus, & denunciatus absolvendus; ut Ludov. de Ameno *tit.* 9. *v. denunciatio*, §. 4. *q.* 4. *n.* 36. Reiffenst. *h. t. n.* 94. cum Clar. aliisque communiter. Quartò requiritur, ut denunciator, licèt ipse per se delictum probare non teneatur, (in quo differt ab accusatore) tenetur testes denominare, instrumenta, probationes, aliaque media, quæ scit vel habet, judici suggerere, Arg. *L.* 6. §. 3 *ff. de Senat. Consult. Turpill.* ut ex tali instructione Judex cognoscere queat, an delictum sufficienter probari, & consequenter is denunciationem recipere, inquirere, processum instituere, an verò eam rejicere possit vel debeat. Unde statim ab initio ad id tenetur denuntiator; in quo iterum differt ab accusatore, qui etsi & ipse testes, aliasque probationes una cum libello producere possit, sufficit tamen, eum illos producere tempore, quo ad probandum erunt necessarii.

Quæst. 36. *Quænam delicta judicialiter denunciari possint, vel non possint?*

1. Resp. Omnia crimina, tam privata, quàm publica, tam aperta, quàm occulta, de quibus nulla adhuc infamia delinquentis, jndicialiter denunciari possunt, modò probari valeant, Fagn. *in c.* 24. *h. t. n.* 72. Passerin. *in tribun. regular. q.* 7. *a.* 3. *n.* 15. Laym. *L.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 13. citans Pet. Navar. *L.* 1. *c.* 3. *n.* 254. Reiff. *h. t. num.* 88.

Arg. *c. 3. in fine cauſ.* 11. *q. 3. can. 3, cauſ. 6. q. 2. c. 27. c. 2. q. 7.* ex ea ratione, quòd publicitas & infamia delicti tantùm requiritur ad proceſſum inſtituendum media inquiſitione, *c. 2. & c. 24. h. t.* dum in denunciatione denunciator ſupplet vices accuſatoris: tum qnia denunciatio judicialis principaliter non reſpicit bonum & emendationem delinquentis, ſed publicam vindictam illius in exemplum & terrorem aliorum. Unde & hæc denunciatio non attendit durantem adhuc bonam famam delinquentis, utpote quæ tanquam bonum privatum poſtponenda bono publico ſeu communi; quod ſequitur ex Paſſerin. *l. c. n.* 17.

2. Dixi tamen: *modo probari poſſit*; ſiquidem dum delictum eſt occultum, ut probari legitimè nequeat, (niſi vergat in præjudicium communitatis, vel tertii alicujus privati) denunciari judicialiter nequit; ita communis arg. *c. 3. cauſ. 6. q. 2. & cauſ. 24. q. 8. L. 8. & L. fin. C. delatum.* Cùm enim delatum crimen non probatum legitimè puniri nequeat, denunciatio hæc per ſe inſtituta ad vindictam publicam foret inutilis, ac ita ſine fructu læderetur fama denunciati, talisque denunciator reputabitur calumniator, & pœnæ calumniatoribus ſtatutæ, vel ſaltem extraordinariæ arbitrio judicis ſtatuendæ obnoxius. Nec Judex vi illius ad inquirendum, formandumque proceſſum procedere poteſt. Unde etiam rectè infert Reiffenſt. *n.* 90. delictum ſoli delinquenti nocivum judicialiter denunciari non poſſe, dum unus ſolus præter delinquentem non habens ulla indicia alia, aut probationis media, id novit. Bene tamen, ſi duo præter delinquentem id ſciant, quia jam probari poteſt. Nullus tamen eorum poteſt eſſe denunciator judicialis, etſi denunciationem ex certis cauſis utilem aut neceſſariam judicent: quia ſi unus eorum denunciet, is non poteſt eſſe teſtis, ac ita jam non niſi unico teſte exiſtente, delictum probari nequit. Si tamen in hoc caſu præter unum teſtem adeſſent indicia ſufficientia commiſſi criminis, quibus cognitis ſuperior dein judicialiter uti poteſt & inquirere, tunc fraternè denuncians poteſt eſſe teſtis, & ſic per duos teſtes probari delictum. Unde tunc expedire, ut delictum non ſtatim denuncietur judicialiter, ſed fraternè, ſuadet Reiffenſt. *n.* 91. additque *n.* 92. in dubio, an quis judicialiter deferre poſſit aut debeat, optimum eſſe, rem deferre ad Superiorem tanquam patrem, eúmque conſulere, num expediat delictum quoque denunciare judicialiter.

Quæſt. 37. *Coram quo fieri poſſit denunciatio judicialis, ſeu cujus ſit, eam admittere?*

1. RESP. Primò in genere. Fieri non poteſt, niſi coram Superiore, vel Judice habente jurisdictionem in denunciatum, & pro eo foro, ad quod ſpectat delictum, de quo fit, vel cauſa, in qua fit denunciatio, ut habet communis. Hinc

2. Reſp. Secundò in ſpecie. Poteſt in foro eccleſiaſtico Judex eccleſiaſticus generaliter & indiſtinctè, ubi intercurrit peccatum, admittere denunciationem evangelicam, ſeu charitativam: non tamen poteſt admittere judicialem, niſi in certis caſibus, nimirum ſi denunciatus ſit Clericus vel Regularis conquerens de injuſta oppreſſione, quâ opprimitur à ſuo Prælato. Si Laici denunciati crimen ſit ex natura ſua eccleſiaſtici fori, v. g. hæreſis, Simonia &c. Si in foro ſæculari ſit defectus juſtitiæ, quia vel denunciatio non auditur, ex negligentia Judicis; vel quia jurisdictio vacat nullo Judice exiſtente. Si violatum à Laico juramentum. Si denuncians ſit perſona miſerabilis. Si cauſa ſit ſpiritualis, ſive eccleſiaſtica, vel ei annexa, ut dum agitur de matrimonio diſſolvendo, vel non contrahendo ob impedimentum canonicum, Pirh. *h. t. n.* 90. cum Abb. *in c. novit. de judic. n.* 48. Azor. *pr. 3. L. 12. c. 21. du. 5.*

Quæſt. 38. *Facta denunciatione judiciali, qualiter procedere poſſit aut debeat Judex?*

1. RESP. Primò: Facta legitimè denunciatione propriè judiciali, non tantùm poteſt, ſed & tenetur ex officio inquirere Judex, ſed & proceſſum inſtituere, citando examinandóque teſtes, aliaque probationis media per denunciantem ſuggeſta contra delinquentem: ita ut, ſi quod ex his omittat, peccet ob negatam vel neglectam juſtitiam, teneaturque ad ſyndicatum, & amittat jurisdictionem quoad illam cauſam; ita juxta Nov. 17. §. 1, *c. 3. ſi tibi quoque.* Gail. *L. 1. obſerv. 28. num. 1,* Brunnem. *in proceſſ. inquiſ.* Ameno *in pr. crim. tit. 9. v. denunciatio. §. 3. n.* 10. quos citat & ſequitur Reiffenſt. *h. t. n.* 125. Dixi legitimè *facta denunciatione*: ſi ea facta ſine allegatione teſtium, denunciationem rejicere debet; niſi delictum denunciatum vergeret in damnum communitatis vel tertii; in quo caſu pergere debet ad inſtituendum proceſſum. Poteſt item facta denunciatione, ſi reus eſt ſuſpectus de fuga, aut ne teſtes falſos ſubornet, vel veros impediat, deterreátve à teſtificando, eundem incarcerare cuſtodiæ cauſâ, etiam ante citationem, ſi delictum ſit grave, adſintque indicia ſufficientia delicti commiſſi, aut illius ſemiplena probatio, v. g. per unum teſtem omni exceptione majorem, Clar. *§. fin. q. 28. n. 2.* Paſſer. *trib. regul. q.* 20. Ameno *l. c. tit. 19. v. reus. n. 6.* Reiffenſt. *n.* 127. Arg. *c. ſi Clericus. de ſent. excom.* Porrò in foro ſæculari de jure civili communi procedere poteſt Judex ex denunciatione judiciali publica ſuorum officialium, autoritate publica ad denunciandum deputatorum, Pirh. *L. 7. c. de accuſ.* Vel etiam ſecundum communiter receptam conſuetudinem, ex denunciatione cujuslibet privati; cùm publicè interſit, notitiam delictorum quocumque modo pervenire ad Magiſtratum, ne impunita maneant, Clar. *l. c. q. 7. n. 2.* Pirh. *h. t. n.* 94. Dum verò denunciationi privatæ judiciali, quæ alias competit parti læſæ ſeu offenſæ ad proprium intereſſe, ſeu ſatisfactionem pro injuria, ſeu damno ei illato, propriè locus non eſt; quia v. g. qui proſequitur, quod ſua intereſt, eſt ſervus, filius, vel alterius poteſtati ſubjectus, ideóque agere, accuſare, vel denunciare propriè nequit dominum, patrem, alterúmve, cui ſubjectus eſt; benè tamen queri, ſeu minùs propriè denunciare poteſt apud Judicem, quòd injuſtè ab iis opprimatur: ad hanc querelam, ſpectato jure civili procedere poteſt Judex, cogendo eos ad ſatisfaciendum injuriato, vel damnum paſſo, Abb. *in c. novit. de judic. num.* 48. Azor. *p. 3. L. 13. c. 21. du. 2.* Pirh. *l. c. juxta L. 1. §. quod autem. ff. de offic. præf. urb.*

2. Reſp. Secundò: Pendente judicio denunciationis & inquiſitionis inter Prælatum & Subditum ſuper criminibus Prælati denunciati, hic procedere nequit contra denunciantes & inquirentem, quia per hoc ſuſpenſa eſt ejus jurisdictio, non ſecus, ac ſi ab eo appellatum, (intellige, quoad hoc negotium) in aliis enim cauſis poteſt in illos ſubditos ſuam exercere jurisdictionem, & hi illi tenentur

obedire.

obedire. Interim Prælatus denunciatus abstinere debet ab omni processu, per quem hoc negotium inquisitionis impediri posset, & totum judicium judici superiori relinquere, qui etiam omne, quod pendente hoc negotio attentatum fuit, revocare potest ac debet. Glos. *in c. olim. h. t. verbò. post inceptum negotium.* Hostiensis *ibid. v. eodem.* Abb. *n. 1. not. 1.* Pirh. *h. t. n.* 97. servato tamen dein ordine judiciario in inquisitione contra Prælatum regularem: etsi non tam exactè, sicut in inquisitione contra Prælatum sæcularem. Atque ita copia attestationum Prælato denunciato, imo & nomina testium exhibenda, secus, ac id necesse est fieri in inquisitione contra simplices monachos, Gl. *l. c. v. de plano.* Abb. *l. c. n. 2. not.* 14. Pirh. *l. c.*

3. Resp. tertiò, dum crimen notorium est per evidentiam facti, sicuti non requiritur accusator, per quem crimen manifestetur, & in judicio per probationem publicetur, juxta *c. 9. h. t.* ita non requiritur reliquus processus & ordo judicialis, nempe probatio, examinatio testium &c. (nisi fortasse ad cautelam, vel quando et si delictum notorium sit in locis remotis, notorium tamen non sit judici, coram quo agitur) sed potest judex tunc statim procedere ad eum condemnandum. Clar. §. *fin. q. 9. n. 5. & 6.* Pirh. *h. t. n.* 104. Quamvis tamen in delictis notoriis requiratur sententia declaratoria judicis, juxta *l. 16. c. de pœnis.* quin etiam citatio ad audiendam sententiam. Clar. *n.* 4. Pirh. *l. c.* cum Gl. *fin. in c. super his.* Porrò ut ob notorietatem & evidentiam facti, necessarius non sit ulterior ordo & processus juris, & procedatur ad condemnationem rei, requiritur, ut non solùm factum sit notorium & evidens; sed etiam, ut qualitates facti sint notoriæ; ita ut nulla defensio vel excusatio reo competere possit; cùm aliàs contingere posset, ut occisor, v. g. habuerit justam causam occidendi, v. g. ad se defendendum, Clar. *l. c. n. 3.* Azor. *p. 3. l. 13. c. 22. §. alius modus.* Pirh. *l. c.*

4. Resp. quartò. Par tamen non est modus procedendi statim ad condemnationem cum deprehenso in flagranti, hoc enim cum non faciat plenam probationem, non sufficit ad condemnandum illum, saltem in delictis gravibus & pœnis; sed examinandus priùs & interrogandus, in quo examine si fateatur delictum, statim procedendum ad executionem pœnæ; si verò neget, sine alio processu torqueri potest, si sit persona vilis; ita citatis Claro. §. *fin. q. 8. n. 2.* & Azor. *l. c. inprinc.* Pirh. *n.* 105. Quamvis secundum eosdem requiritur, ut præcedat sententia à judice subscripta.

Quæst. 39. *Quinam sint effectus denunciationis judicialis?*

1. Resp. primò. Respectu judicis effectus illius primarius est, quod aperiat judici viam ad inquirendum specialiter ex officio, & instituendum processum juxta dicta *q. præc. resp.* 1.

2. Resp. secundò. Effectus illius respectu denunciati est, ut licet is per denunciationem, uti & per accusationem non illicò evadat reus, nisi priùs convictus vel confessus, *can. fin. caus.* 15. *q.* 8. *in fin.* aut etiam infamis, *l. furti* §. 1. *ff. de his, qui not. infam.* aggravet tamen æstimationem & famam denunciati; ita ut is pendente denunciatione, uti & accusatione, donec terminetur causa, ad nullas dignitates & honores Ecclesiasticos aut sæculares promoveri possit *c.* 4. *h. t.* & *ibi* Glos. *v. nunciatur.* addens rationem; quia opinio & fama promovendi non debet vacillare, Barbos. *ibid. n.* 1. & 2. Abb. Felin. Jo-Andr. Butr. Fagn. item *l.* 7. *ff. de muner. & honor.* Ubi tamen additur, quòd elapso anno, postquam reus delatus non prohibeatur petere honores, nisi per ipsum steterit, quo minus causa intra annum expediretur. *l. reos. c. de reis post.* Pirh. *h. t. n.* 41. Unde denunciatio, pendente denunciatione, facta collatio dignitatis est nulla, nec convalescit, etsi postmodum reus per sententiam absolvatur, & declaretur innocens, sed opùs sit nova promotione. Fagn. *in cit. c.* 4. *h. t. n.* 23. Pirh. *h. t. n.* 42. Reiffenst. *n.* 131. arg. *l. qui status. ff. de re milit.* cum in his spectetur principium, an nimirum tempore promotionis fuerit habilis. *arg. c.* 24. *de elect.* Card. *in cit. c.* 4. *n.* 1. Fagn. *n.* 24. Anchor. *n.* 7. Sed neque promoveri ad ordines potest denunciatus aut inquisitus, pendente denunciatione aut processu, *c. tantis. dist.* 81. *c. fin. de testibus* & *ibi* Glos. *v. pendente accus.* Fagn. *l. c. n.* 7. Neque accusare alium, *l. is qui. ff. de publ. judic.* Pirh. *l. c.* Neque esse testis in criminalibus, nisi crimen sit exceptum, *c. fin. de testibus.* Neque procurator alterius, *l. reum ff. de procur.* Glos. *in cit. c. fin.* Anchor. *in cit. c.* 4. *h. t. not.* 1. Reiffenst. *l. c.* Pirh. *h. t. n.* 42.

3. Resp. tertiò. Potest tamen denunciatus, uti & accusatus & inquisitus durante processu promoveri ad honores, officia, beneficia in sequentibus casibus. Primò dum delictum non est grave, sed leve, arg. *cit. c.* 4. *h. t.* Fagn. *ibidem n.* 7. Pirh. *l. c. limit.* 2. Reiffenst. *n.* 113. Quænam autem numerentur inter gravia, & quænam inter levia, id est, non excedentia peccatum veniale, vide *c. 3. dist.* 25. Secundò dum ex conjecturis apparet, aliquem accusari, denunciari, inquiri per calumniam, eóque animo, ut ejus promotio impediatur, *l.* 29. §. *si vero. ff. de liberali causa.* Glos. *in c. tantis. dist.* 81. *v. obrepsit.* Felin. *in cit. c.* 4. *h. t. n.* 3. Fagn. *ibid. n.* 23. Jo-And. *n.* 3. Pirh. *l. c. extens.* 2. Reiffenst. *n.* 12. *q.* 134. tertiò, si dum denunciatio non est legitima ob defectum alicujus ad eam essentialiter requisiti, aut legitimi denunciatoris *c.* 13. *h. t.* Felin. *l. c. n.* 2. *limit.* 2. Fagn. *l. c. n.* 14. Pirh. *h. t. n.* 43. Reiffenst. *n.* 135. cùm & ipsa sententia condemnatoria, etiam super crimine famoso, si sit nulla ob defectum jurisdictionis, vel vitiosum processum, non infamet, juxta *c.* 7. §. *quia ergo. caus.* 2. *q.* 2. Fagn. Pirh. *ll. cit.* Quartò, dum accusatio vel denunciatio non intentatur criminaliter, sed solùm civiliter ad interesse proprium, quia ea non infamat, *c.* 5. *de procur. c. super his. h. t. in fin.* Fagn. *l. c. n.* 15. Pirh. *l. c. limit.* 4. Reiffenst. *n.* 136. Quintò, dum accusatur vel denunciatur integrum collegium, pendente lite, nulla persona ex tali collegio impeditur promoveri ad honores, nisi quæ specialiter seu nominatim accusata vel denunciata. Archid. *in c. tantis dist.* 81. Felin. *l. c. limit.* 3. Pirh. *l. c. limit.* 3. in eo verò, an denunciatus, & accusatus per hoc quoque inhabiles sint ut promoveantur ad dignitates via electionis, non ita convenit inter AA. affirmant plures absolutè apud Fagn. alii negant, ut Reiffenst. *h. t. n.* 40. citans pro se Fagn. (ad quem etiam remittit Pirh. suspensa propria resolutione) non nisi tamen sub hac limitatione; si nulla præcessit juris aut facti infamia, addita ratione: si sola denunciatio redderet ineligibilem, præberetur locus multis fraudibus & figmentis, quibus vacante beneficio electivo denunciando impedirent eligendum. De cætero denunciatio, uti & accusatio, non impediunt honoris, dignitatis, officii jam possessi administrationem aut exercitium, Abb. *in c.* 4. *h. t. n.* 3. Felin. *n.* 1. Pirh. *h. t. n.* 42. *in fin.* Reiffenst. *n.* 138. arg. *l.* 1. §. *quamvis autem. ff. de postul.*

de postul. L. quod si forte ff. de solut. L. reo criminis. ff. eod. ex ea generali ratione; ut iidem, quia accusatio, denunciatio, inquisitio pendentes, etsi inhabilem reddant ad jura de novo acquirenda, non tamen privant jure jam quæsito, nec ejus executio. Unde Prælatus accusatus, vel denunciatus à subditis, vel aliis non impeditur ab exercenda jurisdictione in suos, nisi quoad negotium, super quo denunciatus juxta dicta supra, neque ab administratione bonorum, nisi suspectus & denunciatus de eorum dilapidatione; juxta *c. fin. h. t.*

4. Resp. Quartò. Sunt & alii effectus denunciationis, accusationis, & inquisitionis judicialiter respectu rei, nimirum primò, quod denunciatus & inquisitus interrogati legitimè teneantur fateri veritatem, Reiffenst. *n.* 142. dicens in suo ordine id certum, & ibi etiam imponi reo juramentum de fatenda veritate & alii cum communi, debétque hæc præsentis rei responsio fieri ad libellum accusatorium regulariter viva voce rotundè & clarè affirmando vel negando, omissis verbis dubiis, incertis & non specificis, quibus reus dicit se credere, putare, ignorare, aliisque non sufficientibus, nisi fortè factum sit antiquum vel in ebrietate commissum, Brunnem. *de proceſſ. c.* 14. *n.* 13. & 14. Ummius *de proceſſ. c.* 12. *th.* 4. aliique apud Lauterb. *in ff. h. t.* §. 18. Ubi etiam quod nutu facta confessio ad pœnam mortis non sufficiat, Posse tamen reum exceptiones declinatorias tam adversus accusationem quam inquisitionem, ut desistatur, proponere & declarare cum Mevio. *p. 6. decis.* 291. asserit Lauterb.

CAPUT III.
De Inquisitione.

Quæst. 40. *Inquisitio quid sit & quotuplex?*

1. REsp. ad primum: Inquisitio criminalis, de qua hic, (dum aliàs hoc nomine generalissime accepto in jure denotatur quandoque cujuslibet rei indagatio) ut sic definiri solet passim ex Gonz. *ad c.* 21. *h. t. n.* 8. quòd sit criminis vel criminosi per judicem legitimè facta investigatio, dicitur primò: *criminis vel criminosi*, ut vel sic comprehendantur omnes ejus species, dum aliqua illarum versatur circa delicta quasi in abstracto, alia circa personas ea committentes. Dicitur secundò: *facta per judicem*, intellige competentem. Dicitur tertiò: legitimè facta, hoc est, juxta præscriptum canonum & legum, uti singula hæc declarabuntur in sequentibus.

2. Resp. ad secundum: Inquisitio principaliter dividitur bifariam, vel, ut plures, trifariam, nimirum in generalem & specialem, quibus aliqui addunt mixtam. Generalis propriè talis, seu ut alii, Generalissima est; cum judex vel superior generalia, nulla expressa persona aut delicto, ex mero officio, seu nullo accusatore aut denunciatore urgente, eorum vices supplente fama, indiciis, vel ipsius officii debito, vi cujus potest indagare, & quandoque suis temporibus tenetur tam juxta jus canonicum *c.* 1. *de off. ordinarii. c. Romana. censibus in* 6. *juncto.* Trid. *ceſſ.* 25. *de regul. c.* 8. quàm civile *l.* 13. *ff. de off. præſid.* bono communi sic exigente, indagat, an in provincia, diœcesi, civitate, monasterio delicta aliqua facta, an leges & statuta serventur, arg. *c.* 1. *de off. ordin. c.* 29. *de præb. & dignit. c.* 25. *h. t.* Uti faciunt Episcopi visitando diœcesin, superiores regulares monasteria, Præsides sæculares provinciam, instituta quandoque hac inquisitione generali judicialiter, cùm tamen ea ordinariè, præsertim apud regulares & Episcopos non nisi paternè ad emendationem & præcautionem, & non ad vindictam publicam delictorum per eam deprehensorum instituatur: potest nihilominus etiam in ordine ad judicialem pro exemplo aliorum institui, prout cum communi sentire videntur Clarus. §. *fin. q.* 6. *n.* 1. Farin. *inp.* 2. *judic. part.* 6. *t. de inquisit. n.* 29. Lib. *in c.* 1. *de off. ordin.* Pirh. *l. c. n.* 50. quos citat & sequitur Reiffenst. *h. t. n.* 153. arg. *cit. c.* 1. *& l.* 13. *ff. de off. præſid.* Unde & inquisitionem hanc generalem subdividi in paternam (canonice tamen ac legitimè institutam) & judicialem asserit Reiffenst. *n.* 153. *&* 154. Inquisitio specialis propriè talis est, dum judex vel ex mero officio suo vel ad alicujus privati querelam, aut ad officialis seu ministri publici ad hoc constituti denunciationem indagat de delicto aliquo in specie interrogando, v. g. num Titius commiserit hoc homicidium, de quo commisso constat. Fagn. *in c. qualiter c.* 2. *h. t. n.* 62. Marant. *l. c. n.* 12. cum communi & de hac potissimum agitur hoc loco. Mixta prout à generali propriè dicta distinguitur, est, dum judex aut superior nulla determinata seu expressa persona de certo aliquo crimine inquirit, respectu plurium personarum, quænam earum id commiserit; vel è contra nullo expresso crimine, de certa persona inquirit, an aliqua crimina commiserit, an leges observet, an violet, qualiter in officio suo se habeat?

Quæst. 41. *Quinam & contra quos inquirere possint vel non possint?*

1. REsp. ad primum: Quilibet judex, sive sit sæcularis sive Ecclesiasticus, inquirere potest inquisitione tam generali quam speciali & mixta, modò sit competens, alioquin inquisitio erit nulla. Sylv. *v. inquisitio q.* 1. *dicto* 2. Marant. *l. c. n.* 102. Pirh. *h. t. n.* 49. *juxta c. irrefragabili* 13. *de offic. ordin.* & toto tit. *c. si non à compet. jud.* sic nulla est inquisitio tam civiliter, quàm criminaliter facta à judice sæculari contrà personam Ecclesiasticam. Farin. *pr. crim. p.* 1. *l.* 1. *tit.* 1. *q.* 1. *n.* 55. cum communi juxta *c.* 8. *&* 10. *de judic. c.* 2. *de foro compet.* Sic criminaliter inquirere nequeunt non habentes merum imperium seu jus Gladii & potestatem cognoscendi causas criminales, nisi fortè incidenter, dum causa criminalis connexa alteri causæ principali, quæ sine ea definiri nequit. Farin. *in l. c. n.* 56. *&* 57. Pirh. *ll. cit.*

2. Resp. ad secundum: Primò ante omnia, ut inquisitione speciali contra aliquem inquiri possit, debet is esse subjectus jurisdictioni inquirentis, quoad articulum, super quo inquiritur, cùm alias non sit judex competens inquisiti. *Sylv. l. c. q.* 3. *n.* 5. *dicto* 1. Pirh. *l. c.* quamvis is etiam judicem competentem recusare possit, dum is ei suspectus est. Sylv. *l. c. n.* 6. Secundò de jure debet esse præsens, aut saltem citatus per contumaciam absens, quamvis id curiarum praxi non observetur, cum etiam contra absentem non citatum inquiri possit, ut Farin. *l. c. q.* 1. *n.* 69. Clar. *l. c. q.* 11. *n.* 2. quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. n.* 95. Tertiò ut non sit absolutus

lutus legitimè, à crimine de quo inquiritur, de crimine enim à quo absolutus per sententiam definitivam, vel etiam condemnatus vel punitus denuò inquiri nequit. Abb. *in c. de his. h. t.* Alexand. *vol. 1. cons. 1. col. pennlt.* Marant. *p. 6. tit. de inquisit. n. 49.* limitans id ipsum pluribus *num. seq.* juxta ea, quæ dicta sunt supra de accusatione & denunciatione *n. seq. 17.* plura huc spectantia ad personam, qualis ea esse debeat, ut de ea inquiri possit, dabunt *quæst. seq.*

Quæst. 42. De quibus delictis inquiri possit ex officio nemine accusante aut denunciante?

1. Resp. in genere judicem competentem procedere posse ex officio ad inquirendum de quibuscumque delictis præcedente accusatione vel denunciatione tam de jure civili, quàm canonico. Et è contra sine iis præviis id regulariter eum non posse, tanquam regulam supponunt passim AA. Marant. *l. c. n.* 105. Farin. *l. c. n.* 8. atque etiam Judex de omni crimine, in quo intervenit accusator, & pendente accusatione in judicium deducta moritur, inquisitionem prosequi debet, ne delicta impunita permaneant, Marant. *l. c. n.* 180. cum Bart. *in L. 3. §. 1. col. fin. ff. de lib. agnos.* & *in L. inter accusatum. ff. de judic. publ.* & id locum habet, accusatore absente, vel accusatore desistente, colludente & transigente, Marant. *l. c.* Nihilominus hodiedum ex recepta generali locorum consuetudine, etiam de jure & foro civili permissum est Judici in omnibus delictis procedere ex officio, sine accusatione & denunciatione; ac ita inquisitio, quæ aliàs non erat, nisi remedium extraordinarium, quâ Judex sic procedere poterat, non nisi in delictis exceptis, facta est remedium ordinarium, non secus ac accusatio & denunciatio, Pirh. *h. t. num.* 49. teste Clar. *l. c. q. 1. n. 3. lim. 3.*

2. Resp. Secundò in specie: Potest inquiri de crimine ad pœnam ordinariam, de quo quis absolutus per viam denunciationis evangelicæ, quia per dictam denunciationem actum tantùm fuit, ut denuntiatus emendaretur, non ut puniretur, Marant. *l. c. n.* 86. Item de delictis, è quibus absolutus in foro conscientiæ: quia etsi salutarem pœnitentiam pro iis receperit, perque eam satisfactio præstita Deo & Ecclesiæ; non tamen reipublicæ per delictum offensæ, adeóque in ordine ad pœnam legitimam inquiri potest, Marant. *l. c. n.* 87. citatis Felin. & Abb. *in c. de his. h. t.* Secundò, id potest etiam ad commodum privatorum circa crimen usuræ manifestum, dum usurarius extorsit usuras ab aliquo debitore, quas fortè ob ejus potentiam debitor repetere non audet, ita tunc nemine petente potest inquirere contra eum, & compellere ad restitutionem usurarum, *c. cum in diœcesi de usur.* Abb. *in c. suas. eod. tit. not. 2.* ubi etiam, quòd possit ex officio impedire, ne usuras necdum solutas exigat, Marant. *p. 6. t. de inquis. n.* 106. An verò possit Judex etiam ecclesiasticus inquirere criminaliter contra usurarium, eúmque puniri pœna criminali, non convenit inter AA. adstruit Marant. *n.* 111. & utriusque sententiæ rationes deducendo, ac tandem adhærendo affirmativè eandem fusè stabilit; quem vide. Tertiò, in omni delicto, quod committitur per conspirationem, dum nempe plures conspirant seu conjurant simul in aliquod malum, *L. 1. c. de monopoliis,* & *ibi.* Bald. Marant. *l. c. n.* 128. qui etiam *n.* 129. varias pœnas taliter conspirantium enumerat. Quartò, in omni causa miserabilium personarum (quales censentur pupilli & viduæ, dum pauperes sunt, secus si tales non sint, Marant. *n.* 233.) potest ex officio Judex inquirere ad privatum etiam earum commodum, in injuriam illis illatam, Abb. *in c. ad nostram. il. 2. de jurejur. col. 2. in fin.* Alex. *in l. 1. ff. de jur. omn. judic. col. 1.* aliique citati à Marant. *n.* 232. quin & dando illis ex officio advocatum, *L. nec quidquam. ff. de off. procur.* Quintò, in casibus & delictis, quæ notoriè liquent Judici ex actis, etiam ea nemine petente supplendo, *c. significaverunt de testib.* Felin. *in c. ex tenore de rescriptis col. fin.* Marant. *num.* 234. quin & inquirere sic potest de omni crimine undecumque notorio, *L. ea quidem c. de accusat.* & *ibi.* Bald. Salic. Marant. *n.* 162. Sextò, potest Episcopus, seu Judex ecclesiasticus habens suspicionem de parentela conjugum, nemine petente inquirere de quolibet impedimento matrimonii, *c. porro. in fin. de divort.* Abb. *ibid.* Gl. *in c. 1. de offic. ordin. v. Canones.* Marant. *n.* 136. Septimò, in omni crimine & injuria commissa contra Ecclesiam & ecclesiasticas personas, aut etiam commisso in Ecclesia, *L. quis in hoc. c. de Episc. & Cleric.* & *ibi.* Bald. Marant. *n.* 141. Octavò, in omni crimine Sacrilegii, & in specie in blasphemia Dei, Marant. *num.* 143. & 144. Nonò, contra tutorem suspectum, etiam ad removendum illum ab officio, *L. 3. §. præterea. ff. de suspect. tut.* & *ibi.* Bart. Marant. *n.* 147. idque favore pupilli, dum aliàs ad privati utilitatem ita inquiri nequit, Marant. *l. c.* Decimò, de omni delicto commisso contra se, vel in judicio incidenter, dum ipse cognoscit de causa principali, Bald. *in L. jubemus. c. de prob. col. 2. in fin.* Marant. *n.* 151. quin &, ut idem *n.* 157. Ubicumque Judex incidenter cognovit de crimine, potest de eo inquirere nemine accusante. Undecimò, ita inquirere potest de delicto commisso per suum officialem in officio, non tamen de commisso extra illud, nisi sit notorium, Bart. *in L. si quis forte. §. 1. ff. de pœnis.* Marant. *n.* 161. Duodecimò, de omni crimine, de quo præcessit inquisitio generalis ad inveniendos malefactores; cùm ea inquisitio sit præparatio ad specialem inquisitionem contra eosdem repertos, Bart. *in L. jubemus. c. de probat. col. 2.* Bald. *in L. ea quidem. c. de accusat. col. 7.* Abb. *in c. bona. il. 1. de elect. not. 6.* Marant. *n.* 164. & 174. Decimò tertiò, de crimine lenocinii inquirere potest sine accusatore, Marant. *n.* 162. idem cum Angel. dicens *n.* 170. de adulterio, aliis id ipsum limitantibus: si sit notorium. Decimò quartò, de crimine læsæ majestatis per extrav. ad reprimendum, Marant. *n.* 175. quamplurimos alios casus. in quibus Judex inquirere potest, nemine accusante vel denunciante, vide collectos à Marant. *àn.* 106.

Quæst. 43. Fama & infamatio, quæ & quotuplex, qualem probationem faciat, & quali ipsa probatione indigeat?

1. Resp. Primò: Fama sumitur tam in bonam, quàm malam partem, in priore acceptione, est nomen bonum, seu status illæsæ dignitatis, moribus ac vita comprobatus, *L. 5. §. 1. ff. de var. & extraord. cogn.* Pirh. *h. t. num. 57. not. 4.* cum Mascard. *de prob. vol. 2. concl. 747. n. 3.* In secunda acceptione est idem, quod infamia, dicitur que status læsæ dignitatis, vita & Moribus reprobatus, ut Fagn. *in c. 7. de cohab. cler. & mulier.* Pirh. *l. c.* dicitur fama clamosa, quæ latè divulgata, Abb. *in c. qualiter & quando. num. 5.* differt à rumore, quod

quòd is ab incerto, fama à certo autore prodit, quòdque fama per totam vel majorem viciniæ partem sparsa, rumor non nisi per minorem, AA. *in cit. c. 7.*

2. Resp. Secundò. Fama, etsi sufficiat ad inquirendum contra infamatum, Clar. §. *fin. q.* 21. *n.* 1. Pirh. *h. t. n.* 58. *not.* §. se sola tamen, nec in civilibus, nec in criminalibus plenam probationem facit; ut idem cum Glos. *in cit. c. qualiter. v. famam.* imo nec semiplenam in criminalibus, utpote in quibus requiritur probatio luce meridiana clarior, ut Farin. *in prax. crim. p.* 1. *L.* 1. *tit.* 5. *q.* 47. *n.* 39. faciet tamen probationem plenam, si orta fama ex verisimilibus causis & conjecturis, adsintque insuper aliæ conjecturæ & præsumptiones graves, urgentes, ex se sufficientes ad semiplenam probationem constituendam, Farin. *l. c. n.* 88. Masc. *concl.* 1223. *n.* 22. *& seq.* quos citat & sequitur Pirh. *l. c.*

3. Resp. Tertiò: Dum ad inquirendum prærequiritur probatio seu infamia, non hoc ipso requiritur probatio infamiæ, seu ut Judex processum inquisitionis incipiat à probatione infamiæ; sunt enim hæc duo: *prærequiri infamiam*, & *prærequiri probationem infamiæ*, valde inter se distincta; sed sufficit ei, de illa constare quacunque ratione; ita Glos. *incit. c. qualiter h. t. v. acquirendum.* Abb. *ibidem. n.* 17. Fagn. *n.* 64. Pirh. *h. t. n.* 75. idque, etiamsi inquirendus negaret se infamatum, Pirh. *l. c.* Sed neque tenetur Judex, dum procedit ex officio, facere fidem de infamia, cui enim eam faceret, cùm ipse sit Judex? Pirh. *l. c.* tenetur tamen plenam fidem de ea facere Judex à quo coram Judice ad quem, si inquisitus appellaret, Abb. Fagn. *ll. cit.* Jo. Andr. *in idem c. qualiter h. t. num.* 36. his præmissis tanquam prænotatis sit

Quæst. 44. *An & quando infamia prærequiratur ad inquirendum generaliter?*

Resp. Inquisitio generalis, seu generalissima, quæ fit ad investigandum non unum, sed plura in genere delicta, ut institui possit etiam judicialiter, nullius in particulari personæ infamia prærequiritur, Abb. *in c.* 1. *de offic. ord.* Farin. *l. c. p.* 1. *l.* 1. *de inquis. tit.* 1. *q.* 9. *n.* 18. Marant. *l. c. n.* 29. Clar. §. *fin. q.* 6. *n.* 1. Less. *de just. L.* 2. *c.* 29. *n.* 108. de Lug. *de just. d.* 37. *s.* 5. *n.* 56. Pirh. *h. t. n.* 50. Westn. *n.* 74. *&* 75. cum comm. DD. tam Juriſt. quàm Canoniſt. juxta praxin quotidianam tribunalium, tam sæcularium, quàm ecclesiasticorum etiam regularium, ex ea ratione, quòd hæc inquisitio necessaria sit ad purgandam rempublicam à criminibus, & refrænandos mores perditos: & ex altera parte nulli per eam fiat injuria, cùm de nullo in particulari inquiratur. His non obstante, quòd quorundam scelera occulta detegantur; cùm id sit per accidens, & præter intentionem inquirentis in ea solùm, quæ jam publica sunt, eique incommodo prævalere debeat bonum commune, dum hac ratione manifestantur multa crimina manſura aliàs incognita & impunita, Pirh. *l. c.* Unde jam etiam subditi interrogari in hac inquisitione, etiam sub juramento non tenentur respondere manifestando delicta occulta illorum, qui ratione illorum nulla laborant infamia, Arg. *cit. c. qualiter.* Pirh. *n.* 51. Lug. *l. c.* remittens ad Less. *l. c. num.* 109. & Suar. *Tom.* 4. *de relig. t.* 10. *L.* 10. *c.* 1. *num.* 7. Quin & nec licitè interrogari possunt de talibus delictis occultis, si probari nequeunt in judicio, & consequenter nec puniri; cùm tunc manifestatio illorum serviret tantùm ad injustam infamationem, & sic peccaretur contra justitiam, Pirh. *l. c.* citatis Lessio, *ubi ante n.* 111. & Laym. *L.* 3. *t.* 6. *c.* 2. *n.* 3. cujus proinde rationem reddit de Lugo *l. c.* Quòd Prælatus nequeat, præcipere aliquid, contra jus naturæ obligans ad non diffamandum proximum, quamvis addat, hanc rationem non videri omnino efficacem, ex eo, quòd qui sciens occultum delictum, potest illud probare in judicio, possit, si velit, desuper accusare, adeòque Judex obligando illum admanifestandum illud, nihil iniquum ageret, adeòque nec præcipiendo illud manifestare, si desuper interrogetur. Verùm neque manifestari posse delicta occulta, etsi probari possent in judicio, constat ex eo; quia interrogatio & manifestatio tenderet ad punitionem; cùm tunc requiratur infamatio: ita Less. Pirh. *ll. cit.* nisi fortè manifestatio facta Prælato esset ad emendationem delinquentis, (in quo casu manifestandum Prælato, non tanquam Judici, sed tanquam patri) vel nisi necessarium ad avertendum grave malum reip. vel privati innocentis, Less. *n.* 122. Pirh. *l. c.* cujus tamen postremi contrarium asserere videtur Reiffenst. dum *n.* 158. ait, inquisitionem generalem judicialiter, id est, ad punitionem & vindictam institui posse nulla præcedente infamia, arg. *c.* 1. *de offic. ordin.* quam limitationem etiam adjicit de Lugo *l. cit. n.* 57. *&* 58. Neque hucusque dictis de inquisitione generali adversantur textus quidam juris expressè requirentes præviam infamiam, cum hi non de generali, sed speciali inquisitione intelligendi. Reiffenst. *h. t. n.* 160. cum Passerin. *in tribun. regul. q.* 8. *n.* 13. *&* 14. & Ameno. De cætero, ut iidem, etsi non requiratur infamia vera, requiratur tamen aliqua suspicio, præsumptio vel indicia, aut aliqua relatio alicubi commissi delicti, & esse homines morum depravatorum, dum inquisitio generalis instituitur judicialiter, eò quòd, cum taliter instituta tendat ad punitionem & vindictam publicam, ad quam nemo condemnari potest sine accusatore, & nemo esse possit simul accusator, aut denunciator & Judex, adesse debeat aliquid, quod loco famæ deficientis vices accusatoris & denunciatoris subeat, quale quid sunt dicta indicia, præsumptiones, suspiciones; ita Reiffenst. *h. t. n.* 162. unde dum Pirh. aliique ajunt, ad inquisitionem generalem procedi posse sine ulla prævia occasione, intelligendi sunt de inquisitione generali institutâ paternè ex mero inquirentis officio, ut fit ordinariè dum Episcopi diœcesin, & regulares visitatores monasteria visitant.

Quæst. 45. *Ad inquisitionem mixtam, an & qualiter prærequiratur infamatio?*

1. Resp. Primò: Inquisitio mixta seu generalis secundùm quid (nimirum respectu personæ) dum ubi de delicto commisso constat, inquiritur solùm generatim in personam, quæ illud commiserit, non tantùm potest, sed & debet institui nulla præcedente infamatione, aut etiam suspicione de aliqua in particulari persona, Farin. *l. c. q.* 9. *n.* 18. Clarus §. *fin. q.* 5. *n.* 5. Less. *cit. c.* 29. *n.* 114. Laym. *L.* 3. *tr.* 6. *c.* 2. *n.* 3. Suar. *l. c. c.* 11. *n.* 4. de Lug. *l. c. n.* 58. Pirh. *h. t. n.* 54. cum communi & juxta praxin ordinariam utriusque fori, Arg. *L.* 1. §. *qui quæstionem. ff. de quæst.* contra Cajet. & Sot. apud. Less. negantes licere talem inquisitionem. Quod autem possit institui talis inquisitio, ex eo liquet, quòd per eam nullius fama lædatur, quam-

did

diu inquiritur, quis hoc fecerit, aut quinam desuper infamati laborent suspicione; etsi per eam deinperiatur via ad specialem inquisitionem, dum interrogati denunciant aliquem, aut talia produnt indicia, aut rationabiles suspiciones, ut inde deveniri possit in notitiam rei talis criminis, Clar. Pirh. *ll.cit.* Reiffenst. *h. t. n.* 116. quòd verò debeat institui, ex eo conficitur; quòd nisi fiat etiam nulla præcedente fama, id redundaret in gravissimum populi scandalum, cum videret, Judicem non inquirere in authorem notorii criminis & criminosi; præterea præberetur occasio audaciùs delinquendi spe impunitatis. Notandum hic denuò, quod subditi interrogati non teneantur in hoc casu manifestare authorem occultum criminis, nisi de eo infamia publica aut sufficientia forent indicia; cùm Judex aliter jus non habeat interrogandi de delictis, multóque minùs reus seipsum prodere, Pirh. *l. c.* cum Less. *l. c. n.* 128. sub eadem tamen limitatione, nimirum nisi crimen adhuc esset continuandum, aut immineret inde grave damnum alteri, quod aliter declinari non posset. De cætero de delicto in specie, inquirere potest Judex, etiamsi de eo non constet certò, nec adsit fama de eo commisso, modò sint indicia alia, præsumptiones aut suspiciones, Reiff. *n.* 167. addens *n.* 168. in hoc casu inquisitionem institui non posse, ne quidem in genere de delinquentibus, nisi de corpore delicti constet certò.

2. Resp. Secundò: Inquisitio mixta seu generalis respectu omnium criminum contra personam in specie, an nimirum rea sit aliquorum criminum, institui potest paternè, etiam non præcedente ejus infamia, ut constat ex universali superiorum, tam sæcularium, quàm ecclesiasticorum, etiam regularium consuetudine & praxi; dum Episcopi, eorumve Visitatores, de Parochis, aliisque Clericis in specie, Visitatores regulares v. g. provinciales de Rectoribus, Guardianis, Prioribus, aliisque Subditis in specie paternè indagare solent, qualiter se gerant in officiis suis, num leges & statuta, & disciplinam servent, vitiis aliquibus & excessibus dediti sint, Reiff. *n.* 168. cum Ameno *pr. crim. tit.* 11. *v. inquisitio.* §. 2. *n.* 2. *&* 12. Non tamen sic institui potest judicialiter, ut iidem, cùm de delictis, quæ in specie non expressa Superiori ut Judici proponuntur, nemo possit accusari, denunciari, aut infamari in ordine ad hoc, ut is judicialiter inquirere & procedere valeat.

Quæst. 46. *An & quando prærequiratur infamia inquirendi ad inquisitionem specialem?*

1. RESp. Primò, ad inquisitionem specialem simpliciter, id est, contra certam personam de certo delicto instituendam judicialiter ex officio nemine accusante & denunciante, regulariter necesse est præcedere infamationem ejusdem personæ de eodem crimine, Clar. §. *fin. q.* 6. *n.* 1. Fagn. *in c. qualiter.* 1. *&* 2. *h. t. n.* 46. Farin. *l. c. q.* 9. *n.* 1. Less. *l. c. n.* 121. de Lug. *l. c. n.* 56. Wiestn. *h. t. n.* 76. Reiffenst. *n.* 173. juxta *c. inquisitionis.* §. 3. *c. oporteat. c. qualiter h. t. c. de simon. si is, qui. in 6.* ex ea ratione, quòd ad punitionem publicam criminum procedi nequeat sine scientia publica, qualis non habetur, nisi per evidentiam facti, ejúsve legitimam probationem, vel rei confessionem aut accusationem, vel denunciationem, vel alia indubitata indicia, vel infamationem. Hæc in specie requiritur, dum alia deficiunt, uti deficiunt, dum Judex purè ex officio, nemine accusante vel denunciante, aut aliter petente, nullis etiam indiciis aut præsumptionibus apparentibus inquirit, ne aliàs in hoc casu ob deficientes infamationes prævias, vel per ipsam inquisitionem sine iis factam suspicaretur esse talis, vel etiam de aliquo, num sit fur, homicida, adulter; gravissimè læderetur fama inquisiti, dum à populo haberetur pro tali, vel ex hoc ipso, quòd desuper inquisitus sit. Unde jam etiam in hoc casu Prælatus regularis hac inquisitione in ordine ad pœnam gravem, vel incarcerationem, ejectionem procedere nequit contra religiosum sibi subditum non infamatum, propter generalem compositionem juris, ad istiusmodi inquisitionem exigentis diffamationem, & non excipientis regulares; Sylv. *v. inquisitio. q.* 3. *d.* 2. Sanch. *consil. L.* 6. *c.* 3. *du.* 25. Wiestn. *h. t. n.* 86. His non obstante, quòd in contrarium objiciunt quidam ex *c.* 7. *de statu Monach.* cùm ibi sermo sit de inquisitione generali, ut Barbos. *ibid. n.* 17. Sanch. *l. c. n.* 4. De cætero, quòd inquisitio hæc simpliciter specialis nulla præcedente infamia institui possit, quin & quandoque debeat ex officio paternè, seu ad emendationem tantùm, præter AA. jam *cit.* tenent Abb. *in c. qualiter. n.* 17. Sanch. *l. c. n.* 4. & Fagn. *ibid. num.* 45. Sylv. *v. inquis. q.* 4. *d.* 3. Pirh. *n.* 64. quos citat & sequitur Reiffenst. *n.* 175. Arg. *c. postquam, & c. nihil. de Elect.* ubi jubetur inquiri super vita & moribus eligendi vel promovendi ad Prælaturam, ne promoveatur indignus: quod tamen argumentum, num rectè adducatur dubito, cum quamdiu non inquiritur de certo aliquo crimine, non sit inquisitio simpliciter specialis, sed potiùs mixta. Atque in hoc casu paternæ inquisitionis simplicitet specialis requiri aliqua indicia, seu suspiciones, patebit ex sequentibus. Nihilominus & inquisitio specialis in pluribus casibus institui potest absque prævia infamatione & denunciatione. Unde dixi in responsione: *regulariter requiri infamiam.* Sic enim id fieri potest primò, dum adsunt legitima & sufficientia indicia commissi criminis contra inquirendum, utpote supplentia vicem infamationis, & plerumque fortiora, quàm infamatio, Farin. *l. c. n.* 21. Marant. *l. c. n.* 22. Clar. *L.* 5. § *fin. q.* 20. *n.* 2. de Lug. *de justit. d.* 37. *s.* 6. §. 6. Pirh. *h. t. n.* 61. Reiffenst. *num.* 189. Guazz. *reorum defens.* 91. *n.* 14. Wiestn. *n.* 79. idque etiamsi solùm sint probabilia, seu verisimilia, & minora, quàm quæ jure exiguntur ad torturam; ut Wiestn. *cit.* Guazz. & Farin, quamvis hic apud Pirh. dicat, debere esse propinqua, non remota; & Navar. & Suar. apud de Lugo non admittat hanc exceptionem, nisi indicia sint manifesta & publica: quibus opponit ipse de Lug. quòd hac ratione non esset exceptio, cum ex ipsis talibus indiciis generetur infamatio. De cætero rectè dicit Farin. *l. c. q.* 1. *n.* 45. quænam sint indicia legitima & sufficientia, relinquendum judicis arbitrio & judicio.

2. Resp. Secundò: Si inquisitio fiat citra præcedentem infamiam, præsente reo non contradicente, nec quidquam contra hoc excipiente; valet enim, nec ampliùs impugnari potest processus, Farin. *l. c. n.* 12. Clar. *l. c. q.* 6. *n.* 9. Marant. *l. c. n.* 27. quos citat & sequitur Pirh. *n.* 62. *juxta expressum textum c.* 2. *& ult. h. t. in* 6. & ex ea ratione, quòd requisitio illa infamiæ præcisè inducta in favorem rei, cui uti & exceptioni dilatoriæ Judicis ei competenti, tacendo tacitè renunciat, dum quilibet juxta *c. Apostolicam de regular.* favori pro se principaliter inducto renunciare possit, cùm forma illa, seu ordo procedendi judicialiter non nisi prævia infa-

infamiâ, non fit de substantia processûs, ita ut ei renunciari non possit. Pirh. *l. c. in cit. c. ultim. h. t. v. ne quibus.* Porro idem, quòd sine infamatione inquiri possit reo præsente non contradicente, locum quoque habeat reo absente contumaciter, cùm is non sit melioris conditionis quoad hoc, quàm præsens; adeóque si præsente reo non opponente exceptionem de non præcedente infamia, valet inquisitio; multò magis valebit, si contumaciter absens eam non opponat, ait Pirh. *n. 63.* cum Farin. dicentes secus esse, seu non valere inquisitionem reliquumque processum, si reus absens non contumaciter vel præsens ignoraverit processum esse ad inquisitionem criminis non præcedente infamatione.

3. Resp. tertiò. Si inquisitio certæ personæ de certo delicto fieret motu proprio, non valet; at si fieret ex mandato seu delegatione Principis dicentis in sua commissione sibi constare de commisso ab ea crimine, vel famam de eo perveniisse ad aures suas, tunc enim taliter delegatus seu commissarius sine infamatione illius, aut aliis indiciis à se habitis procedere potest. Farin. *l. c. q. 9. n. 13.* Marant. *l. c. n. 25.* Pirh. *n. 63.* Secus, si non motu proprio, sed suggerente seu petente aliquo delegatio fieret à Principe simpliciter, non addente, sibi constare desuper, aut ad aures suas famam perveniisse. Marant. cit. Felin. *in c. caput cum oportet. h. t. n. 4.* Decio *consil. 170. col. 2.* Alex. *cons. 183. col. fin.* Pirh. *l. c.* & aliis; censetur enim Princeps, tunc velle, ut inquisitio fiat à delegato modò ordinariò, hoc est, non nisi prævia infamatione, aut indiciis ab eo habitis.

4. Resp. quartò. Procedere potest judicialiter, imò tenetur iudex, nulla etiam fama alia præcedente, si fiat ad denunciationem ministri vel officialis publici ad indaganda delicta constituti. Tusch. *L. 1. concl. 180. n. 39.* Fagn. *in c. qualiter. h. t.* Pirh. *h. t. n. 61.* Reiffenst. *n. 176.* Wiestn. *n. 81.* arg. *l. ea quidem. c. h. t.* idem est de facta inquisitione speciali judiciali, ad denunciationem viri privati quidem, sed probi, dignique fide (pro quo non habetur socius criminis, cujus dictum sine infamia aliisve indiciis sicut ad torturam, sic etiam ad talem inquisitionem sufficiens non est, Wiestn. *h. t. n. 81.* ex Mar. *l. c. n. 113.*) simpliciter tenent Clar. *l. c. §. fin. q. 7. n. 1.* Lezan. *tom. 1. c. 27. n. 19.* Passerin. *tribun. regul. q. 8. a. 4. n. 17.* Ameno *pr. crim. n. 11. v. denunc. §. 4. q. 1. n. 24.* quos citat & sequitur Reiffenst. contra Navar. Sotum & alios plures; ex ea ratione, quòd ideo requiratur infamatio, ut suppleat vicem accusatoris, juxta *cap. qualiter 24. h. t.* in inquisitione autem speciali judiciali denunciator agit vices accusatoris, adeòque sicut accusante aliquo, ita & denunciante aliquo non requiritur præcedens infamatio. Tenet quoque hanc sententiam de Lugo *l. c. n. 64.* cum citato à se Suarez. ubi supra *c. 12. n. 131.* & plurimis apud hunc Juristis, sub iis tamen limitationibus, si fiat de gravibus delictis & causis (de quibus mox seorsim) & non purè in ordine ad punitionem; sed ob bonum reipublicæ, ne delicta impunita occasionem præbeant scelestis hominibus suis criminibus eam turbandi & innocentes lædendi; hac quoque adjecta ratione præcipua, quòd necessitas præcedentis infamationis non sit de jure naturæ, sed positiva, ut valeat in præsente, *d. 5. q. 14. p. 1. §. 3.* Sanch. & alii, cui juri præscribi potest legitima & rationabili consuetudine, quam probet ipsa praxis, tacentibus ad eam principibus tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus. Mediam quandam viam init Wiestn. *l. c.* dum asserit, esse locum inquisitioni speciali super infamia denunciati, & dein hac comperta, etiam inquisitioni super ipso crimine. Verùm quidquid sit de hac quæstione, non videtur illa continere exceptionem contra responsionem, quâ resolvebatur requiri præcedentem infamiam ad inquisitionem nemine denunciante aut accusante.

5. Resp. quintò. Non requiri illam ad inquirendum de crimine læsæ majestatis, juxta *Extrav. adreprimendum.* & Glos. *ibid. v. per inquisitionem.* item de hæresi, arg. c. *excommunicamus de hæret.* Item de apostasia arg. *l. 4. de apost.* similibúsque criminibus atrocibus vergentibus in grave damnum spirituale aut temporale reip. aut scandalum communitatis, tradunt Farin. *c. q. 9. n. 14. & 15.* Less. *cit. c. 29. n. 128. & 192.* de Lug. *de jur. & just. d. 37. n. 62.* Pirh. *n. 64.* Wiestn. *n. 83.* & alii passim AA. Requiri nihilominus in iis delictis aliqua indicia vel suspiciones non leves, tradunt cit. Less. Pirh. Wiest. Lug. *ll. cit.*

6. Resp. sextò: Tametsi de uno delicto infamatus & convictus interrogari seu inquiri nequeat de aliis, de quibus in specie infamatus non est, ut contra Palud. Sylv. Armill. Tabien. Aretin. & alios cum communiore docent Sanch. *l. c. c. 3. n. 21.* & quos hic citat Navar. Cajet. Sot. item de Lug. *l. c. n. 64.* inquiri tamen potest absque speciali infamia de illis habita, sed sint circumstantiæ delicti, de quo quis infamatus convictus aut indiciis gravatus est, aut cum eo connexum vel plerumque conjunctum esse solet, v. g. convictus de adulterina consuetudine cum conjugata, inquiri potest de cæde mariti reperti in adulteræ camera; infamatus de homicidio, de spoliatione, cadaveris occisi; Spoliator Ecclesiæ de effractione forium ejusdem; consuetudinem habens cum puella de defloratione ejusdem. Religiosus concubinarius de furtis, cum tales religiosi, qui aliunde non habent, res monasterii furari soleant, ut alant concubinam. Ita Innoc. in *cit. c. qualiter. n. 3.* Abb. *ibid. n. 7.* Sanchez, Lugo, Wiestn. *ll. cit.* Et hæc, ut iidem, præsertim cum delictum, cum quo aliud connexum est, frequenter commissum & per aliquot annos continuatum. Unde de Lugo asserit, latronem de frequentia latrociniorum convictum posse inquiri de omnibus delictis.

7. Resp. septimò. Dum de eo inquiritur specialiter, de quo priùs inquisitum generaliter. Less. *l. c. n. 175.* Pirh. *n. 64.*

Quæst. 47. Ut procedatur ad inquisitionem specialem judicialem ex fama, præsertim contra Prælatum, quæ requirantur.

1. Resp. primò, Requiritur primò, ut fama & clamosa insinuatio ad aures judicis pervenerit, cum is non teneatur inquirere, si diffamatio solum ad alios pervenerit, Pirh. *h. t. n. 59.* Secundò, ut sæpius juxta prudentis arbitrium pervenerit ad aures superioris; idem cit. Clar. *§. fin. q. 6. n. 20.* & Farin. *l. c. q. 9. n. 3.* Tertiò, ut fama præcedens inquisitionem originem habeat à personis honestis fide dignis, & non à malevolis vel improbis, ut Pirh. cum Farin. *l. c. n. 6.* Arg. cit. c. *qualiter.* Quartò, ut idem cum Clar. *cit. q. 6. n. 12. & seq.* & Farin. *n. 6.* ut constet de fama publica, eaque probata sit, saltem per duos testes super fama receptos (ita, ut Judici simpliciter in inquisitione, præcessisse famam dicenti, non credatur) quod tamen qualiter subsistat, cum dictis supra ab eodem Pirh. *n. 75.* non satis video.

2. Resp. Secundò: Etsi ad inquirendum contra subditum, sufficiat simplex infamatio, etsi scandalum non generet; ad inquirendum tamen contra Præla-

Prælatum requiritur infamia, quæ sine scandalo dissimulari nequit, quia v. g. diffamatus de delicto incontinentiæ; vel etiam quæ sine damno rerum Ecclesiæ, aut periculo infectionis aliorum tolerari non debet, ut si infamatus de dilapidatione vel hæresi, Pirh. *n.* 60. *juxt. cit. c. qualiter.* & Abb. *ibi. n.* 9. Quin & semper majorem prærequirit infamationem ad inquirendum contra Prælatum, ex eo, quòd facilè Prælatis à subditis falsa crimina imponantur, dum ob executionem officii odium illorum incurrunt; idem cum Abb. *l. c.*

Quæst. 48. *An & qualiter ad inquisitionem specialem requiratur, ut constet de corpore delicti?*

1. Resp. Primò: Ante inquiri contra personam non potest, nisi priùs constet de corpore delicti, id est, nisi constet delictum, de quo persona inquiritur, reipsa commissum esse. Sic v. g. ante omnem aliam inquisitionem, se informare debet Judex, & facere constare, quòd homicidium, de quo est quæstio, revera sit commissum, ita ut, si non priùs constet de eo facto, inquisitio & processus reliquus sit ipsò jure nullus, etiamsi reus in processu sit illud confessus: cùm corpus delicti, seu legitima notitia commissi criminis sit fundamentum processûs criminalis; ita juxta *L.* 1. §. *item. ff. ad S. C. Sylvan.* & communem, Marant. *de ord. jud. p. 6. n.* 17. *&* 18. Clar. *l. c. q.* 4. *n.* 1. Passerin. *in trib. regul. q.* 20. *n.* 2. Reiffenst. *h. t. num.* 201. Wiestn. *h. t. n.* 89.

2. Resp. Secundò: Aliud est corpus delicti, seu delictum facti permanentis, quòd vestigia post se relinquit, ut homicidium, vulneratio, incendium, falsificatio monetæ; aliud delictum facti transeuntis, quod post se nulla vestigia relinquit, ut blasphemia, injuriæ verbales, fornicatio. De priore debet Judici certò & liquidò constare per ocularem inspectionem, ita ut, si publicâ famâ vel ad instantiam partis moveatur ad faciendum processum, v. g. contra homicidam vel incendiarium, ante omnem aliam informationem debeat ipsemet accedere, vel Notarium mittere ad cadaver occisi, aut ædes exustas in præsentia duorum testium inspiciendum, Clar. *l. c. n.* 4. idque etiamsi quis confiteatur à se occisum hominem in nemore, ei credi non debeat, nisi priùs accedat aut mittat ad videndum, an ibi occisus homo, etiam faciendo exhumari cadaver, ut videat, si est vulneratus, dum homicidium est de recente, aut saltem, num reperiantur ossa ibi sepulta, Marant. *cit. n.* 18. cum Bald. *in L. si quis testibus. in fin. c. de testibus.* Quamvis tamen Reiffenst. *num.* 206. cum Ameno asserat, processum adhuc valere, si omissa inspectione oculari, alio modo hauriatur notitia de corpore delicti. In casu tamen, ubi corpus delicti occultatum, v. g. si cadaver occisi projectum in profluentem, falsa moneta abscondita, sufficiat constare de corpore delicti per duos testes, qui homicidio interfuerunt, vel falsam monetam viderunt, vel per alias conjecturas, præsumptiones & indicia, ut Clar. *l. c.* Menoch. *L.* 1. *præsumpt.* 58. *num.* 2. Reiffenst. *n.* 203. Sic quoque sufficit, quòd de corpore delicti facti transeuntis constet Judici per conjecturas & præsumptiones, ut probat praxis omnium tribunalium, Reiffenst. *n.* 204. Non tamen est necesse, ut, dum Judex procedit ad delationem alterius, priùs distinctam inquisitionem instituat de corpore delicti, & postea etiam de delinquente; sed potest ita examinare testes, & capere informationes uno contextu probantes delictum esse commissum à tali delinquente, Clar. *l. c. q.* 9. *num.* 3. Quamvis tamen Judex inquirendo ita se gerere debeat, ut priùs constet, delictum esse commissum, quàm quis illud commiserit. Si tamen testes statim ipsum delinquentem denuncient, id sit per accidens, & processum non inficiat, Reiffenst. *h. t. n.* 5.

Quæst. 49. *Quænam exprimenda in interrogatione, seu inquisitione speciali, ut valeat?*

Resp. Exprimenda species facti, & præterea circumstantiæ loci & temporis, saltem anni & mensis, quo commissum delictum, juxta dicta supra de accusatione, cujus vicem supplet, & formam servat, excepta inscript. Marant. *l. c. n.* 37. Clar. *l. c. q.* 31. *n.* 11. Farin. *pr. crim. q.* 1. *n.* 12. id totius mundi praxi servari asserentes, Wiestn. *h. t. n.* 90. Reiffenst. *n.* 210. Arg. *c. libellorum. ff. h. t.* & *c. fin.* §. *libert.* 2. *q.* 8. Ex ea ratione, quod ex tali circumstantiarum expressione sæpe suppeditetur reo medium sese, & innocentiam suam defendendi. Limitandum hoc ipsum, ut exacta illa circumstantiarum expressio non sit necessaria, ubi crimen est antiquum, & jam pridem contigit, ita, ut verisimile non sit, testes non amplius meminisse circumstantiarum, Farin. *l. c. q.* 64. *num.* 93. *&* 99. Alex. *L.* 2. *cons.* 65. *à n.* 3. apud Wiestn. *h. t. n.* 92. censentes ad talem oblivionem sufficere annos tres vel quinque, & quandoque pauciores valent, *q.* 79. *n.* 44. Guazz. *in reor. defens.* 19. *c.* 7. *n.* 4. Item si alicubi vi statuti, aut huic æquivalentis praxis tribunalium, adversùs certi generis delicta v. g. usuram, concubinatum, non soleat procedi contra infamatos aut graviter suspectos, non nisi summariè, & inspecta sola facti veritate, Wiestn. *l. c. n.* 91. cit. Menoch. *volum.* 1. *consil.* 100. *&* 93. & Farin. Item quando crimen habet tractum, ut hæresis, usura, concubinatus aut alterius consuetudinis carnalis; ut cum Menoch. *l. c. n.* 91. Farin. *l. c. q.* 1. *num.* 17. Tusch *pract. v. libellus. concl.* 320. *n.* 31. Wiestn. *l. c. n.* 93. Reiff. *l. c.*

Quæstio 50. *Quænam proponi debeant ei, qui inquiritur, & communicari?*

1. Resp. Primò, in inquisitione speciali reo citato præsenti ante inquisitionem exponenda sunt capitula, id est, omnia, super quibus exigente fama, vel instantia partis (dum nimirum denunciatus est) inquirendum est, nec non solùm depositiones, seu dicta testium, sed & nomina eorum publicanda reo, ut appareat, quid & à quo dictum; & hæc, ut reus habeat facultatem se defendendi, opponendo exceptiones, quæ si legitimæ, à Judice recipiendæ; ita ferè habet textus, *c. qualiter.* 24. *h. t.* & secundùm illud Marant. *l. c. n.* 10. Dicitur autem primò: *in inquisitione speciali*, quia in inquisitione generali, ubi non est persona certa inquirenda, cui dentur capitula, id opus non est, Abb. *in cit. c. qualiter. n.* 11. *&* 13. Pirh. *h. t. n.* 60. *n.* 13. Dicitur secundò: *ante inquisitionem*: quia, si prius fiat inquisitio, & postea tradantur capitula, nihil agitur, cùm pervertatur ordo, Pirh. *l. c. cum host. in cit. c. qualiter. v. fuerit*, & Jo. Andr. *ibidem n.* 25. *v. fuerit.* Dicitur tertiò: *nomina testium publicanda.* (hi enim in judicio inquisitionis recipiuntur etiam lite non contestata; cujus contrarium est in aliis judiciis puræ accusationis & denunciationis, *c.* 5. §. *sunt & alii, ut lite non contest.* Pirh. *h. t. n.* 76.) quod limitandum; nisi illis exinde grave periculum immineat, ne aliàs multi testes se subtraherent, & veri-

tatem dicere timerent, cum gravi præjudicio reipublicæ, Clar. *l. c. q.* 49. *n.* 3. Barbos. *in c. fin. de hæret. in 6. arg. ejusdem c.* Unde Reiffenst. *h. t. n.* 209. ait: in processu regularium ordinariè non publicari nomina testium. De cætero valituram inquisitionem factam super veritate criminis non præcedente inquisitione super infamia, si tradita non sint capitula reo de hoc non excipiente; quia traditio capitulorum non pertinet ad substantiam inquisitionis, adstruit Pirh. *n.* 63. *not.* 2. *in fin.*

2. Resp. Secundò: *Communicanda* præterea reo copia repertorum in processu diffamatorio, saltem in foro ecclesiastico, & in terris subjectis Ecclesiæ, in quibus servatur jus canonicum, quia, ut constat ex *c. qualiter, & quando. h. t. ubi:* quia utrumque nimirum capitulorum & repertorum dationem, seu communicationem requirit Pontifex, unum sine altero non sufficit, Marant. *l. c. n.* 9. & 10. quem vide. Si verò instituenda inquisitio generalis judicialiter, id ipsum examinandis & interrogandis indicandum, ut videant, quomodo respondere possint & debeant, cùm non una eadémque potestas detegendi crimina in inquisitione judiciali & paterna, Reiffenst. *n.* 168.

Quæst. 51. *An & quis ordo judiciarius servandus in judicio inquisitionis specialis, ut valeat.*

1. Resp. Primò in genere: Ordo judicialis servandus in judiciis inquisitionis, saltem contra sæculares, sicut in aliis judiciis ordinariis, ita ut, si non servetur, processus non valeat; & si reus non reclamavit ab initio, sibi præjudicavit, Gl. *in c.* 22. *h. t. v. non servatum.* Host. *ibid. v. non servatum. & v. finale.* Joan. Andr. *ibid. n.* 2. Dixi: *saltem contra sæculares*, nam in instituta contra regulares, ordo juris non ita accuratè servandus quòad solennitatem seu subtilitatem judicii, quæ in causis regularium remittuntur, non autem quoad veritatis probationem, Pirh. *h. t. n.* 78. cum Host. & Jo. Andr. *arg. Clem. de V. S.* Ad hæc, cùm Prælati regulares conventuales, qui per electionem canonicam instituuntur, faciliùs ab administratione removeantur, quàm Prælati sæculares, causæ & probationes sufficiunt in inquisitione contra eos, in ordine ad hanc amotionem, Host. *in cit. c. qualiter. v. facilius.* Jo. And. *ibid. n.* 31. Priores verò claustrales & officiales minores nullo servato juris ordine ad libitum Abbatis amoveri possunt. *c.* 6. §. *tales. de statu monach.* Fagnanus *in cit. c. qualiter. num. ult.* Ac denique, quia contra regulares non tot reperiuntur exceptiones, quàm contra sæculares, & in ipsis exceptionibus non est necessarium, ita exactè formam & ordinem procedendi servare, ut Host. *l. c. v. liberius.* Jo. And. *l. c. n.* 31.

2. Resp. Secundò in particulari: Præscindendo à judicio Inquisitionis contra regulares, sive Judex procedat ex mero officio, sive ad instantiam partis, ante omnia constare ei debet de corpore delicti. Dein si ex mero officio procedit, debet sumere & habere informationem & probationem de fama, in casu, quo ea requiritur. Tertiò debet citari reus, eiqúe proponi capitula, super quibus exigente fama aut instantia partis inquirendum, nec non depositiones testium, & quandoque eorum nomina, ac denique recipere, audire & examinare rei exceptiones ac defensiones: uti singula hæc ferè constant ex antecedentibus. Unde jam, licèt si eorum unum omittatur, (salvis limitationibus, quæ in præcedentibus, eorum ferè singulis oppositæ sunt) vel debitus earum ordo non servetur, reúsque desuper non reclamet, seu excipiat & protestetur, processus non sit nullus; ita ut ex eo impugnari ampliùs nequeat, postquam reus sponte & sine tortura crimen confessus, juxta clarum textum *c.* 1. & 2. *h. t. in* 6. Barb. *in cit. c.* 1. Masc. *de probat. concl.* 363. *n.* 34. Reiffenst. *h. t. n.* 214. & 215. Erit tamen nullus, si reus ab initio reclamet, de non servato ordine, aut aliquo requisitorum omisso, juxta *c.* 22. *h. t.* Ac proinde *c. qualiter* monentur Inquisitores, ut, si prædictum ordinem non servaverunt, sese prudenter & cautè corrigant, hisce expressis: *non pudeat vos errorem vestrum corrigere, qui positi estis, aliorum errores corrigere*; quoniam *ex his, quæ inordinatè sunt acta, non potest ordinabiliter agi:* etiam corrigendo sententiam suam definitivam, si erravit in judicando. Intellige tamen, dum Inquisitor est generalis, seu delegatus ad universitatem causarum, utpote cujus officium non expirat latâ sententiâ, sicut contingit in delegato ad unam tantùm causam: qui propterea non potest sententiam definitivam à se perperam latam in judicando corrigere; qui tamen, etiam si solùm erraverit in modo procedendi, potest errorem corrigere; ita Pirh. *h. t. n.* 66. cum Glos. *in cit. c. qualiter.* 17. *h. t.* & Abb. *ibid. n.* 2. & 3. procedendo tamen, ut dictum paulò ante, prudenter & cautè, ne vilescat eorum autoritas, quod fit, si neque fateantur, neque pertinaciter defendant suum errorem, sed de novo servato juris ordine procedant, vel ad tempus omninò supersedeant; ut Host. *in c. cit. c.* 17. *v. supersedeant.* Abb. *ibid. n.* 1. Pirh. *h. t. n.* 65.

Quæst. 52. *An inquisitus & interrogatus teneatur dicere veritatem, aut liceat eum inducere blandis verbis, aliisque mediis ad eam dicendam: & num eidem imponi possit juramentum de dicenda veritate, & quid, si perjurium committat?*

1. Resp. Ad primum satis dictum ad *L.* 2. *t. de confess.* quæ vide.

2. Resp. Ad secundum affirmativè, modò absit mendacium, aut falsa promissio levioris pœnæ, impunitatis, aut alterius gratiæ, Farin. *pr. crim. p.* 3. *q.* 81. *n.* 306. probatúrque id ipsum exemplo Salomonis, 3. *Reg.* 3. ubi ad eruendam veritatem ex materna affectione simulavit dividi infantem. Sed neque falsa spe, elicita confessione veritatis, reus ad ordinariam pœnam condemnari potest, Reiffenst. *h. t. n.* 225. & alii.

3. Resp. Ad tertium quoque affirmativè cum Bart. *L. inter omnes.* §. *rectè. in fin. ff. de furtis.* & Clar. §. *fin. q.* 45. *n.* 9. Arg. *c. qualiter* 17. & *c. cum dilecti. h. t.* confirmatúrque idipsum praxi inveterata omnium utriusque fori tribunalium. De qua consuetudine, utpote præbente ansam multis perjuriis, etsi conqueratur Clarus cum aliis præsertim Theologis, ait tamen, se non audere, nec alios Judices debere recedere ab illa consuetudine. Additque Reiffenst. *n.* 221. in praxi criminali sui ordinis dictum juramentum expressè præscribi.

4. Resp. Ad quartum: De jure communi, si reus depositum hoc juramentum transgreditur respondendo falsum in foro externo, propterea pœnas nullas incurrit, arg. *L.* 2. *c. de rebus cred.* Clar. *l. c. num.* 10. dicens, in hoc neminem contradicere; quamvis *q.* 21. *n.* 39. addat, convictum respondisse falsò, posse postmodùm torqueri: si tamen

alicubi

alicubi statuta municipalia habeant quoad pœnas aliud, illi standum asserit Reiffenst. *h. t. n.* 223.

Quæst. 53. *Num in inquisitione speciali interrogari possit de sociis.*

REsp. Præterea, quæ desuper responderi solent *L.* 2. *t.* 18. inquirere potest Judex in socios criminis in casibus, in quibus licita est interrogatio de sociis, quos enumeratos vide per Glos. *in L. fin. c. de accusat.* Marant. *l. c. n.* 178. De cætero dictum socii criminis non est sufficiens ad inquirendum de socio, ubi fama de eo non præcessit, quia socii criminis non sunt personæ honestæ, nec fide dignæ, nec faciunt indicium sufficiens ad torturam, & inquisitio non fit, nisi præcedente fama vel indiciis, Marant. *l. c. n.* 23. neque socii criminis, utpote hoc ipso criminosi, non possunt esse testes. *c. personas. de test. c.* 1. *de confess.* nisi tamen sint crimina excepta, aut talia, quæ ex natura socium, requirant, Reiff. *h. t. n.* 231. & 232.

Quæst. 54. *In quo loco & quibus sumptibus facienda inquisitio?*

1. REsp. Ad primum: Inquisitio facienda est in loco, ubi reus laborat infamia, Pirh. *n.* 57. *not.* 3. Arg. *c. qualiter & quando.* 24. *h. t.* ibi enim melius inquiri potest de vita & accusatione alicujus, ubi moratus est. *c.* 3. *de elect. c.* 3. *& seq. de præsump.* Et potest quis esse infamatus in uno loco, & non in alio. Unde inquirendum in loco, ubi laborat infamiâ, Pirh. *l. c.*

2. Resp. Ad secundum: Fit ea sumptibus fisci, Marant. *l. c. n.* 208. cum Andr. de Isernia. Unde, dum dicit Pirh. *h. t. n.* 53. *not.* 2. quòd, si inquisitores sint in loco, ubi inquisitio propriis sumptibus vivere debeant, alioquin modicos sumptus suppeditare paratis, ad quos divertunt, quos ipsis non debent; non loquitur de Inquisitoribus in inquisitione simplici criminali, sed de inquisitoribus ex officio talibus in inquisitione generali adhiberi solitis.

Quæstio 55. *An & qualiter cesset inquisitio, per supervenientem accusationem?*

1. REsp. Primò: Dum antequam Judex formet inquisitionem, apparet citatus offensus, isque interrogatus, num velit procedere ad accusationem, declaret, quòd sic, impeditur inquisitio. Marant. *p.* 6. *tit. inquis. n.* 38. cum remedium ordinarium, quale est accusatio, cessare faciat seu impediat extraordinarium, quale est inquisitio, juxta *L. in provinciali. ff. de oper. nov. nunc.* dicitque Marant. cum Bald. *in L. ea quidem. in fin.* Bart. *in L.* 3. §. *fin. ff. de adulter.* in tantum id esse verum, ut etiam coram alio Judice possit fieri accusatio, & impediri cœpta inquisitio coram alio. Nihilominus

2. Resp. Secundò limitando id ipsum variè: ac primò quidem, accusator superveniens non facit cessare inquisitionem in casibus, in quibus specialiter de jure vel per statutum (uti hodiedum etiam communiter permittitur) licitum est inquiri in criminibus, v. g. in crimine læsæ majestatis, aliisque casibus, de quibus Glos. & DD. *in L.* 2. §. *si publico. ff. de adulter.* cum remedium unum ordinarium non tollatur per aliud ordinarium, Marant. *n.* 39. & 40. Secundò, quando inquisitus datâ operâ affectaret & procuraret, ut ab aliquo accusaretur coram alio Judice, ad effectum impediendi inquisitionem, Marant, *n.* 41. cum Bald. & aliis. Tertiò, cum Judex, antequam inquireret, interrogasset offensum, an vellet accusare, & is respondisset, quod non, Marant. *n.* 42. eò quòd ut Bald. *in L. accusationem. c. qui accusare non poss. col.* 1. Alex. *in addit.* ad Bart. *in L.* 3. §. *fin. ff. de adult.* Quartò, quando processum super inquisitione etiam post accusationem reo nihil opponente. Secus, si is opposuit, Marant. *n.* 43. cum Bald. *in L.* 1. *c. de furtis.* Quintò, si qui accusat, priùs denunciallet Judici, quòd procederet ad inquirendum, contra talem, quia haberet suspectum de crimine, ac proinde non supersederet accusatione, Marant. *n.* 44. cum Speculat. *tit. de inquis.* §. *nunc videndum. v. ult.* Sextò, quando Judex videret accusationem suspectam, v. g. propter collusionem, Marant. *n.* 45. cit. aliis. Septimò, si accusator fuit causa promovendi inquisitionem, ut quia ad ejus inquisitionem fuit formata inquisitio, cum tunc videatur elegisse viam inquisitionis, Marant. *n.* 46. cum Baldo *in L. ea quidem. c. de accusat. col. fin.* & Bart. *in L.* 3. §. *fin. ff. de adult. col.* 2. Octavò, si probationes receptæ super inquisitione; cum accusatio illis superveniens non tollat effectum earum, sed eæ remaneant in suo robore ad puniendum delictum, Marant. *n.* 47. Ac denique non procedit de jure canonico, secundùm quod inquisitio est remedium ordinarium: cùm Judex possit inquirere, etiam non monito offenso ad accusandum, Marant. *num.* 48. cum Card. *in Clem. sæpe* §. *fin. de V. S. q.* 3.

Quæst. 56. *An & qualiter validetur inquisitio inepta per confessionem rei?*

REspondet ad hoc breviter Marant. *l. c. n.* 208. ex Angel. *cons.* 178. quod incipit *visis actis*, tutiùs esse, ut absolvatur inquisitus, & denuo postea ipse inquiratur.

Quæst. 57. *Quâ pœnâ puniatur delictum detectum & probatum via inquisitionis.*

1. REsp. Primò: Reum per viam inquisitionis convictum, vel crimen confessum potest Judex de jure canonico condemnare ad pœnam extraordinariam, seu pœnam tali crimini ordinariè statutâ mitiorem consideratis personæ delinquentis meritis, & qualitate excessus, (nisi sit tale crimen, quod propter irregularitatem, quam incurrit, ordinis executionem, aut beneficii retentionem etiam post peractam pœnitentiam impediret, v. g. homicidium, simonia; vel etiam, ut de Lugo *de jure & justitia d.* 37. *n.* 69. nisi crimina sint notoria, prout hæc expressè statuuntur *c. inquisitionis. h. t.*) ex hac ratione suadente hanc moderationem seu mitiùs agendum, cùm non sit pars, quæ pœnam urgeat. Non tamen ad id tenetur Judex, cùm *cit. c. inquisitioni.* non dicatur: *debet* vel *tenetur*, sed *poterit judicantis discretio moderari pœnam:* ac ita tenent Abb. *in c. super de confess. n.* 10. & Gonzal. *ibidem n.* 7. Quin etiam contrarium esse de consuetudine communi tribunalium ecclesiasticorum: contra de Lug. & Marant. *p.* 4. *n.* 36. dum absolutè pronunciant de jure canonico non totam pœnam, sed ordinariâ mitiorem esse imponendam; vi cujus etiam in foro ecclesiastico condemnetur reus inquisitus convictus vel confessus ad pœnam juris ordinariam, præsertim ubi qualitas delicti id exigit, ad exemplum & terrorem aliorum; testantur Gonzal. *l. c. n.* 11. Reiff. *h. t. n.* 220. qui etiam pro confirmatione hujus consuetudinis tanquam rationalis citat. *c. fin. de celebrat. missar.* dum ibi Sacerdos per

viam

viam inquisitionis processatus, fuit condemnatus ad pœnam ordinariam.

2. Resp. Secundò: De jure civili non tantùm potest, sed & debet puniri talis pœnâ ordinariâ, *L. 2. c. de abolendis. L. ordo ff. de publ. judic.* Abb. *in c. inquisitionis. h. t. n.* 8. Felin. *ibid. n.* 3. Marant. *l. c.* Tiraq. *de pœnis temper. c.* 53. *num.* 2. Sanch, *L. 6. consil. c.* 3. *du.* 40. Pirh. Wiestn. *ll. cc.*

Quæst. 58. *An & qualiter procedendum non servato juris ordine in delictis & malefactoribus notoriis.*

1. RESp. Primo: Prænotando ac recolligendo in unum locum, quæ antecedenter *h. t.* sparsim dicta sunt: primò occultum propriè dici, quòd nulla ratione probari potest Jo. And. *in c. vestra, de cohab. cler. & mulier. n.* 12. Abb. *ibid. num.* 10. Fagn. *num.* 45. Penè vel quasi occultum, quod à paucis tantùm, vel duobus, tribus, vel etiam quinque scitur, cùm id adhuc secretum, quod in præsentia quinque personarum dicitur, *can.* 87. *de pœnit. dist.* 1. §. *hæc ergo.* Et *ibi* Glos. *v. secreta*, quamdiu adhuc ad judicium non deferuntur; ut Fagn. *ad cit. c. vestra.* Secundò publicum complecti tres gradus, seu veluti species; ut Guar. *de carit. d.* 8. *s.* 6. *in pr.* Castrop. *t.* 6. *d.* 3. *p.* 13. *n.* 1. Primus quod saltem à duobus scitur, adeóque probari potest, & hinc jure probabile dicitur, Arg. *L. Herodes. ff. de testamentis*, & cum pene occulto confunditur, Fagn. *l. c. n.* 51. & 121. Alter gradus, si non tantùm probari potest, sed ita notum pluribus, ut fama de illo existat, quod etiam manifestum & famosum dicitur. Tertius, quod ita notorium est, ut nullâ viâ aut nullô modò celari & negari possit: diciturque tunc notorium, Abb. *in c. vestra. n.* 11. Nav. *c.* 27. Man. *n.* 255. Fagn. *in c. vestra. n.* 11. Tertiò famosum dicitur, quod per famam publicam innotescit. Quartò manifestum propriè est, quod publicè & famosè notum ex certa scientia & certis authoribus, per quod differt à famoso, quod non requirit certam scientiam, cùm etiam proveniat ex sola suspicione & rumore ejus; nec certum authorem, quorum utrumque est quid fallax; ac ita ad illud præter publicum concurrere debet fama, quæ ad publicum non requiritur, Abb. *in cit. c. vestra n.* 12. Fagn. *n.* 55. Tusch. *Lit. N. concl.* 104. Quintò notorium propriè loquendo est, quod constat vel per evidentiam rei, quæ nulla prorsus tergiversatione celari potest, *c. fin. de cohabit. cler. cum mulier. c. cum olim. d. V. S.* uti si fiat coram omnibus, vel majore parte communitatis, hac enim populus universus designatur, *L.* 160. *ff. de reg. jur.* vel de quo constat per confessionem rei factam in judicio, (intellige sponte, & non ex gravi metu, aut vi tormentorum) vel de quo patet per sententiam condemnatoriam, à qua non fuit appellatum, *cit. c. fin. de cohabit. cler. & mulier.* aut de quo constat per testes idoneos, & legitimas probationes, quibus nihil opponi potest, *c. olim. de V. S.* juncta Glos. *in c. communicavit, v. loquere. de testib.* Pirh. *h. t. n.* 55. Reiffenst. *num.* 246. Porrò licèt quandoque notorium & manifestum sumantur pro eodem, differt tamen propriè loquendo, & prout tertiam speciem constituit, in hoc præcipuè, quod manifestum minùs sit, quàm notorium, Abb. *l. c.* Fagn. *n.* 55. Tusch. *l. c. n.* 19. De eo verò, quòd hominum frequentia requiratur, ut delictum dicatur verè & propriè notorium, controvertitur valdè inter AA. in eo tamen ferè convenientes, quòd major pars populi viciniæ, parochiæ, collegii, communitatis (modò in ea non pauciores, quàm decem) requiratur, Sylv. *v. notorium. q.* 4. Abb. *l. c. n.* 16. Navar. *l. c. c.* 27. *n.* 55. An verò id ipsum procedat, dum communitas magna est, v. g. 300. non omnes consentiunt; affirmare videtur Sanchez *L. 6. consil. c.* 3. *du.* 3. Abb. *l. c.* & Fagn. id relinquendum judicio prudentis Judicis arbitrantur, spectatis circumstantiis loci, temporis, qualitate personæ & delicti. His prænotatis

2. Resp. Secundò: Contra crimina verè notoria potest Judex procedere, eaque punire non servato juris ordine, prout constat *ex can.* 14. §. *hi omnibus. caus.* 2. *q.* 1. *c.* 16. *ead. caus. & q. c. super his de testib. cog.* Ex ea quoque ratione, quod ordo juris inductus ideo, ne veritas debitè indagari, & malitiis accusantium occurri possit, & ne quis innocens condemnaretur; sed cuilibet esset potestas defendendi se, causámque suam, juxta *cit. can.* 16. Hinc, cùm per notorietatem aperta sit veritas, dicto ordine opùs non est. Atque ita in specie: primò in notoriis non requiritur accusator, aut denunciatot, multóque minus libellus, sed potest Judex sine his procedere ex officio; contra notoriè delinquentem, *juxta c. evidentia h. t. c. manifesta. caus.* 2. *q.* 1. cùm libellus etiam ad processum summarium non requiratur, multò minùs ad procedendum in notoriis, utpote quæ nequidem summarium ordinem requirunt. Secundò in notoriis recusari non potest Judex tanquam suspectus, Arg. *c.* 24. *de appell.* & ibi Glos. *v. manifesta*; si tamen sint crimina, quæ jure taxatam pœnam habent. In aliis enim, quæ pro arbitrio Judicis puniuntur, is recusari potest à reo habente legitimam recusandi causam. Tertiò, non requiritur ad probandum crimen notorium, productio & examen testium, utpote non necessarium ad acquirendam certam veritatem quæ jam notoria est, *c.* 17. *caus.* 2. *q.* 1. *junct. c.* 3. *de testibus*: ad probandam tamen ipsam notorietatem, quandoque testes adhibendi. Quartò non requiritur citatio in casu, quo crimen non tantùm notorium est, sed etiam evidenter constat, nullam defensionem competere reo: quamvis tamen DD. communiter & praxis suadeant, ne Judex aliquem etiam notoriè delinquentem sine citatione damnet, nec temerè nota pronunciet. Quintò non requiritur sententia in scriptis; dum enim jura universaliter statuunt, in notoriis solennitates juris non requiri, hæ etiam in sententia requirendæ non sunt, ita tenent Innoc. *in c. ex parte. il.* 1. *de V. S. num.* 1. Calder. *in cit. c. vestra. n.* 47. Farin. *pr. crim. q.* 21. *n.* 115. quin & Passer. *in tribunal. regul. q.* 10. *n.* 12. & alii apud Reiffenst. *h. t. n.* 158. docent in notoriis loco sententiæ sufficere solùm præceptum Judicis reo pœnam imponentis. Verùm quidquid sit de jure, observari tamen de consuetudine, ut etiam in notoriis feratur sententia, tenent Clar. §. *fin. q.* 9. *n.* 8. Fagn. *in cit. c. vestra. n.* 96. apud Reiffenst. *n.* 159. qui ad conciliandas has sententias ait, id dici posse de sententia non requirente solennitatem scripturæ, vel de sententia declaratoria notorietatis. Sextò in notoriis non datur appellatio, sed ea non obstante, procedere potest ad executionem pœnæ, *c. cum sit.* §. *fin. & c. pervenit. c. proposuit de appell.* eò quòd in notoriis; pronunciatio Judicis potius sit executio juris, quàm sententia. Quamvis detur appellatio à sententia declaratoria notorietatis: cùm multa dicantur notoria, quæ talia non sunt; ut dicitur, *c. consuluit. de appel.* Reiffenst. *n.* 260. & 261.

3. Resp. Tertiò: Ut præfato modo contra notoriè

toriè delinquentem procedi possit requiritur primò, ut delictum sit verè & propriè notorium, dum agitur de notorietate facti, nempe commissum in præsentia saltem sex personarum, ita ut non sufficiat esse manifestum & planè famosum. His non obstante quòd *can.* 14. §. *his omnibus. caus.* 2. *q.* 1. & alibi in jure dicatur, in manifestis non esse necessariò observandum juris ordinem; cum manifestum ibidem significet idem ac verè notorium. *arg. c. cum olim. de V. S.* Secundò ut judici legitimè constet de Notorietate vera delicti, nimirum vel ex eo, quòd commissum in conspectu ipsius judicis pro tribunali sedentis, aut in actu & exercitio suæ Jurisdictionis existentis præsente etiam majore parte communitatis, ut Passerin. *l. c. num.* 6. vel præsentibus Assessoribus, aut saltem Notario publico ut Ameno *pract. crimin. tit.* 3. *V. Canones. circa num.* 58. Reiffenst. *num.* 63. cum acta coram judice per Notarium in judicio conscripta plenè probent. Vel constet illi per testes, saltem duos omni exceptione majores, qui ex proprio sensu deponant, non tantùm de delicto commisso, sed & de notorietate facti, ut Farin. *l. c. q.* 21. *num.* 205. Passer. *l. c. q.* 10. *n.* 9. Ameno *l. c. n.* 56. quos citat & sequitur Reiffenst. *num.* 264. testans de communi. Tertio requiritur, ut constito de Notorietate, Judex quoque de ea pronunciet. Barb. *de Offic. & potest. Episc. alleg.* 106. *n.* 18. Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 3. *d.* 7. *q.* 2. *num.* 19. Reiffenst. *l. c.* ita ut, si Judice de Notorietate non constet legitimè, aut is de ea in sententia mentionem non faciat, dicendo v. g. *siquidem notorium est crimen Titii, condemnamus eum ad pœnam N.N.* Processus sit nullus, & hinc ab eo appellari possit. Non tamen necesse est, ut de ea pronunciet per sententiam interlocutoriam. Ac denique constare quoque ei debet de qualitate delicti in ordine ad malitiam, ita ut non sufficiat constare notoriè homicidium commissum, sed etiam quod culpa vel dolo, & non fortuito, vel ex sui defensione inculpatæ tutelæ commissum. Clar. §. *fin. q.* 9. *n.* 3. Farin. *l. c. n.* 49. Passer. *l. c. n.* 5. Reiffenst. *n.* 265.

Quæst. 59. *An præter hos jam declaratos modos deducendi crimina in judicium sint & alii, & qui illi?*

Resp. Affirmativè, nempe confessionis *c.* 2. *de confessis.* Quâ factâ in judicio aperitur judici via ad instituendum super crimine processum inquisitionis, infligendúmque reo per sententiam pœnam etiam ordinariam. Dein exceptionis juxta *c. cum dilectus de ordin. cogn. & c.* 1. *de exceptione,* de qua præter dicta *l.* 2. *t.* 26. notanda sequentia huic loco magis congruentia. Primò, quòd sit oppositio criminis à reo facta, ut judicem ab officio seu jurisdictione, accusatorem ab accusatione, denunciatorem à denunciatione, testem à testando removeat, vel etiam ut vindictam publicam subeat is, cui crimen opponitur. Ut sumitur ex Claro § *fin. q.* 19. *n.* 2. Scaccia *de judic. civil. & crim. l.* 1. *c.* 75. *n.* 2. Secundò quòd hæc exceptio institui potest modo duplici, nimirum civiliter vel criminaliter. Civiliter crimen opponitur ad removendum judicem ab officio in illa causa, accusatorem ab accusatione? Criminaliter dum insuper opponitur, ut puniatur pœna tali crimini à Lege statuta accusator vel testis. Et in priori casu, is, cui crimen opponitur, non potest condemnari per sententiam ad ordinariam vel extraordinariam pœnam, etsi crimen oppositum fuerit legitimè probatum, nisi alius processus desuper instituatur, quod potest judex ex officio, ubi exceptionem deprehendit esse legitimam: sed solùm per sententiam interlocutoriam ab accusatione & testificatione removeri, juxta *cit. c. cum dilectus.* § *verum.* Wiestn. *h. t. n.* 102. Reiffenst. *n.* 237. & statim in eodem processu ex probationibus rei, vel aliunde cognoscere & judicare, an exceptio sit justa & legitima, eámque, si legitimam cognoscat, per sententiam interlocutoriam admittere; si injustam & frustratoriam rejicere, eáque non obstante in processu pergere. Uti Clar. *loc. cit.* Barbos. in *c. cum dilectus. n.* 5. Pirh. *h. t. n.* 130. Reiffenst. Wiestn. *ll. cit.* In secundò verò casu, seu ubi exceptio criminaliter facta, ea induit naturam accusationis. *arg. l.* 7. *de accusat.* Adeóque conditiones ad accusationem requisitæ in ea observandæ, v. g. locus & tempus commissi criminis exprimenda. Quodque excipiente in probatione delicti objecti deficiente, absolvatur ab eo accusator & testis, ita ut ab alio denuo super eodem accusari nequeat. Scaccia *l. c. n.* 2. Clar. *n.* 3. Wiestn. *n.* 203. Eâ verò probatâ juxta petitionem excipientis, ad pœnam ordinariam vel extraordinariam condemnandus accusator & testis, *arg. c. super his. & l. si cui* §. 2. *ff. de accusat.* & *ibi* Bart. *n.* 5. Tertio notandum, quòd ficuti, dum contra accusatorem excipitur criminaliter, non tantùm repellitur ab accusatione, sed etiam punitur, sic, ubi accusatori ad prælaturam beneficiúmque Ecclesiasticum per electionis confirmationem aliamve provisionem jam promoto, adeóque jam titulum consecuto, objicitur crimen, quod de jure obstat ejus consecrationi, ordinationi, missioni in possessionem, is probato crimine non tantum repellitur à jure quærendo, per consecrationem, ordinationem, missionem in possessionem, sed etiam jure jam quæsito per confirmationem aliámve provisionem, seu ipso titulo dignitatis alteriúsve beneficii. Idque in favorem & utilitatem Ecclesiæ, cui inutilis esset Prælatus aut Rector non consecratus, non ordinatus, aut administratione ob non adeptam possessionem carens, jure inductum est. Ita juxta *c. super his.* Jo. Andr. *ibid. n.* 10. Vivian. §. *excipiens.* Pirh. *h. t. n.* 102. quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. n.* 103. Quartò in dubio, num crimen ab excipiente objectum sit civiliter vel criminaliter, præsumi objectum civiliter, Decian. *tr. crim. l.* 3. *c.* 30. *num.* 4. Wiestn. *n.* 104. eò quòd exceptio naturâ suâ non ad vindictam, sed ad agentis intentionem excludendam tendat, juxta *c. cum dilectus. de ordin. cognit. & l. except. ff. de except.* Quintò quòd criminosus non admittatur ad excipiendum de crimine, si prosequatur bonum publicum, quia est excipiens voluntarius, hæcque exceptio vim habet cujusdam accusationis, à qua repellitur criminosus, ut & à testificando. Secùs, si persequatur suum interesse proprium, v. g. quia is, contra quem excipitur, futurus est suus Prælatus, vel Parochus, vel Patronus, vel ejus interest, talem non promoveri; cùm tunc sit excipiens necessarius, & prosequenti jus suum obstare non debet exceptio criminis, sive quòd sit criminosus. *arg. c.* 2. *caus.* 4 *q.* 6. Nisi aliunde ex aliqua causa sit suspectus. *arg. c. ult. caus.* 3. *q.* 10. Sic contra electum in Episcopum quilibet subditus, tam quoad personam quàm formam electionis; contra promovendum ad Ecclesiam curatam quilibet parochianus; contra simplicem beneficiatum, quilibet de Ecclesia, in qua est beneficium, excipere potest: quia cujuslibet interest,

tereſt, non tantùm Prælatos & Parochos, ſed & alios clericos, ſeu ejusdem Eccleſiæ beneficiatos habere bonos. ita Pirh. *n.* 102. citatis Hoſt. *in c. ſuper his. col.* 2. §. *excipitur.* Abb. *n.* 10. & 11.

Quæſt. 60. *Qualiter procedatur in delictis in flagrante comprehenſis.*

REſp. Dum delinquens comprehenſus v. g. in actuali furto à miniſtris juſtitiæ vel aliis, ſtatim ad judicem deducitur, vel etiam ab ipſo judice prænonito ſuperveniente cum teſtibus, vel etiam coram illo pro tribunali ſedente delinquit, cum eo procedi poteſt non ſervato juris ordine, v. g. non requiſito accuſatore aut denunciatore, aut etiam ſententia cum juris ſolennitate prolata. Quin & per ſimplex judicis decretum aut præceptum pœna infligi poteſt. In primo tamen & ſecundo caſu examinandi teſtes, ſuper delicto & apprehenſione, & ſi reus neget, nec afferat aliqua pro excuſatione, ampliùs examinandum, & defenſores & patronos concedendos aſſerit Reiffenſt. *n.* 270. citatis Clar. *l. c. q.* 8. Paſſer. *l. c. c.* 11. Farin. *l. c. à num.* 152. De cætero, dum judex nec pro tribunali ſedens, nec actu exercens actum jurisdictionis, ſed alia occaſione ſuis oculis videt, non dicitur delinquens in flagrante deprehenſus, in ordine, ut contra eum procedi poſſit non ſervato juris ordine, licèt poſſit ſine alia denunciatione aut accuſatione inquirere contra ipſum & informationem capere, ſervato in cæteris juris ordine. Clar. *l. c. n.* 5. Farin. Paſſer. *n.* 162. quos citat & ſequitur Reiffenſt. *num.* 269. Plura quæ concernunt viſitationem, accuſationem, inquiſitionem, cæterumque proceſſum criminalem regularium vide ſpecialiter fusè tractata à Reiffenſt. *à q.* 270.

TITULUS II.
De Calumniatoribus.

Quæſt. 61. *Calumnia quid ſit & quotuplex?*

1. REſp. Primo: Calumniari in ſenſu generali nihil eſt aliud, quam malitioſa & mendax alicujus infamatio. Quatenus verò ad judicia refertur, eſt aliquem per fraudem litibus vexare. Lauterb. *in ff. t. ad S. C. Turpill.* §. 1. juxta *l.* 233. *ff. de V. S.* Strictiùs, ſeu prout hoc loco accipitur, calumniari dicitur, qui alteri, quem ſcit (aut ſcire debet, ut Clar. §. *fin. q.* 62. *n.* 7.) eſſe innocentem, ſcienter & doloſè falſum crimen in judicio intendit, ſeu contra alium proponit. Ita communis, *arg. l.* 1. *ff. ad S. C. Turpill.* Unde calumniator in hoc ſenſu dicitur, non ſolùm, qui alterum falsò accuſat aut denunciat, ſed & quicumque alius, qui falſum crimen contra alium in judicio proponit, *arg. l.* 6. *ff. eod.*

2. Reſp. Secundò: Calumniari dupliciter quis dicitur, nimirum verè, prout jam deſcriptum eſt, & præſumptivè, dum qui crimen à ſe propoſitum probare nequit, hoc ipſo calumniari, ſeu litem calumnioſè moviſſe cenſetur ſeu præſumitur, arg. *c.* 2. *h. t.* & *ibi* Gloſſ. *V. calumniari.* Abb. *num.* 5. Pirh. *h. t. n.* 1. Cum is qui accuſare vel denunciare vult, probationes paratas habere debeat, juxta *l. qui accuſare. c. de edendo.* Quamvis, ut cit. AA. hæc præſumptio non ſit juris & de jure, adeóque contra eam pro innocentia Accuſatoris & Denunciatoris admittatur in hoc caſu probatio. Non tamen eo ipſo ſtatim pro Calumniatore haberi, & tanquam talis à Judice puniri debet, quod in probatione deficiat, ſed examinare & inquirere ex officio debet judex, qua de cauſa ductus ad falſi criminis delationem acceſſerit, & num talis Accuſator vel Denunciator pro ſe afferat Probationes & Præſumptiones, quæ dolum & animum calumniandi excludant, & ſi tales attulerit, abſolvendus à crimine calumniæ, Menoch. *de arb. c.* 321. *num.* 3. Farin. *pr. crim. q.* 26. Wieſtn. *h. t. num.* 3. & alii cum communi, juxta *l.* 1. §. 3. *ff. ad S. C. Turpill.* Tales verò cauſæ & præſumptiones, num ad hoc hic & nunc ſint ſufficientes, relinquendum officio judicis. *l.* 1.

Quæſt. 62. *Quænam in ſpecie ſint præſumptiones ejusmodi?*

REſp. Adduci ſolent ſequentes: Primò qui ex officio, ſeu ex neceſſitate officii denunciant, niſi conſtet, eos falsò denunciare; obligatio enim officii eos excuſat à præſumpta calumnia, non à vera, Clar. §. *fin. q.* 7. *n.* 12. Farin. *l. c. q.* 16. *n.* 17. Pirh. *h. t. n.* 6. Wieſtn. *l. c.* Reiffenſt. *n.* 5. *junctis n.* 13. arg. *l.* 2. *c. de his qui accuſ.* & *l.* 2. *c. de dolo.* Secus eſt de denunciatoribus privatis, qui ſponte ob privatum intereſſe vel ob aliam particularem cauſam denunciant, Pirh. *l. c.* arg. *l. Divus. ff. de cuſtod. reor.* Secundò, qui ſaltem ſemiplenè per unum teſtem probavit, Farin. *l. c. num.* 21. Menoch. *l. c. n.* 17. & 18. Felin. *in c.* 2. *h. t. num.* 3. Pirh. *num.* 5. niſi, ut idem, conſueverit calumniari; tunc enim præſumitur ſemper calumniari, quæ præſumptio elidit ſemiplenam probationem, per quam elidebatur præſumptio calumniæ. Tertiò ſi accuſator fuit deceptus in teſtibus promittentibus extra judicium ſe plenum daturos teſtimonium, poſtea in judicio negantibus vel vacillantibus, Abb. *in c.* 2. *h. t.* Farin. *l. c. n.* 49. & 50. Pirh. Wieſt. *ll. cit.* Reiffenſt. *num.* 18. Idem eſt, ſi teſtes ab accuſatore nominati mortui ſunt, vel procul abſentes, vel à teſtificando malitioſè impediti, Pirh. Wieſtn. Reiffenſt. *ll. cit.* vel ſi teſtes ob inhabilitatem priùs fuerunt rejecti, aut aliàs de ſe inhabiles ad teſtificandum, ignorante id Accuſatore vel Denunciatore, Menoch. *l. c. n.* 31. Wieſtn. *l. c.* Reiffenſt. *num.* 19. teſtans de communi. Quartò ſi probationes aliæ ſint accuſatori malitioſè ſubtractæ. Quintò, mulier accuſatrix ob fragilitatem excuſatur à calumnia præſumpta aliàs ex defectu probationis. Pirh. *l. c.* Reiffenſt. *num.* 14. juxta *l.* 1. §. 10. *ff. ad S. C. Turpill.* Sextò, ſi quis accuſet aliquem de eo delicto, de quo antea erat infamatus, vel quia alia indicia criminis ad torturam, vel ſaltem ad inquirendum ſufficientia præceſſerunt, Farin. *l. c. n.* 61. & 62. Pirh. *l. c.* Reiffenſt. *n.* 17. Septimò ſi atrocitate criminis redundantis in grave damnum boni reipublicæ, v. g. læſæ majeſtatis, hæreſis, Simoniæ ductus quis accuſavit aut denunciavit. Abb. *in c.* 2. *h. t. n.* 2. Felin. *ibid. n.* 6. Farin.

l. c.

l. c. n. 57. Clar. *l. c. q.* 62. Guazzin. *recor. defens. p. c.* 13. *à n.* 31. Pirh. Wiestn. *ll. cit.* Idem est, si nimio dolore concepto ex occisione suorum parentem, aut consanguineorum, vel etiam ex adulterio commisso cum uxore accusat vel denunciat quempiam de eodem vel alio crimine, in cujus probatione deficiat, absolvitur à calumnia pœnisque illius, *l. 2. c. h. t. l.* 30. *c. ad L. de adult.* Pirh. Wiestn. *ll. cit.* Reiffenst. *n.* 16. Nisi tamen certò constet judici, aut is ex inquisitione certò deprehenderit, accusatorem scienter falsò impegisse crimen, etiam tale atrox, innocenti; foret enim tunc talis accusator verus calumniator, & ut talis puniendus; nec juvabitur per hoc, quod sit ex officio & autoritate Magistratus Denunciator publicus; cùm tunc solùm ratione officii præsumitur non calumniari, dum nihil obstat evidenter in contrarium, sicut in præsente obstat de commissa ab eo scienter falsitate in accusando vel denunciando. De cætero quod attinet Denunciatores privatos seu voluntarios, causam, ob quam liberantur à calumnia deficiente probatione esse justam, in dubio non præsumitur, sed id ipsum probandum; cùm in contrarium militet præsumptio juris, præfigendúsque est terminus, intra quem si non probet legitimè causam justam, præsumitur Calumniator, & Pœnis Calumniatorum subjacet. Sic Accusator in Probatione deficiens non excusatur à Calumnia & Pœnis per hoc, quod dicat, audivi à viris fide dignis, vel fuit communis fama de hoc &c. nisi idipsum legitimè probet. Farin. *l. c. n.* 38. Pirh. *h. t. n.* 5. Reistenst. *h. t. n.* 22.

Quæst. 63. *Num causæ jam enumeratæ liberent quoque accusatorem deficientem in probatione ab actione injuriarum?*

Resp. Affirmativè, saltem, si causa justa talis est, quæ non tantùm à dolo, sed etiam à culpa & temeritate excuset; ita Farin. *l. c. n.* 67. & 71. Covar. *var. resol. l.* 1. *c.* 14. *n.* 6. Menoch. *consil.* 145. *n.* 14. Cæpoll. *in cons. crim. cons.* 11. *n.* 14. quos citant & sequuntur Wiestn. *h. t. n.* 4. Reiffenst. *n.* 4. *h. tit.* ex ea ratione, quòd injuria sine dolo & animo injuriandi non committatur, juxta *l.* 3. §. *ult.* & *L. si non convitii. c. eod.* Ubi autem est justa causa accusandi, abest injuria, ac ita non datur actio injuriarum. Contrarium tamen tenentibus Alex. *cons.* 11. *p.* 4. Boss. *de accusat. n.* 19. *ad fin.* Bajard. *ad Clar.* §. *fin. q.* 62. *n.* 34. Quin & talem etiam in impensas litis non damnandum, si vacet à culpa & temeritate; Secus, si ab ea non vacet, licet vacet à dolo, censet Wiestn. *l. c.* eò quòd cum culpa & temeritas sit causa damni reddat eâ laborantem obnoxium refusioni expensarum, *l.* 79. *ff. de judic.* Menoch. *l. c.* Farin. *l. c. n.* 71. quos pro se citat Wiestn.

Quæst. 64. *Quænam sint pœnæ falsò accusantis, aut denunciantis, quem justa aliqua excusatio à dolo & animo calumniandi non excusat?*

1. Resp. Sunt ferè sequentes: Primò tenetur ad refusionem expensarum, omnisque damni, quod exinde passus est accusatus. Si enim actor in civilibus, temerè seu scienter non habens justam causam Judicium subivit, ad id tenetur juxta *c.* 5. *de dolo.* & *l.* 79. *ff. de judic.* Multò magis ad id tenebitur in Criminalibus, utpote in quibus, cum longè majore cautela judicium subeundum; ita Wiestn. *num.* 5. cum Clar. *l. c. q.* 62. *n.* 4. Menoch. *l. c. n.* 4. Farin. *l. c. q.* 16. *à n.* 10. extendente hoc ipsum *num.* 14. ad fiscum, si per procuratores suos accusando indebitè vexasset. & *num.* 25. ad Judicem temerè prosilientem contra aliquem ad inquisitionem specialem.

2. Secundò tali accusatori calumnioso non tantum vero, sed & præsumpto Jure Canonico olim statuta pœna talionis, id est, eadem, quam accusatus plene probato crimine subire debuisset, per *Can. Calumniator. c. qui non probaverit. c. quisquis, c. crimen. 2. q.* 8. injunctáque ei inscriptio ad talem pœnam *per L. libellorum*, §. 2. *ff. super his.* & *c. qualiter de accus. n.* 2. Passer. *in tribun. regul. q.* 7. *n.* 28. Jure quoque Civili *per l.* 1. §. 2. *ff. ad S. C. Turpill. juncta* Gloss. *V. Calumniatoribus.* Rationi locus est in Ordinariis, sive in iis criminibus, quæ titulum nomenque certum, & pœnam Jure definitam habent. *l. fin. c. h. t. l. fin. c. de Calumn. Auth. sed novo. c. ad L. Jul. de adult.* Secus in extraordinariis, in quibus accusatores calumnioси pro eorum qualitate & circumstantiis pœnâ arbitrariâ plectendi, *l.* 3 *ff. ad S. C. Turpill.* Verùm jam isti juris civilis discrimini, uti & prisco Juris Canonici rigori quoad talionis pœnam & de ea subeunda inscriptionem derogatum, & utrumque à foro recessisse testantur Felin. *in c. super his. n.* 5. Speculator *de accusatione* §. 1. *n.* 4. rationem hujus reddente Covar. *l.* 2. *var. c.* 9. *n.* 1. quod delicta impunita manerent defectu accusationis, quam & onus probandorum Criminum metu talionis, cui se obnoxios reddi posse cernebant, subterfugiebant. Atque in Calumniatorum temeritatem arbitrariâ ferè pœnâ coerceri cæpisse. Pius V. tamen constitutione sua, quæ incipit *cum pridem* 6. *Calend. Aprilis* 1566. *publicata* §. 14. Pœnam talionis denuò innovavit contra Calumniatores veros, seu eos, qui innocentem malitiosè accusâsse vel denunciasse convicti fuerint. Quâ constitutione, etsi non nisi Crimina Simoniæ, Blasphemiæ, Sodomiæ. Concubinatus specialiter exprimantur, vero simile tamen non est ad ea solùm illum se extendere; ut Passerin. *tribun. regul. q.* 7. *n.* 4. apud Wiestn. *h. t. num.* 9. Præter hanc talionis pœnam puniri quoque Calumniosos Accusatores pœnis falsi, meliùs negant Farin. *cit. q.* 16. *n.* 4. Guazzin. *l. c. c.* 13. *n.* 11. quos sequitur Wiestn. *num.* 11. nisi tamen ultra calumniam processissent; v. g. si examinati sub juramento, falsum deposuissent, vel falsos testes produxissent, aut usi falsis instrumentis ad probationem criminis malitiosè impacti.

3. Tertiò: De Calumnia condemnati redduntur insuper infames infamiâ Juris. *can. si quis circa. caus.* 2. 3. 4. *l.* 1. & *l.* 4. §. 4 *ff. de his, qui not. infam.* Ac proinde irregulares, ut neque ad Ordines promoveri, neque in susceptis ministrare possunt. *c. fin. dist.* 51. *c. infames. caus.* 6. *q.* 1. item inhabiles ad Dignitates & Beneficia ecclesiastica *c.* 11. *de excess. Prælat.* & *c. infames. de reg. jur.* ac ita tenent Nav. in man. *c.* 27. *n.* 204. Suar. *de Censur. d.* 48. *s.* 2. *n.* 1. citati à Wiestn. *num.* 12.

4. Quartò: Clericus alium clericum calumniosè accusasse convictus puniebatur privatione beneficii & officii ecclesiastici, ac insuper verberatus publicè, moderatè tamen, & non crudeliter citra sanguinis effusionem, deportabatur seu mittebatur in exilium, *c.* 1. *h. t. can. quia juxta caus.* 5. *q.* 6. quæ pœna, exceptâ pœnâ verberationis, quæ abiit in desuetudinem seu non-usum, teste Clar. *l. c. q.* 70.

n. 3. hodiedum adhuc infligi potest à Judice ecclesiastico, teste Barbos. *in c.* 1. *h. t. num.* 3. & Diaz. *pract. crim. c.* 37. *n.* 1. apud Wiestn. *n.* 13. quæ locum principaliter habent in Clerico calumniosè accusante Clericum, non in Laico.

Quæst. 65. *An & aliis modis, quàm calumniosè accusando, delinquant accusatores?*

1. Resp. Affirmativè nimirum prævaricando & tergiversando, ut dicitur *L.* 1. §. 1. *ff. ad S.C. Turpill.* Et quidem prævaricatio sumitur quandoque latissimè, prout continet omnes, quotquot à præscripto sui officii deflectunt, & hinc non solùm accusatores in publicis, sed & in extraordinariis judiciis, inter prævaricatores censent tam Advocatos, quàm Procuratores, dum tacenda, manifestando, & manifestanda tacendo, falsas exceptiones admittendo, probationes proprias omittendo vel dissimulando, vel alio modo dolosè agendo cum reo, ut is absolvatur, colludunt, & sic in speciem exterius hostem accusati, intus amicum fovent, Lauterb. *in ff. de prævaric.* §. 2. citans Menoch. *de arbit. c.* 323. *n.* 5. Quandoque latè & impropriè pro Procuratore & Advocato tantùm, qui in judiciis privatis modo prædicto agunt, quò etiam reducuntur, qui parti adversæ gratificando, clientem justè litigantem hortantur, ut transigat iniquis conditionibus, vel pro re utriusque partis litigantis patrocinantur: Secus, ac est in Notariis, qui ab utraque parte requiri possunt. Denique sumitur strictè & propriè, prout fit *in L.* 1. §. 1. *ff. ad S. C. Turpill.* Et prævaricatio ut talis, est accusatoris cum reo, cujus partes tacitè fovet, dolosa collusio, vera ejus crimina abscondendo, & veris rei excusationibus, seu exceptionibus dissimulatis, nullius momenti ejusdem exceptiones admittendo in judicio publico criminali, sicque translativè, id est, obiter & simulatè munere accusatoris fungitur, Lauterb. *l. c.* Pirh. *h. t. n.* 1. Wiestn. *n.* 14. Reiff. *n.* 28. juxta *L.* 1. §. 6. *ad S.C. Turp.*

2. Tergiversatio est desistentia omnimoda accusatoris ab accusatione semel in judicio inchoato, nulla illius abolitione facta, scilicet per Principem, aliamve authoritatem publicam, intellige Judicis, à quo proinde impetrari debet, quique eam concedit causâ cognitâ, juxta *L.* 2. *& fin. c. de abolitione.* Marant. *p.* 6. *tit. de inquisit. n.* 83. Lauterb. *ad ff. ad S. C. Turp.* §. 8. qua accusatus à reorum numero eximitur, & accusationis memoria aboletur, *L.* 1. §. *ad S. C. Turp. juncta L.* 12. *ff eod.* Dicitur autem omnimoda desistentia, qualis non est, qua aliquantisper differtur accusatio, sed quando in toto affectus & animus agendi seu accusandi deponitur, *L.* 6. §. 1. *& 2. L.* 13. *ff. L fin. c. h. t.*

Quæst. 66. *Qualiter punienda prævaricatio & tergiversatio?*

1. Resp. Primò: Pœna prævaricationis inprimis est, infamia juris expressa per *L.* 4. *ff. de prævar.* Menoch. *de arb. casu* 323. *n.* 4. & hoc ipso etiam irregularitas. Thesaurus *de pœnis ecclesiast. p.* 2. *v. accusator. c.* 1. *n.* 3. *& c.* 2. Wiestn. *h. t. n.* 14. Reiffenst. *n.* 29. juxta *L.* 1. *& 2. ff. de prævar.*

2. Resp. Secundò: Pœna tergiversationis olim erat quinque librarum auri, per *L.* 3. *ff. de prævar.* aut juxta *L.* 1. *c. ut intra certum tempus.* pars quarta omnium bonorum, & de ea condemnatus reddebatur infamis, *L.* 2. *c. eod.* & consequenter irregularis Thesaur. *l. c. c.* 3. Hodiedum tamen, dum receptum est, ut accusatore ab accusatione desistente Judex novo processu instituto procedat, ut Clar. §. *fin. q.* 58. *n.* 4. tergiversationis, si non ipsum crimen, saltem pœna sublata est, ut Thesaur. & Molin. *de J. & J. tr.* 3. *d.* 47. *n.* 10. & *tr.* 4. *d.* 9. *n.* 11. Unde etiam, ut Wiestn. *num.* 15. *in fin.* hodie nemo ex ea contrahit infamiam, adeóque nec irregularitatem, quippe quæ ipsi crimini tergiversationis imposita non reperitur, sed oritur ex infamia, si quam de illa condemnatus incurrit. Verùm hodiedum tergiversationem puniri pœnâ arbitrariâ, nec referri, num desistatur per transactionem, (intellige in casibus, ubi transactio de crimine alias permissa non est) an verò simpliciter, Lauterb. *in ff. ad S. C. Turpill.* §. 4.

Quæst. 67. *Tergiversationis pœnâ quâliter evitentur abolitione; quid ea sit, & quotuplex; qualiter, à quibus & pro quibus concedatur, quis ejus effectus?*

1. Resp. Primò: Aliud nihil est, quàm necessitatis accusationem inchoatam prosequendi remissio, *L.* 13. §. 1. *ff. ad S. C. Turpil.* ut constat ex dictis paulò ante. Et, si ab accusatione semel instituta liceret pro libitu impunè desistere, esset in potestate & arbitrio accusatoris reum impunitate delicti donare, contra *L.* 14. *c. de pœnis.* Lauterb. *in ff. ad S. C. Turpil.* §. 5. Alia & generalis vel publica, quæ sine alicujus instantia propter publicam causam, v. g. ob insignem diem festum, vel publicam gratulationem, ob natalem filii, adeptam regni possessionem, victoriam, aliámve rem benè gestam, ob consecrationem templi, rei leviorum criminum ab accusatione eximuntur, ne tempore publicæ & communis lætitiæ in luctu hæreant, Lauterb. *l. c.* §. 10. qui tamen, dum addit limitationem: modò præstetur cautio ab incarcerato, finitis feriis redeundi ad carcerem, videtur loqui non de abolitione absoluta accusationis, sed potiùs de dilatione illius; quod saltem in accusatione leviorum criminum non videtur conveniens, quin potiùs unà cum accusatione ea ipsa crimina ob dictas causas abolescantur. Alia est abolitio specialis & privata, quam Judex competens accusatori ex justa causa petenti concedit: de hac itaque loquendo,

2. Resp. Secundò: Hæc abolitio non nisi ex justa causa concedi potest: causa autem impulsiva est petitio accusatoris; cùm Judex officium suum non nisi imploratus concedat, juxta *L.* 10. *ff. h. t. L.* 2. *c. & L.* 4. §. 1. *ff. de damn. infect.* Causa autem justa est error, *L.* 15. *ff. de jur. fisci. reg.* 76. *ff. de reg. jur.* Inconsultus dolor suam & suorum injuriam defendentium, *L.* 1. §. *fin. de postulat.* cùm durum videatur, ut, qui hac de causa ad accusationem prosiliunt, æquali pœnâ cum aliis puniantur, cum tamen habuissent animum lædendi alterum, Lauterb. *l. c.* §. 7. si tamen ad abolitionem per deceptionem, aut pecuniâ corruptus ad petendam abolitionem: devenerit accusator, petitio illius nullo modo admittitur, Lauterb. *l. c.* juxta *L.* 1. §. 3 *ff. L.* 2. *& 3.* arg. *c. de calumn. L.* 5. *q.* 3. *c.* 8.

3. Resp. Tertiò: Abolitio illa non petenda à Principe, sed à Judice; cum impetrari nequeat, nisi ab eo, cui cognoscendi & decernendi jus est. Lauterb. *l. c.* juncta *L.* 16. *c. ad L. Jul. de adult. L.* 15. *ff. de jure fisc.*

4. Resp. Quartò: Concedi non potest sine prævia cognitione causæ, *cit. c.* 1. §. 7. *& L.* 2. *de calumn.* Et ut rectè fiat petitio & concessio, debent adesse partes, *cit. L.* 2. Lauterb. *l. c.* Potest tamen

concedi

cõcedi invito reo accusatore petente intra 30. dies à tempore institutæ accusationis computandos, si res adhuc sit integra, id est, si reus nihil injuriæ, v. g. carceres, tormenta, verbera, catenas sustinuerit, nec testibus illata tormenta. *l. 3. de abolit.* Lauterb. *l. c.* citans Christianæ. *vol. 4. decis. 205. n. 3.* Sed, si res non sit integra amplius, tunc demum reo abolitio conceditur, si 30. dies à facta accusatione passus sit effluere, Lauterb. *l. c.*

5. Resp. quintò. Abolitio accusationis fieri potest respectu omnium criminum in specie non exceptorum, qualia sunt crimen læsæ majestatis, patriæ oppugnatæ & proditæ, peculatus, sacramenti militiæ desertio, aliáque quæ immediatè in reipublicæ detrimentum vergunt, item, quæ *L. Julia de vi publ.* referuntur Lauterb. *l. c. §. 9.*

6. Resp. sextò: Finis & effectus absolutionis est, ut accusator impunè desistere possit ab accusatione, neque ex L. Julia talionis, aut ex S. C. Turpill. teneatur. *l. 4. §. 1. ff. h. t. l. 11. §. fin. ff. de accusat.* Item quòd idem crimen ab eodem in eundem restaurari nequeat. *l. 2. l. 4. §. 1. l. 15. §. 3. ff. h. t. l. 6. c. de his, qui accus. non poss.* nisi specialiter à Principe abolitionem abolitionis impetraverit. *l. 2. c. de abolit.* vel nisi ex falsa causa abolitio fuerit impetrata.

TITULUS III.

De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur.

CAPUT I.

De Simoniæ origine, natura & varietate.

Quæst. 68. Simonia unde sic dicta, quid sit seu qualiter definiatur?

1. Resp. Simonia nomen sortita est à Simone mago, eò quòd is primus lege nova jam per Apostolos promulgata hoc crimen admisisse legatur. *Act. 8. v. 20.* dum potestatem conferendi Spiritum Sanctum pecuniâ tanquam pretiò emere intendit; tametsi aliàs in lege veteri à pluribus commissum, puta à Balac Rege, *Num. c. 22.* pretio conducente Balaam ad maledicendum populo Israel; & Jasone, 2. *Machab. 5.* cum pro Sacerdotio obtinendo ab Antiocho Rege, pluta talenta obtulit; à Juda 30. argenteis vendente & tradente Christum, utl hæc referuntur *can. qui studet, caus. 1. q. 2.*

2. Resp. ad secundum: Definiri solet Simonia à Canonistis cum Gloss. communiter recepta *ad rubr. h. t.* & à Theologis ex D. Thoma 2. 2. *q.* 100. *a.* 1. quod sit studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, aut spirituali annexum, vel etiam cum Suar. *Tom. 1 de Relig. l. 4. c. 1. n. 7.* quod sit sacrilegium commissum emptione aut venditione, seu quovis contractu, quo spirituale ut tale pro temporali commutatur. Dicitur primò: *voluntas*, causâ acceptâ pro effectu, nimirum voluntaria actione, quæ ab illa procedit, denotatúrque hoc ipso includi Simoniam mentalem; cùm non actione solùm externa, sed & mente compleatur, spe nimirum & cupiditate obtinendi spirituale ex præstatione alicujus temporalis, ita ut jam opùs non sit addere in definitione, *opere secuto*, ut volunt quidam Canonistæ, præsertim, cùm idipsum etiam exprimatur per *vo vendendi & emendi*. Ita Suarez *l. c. l. 4. c. 1. n. 9.* Azor. *p. 3. l. 12. c. 1. q. 1.* Pirh. *h. t. n. 1.*

3. Dicitur secundò: *studiosa voluntas*, id est, plenè deliberata & non per ignorantiam procedens; cùm nulla formaliter sit Simonia & peccatum, quæ non procedant ab actu interno libero. Azor. Pirh. *ll. cit.* Less. *l. 2. de just. c. 32. n. 3.* De cætero, an ex parte illius, qui fictè promittit spirituale pro temporali, vel è contra temporale pro spirituali, etsi committat peccatum scandalosè, imò & sacrilegè mentiendo, non tamen committit Simoniam, tenent aliqui, committi verò sustinet Navar. *adc. fin. h. t. n. 10.* apud Wiestn. *h. t. n. 18.* eò quòd mediante promissione rei temporalis, licet ficta, intendat alterum obligare ad dandum spirituale.

4. Dicitur tertiò *emendi & vendendi*, latè accipiendo hæc nomina pro omni contractu non gratuito, sive onetoso & reciproco: in quo datur vel præstatur temporale quid pro spirituali, tanquam hujus pretium, seu in compensationem illius, sive sit vera emptio & venditio, sive sit permutatio, transactio, locatio aliúsve contractus innominatus, do ut des, facio ut facias; & omnis pactio expressa vel tacita, ita ut etiam comprehendantur nominatio, præsentatio, electio, confirmatio, institutio, renunciatio, remissio similésque actus, si non fiant gratis. Item ut Pirh. cum Azor. *cit. c. 1. q. 11.* omissio similium actuum, ut dum quis accepto pretio omittit aliquem ordinare, eligere &c. in quorum singulis qualiter committatur Simonia dicetur infra.

5. Dicitur quartò: *Aliquid spirituale*, ita ut in hac definitione accipiatur spirituale pro merce, dum pro eo obtinendo datur vel præstatur temporale, & vice versa pro pretio, si pro obtinendo temporali datur spirituale, atque ita spirituale necessario semper sit subjectum sive objectum pacti Simoniaci. Porrò spirituale hic non sumitur pro incorporeo, ut sunt angeli, anima rationalis, sed pro aliquo supernaturali, & ad spiritualem animarum salutem, vel ex institutione divina, vel ex destinatione Ecclesiæ ordinatum. Ut Nav. *man. c. 23. n. 99.* Suar. de *Simonia c. 8. n. 6.* Less. *l. 2. de j. & j. c. 35. n. 5.* Horum spiritualium quædam sunt talia formaliter, puta gratia sanctificans, gratiæ gratis datæ, consideratæ quasi in habitu, virtutes Theologicæ & morales infusæ, dona Spiritus sancti, character per sacramenta impressus animæ. Unde etiam Simoniam committere, qui Servum Christianum vel sacerdotem, ideo præcisè, quia tales sunt, carius venderet, quia censeretur fidem & characterem sacramentalem vendere, astruunt Ugol. *de Simon. tab. 1. c. 36. n. 3.* Suarez *l. c. c. 9. n. 9.* apud Wiestn. *h. t. n. 34. in fin.* Quædam causaliter, utpote causæ donorum spiritualium & supernaturalium; ut sacramenta instituta ad gratiam sanctificantem causandam; item sacramentalia, tam quæ in actione transeunte consistunt, ut benedictiones, exorcismi; quam permanentia, ut consecra-

tio Ecclesiarum, altarium, calicis, benedictio aquæ, olei, cereorum; item officia Ecclesiastica ad spiritualem & supernaturalem finem proximè ordinata, ut prædicatio verbi divini, orationes, quæ in choro, processionibus publicè & privatim ad salutem animarum ac proimpetratione bonorum spiritualium factæ ex institutione Ecclesiæ. Denique quædam, quia effectus sunt seu actus à gratia, dono, officio, ac potestate spirituali tanquam causâ proximè procedentes, ut prophetia, patratio miraculorum, actus ordinum, collatio baptismi, consecratio, ordinatio, actus sepeliendi.

6. Dicitur quintò: *Aut spirituali annexum*, qualia sunt, quæ etsi in se spiritualia non sint, ab illis tamen spiritualia, aut hæc ab illis dependent, quæ annexio se triplici modo habere potest. Primò antecedenter; dum veluti principia & causæ prævie & præsuppositivè ad spiritualia ordinantur, ut sacra vasa, vestes, altaria, templa &c. ad sacrificium missæ ordinantur & consecrationi præsupponuntur. Quò etiam ab aliquibus referuntur jus patronatus, beneficiorum collationes, resignationes, electionésque ad ea, quatenus se per modum causæ antecedenter ad ea habent. Secundò concomitanter sine quibus, tanquam intrinsecis ea non præstantur, v. g. labor corporis, qui suscipitur in sacrificando, & in administratione sacramentorum, aliorúmque officiorum divinorum. Tertiò consequenter annexa spiritualibus, veluti effectus suæ causæ, ut beneficia, quæ sunt jura percipiendi reditus & fructus, qui dantur propter officium & ministerium spirituale, quò etiam referuntur pensiones Ecclesiasticæ, ita ferè Pirh. *h. t. n.* 2. cit. Azor. Less. *ubi supra*. Suarez. *l.* 4. *de Simon. c.* 23. *n.* 2. Verùm quod attinet ad has pensiones, plures magni nominis A. A. ut Gonz. de Luc. Gambar. Gigas, aliique quos verborenus citavi in *foro beneficiario p.* 3. *q.* 439. *n.* 3. negant illis omnem spiritualitatem, etiam ratione connexionis cum spirituali. Aliis fortè probabiliùs & frequentiùs tenentibus contrarium, quorum verba & rationes quoque *l. c.* adduxi, uti & declaravi, quæ propriè ratione annexionis discantur spiritualia, quæ vide.

Quæst. 69. Qualem malitiam contineat Simonia, & in specie, num à mortali excuset parvitas materiæ.

1. Resp. primò in genere: Simonia est peccatum gravissimum, ut patet ex Scriptura, dum *Act.* 8. S. Petrus Simonem magum sub æternæ perditionis interminatione reprehendit, uti & ex jure, dum *can.* 7. *caus.* 1. *q.* 1. dicitur *execrabile flagitium. c.* 9. *h. t. horribile nimis.* dum *can.* 4. *caus.* 15. *q.* 3. æquiparatur crimini læsæ majestatis. *can.* 3. *can.* 11. *can.* 13. *caus.* 1. *q.* 1. hæresi, licet revera talis non sit, nisi forte illam committens, ut Simon magus, verè existimet res spirituales & supernaturales pecuniâ aliáve re temporali acquiri & possideri posse. Ad hæc Ecclesiæ perniciosissimum vitium est, cujus in illam damna vide enumerata à Reiffenst. *h. t. n.* 10. In Summa, tam atrox crimen est, ut *can. fin. caus.* 1. *q.* 7. dicere non dubitet Papa, omnia crimina ad comparationem Simoniæ pro nihilo reputari.

2. Resp. secundò in specie continet malitiam sacrilegii, estque ejusdem species quædam. Ut Pirh. *h. t. n.* 3. cum communi speciatim distincta ab omnibus aliis speciebus sacrilegii, malitia ejus consistente in eo, quod per eam res sacræ spirituales ac supernaturales & dona Spiritus S. quæ cætera dona longissimè excedunt, vilissimè æstimentur, indignissimè profanentur & tractentur, commutando & æquiparando ea cum re temporali. Quin & ipsum spiritum sanctum vendendo & emendo potestati suæ subjiciant, servum suum efficiant, ut dicitur *can.* 1. *q.* 1.

3. Resp. tertiò non datur in Simonia, nec ex parte rei spiritualis, neque ex parte rei temporalis (quæ pro invicem dantur aut promittuntur) parvitas materiæ. Nav. *h. t. conf.* 52. *n.* 3. Sanch. *l.* 1. *in decal. c.* 4. *n.* 1. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 8. *n.* 4. Bonac. *de Simon. q.* 3. *n.* 13. Castrop. *de Simon. p.* 1. *n.* 17. Reiffenst. *h. t. n.* 11. *& seq.* uti de parvitate materiæ constat ex *c.* 20. *h. t.* Ubi clericus qui sex solùm solidos solvit pro ordinatione, perpetuæ suspensioni subjicitur, quæ pœna utpote gravis, gravem culpam supponit. Item ex *can.* 102. *caus.* 1. *q.* 1. Ubi sola *tremissis* (id est, tertia pars solidi, *ut Gloss. ibid. V. tremissem*) pro modico chrismatis, sub æternæ damnationis periculo prohibetur, ex ea ratione, quòd ex parvitate rei temporalis datæ pro re spirituali potiùs augeatur quàm minuatur malitia Simoniæ; cùm quò minor & vilior est res temporalis data eò magis vilipenditùr & tractatur res spiritualis pro ea accepta. Excusatur verò quis *c.* 18. *h. t.* à Simonia ratione modici pretii, non quòd modica pars pretii ad peccatum mortale Simoniæ coram DEO, gravesque exinde pœnas in conscientia subeundas non sufficiat, sed quòd Ecclesia, quia ex exigua quantitate pretii, præsumit illam insufficientem ad movendum & obligandum accipientem ad aliquid spirituale dandum, censeat illam gratis datam, & consequenter in foro externo talem non judicet, nec puniat tanquam reum Simoniæ. Ita ferè Reiffenst. *n.* 12. Hinc etiam deducens, dantem modicum illud pro beneficio tanquam verum Simoniacum in conscientia teneri restituere beneficium fructúsque inde perceptos, si modicum illud obligatoriè, vel saltem ut motivum pro consequendo beneficio dedit. Quod etiam ex parte rei spiritualis parvitas non excuset à mortali, constare videtur ex *cit. can.* 102. caus. 1. q. 1. Ubi sub æterna damnatione illicitum declaratur, pro modico balsami benedicti dare temporale. Uti etiam ex ea ratione, quòd, cum quævis etiam res minima spiritualis sit præstantior & æstimabilior rebus omnibus temporalibus, sacrilegè tractetur, eique injuria magna irrogetur, si temporali pretio æquiparetur.

Quæst. 70. Qualiter Simonia dividatur in eam, quæ est juris divini, & quæ est juris Ecclesiastici.

1. Resp. primò: Simonia rectè & passim dividitur principaliter cum Glos. *in c. pridem. de pactis. V. illicita pactio.* Suar. *L.* 4. *de Simon. c.* 2. *&* 7. Less. *l.* 2. *c.* 35. *du.* 1. Castrop. *tr.* 17. *d.* 3. *p.* 2. *n.* 1. plurimísque tam Theologis quàm Canonistis, citatis à Reiffenst. *h. t. n.* 26. in Simoniam juris naturalis seu divini, & in eam, quæ est juris positivi Ecclesiastici. Simonia juris naturalis (sic dicta, quia natura seu lumen naturale dictat, indecens & rei sacræ injuriosum esse eam, quæ à sola manu liberali Dei dependet, omniáque temporalia sine comparatione superat, rebus temporalibus æquiparare hominúmque arbitrio & æstimationi subjicere) & divini est, quando pro re temporali datur, præstatur, vel promittitur res in se verè spiritualis, aut huic annexa, vel è contra pro re merè temporali res in se dicto modo spiritualis, v. g. gratia sanctificans, vel gratis data, sacramenta, consecratio, benedictio, hostia consecrata, Ecclesia vel calix

consecra-

consecratus, jurisdictio spiritualis, vel spirituale officium, atque hæc propriissimè Simonia est, cui principaliter convenit data paulo ante definitio Simoniæ. Simonia juris positivi Ecclesiastici, utpote inducta per legem merè Ecclesiasticam ex motivo religionis, iisdémque pœnis, quibus Simonia juris naturalis & divini, subjecta, est ea, quâ res una spiritualis aut huic annexa commutatur authoritativè cum alia spirituali, ut contingit in permutatione beneficiorum facta sine authoritate & licentia Superioris habentis ad hoc potestatem, *c. quæsitum. c. cùm olim. de permut. benefic.* uti & in transactione super lite beneficiali. *c. 4. de transact. c. cum pridem. de pactis.* Suarez. *l. c. c. 2. & 7.* Less. *c. 35. n. 25.* Castrop. *l. c. n. 2.* Pirh. *l. c. n. 5.* Wiestn. *n. 4.* Reiffenst. *n. 25.* ad quam quoque Simoniam ab iis reducuntur resignationes beneficiorum confidentiales, de quibus infra. Quin & Officia Oeconomi, Vicedomini, Sacristæ Thesaurarii, Castaldi (qui idem est ac major domus, ut Glossæ.) ad rerum Ecclesiæ temporalem administrationem, custodiam, defensionem instituta, huc spectant, quæ etsi spirituale nihil, sanctitatémque nullam per consecrationem aut benedictionem contineant, eorum tamen venditionem ad Simoniam juris humani referri, ejúsque pœnis subjacere, eò quòd ut talis prohibeatur ab Ecclesia, *can. siquis Episcopus. c. 1. q. 1. can. Salvator. c. 1. q. 3. c. consulere. 38. h. tit.* tenent Less. *l. c. n. 26.* Suarez. *l. c.* Castrop. Pirh. Reiffenst. *ll. cit.* Wiestn. *n. 5.* An verò ea venditio, & in genere, num Simonia purè juris humani Ecclesiastici sit propriè, & non minùs Simonia quàm Simonia juris divini, in eo non ita conveniunt AA. affirmant idipsum Suarez. Less. Reiffenst. Wiestn. *ll. cit.* ex ea ratione: quòd, cùm in beneficiis Ecclesiasticis titulo spirituali, annexi sint reditus temporales, quorum præcipuè intuitu fieri possunt, & frequenter fiunt permutationes & resignationes eorum, Ecclesia propter periculum Simoniacæ pravitatis, & similitudinem cum ea rectè eas tales præsumit, & ut tales prohibet fieri authoritate propria. Similiter officia illa memorata temporalia, quia connexionem & affinitatem quandam habent cum cultu divino, in cujus diminutionem, quia eorum venditio facile cedere potest, ab Ecclesia invendibilia reddita sunt instar rerum verè spiritualium iisque annexarum, ac ita intuitu cultus divini diminuendi, & vi repurationis Ecclesiæ Simoniæ labes contrahitur, dando temporale pro temporali habente annexum seu respiciente spirituale, etiamsi detur sine respectu ad illud spirituale ei annexum. Posse autem Ecclesiam actum ex se indifferentem ex motivo turpitudinis in vitio aliquo affine v. g. Simoniæ reperto, prohibendo facere materiam talis vitii, non mutando naturas rerum in genere entis, sed solùm in genere moris; uti è contra actum talem ex motivo honestatis relucente in aliqua virtute, v. g. religionis, præcipiendo materiam illius, patet à simili, v. g. in fornicatione cum consanguinea vel affine in gradu solo jure Ecclesiastico prohibito, quâ committitur incestus; etsi talis ex natura rei non sit in effusione sanguinis intra Ecclesiam ob loci reverentiam prohibita. Contrarium nihilominus, nimirum non esse propriè Simoniam, & consequenter definitionem Simoniæ supra datam (quam tamen communiter DD. admittunt, ut & divisionem in eam, quæ est juris divini, & quæ est juris humani, esse legitimam) non esse exactam, defendunt Durand. *in 4. dist. 15. q. 1.* Sotus *l. 6. de just. q. 5. n. 3.* Rodriq. *tom. 2. sum. c. 56. n. 2. & 3.* & Paludan. *in 4. dist. 25. q. 4. a. 2.* Pirh. *h. t. n. 6.* Laym. & alii apud Castrop. *l. c.* qui proinde, etsi ea omnia paulò ante dicta de potestate Ecclesiæ statuendi illa intra materiam Simoniæ approbet; tamen cum Valent. *Tom. 1. d. 6. q. 16. p. 5. n. 2.* dicit hanc quæstionem: num talis transgressio prohibitionis Ecclesiæ constituatur in propria specie Simoniæ ejusdemq; sit rationis cum Simonia juris divini, esse quæstionem de nomine, quem vide.

Quæst. 71. Qualiter Simonia dividatur in mentalem, conventionalem & realem, & quæ singularum natura?

1. Resp. primò: Divisio hæc passim recepta à Juristis & Theologis. Et quidem Simonia mentalis est, dum quis dat temporale pro spirituali, & contra, sine ullo pacto expresso, vel tacito externè manifestato, hac tamen interna intentione seu proposito, ut alterum obliget, moveat seu alliciat ad dandum spirituale pro temporali, & contra ad dandum temporale pro spirituali. Ad hanc Simoniam requiritur, ut actu quis det (non enim ex eo dicitur mentalis, quòd illa intentio non exeat in actum exteriorem dandi & recipiendi, sed quòd ea non declaretur, ut Castrop. *l. c. n. 3.*) ita ut, licèt coram Deo committat veram Simoniam mortaliter peccaminosam, quando præcisè internè proponit dare aut præstare temporale pro spirituali, vel contra, etsi hoc propositum necdum executus sit, aut alio actu manifestatum, non tamen dicatur mentalis in eo sensu, in quo communiter loquuntur AA. sed simpliciter Simonia interna, Wiestn. *h. t. n. 7.* etsi in hoc non parum quæstionis de nomine videatur intercurrere. Committitur hæc Simonia propriè mentalis quandoque ex parte unius tantum, v. g. dantis; quandoque ex parte utriusque, nimirum tam recipientis quàm dantis, ita ut tam ille det animo Simoniaco obtinendi spirituale pro temporali, quàm ille recipiat, simili animo, etsi neuter alteri hunc suum animum manifestet exteriùs. Nam si tale quid exteriùs dicant aut agant, unde alter in notitiam talis perversæ intentionis alterius devenire possit, jam non sit Simonia mentalis, sed conventionalis: Et, si insuper detur quid aut accipiatur, evadat Simonia realis, & pœnas juris ipso facto inducat, quas alias nullas inducit, quamdiu talis intentio manet occulta, sed solum Deum judicem & ultorem habet. Talis igitur Simonia propriè mentalis est, v. g. dum quis servit Episcopo pro exiguo & incompetente salario ea intentione occulta, nullo externo signo manifestata, ut ab eo sibi in compensationem servitii conferatur beneficium, ut *ex c. tua nos. de fil. presbyt.* §. *licèt.* Gonz. *ibid.* n. 2. Suar. *l. c. c. 40. n. 3.* Item dum quis inhians beneficio, offert munera vel obsequia collatori, patrono, electoribus, aut ei, quem scit apud eos plurimùm valere, simulando externè se omnino gratis, vel nescio quo alio licito titulo offerre seu exhibere, habens interea in animo intentionem, illo munere vel obsequio movendi ad conferendum, aut procurandum sibi beneficium.

2. Resp. Secundò: Simonia conventionalis est, dum intervenit quoque conventio seu pactum expressum vel tacitum externè manifestatum dandi temporale pro spirituali, aut è contra spirituale pro temporali, ita tamen, ut ex neutra parte vel saltem ex una solùm parte sit completum seu datum executioni, v. g. si Beneficium sit collatum, temporali tamen ab accipiente Beneficium nondum dato. Navar. *c. 23. n. 103.* Valent. *tom. 5. d. 6. q. 16.*

p. 3. verſ. & notand. Caſtrop. *l. c.* Pirh. *num.* 8. cum communi. Et ſi ex neutra parte ſecuta ſit executio, dicitur Simonia conventionalis pura, ſi ex una tantùm parte, ſive quoad traditionem pretii, ſive quoad dationem mercis, facta executio, dicitur conventionalis mixta, nempe ex conventionali & verbali, Pirh. *l. c.* Wieſtn. n. 7. Reiffenſt. *n.* 19. ſi verò fieret ſolùm externa pollicitatio ab uno, eaque ab altero non acceptaretur; non foret conventionalis; cum conventio ſeu pactum ſit duorum vel plurium in idem placitum conſenſus, ſed remaneret mentalis. Farin. *l.* 1. *deciſ.* 34. *à num.* 4. Pirh. Caſtrop. Reiffenſt. *ll. cit.*

3. Reſp. Tertio: Simonia realis eſt, quando pactio ſeu conventio tacita vel expreſſa de danda re ſpirituali pro temporali, aut è contra ex utraque parte actuali traditione tam mercis quam pretii (ſaltem inchoata, id eſt, parte mercis & parte pretii) completa eſt; quousque enim hac ratione completa non eſt Simonia, manet conventionalis, & pœnas canonicas non incurrit. ita Gutt. *can.* 99. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 10. Covar. *in reg. peccatum* 2. §. 9. *num.* 7. Paris. *de reſign. l.* 7. *q.* 2. *n.* 7. Leſſ. *l.* 2. *c.* 25. *du.* 6. *n.* 36. Suar. *l. c. n.* 5. Pirh. *n.* 9. Reiffenſt. *num.* 20. Wieſtner. *num.* 7. cum communiore contra Sotum *l.* 9. *q.* 8. *a.* 1. Cajet. 2. 2. *q.* 100. *a.* 6. aliósque nonnullos, quos citat & ſequitur Caſtrop. *l. c. p.* 22. *num.* 5. quatenus docent, quòd, dum tradito Beneficio, pretium pro eo promiſſum traditum non eſt, adhuc incurri pœnas, adeóque ſupponunt, in eo caſu adhuc eſſe verbalem Simoniam. Sed de hoc infra, ubi de pœnis Simoniæ. Atque ita jam ex priore ſententia rectè infertur, etiam eum, qui ſeriò promiſit temporale pro ſpirituali, vel contra, & poſtea accepto ſpirituali pœnitentiâ ductus ex parte ſua promiſſum dare vel præſtare recuſat, Simoniæ realis aut pœnarum ejus reum non eſſe, neque injuſtitiam committere, cùm conventio & promiſſio de dando ſpirituali invalida ſit, & conſequenter nullam inducat obligationem. Multóque minus etiam Simoniam mentalem committit, qui fictè ſolùm promittit dare ſpirituale pro temporali vel contra, ſine animo implendi aut ſe obligandi, niſi quoad actum externum, quamvis alter deceptus acceptans promiſſionem committat Simoniam mentalem, & uterque à Judice puniri poſſit (intellige pœnâ arbitrariâ; cùm pœna nulla ordinaria ſtatuta Simoniæ mentali) Pirh. *h. t. n.* 9. Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 42. *n.* 4. & 5. Tanner. *tom.* 3. *d.* 5. *de relig. q.* 8. *du.* 2. Laym. *l.* 4. *t.* 10. *L. ult.* §. 6. Wieſtn. *h. t. n.* 18. contra Navar. *ad c. fin. h. t. n.* 10. in quantum is cenſet, fictè promittentem committere quoque Simoniam, quia promiſſione licet ficta, intendit obligare alterum ad conferendum ſpirituale. De cætero ad Simoniam non requiritur, ut temporale & ſpirituale ſimul tradantur, ſed ſufficit, ut unum poſt aliud, etiam longum tempus, v. g. annum, tradatur, aſſerit Reiffenſt. *h. t. n.* 23. manere eam mentalem vel conventionalem, donec ex utraque parte, ſaltem inchoativè, fiat traditio, & tunc ab eo momento evadat primò realis, quoad pœnas tamen retrahatur ad tempus pactionis præteritæ. Sed de hoc quoque infra, ubi de pœnis. Præter has Simoniæ ſpecies datur & alia, nempe Simonia confidentialis, verùm de hac accuratè & fusè à me actum in foro Benefic. *p.* 3. *q.* 735. Ubi *num.* 1. quo Jure inducta & qualiter committatur. *num.* 2. quòd ejus materia ſit ſolum Beneficium Eccleſiaſticum. *num.* 3. per quas actiones committatur, *n.* 4. qualiter non committatur in permutatione Beneficiorum. *n.* 5. quid ſpecialiter requiratur, ut committatur in reſignatione Beneficiorum. *num.* 6. quod in hac re Simonia habeat rationem pretii.

CAPUT II.

De Materia Simoniæ, merce nimirum, quæ datur, & pretio, pro quo datur ſpirituale.

Quæſt. 72. *Quæ veniant in Simonia nomine mercis & pretii, & hoc quotuplex?*

1. Reſp. Ad Primum: Nomine mercis in omni Simonia neceſſariò venit res ſpiritualis, vel ſpirituali annexa, pro qua datur temporale tanquam pretium. Talia in ſpecie, de quibus in præſente *cap.* Quæritur, an rationem mercis habeant, & qualiter circa ea committatur Simonia, juxta dicta non ſolùm ſunt ipſa, quæ in ſe ſunt intrinſecè vel annexivè & reſpectivè ſpiritualia, ut præter gratiam ſanctificantem, dona Spiritus Sancti, Characterem ſacramentalem ipſáque Sacramenta miſſam, & Reliquias Sanctorum, ſunt variæ poteſtates & jura, v. g. Beneficium, Jus Penſiones percipiendi, Jus patronatus ſeu præſentandi, Jus Jurisdictionis, Jus decimandi, Jus Sepulturæ, Poteſtas conficiendi & conferendi Sacramenta & ſimilia. Et præter hæc etiam variæ actiones circa hæc ipſa verſantes, v. g. Beneficiorum Proviſio per Præſentationem, Electionem, Collationem, Confirmationem, Reſignationes, Permutationes, Transactiones, Reſervationes, item Adminiſtrationes Sacramentorum, Prædicatio Verbi Dei, &c.

2. Reſp. Secundo: Nomine pretii in Simonia venit communiter res temporalis, quæ pro re ſpirituali vel ei annexa datur vel præſtatur. Et quidem in Simonia Juris Divini non ſolùm pecunia, ſed & res quæcumque temporalis, in Simonia verò Juris Eccleſiaſtici etiam res ſpiritualis rationem pretii quandoque habet; dum datur pro alia re ſpirituali, utì contingit in permutatione Beneficiorum facta ſine authoritate Superioris. Extra Materiam vero beneficialem etiam propria authoritate dando ſpirituale pro ſpirituali v. g. Reliquias pro Reliquiis, Miſſam pro alia re Spirituali, eò quòd tunc rei ſacræ irrogetur injuria, adeóque merito Jure prohibitum. Suarez *de Simon. l.* 4. *c.* 31. *n.* 20. Pirh. *h. t. n.* 124. Reiffenſt. *n.* 58. Vocari autem ſolet hoc pretium, *Simoniacum munus.* Quod aliàs tribus modis accipi ſolet, primo pro munere gratuito, ſecundò pro officio; tertiò pro onere ſeu obligatione, in quo ſenſu hìc accipitur.

3. Reſpondeo tertio: Dividitur ſic ſumptum trifariam, juxta *Canon.* 114. *cauſ.* 1. *q.* 1. in munus à manu, in munus ab obſequio, & munus à lingua. Nomine muneris à manu, non venit ſola pecunia, etſi hæc aliàs propriiſſimè ſit pretium, arg. *L. quod ſi ſervus.* §. *fin. L. ſi res. ff. de in rem verſo.* Sed & quævis alia res temporalis, pretio æſtimabilis, uti

litatem

litatem & commodum aliquod afferens, sive mobilis, sive immobilis; sive corporalis, sive incorporalis. Ut sunt jura quædam, v. g. pensiones, debiti remissio, dilatio, anticipatio, cessatio, vexatio, iniqua cessio Litis. Navar. *man. c. 23. n. 101.* Bonacin. *de Simonia* §. 1. *n. 3.* Laym. *de Simon.* §. 3. *n. 25.* Reiffenst. *h. t. n. 59. arg. can. 6. caus. 1. q. 3.* Ubi hæc omnia æquiparantur pecuniæ, & in specie de remissione debiti constat ex *c. 20. de test. c. 3. h. t.* De mutuatione pecuniæ, anticipatione debiti ex *L. quisquis. C. si certum petat.* Ex ratione quoque universali constat contineri in his omnibus Simoniam, si fiant seu præstentur ad obtinendum spirituale, quod in his omnibus inveniatur utilitas vel commoditas aliqua temporalis. Nomine muneris ab obsequio venit quodcumque servitium vel obsequium temporale exhibitum vel exhibendum ex tacito vel expresso pacto per personam aliquam pro re aliqua spirituali. Ita communis arg. *c. 12. h. t.* Talia v. g. sunt non solùm ex dicto pacto vel intentione famulari ei, qui rem spiritualem conferre vel procurare potest, sed & solvere debita, quæ is ratione servitii sibi vel suis præstiti contraxit. Item illius negotia gerere, instruere illum, ejúsve consanguineum in aliqua scientia, dicere missas pro eo &c. Quia & similia æquivalent pecuniæ & pecuniâ compensari possunt. Ita Suarez cit. *l. 4. c. 39. à n. 5.* Rodriq. *V. Simonia c. 39. n. 2.* Castrop. *l. 1. p. 3. n. 8.* Nomine muneris à lingua, veniunt preces, intercessiones, recommendationes, Laudes, dum hæ ex pacto expresso vel tacito pro assequenda re quapiam spirituali interponuntur, vel interponendæ promittuntur aut exiguntur, v. g. apud Principem, communitatem, magnatem aliúmve, qui temporale conferre vel procurare potest, v. g. dum collator aliquis beneficium confert vel promittit alicui, si is preces, vel recommendationem sui & laudes interponat apud Principem ad ejus favorem pro se vel suis obtinendum, vel etiam per eum beneficium pinguius, seu dignitatem spiritualem vel temporalem sibi suisve procurandam. Item si valens authoritate apud Principem promittat mihi sua intercessione & recommendatione ejusdem favores vel etiam officium, sub eo pacto & conditione, ut sibi vel amico suo, procurem beneficium vel officium Ecclesiasticum. Ita quoad rem ipsam Navar. *in man. c. 23. n. 102.* Bonac. *de Simon.* §. 1. *n. 13.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 3. n. 26.* Suarez. *de Simon. l. 4. c. 40. n. 12.* Less. *cit. c. 35. n. 118.* Castrop. *l. c. n. 9.* Pirh. *h. t. n. 138. arg. c. sunt nonnulli. caus. 1. q. 1.* & *c. nemo. h. t.* Sunt enim hujusmodi preces & intercessiones quid temporale, pretio æstimabile, cedens in utilitatem illius, pro quo offeruntur in ordine ad consequendum spirituale, ita ut etiam vendi possint. Simoniacum tamen non est, ut patet ex totius orbis consuetudine, rogare per se vel alium, aut etiam commendationem sui interponere apud Collatorem, ut sibi vel alteri conferat beneficium, uti nec ad preces & intercessionem alicujus conferre aliquid spirituale, modò non intercedat pactum aut ulla obligatio Justitiæ; aut etiam, ut Castrop. *l. c.* exauditio precum non cedit in aliquod commodum concedentis; quod enim humiliter petitur, omnino gratis conceditur. Ita Suar. Castrop. Laym. Less. Pirh. *ll. cit.* cum communi, arg. *c. 121. caus. 1. q. 1.* & *c. tua nos. h. t.* Et hæc ferè in genere de iis, quæ mercis & pretii Simoniaci rationem habere possunt. Descendendo nunc ad eorum præcipua in particulari examinandóque, qualiter in iis committatur Simonia, sit

Quæstio 73. Qualiter committatur Simonia circa merè & intrinsecè spiritualia, puta gratiam, Sacramenta & sacramentalia?

1. RESp. Primo: Tam gratia Sanctificans quàm gratiæ gratis datæ, tunc emi & vendi dicuntur, quando emitur & venditur (non quidem de Jure, sed de facto) ut Pirh. *h. t. num. 10.* potestas conferendi ministraliter gratiam seu Spiritum Sanctum, potestas item patrandi Miracula, donum Prophetiæ. Quemadmodum id ipsum intendit Simon magus, dum oblata Pecunia S. Petro, voluit, ut is sibi hanc potestatem communicaret. Committi autem hac ratione Simoniam propriissimè Juris Divini, cum communi & indubitatè tradunt: D. *Th. 22. q. 100. a. 1. ad 4.* Suarez, *l. c. c. 49. n. 7.* aliique passim.

2. Resp. Secundo: Idem est de septem Legis novæ Sacramentis causativis gratiæ Sanctificantis, & de Charactere, quem eorum aliqua causant, qui spirituale quid est & supernaturale, dum dantur seu conferuntur & recipiuntur pro pretio temporali. Prout constat generaliter ex *c. 9. h. t.* ubi non tantùm id gravissimè prohibetur, sed & vitium nimis horribile dicitur, contraque illud nulla prævalere potest consuetudo. Quod signum est, esse quoque jure naturæ prohibitum, seu prohibitum, quia in se malum, ex ea ratione, quia Sacramenta etsi constent actionibus & passionibus humanis, sunt tamen & ipsæ hæ dona divina supernaturalia, quatenus institutæ & elevatæ ad conferendam gratiam, & hinc Sacramenta, non sine turpissima irreverentia æquiparantur pretio temporali. Ita quoque de singulis eorum in particulari constat ex Jure. De Baptismo quidem *can. 100. & 102. caus. 1. q. 1.* de Confirmatione, *can. quidquid. c. placuit eadem caus. & q. de Eucharistia c. 101. c. 106. caus. 1. q. 1.* Quamvis eam seu species consecratas vendere sit speciale & altioris ordinis sacrilegium, quatenus Christum continent. De extrema unctione *c. ult. caus. 1. q. 3.* quæ ibi intelligitur per oleum. De ordine *c. 1. 2. & seq. c. 1. q. 1.* Et Trident. *Sess. 21. c. 1. de reform.* Neque de Matrimonio, quatenus non minùs quam cætera Sacramentum est ad conferendam gratiam institutum, aliter sentiendum. His non obstantibus, quòd in Matrimonio intervenient plures pactiones & contractus, sub quibus & non aliter mutuò consentiunt in conjunctionem sui conjuges, essentiâ matrimonii in hoc mutuo consensu consistente: Nam vi talium pactionum non datur pecunia, aut præstatur quid temporale tanquam pretium pro ipso contractu Matrimonii quatenus elevato ad rationem Sacramenti novæ legis, sed quatenus est contractus humanus, & quidem in ordine ad eundem reducendum ad æqualitatem, dum v. g. ab uxore, ita exigente viro assignatur dos amplior, ad compensandam viri nobilitatem, dignitatem, scientiam, &c. ac ita fit veluti commutatio temporalis cum temporali. Ita D. Thom. *l. c. a. 2. ad 6.* Abb. *in c. cum in Ecclesia. h. t. n. 3.* Barbos. *ibid. n. 4.* Suarez. *l. c. c. 10. n. 11.* & *c. 11. n. 5.* & *6.* Castrop. *tr. 17. d. 3. p. 7. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 10.* Westn. *n. 36.* Huc quoque spectant Characteres Sacramentales intrinsecè supernaturales, qui & ipsi vendi possunt & emi, non quidem in abstracto, sed in concreto, ut dum propter eum cariùs venditur baptizatus quàm paganus, Sacerdos cariùs quàm Laicus; ac ita committitur Simonia Juris divini juxta dicta supra. Nihilominus dum in Sacramentis duplex

plex est materia, una remota v. g. panis, vinum, oleum, quæ sunt temporale quid pretio æstimabile, secundum hanc spectata Sacramenta emi & vendi possunt. Altera materia proxima, v. g. actiones quædam, ut in Baptismo ablutio, in Confirmatione signatio, in extrema unctione inunctio. Pro his uti & pro ipsa forma seu prolatione verborum, sive pro Sacramentis secundum hæc spectatis sine Simonia Juris divini nihil temporale tanquam pretium exigi, dari aut recipi potest, quia hi actus sunt Potestatis spiritualis. Suar. *cit. l. 4. c. 11. n. 3. & 4.* Laym. *l. c. c. ult. §. 4. n. 33.* Pirh. *h. t. n. 12.* Posse tamen etiam pro istiusmodi actionibus, in quibus consistit confectio seu collatio & administratio Sacramenti, in extrema vel gravi necessitate dari temporale injustè illas neganti, non tanquam pretium, sed tanquam medium ad removendam à se istiusmodi iniquam vexam, reducendúmque à peccato inferentem illam, ac ita ad obtinendum ab eo Sacramentum; cùm gravis illa necessitas sufficienter honestet permissionem peccati injustè negantis, removeátque irreverentiam, quæ aliàs hac ratione extra casus necessitatis irrogaretur Sacramento. Ita, inquam, tenent Suar. *l. c. c. 12. n. 13.* Less. *cit. c. 35. n. 38.* & quos citat & sequitur Pirh. *n. 13.* Sed neque contrarium sentire videtur Castrop. *l. c. n. 3.* dum ait, juxta omnes DD. non posse pecuniam offerri alicui neganti injustè administrationem Sacramenti, ut ab illa injustitia desistat, cum aliâ viâ non desistet ab ea, nisi concessione Sacramenti, pro ea autem concessione, uti & pro cessatione ab illa injustitia offerre pecuniam etiam in extrema necessitate esse intrinsecè malum. Addit enim signatè pecuniam dari non posse pro ipso Sacramento, aut dicta cessatione tanquam pretium, benè tamen, ut subdit, ad inflectendam voluntatem negantis Sacramentum; confirmatque ex eo, quòd obligatus conferre Sacramentum, dum illud injustè negat, incitari possit minis, adeoque & blanditiis & datâ pecuniâ ad conferendum illud. Uti & Tyrannus qui captivam tenet Eucharistiam, oblatâ pecuniâ moveri potest ad illam dimittendam, & ab illa horrenda injùria liberandam, pro quibus universaliter citat præter Less. *l. c. du. 7. num. 39.* Vasq. *de Scandal. q. 43. c. 8. du. ult. n. 59.* Pont. *de Matrim. l. 5. c. 13. §. 6. n. 35. &c.* De cætero extra casus necessitatis dare & exigere pecuniam pro administratione Sacramenti esse Simoniam, adstruit Castrop. *num. 4.* dicens communem. De quo tamen ex professo *quæst. seq.*

3. Resp. Tertiò: Sacramentalium quoque transeuntium (per quæ intelliguntur cæremoniæ & ritus sacri distincti ab ipsis Sacramentis, ab Ecclesia instituti, consistentes in aliqua actione transeunte, nullum post se effectum relinquentes, v. g. varii ritus circa Sacrificium missæ, Catechismus in Baptismo, exorcismus, benedictio nuptiarum) horum nempe præstatio pecunia tanquam pretio, Simoniam Juris divini continent, cum sint ministeria sacra & actus Ordinis Clericalis. Suarez. *l. c. c. 14. num. 1. & 3.* Castrop. *l. c. p. 8. n. 1.* Pirh. *h. t. n. 14.* Sacramentalia verò permanentia consistentia quidem etiam in actione aliqua, habente tamen & post se relinquente effectum, ut sunt Consecratio Ecclesiæ, Benedictio Vasorum & Paramentorum pro Sacrificio missæ, agnorum Dei, olei, panis, vendi possunt & emi, non quidem in abstracto, sed in concreto, ut dictum, dum nimirum venditur res seu materia, cui consecratio annexa, & quidem absque Simonia v. g. calix aliave vasa Sacramentalia consecrata, quin & Ecclesia aliqua consecrata (quoad dominium & proprietatem illius, quanti nimirum valet fundus illius, & expensæ factæ in illius ædificationem) modò ratione consecrationis non vendantur cariùs, quàm res istiusmodi per se valent: ita cum communiter recepta tenent cum D. Thom. *2. 2. q. 100. a. 4. ad 1. & 2.* Sylv. *v. Simonia. 12.* Cajet. *v. eod. reg. 1. & 3.* Navar. *c. 23. n. 108.* Suar. *l. c. n. 6.* Castrop. *l. c.* citans plures. Quod dum negat Pirh. *l. c.* ex ea ratione, quòd res hujusmodi sint sacræ, institutæ à potestate supernaturali à Christo concessa Ecclesiæ ad finem supernaturalem, intelligendus est, ut ipse air, de illis, si vendantur ut tales; quòd autem vendi possint ratione materiæ, admittit ex ratione data remittens ad seipsum, *ad L. 3. tit. 17. §. 2.* De cætero observandum, quòd, si vasa sacramentalia & similia vendenda hominibus profanis, aut ad profanos usus, eò priùs confringenda. Si autem ad usus sacros, præcipue ecclesiasticis ea integra vendi posse, quatenus ob materiam & artificium, seu operam æstimabilia sunt; prout tradunt Nav. Durand. *in 4. dist. 25. q. 4.* Silv. *v. Simon. v. 12.* Valent. *2. 2. d. 6. q. 16. p. 2.* Castrop. *l. c. n. 3.* ubi etiam ex S. Thom. declarat, qualiter his non obstet, *c. si quis obierit. c. 1. q. 3.*

Quæst. 74. An & qualiter committatur Simonia dando vel exigendo quid temporale per modum stipendii pro administratione Sacramentorum & Sacramentalium, & aliorum actuum spiritualium præstatione?

1. Resp. Primò: Pro Sacramentorum & Sacramentalium administratione, aliisque functionibus, licitè & sine Simonia ministri Ecclesiæ recipere, & cæteri illis dare possunt temporale per modum stipendii ordinati ad eorum honestam sustentationem, ita communis & indubitata; patet ex claris Scripturæ textibus, Lucæ 10. v. 7. *Dignus est operarius mercede sua:* 1. ad Corinth. 9. v. 7. *Quis militat stipendiis suis unquam? quis plantavit vineam, & de fructu ejus non edit? quis gregem habet, & de lacte gregis non manducat?* & v. 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Nescitis, quod qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari deserviunt, de altari participant?* Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Similia habent S. S. Canones, ut *can. 22. caus. 12. q. 1.* Non enim datur tunc temporale, tanquam pretium commensuratum rei, seu functioni spirituali, sed ut quid jure divino & naturali debitum personæ ministranti spiritualia ad necessariam honestamque illius sustentationem.

2. Resp. Secundò: Non tantùm sponte oblatum recipere, sed & exigere, & in pactum deducere possunt ministri Ecclesiæ temporale per modum debiti stipendii pro dicta administratione & functionibus spiritualibus ad honestam sui sustentationem, ubi non obstat specialis prohibitio juris; ita cum Glos. *in c. significatum. de præb.* Abb. *ibid. n. ult.* Gutt. *qq. can. c. 29. n. 13.* Laym. *de Sim. §. 2. num. 15.* Valent. *l. c. p. 3.* Suar. *de Simon. L. 2. c. 46. n. 4.* Cajet. Soto & alii, quos citat & sequitur Castrop. *tr. 17. p. 4. §. 4.* contra Card. *in c. tua nos, h. tit. n. 2.* Silv. *v. Simon. q. 9. §. 2. & 7.* D. Thom. *2. 2. q. 100. a. 3. ad 2.* & alios quosdam contrarium

tenen-

tenentes ex eo, quòd censeant SS. Canones, etsi admittant licere dari temporale pro spirituali tanquam stipendium, & ut taliter datum recipere; negent tamen licere dare, & recipere illud, ut tale ex pacto, aut etiam exigere, dum universaliter prohibent pacta in spiritualibus: ad quod tamen facile respondetur cum Glos. *in c. ult. de pactis.* & *in c. 2. caus. 1. q. 2. v. pactio.* per SS. Canones non removeri à spiritualibus pacta honesta, sed inhonesta; quale est paciscì de dando spirituali, tanquam pretio pro spirituali vel temporali, aut etiam aliquos Canones certos ex speciali ratione prohibere, exigere temporale pro spirituali, & de eo paciscì. De cætero ratio responsionis nostræ est, quòd quisque de eo paciscì possit, & ex pacto prætendere, quod ei aliàs jure debetur; quodque, ut Castrop. datio pecuniæ ex obligatione in sustentationem ministrantis spiritualia, habere nequeat rationem veræ venditionis aut emptionis, (quæ tamen sola constituit Simoniam) dum non datur ex voluntate, quâ quis vult eam commensurare spirituali. Confirmatur hæc sententia universali Ecclesiæ consuetudine, quâ dantur beneficia, quæ sunt jus percipiendi reditus, seu fructus propter officia divina, & quâ fiunt fundationes, in quibus clericis, tam regularibus, quàm sæcularibus assignantur bona temporalia, & certi reditus ad honestam eorum sustentationem, cum pacto & conditione legendi certas missas, & ut chorum frequentent, laudes divinas persolvant, concionentur, aliasque functiones spirituales obeant, qui dein reditus ab eis hoc titulo exiguntur, absque eo, quod per hoc violetur illud Christi, Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*; dum non pugnant inter se, gratis exhibere spiritualia, & occasione horum exhibitorum accipere & exigere stipendium sustentationis, juxta illud à Christo subjunctum: *In eadem autem domo manete edentes & bibentes, quæ apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua.* Illud tamen hic notandum, quòd, dum ministri Ecclesiæ pro functionibus spiritualibus temporalia paciscuntur & exigunt, id non pro libitu suo, sed prout lex synodalis aut diœcesana, vel his deficientibus, discretionis & charitatis virtus, consideratis personarum & rerum circumstantiis, præscribit vel permittit, facere debeant. Item quòd in casu, quo Laici, vel alii tale stipendium debitum præbere recusant, eos non ipsi ministri Ecclesiæ, sed Episcopus cogere possit & debeat, Reiffenst. *h. t. n.* 192.

3. Resp. Tertiò: Ampliando binas præcedentes responsiones: ut etiam Clerici divites, & ex proprio patrimonio habentes sustentationem amplam, possint pro functionibus spiritualibus accipere & exigere temporale per modum stipendii, juxta Apostolum *l. c. nemo*, adeoque nec dives, *teneatur militare propriis stipendiis*; uti & operarius, etsi dives, dignus est mercede sua, adeóque exigere eam potest, absque eo, quòd exinde argui possit avaritiæ; cùm nemo ejus argui queat, si petat, quod ei debetur. Idem est de Clericis aliunde reditibus ecclesiasticis sufficienter provisis, qui & ipsi pro functionibus ecclesiasticis, ad quas ex officio tenentur, exigere possunt temporalia, quæ iis de jure ecclesiastico, vel consuetudine diœcesana, vel aliunde legitimè præscripta debentur: uti id patet in Episcopis, dum hi reditibus abundantes, possunt tempore visitationis recipere & exigere procurationes iis de jure indifferenter debitas, juxta *c. conquerente de off. ordin. c. procuratores. de censibus.* Constat etiam ex *c. ad Apostolicam. h. t.* ubi Episcopis injungitur, ut Laicos compellant ad danda temporalia, quæ ex laudabili consuetudine pro sacramentorum & sacramentalium administratione dare consueverunt, nulla facta distinctione inter Clericos pauperes, & reditibus ecclesiasticis abundantes. His non obstantibus, *can. 6. & 8. c. 1. q. 2.* quibus prohibetur Clericis sufficientia aliunde habentibus aliquid dare; addita ratione, quod aliud non sit habentibus dare, quàm perdere, cùm Canones isti solùm prohibeant, ne de bonis Ecclesiæ illis, quæ destinata sunt ad sustentationem pauperum, detur Clericis jam aliunde sufficientia habentibus. Nihilominus committi Simoniam, dum Clerici habentes reditus sufficientes exigunt temporalia per modum stipendii, quando illos ea exigere, nec jus, nec consuetudo, aut publica authoritas permittit, tradit D. Thom. 22, *q.* 100. *a.* 2. *ad* 3. Reiffenst. *h. t. num.* 198. & habet communis. Quod si tamen in eo casu post peractas functiones spirituales, ad quas ex officio tenentur, offeratur ipsis aliquid temporale, posse id illos recipere, non tamen exigere sine Simonia, & si sufficientem sustentationem non habent, etiam illud in dicto casu exigere, non tamen recusantes illud dare, compellere ad dandum, astruit Reiffenst. *n.* 199. Similiter, ut idem *n.* 200. committunt Simoniam, qui, etsi justum titulum exigendi habeant, si modo illicito id faciant, v. g. si ante exhibitas illas functiones ex officio debitas temporale extorqueant, negando illas, nisi priùs temporale detur, aut cautio de eo dando præstetur, contra *c. 36. c. 4. & 42. h. t.* Item si pro illis functionibus plus exigant, quàm jus vel praxis, & consuetudo diœcesis, aut approbatio Superiorum permittit.

Quæst. 75. Quid sit speciale, circa temporale tanquam stipendium pro legendis missis?

RESP. Posse omnes etiam divites Sacerdotes, item religiosos, tam superiores quàm privatos de licentia Superiorum missas, quas non tenentur ex officio, aliave obligatione dicere, ad aliam intentionem legere pro stipendio temporali paciscendo super eo, illúdque exigendo legere, modò consuetam quantitatem seu valorem non excedant, Reiffenst. *n.* 201. 202. 203. idque etiamsi monasteria sint opulenta, & independenter ab istiusmodi missarum stipendiis religiosos suos alere possint; ipsi etiam religiosi privati, utpote quibus Superiores de sufficiente & honesta sustentatione providere debent, & provident, etsi nullus eorum aliquid temporale titulo honestæ sustentationis accipere valeat, uti dictum *quæstione præcedente* de Clericis divitibus sæcularibus ob easdem rationes, poterunt tamen sine Simonia de licentia Superiorum tacita vel expressa accipere, paciscì, exigere per modum stipendii vestes, medicinas, imagines, pecunias, (si aliàs horum non sint incapaces) resque alias præsertim ad honestam distractionem, recreationem, aliúmque usum conducentes, cùm & hæc nomine honestæ recreationis veniant, uti & illa aliis suis correligiosis dare pro legendis ad suam intentionem missis, Reiffenst. *n.* 204. & 205.

Quæst. 76. An & qualiter potestas jurisdictionis, seu jurisdictio ecclesiastica tam respectu fori interni, quàm externi, uti & jurisdictio temporalis sit materia Simoniæ?

1. RESP. Primò: Dare & recipere temporale pro obtinenda hac potestate ecclesiastica, est Simonia juris divini: siquidem est intrinsecè spiritua-

is, præsertim ea, quæ forum internum respicit, tum ratione principii, quippe collata à Christo; tum ratione finis, cum tendat ad salutem animarum spiritualem: & circa actus ab ea dependentes, si pro iis detur temporale tanquam pretium, est Simoniacum, ut paulò post dicetur: Et multò magis erit Simoniacum, dare illud pro radice, ex qua illi procedunt, ita communiter supponunt AA. Atque ita Simonia est, dum hæc potestas, v. g. absolvendi, delegatur à Parocho alteri, ut vice sua audiat confessiones suorum subditorum, idémque est, si pro pecunia detur licentia eligendi confessarium, Suar. *l. 4. de Simon. c. 19. n. 5.* Pirh. *h. t. n. 47.* Item Simonia talis est vendere & emere actus, quibus talis jurisdictio spiritualis, sive ordinaria, sive delegata pro foro etiam externo confertur, cùm sic vendatur ipsa jurisdictio, Pirh. *n. 48.* cit. Suar. *ubi ante c. 20. n. 4.* Et sic Vicarius Episcopi, neque aliquem Judicem spiritualem, sive ordinarium, sive delegatum, neque Vicarium, sive Capellanum alicujus Ecclesiæ, etiam ad nutum amovibilem, constituere potest pro pretio, sive illud detur ex parte accipientis jurisdictionem, sive ex parte dantis illam. Quamvis hic illis constituere possit stipendium sustentationis, Suar. *l. c. n. 5.* Pirh. *l. c.* Castrop. *l. c. p. 10. n. 6.* Sumitur *ex c. Salvator. caus. 1. q. 3.* & ibi Glos. *v. & Judicem.* & *ex c. consulere. h. t.* ubi: *quicumque vicedominatum sive vicariatum, vel etiam ecclesiasticam rerum administrationem per pecuniam obtinere voluerint, tam ementes quàm vendentes sunt Simoniaci, & ab Ecclesia, in cujus contumeliam dare pecuniam & accipere voluerunt, justè excluduntur.* Quamvis, si ad actum emptionis & venditionis non processerint, non sit Simonia, nisi mentalis, ut Glos. *fin. in cit. c. consulere.* juncta Glos. Marg. *l. c.* & Abb. *n. 5.* Idem est de constitutione Vicarii generalis & Officialis facta pretio ab Episcopo. Castrop. *l. c.* Reiffenst. *h. t. n. 215.* Item Simoniacum est vendere jus eligendi ad dignitates & beneficia ecclesiastica, vel jus confirmandi electionem, & conferendi beneficia; cùm jus illud in se sit spirituale, & conferre illud actus spiritualis jurisdictionis, Suar. *l. c. num. 7.* Castrop. Pirh. Reiffenst. *ll. cit.*

2. Resp. Secundò: Jurisdictionem temporalem etiam competentem Prælato alicui ecclesiastico, seu officia eam exercentia vendere, non est Simoniacum. quia spirituale nihil continent, Castrop. *l. c. n. 8.* Esse quoque licitam eorum venditionem, seclusa lege positiva, modò concedantur benè meritis, & sub pretio, seu stipendio moderato, tradit Idem: quamvis addat, citatis pluribus pro hoc legibus sui regni, prohibitam esse sine licentia regis. Unde credit Episcopum peccaturum, si ista Officia vendat, cùm leges civiles respicientes bonum commune teneatur servare: quamvis probabile quoque censeat, has leges solùm loqui de officiis vendendis à personis sæcularibus, Ducibus, aliisque similibus Principibus, cum disponere non possint de jurisdictione, bonisque temporalibus personarum ecclesiasticarum.

Quæst. 77. An & qualiter committatur Simonia exercendo vel omittendo actus jurisdictionis ecclesiasticæ, & in specie absolvendo, dispensando, assistendo matrimoniis &c.

1. Resp. Ad primum & secundum: Pro exercitio Ordinis, aut Jurisdictionis ecclesiasticæ dare aut recipere aliquid temporale esse Simoniam, eo, quod actus hi sint spirituales, tum ratione principii, à quo procedunt, nimirum potestatis intrinsecè spiritualis; tùm ratione finis, nempe salutis animarum, ad quem tendunt, juxta jam dicta & claros textus. *c. 8. 9. 10. 14. & 21. h. t.* Similiter Simoniacum esse, pro pretio omittere hujusmodi actus spirituales, dum hæc omissio seu negatio pendet ab eadem potestate seu jurisdictione ecclesiastica, juxta *c. nemo.* & *ibi.* Glos. Abb. *n. 6. c. nullus Episcopus. c. sunt quidam. eod. caus. 1. q. 1.* & *ibi* Glos. *Archid. Præpositus.* Ugol. *tab. 1. c. 40. §. 3.* Suar. *l. c. c. 22. à n. 4.* Castrop. *l. c. p. 12. n. 16.* Wiestn. *h. t. n. 51.* Et sic Simonia est post auditam confessionem negare pœnitenti absolutionem pecuniâ acceptâ ab aliquo tertio, *cit. c. nemo.* Suar. *l. c. c. 21. n. 9.* Castrop. *n. 17.* Less. Wiestn. *ll. cit.* idem est de negata absolutione à censuris, repulsa digni ab Ordinibus, curâ animarum, Suar. Less. Wiestn. juxta *cit. c. nemo.* ex ea ratione, quod sicut absolvere, approbare, ita & absolutionem & approbationem negare digno, est actus & exercitium potestatis clavium ligandi & solvendi moraliter unum, Less. Suar. Castrop. Wiestn. *l. c.* Idem videtur esse in jurisdictione fori contentiosi, si Judex pecuniâ corruptus omittat absolvere à censuris; cùm sic virtualiter continuet censuram, aut si contra criminosum non procedit, cùm sic tacitè condonet delictum, aut si justè appellanti neget appellationem, cùm in his casibus non tam sit negatio usus jurisdictionis, quàm moralis ejus usus, ut Castrop. *cit. n. 17. in fin.* citans Suar. *c. 22. n. 16. in fin.* Secus tamen est, seu non committitur Simonia, si actus debitus & justus, v. g. si celebratio missæ, baptizatio independens ab ista jurisdictione negetur, cùm illa negatio nihil sit spirituale, sed tantùm usus libertatis naturalis, qui qua ratione sit Simoniacus, non apparet, (nisi fortè, ut Layman. *L. 4. tr. 10. c. 8. n. 43.* apud Wiestner. *l. c.* pro omissione illius oblatum pretium in compensationem jacturæ fructus spiritualis, aliàs ex eo actu percipiendi. Quin &, si actus omissus sit injustus, ejus redemptio oblatâ pecuniâ per se mala non est, sed potiùs laudabilis, quia fit ad impediendum peccatum, ita Wiestn. *l. c.*) Castrop. *l. c. n. 18.* loquens de Parocho obligato pro parochianis legere sacrum, corúmque confessiones audire, si pro pecunia ea omittat, citans pro hoc Suar. *l. c. c. 22. n. 13.* & Less. *l. c. dn. 11. n. 64.* contra Ugol. *tab. 1. c. 40. §. 2. & 3.* reputantem id esse Simoniacum, idem contra eundem & Suarez dicens de Parocho negante licentiam confitendi alteri. Et *n. 21.* de Parocho omittente denunciare parochianum Episcopo, in casu, quo ex officio suo ad denunciandum illum tenetur, cùm etsi hac omissione liberet subditum à pœnâ, in hac tamen liberatione non exerceat jurisdictionem propriè absolvendo à pœnâ, aut etiam à censura incursa, pro quo citat Innoc. & Hostiens. *in c. nemo. h. t.* Less. *l. c.* & in hanc sententiam propendere ait Suar. *l. c. n. 14.* contra Gloss. Abb. *in idem c.* Sylv. Ugol. & alios relatos à Suarez, cum quibus sentire videtur D. Thom. *2. 2. q. 100. a. 3. ad 3.*

2. Resp. Ad tertium; Simoniacum est absolvere à peccatis indignum oblato temporali, eò quòd citò non vendatur hac ratione actus spiritualis, cùm talis absolutio sit nulla, vendatur tamen quidam usus, vel potiùs abusus spiritualis potestatis, & id videatur sufficere ad Simoniam, ut Suar. *L. 4. de Simon. c. 19. n. 2.* & cum eo Castrop. *l. c. n. 2.* arg. *c. nemo. hoc tit.* Est quoque Simoniacum oblato temporali absol-

absolvere dignum; nisi forte illud detur ad impediendam injustè negatam absolutionem in casu necessitatis, tunc enim ex parte dantis non committitur Simonia. Sic etiam Simonia est, dare & recipere temporale ad obtinendam à confessario leviorem pœnitentiam, vel etiam graviorem, (intellige datâ ob eum finem pecuniâ ab aliquo tertio) Castrop. *cit. p.* 12. *n.* 2. ubi etiam ex Suar. *cit. L.* 4. *c.* 19. *n.* 4. quod Simoniam committat Confessarius imponendo pœnitenti in satisfactionem eleemosynas pro pauperibus vel legendis missis, si eum cogat, & quasi obliget pro absolutione, ut eas sibi applicet. Et licèt addat secus esse, si solum desiderium & voluntatem dicendi illas missas per se manifestet; Cavendum tamen, ait, scandalum ob apperitum lucri & avaritiæ, ideóque idipsum in aliquibus Episcopatibus & religionibus prohiberi. Item Simoniacum est concessio indulgentiarum, dum datur vel recipitur pecunia, cùm sit actus supremæ cujusdam potestatis spiritualis & supernaturalis à Christo concessæ, tendens ad remissionem pœnarum temporalium, estque venditio aliqua satisfactionis Christi & Sanctorum, quæ per indulgentiam applicantur, Pirh. *h. t. n.* 4. uti etiam Suar. *l. c. n.* 9. quòd nihilominus in concessione hac possit & soleat exigi aliqua pecunia, non tanquam pretium illius, sed per modum eleemosynæ requisitæ ad lucrandas indulgentias, & quidem non soleat dari concedenti eas, sed ad pias causas applicari aut irrogari in pauperes. Quod hic dictum de absolutione à peccatis, idem est de absolutione à censuris.

3. Resp. ad quartum: Simoniacum similiter est dare & accipere temporale tanquam pretium pro dispensatione in votis, juramentis matrimonii, irregularitate & legibus Ecclesiasticis. Ita juxta *can. nullus Episcopus. q.* 1. *c. nemo. c. ad aures. h. t.* Trid. *sess.* 24. *c.* 5. & *sess.* 25. *c.* 18. *de reform.* & cum communi *D. Th. l. c.* Silv. *v. Simonia. q.* 8. & 9. Suarez. *l. c. c.* 19. *n.* 1. & *c.* 20. *n.* 8. Less. *l. c. du.* 9. *n.* 57. Castrop. *l. c. n.* 10. Pirh. *h. t. n.* 49. Garc. *p.* 8. *c.* 1. *n.* 100. His non obstante praxi curiæ Romanæ exigentis pro dispensatione pecuniam, & quidem in majore quantitate, prout gravior est dispensatio; nam ex concessione Pontificis, qui est supra jus commune Ecclesiasticum, expostulatur pecunia non in compensationem dispensationis, & gratiarum, quæ conceduntur (hæc enim esset Simonia contra jus divinum) sed in sustentationem Pontificis ejúsque Officialium, quod juri divino conforme juxta dicta supra; vel etiam per modum mulctæ, dum rationabile est, cupienti exemptionem à lege communi imponi aliud onus, quo compensetur illa difformitas à lege; vel ut sollicitatio dispensationis, alias odiosæ, reddatur difficilior, ad restringendam nimiam illam facilitatem petendi dispensationes. Quod fieri potest saltem ex dispensatione Pontificis. Pirh. *l. c.* Zœs. *h. t. n.* 24. Suar. Less. &c. Ordinarii verò etsi prædictis titulis seu causis temporale pro dispensatione exigere, aut solvendum constituere nequeant, prohibente id ipsum specialiter illis Trid. *l. c.* & *sess.* 22. *c.* 5. in quo solus Papa, non Ordinarii dispensare possunt. Possunt tamen dispensato imponere eleemosynam aliquam, ac præcipuè ubi dispensatio supponit culpam dispensati, non tamen sibi applicandam, sed piis operibus, ut Abb. & Covar. *in c. alma mater. p.* 1. §. 11. *n.* 10. D. Thom. *l. c. a.* 2. *ad* 3. *Rodriq. in Summa. c.* 48. *n.* 4. Nav. *c.* 23. *n.* 102. quos citat & sequitur Castrop. *cit. p.* 12. *n.* 11. Sed neque exigere à dispensato quid temporale possunt Episcopi, aliique, pro labore, quem necesse est impendere in executione dispensationum matrimonialium iis à sede Apostolica commissarum; cùm & idipsum sub excommunicatione reservata, & nullitate dispensationis in litteris commissionis iis interdici soleat, reservatâ quartâ parte ducati soli Notario pro examine testium sumendáque informatione super veritate narratorum in supplica, rebusque aliis. Ita probabilius Nav. *l.* 1. *cons. tit. de rescript. consil. ult.* Zerol. *in prax. Episc. p.* 2. *v. delegatus.* §. 2. & *v. dispensatio.* §. 1. Genuens. *in pr. archiepisc. curiæ Neapol. c.* 25. *n.* 13. Garc. *de benef. p.* 8. *c.* 1. *n.* 102. Castrop. *l. c. n.* 12. Reiffenst. *h. t. n.* 217. contra Sanch. *de Matrim. l.* 8. *d.* 35. *n.* 21. Salas *de ll d.* 20. *s.* 10. *in fin.* ex ea ratione sentientes contrarium, quòd in dictis litteris non prohibeatur exigi & recipi stipendium laboris, sed solùm munera & præmia etiam sponte oblata. Verùm & horum nomine hoc loco venire stipendium & debitam pro labore mercedem explicant Farin. apud Castrop. *l. c.* & Garc. *l. c.* ubi pro hac sententia varias Cardinalium, Concilii Trid. interpretum affert declarationes, in quibus etiam specialiter derogatur consuetudinibus in contrarium quibuscumque, etiam immemorialibus. Licet itaque sit illicitum pro dicto labore recipere pecuniam tanquam stipendium, non tamen id prohibitum tanquam Simoniacum, sed solùm tanquam turpe Lucrum, adstruit Castrop. *l. c. n.* 13. *vers. secundò adverto.* Quin & ibidem cum Garc. & Genuens. admittit ne quidem id illicitum, si necessè esset Ordinarium, aliosque dispensantes exire è domicilio suo ad examinandos testes, verificanda narrata, uti & nullatenus illicitum est, si recipiatur pecunia pro stipendio laboris impensi recipiendis testibus, aliisque officiis præstandis in expeditione dispensationum distinctarum à causis matrimonialibus.

4. Resp. Ad quintum: Probabilius est, Simoniam esse, & quidem juris divini, si Parochus pro assistentia matrimonii exigat aut recipiat pecuniam ut pretium assistentiæ, Suar. *cit. L.* 4. *c.* 19. *circa fin.* Castrop. *cit. p.* 3. *n.* 5. Pirh. *h. t. num.* 47. Dato enim, assistentiam illam Parochi non esse actum jurisdictionis, est tamen ex institutione Ecclesiæ annexa officio Parochi, assistitque is tanquam Minister Ecclesiæ, adeóque spectat ad Ministerium ecclesiasticum, & requiritur vi præcepti ad valorem contractûs matrimonii, quatenus is Sacramentum est; ita AA. *cit.* adeóque longè aliter ibi præsens ac alii testes, quippe qui purè adsunt ad probandum matrimonium. Videtur nihilominus sentire Castrop. evitari hanc Simoniam consuetudine recipiendi aliquid pro assistentia, dum dicit; si ex hac assistentia matrimonii, vel benedictione nuptiarum aliquod emolumentum, seu stipendium soleat Parocho evenire, posse illum nolle dare licentiam assistendi matrimonio, aut benedicendi nuptias, nisi sibi emolumentum, quod sperabat, compensetur, cùm tunc non petat pecuniam pro concessione licentiæ, sed ut se indemnem servet; pro quo citat Sylv. *v. Simon. n.* 8. §. *secundum.* Rodriq. *c.* 58. *a.* 10. Aragon. *q.* 100. *a.* 2. *in fin.*

Quæst. 78. *An Simoniacum sit dare & recipere temporale tanquam pretium pro præstito aut præstando patrocinio, etiam ferendo testimonio in causis spiritualibus?*

1. Resp. Ad primum negativè: Nam etsi patrocinium illud, seu advocatio, uti & patrocinatio spectet suo modo ad complementum ecclesia-

sticæ jurisdictionis, ut Castrop. *l. c. num.* 14. non tamen est quid spirituale, nec à potestate spirituali, aut habente jurisdictionem spiritualem, quà tali profectum; & ita tenet idem cum Suar. *l. c. c. 53. n. 9.* testans de praxi & consuetudine totius Ecclesiæ, juxta *c. non sanè.* 14. *q.* 5. Ubi sine ulla distinctione causarum spiritualium & temporalium dicitur licere advocato patrocinium suum vendere.

2. Resp. Ad secundum: In hoc non convenire AA. Nam Simoniacum esse exigere pretium pro ferendo testimonio in causa spirituali, v. g. pro obtinendo beneficio, eò quòd testificatione tali potiùs quàm intercessione paretur via ad beneficium, tradunt Abb. *in c. tua nos. h. t. n.* 6. & *ibid.* Host. & Felin. *n.* 4. item D. Anton. & Tabien. apud Castrop. *n.* 15. ipse verò cum Suar. *n.* 11. distinguit, dicendo, non esse Simoniacum ex parte dantis, si nolenti testari veritatem detur pecunia ad obtinendum ab eo testimonium, quia illa datur ad redimendam vexam; quamvis testis accipiens hac ratione pecuniam, committat injustitiam, nisi fortè excusetur propter laborem, aut incommodum aliquod, quod ei evenit ex testificatione compensandum. Et hanc doctrinam tenere Theologos omnes secutos D. Thom. 2. 2. *q.* 16. *a.* 4. *ad.* 1. Et jurisperitos *in c.* 1. & *c. sicut nobis de testibus.* Ex parte etiam recipientis & exigentis pecuniam pro testificatione veritatis, num committat Simoniam, se dubitare ait, cum testificatio hæc, v. g. in lite obliqua beneficiali nihil sit aliud, quàm manifestatio & comprobatio juris, quod quis habet circa beneficium, quod munus informandi Judicem de veritate assumere non sit Simoniacum; idque etiam sine dubio procedere, si pecunia exigatur, non in commutationem testificationis, sed in stipendium, cùm id expressè nullo jure positivo vetetur.

Quæst. 79. *An Simoniacum sit pro compensanda intercessione impensa ad obtinendum alteri beneficium, ordinem, dispensationem, similémve gratiam spiritualem, dare quid temporale?*

Resp. Affirmativè cum S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 25. Gabr. *q.* 2. *a.* 3. *du.* 4. *circa finem.* Sylv. *v. Simonia. q.* 6. Tabien. *n.* 8. Navar. *c.* 23. *n.* 106. Soto *L.* 9. *q.* 7. *a.* 3. Suar. *l. c. num.* 14. Less. *cit. c.* 35. *du.* 8. *num.* 46. Castrop. *l. c. p.* 11. *n.* 4. aliisque ab eo cit. *juxta c. S. statuimus. caus.* 1. *q.* 1. & *c. præsentium. caus.* 45. ubi inter simoniacè ordinatos numerantur, qui pecuniam non quidem ordinanti, sed intercessori & mediatori ad consequendos ordines dant. Ex ea etiam ratione, quòd talis intercessor & mediator, rogans & inducens Episcopum ad ordinem, aliúmve collatorem ad beneficium conferendum est causa moralis istius collationis, adeóque, si ematur istiusmodi causa moralis, ematur virtualiter ejus effectus ab ea dimanans. Nihilominus Simoniam non esse, si detur temporale intercessori tali pro suscepto labore, adeundo ordinatorem vel collatorem, ab eóque recedendo, & in sollicitatione apud illum interposita; vel pro damno, quod exinde passus intercessor, modò munus seu datum non excedat æstimationem istius laboris & damni, tenent Nav. Suar. Less. Castrop. *ll. cc.* Item non esse Simoniacum recipientem munus ob id ipsum, sentit Suarez *c.* 53. *n.* 17. Idem, sive non esse Simoniacum recipientem munus, de eo sentit Suar. *c.* 53. *n.* 17. qui præcisè assumit munus informandi ordinatorem vel collatorem de meritis ordinandi &c. cùm in hoc gerat solùm munus Advocati, quod tamen periculosum ait Castrop. cùm mediator sæpe excedat munus informantis, assumendo officium exhortantis & excitantis, plùs quàm merita promovendi simpliciter repræsentata possent. Idem sentit Suar. cum cæteris DD. de eo, qui præcisè pro aperiendo faciliùs aditu ad collatorem pro petendo ab eo beneficium daret aliquod munus; cùm hæc spiritualia non sint.

Quæst. 80. *An Simoniacum sit pro precibus aut virtutis exercitio, alióve bono opere supernaturali exigere aut dare temporale, aut etiam sub spe obtinendi temporale orationes offerre?*

1. Resp. Ad primum affirmativè: Si exigatur aut detur per modum pretii. Est communis, & patet, cum preces, & dicta exercitia sint quid intrinsecè spirituale; secus est, si exigatur vel detur ut stipendium iis, qui ad hujusmodi exercitia non tenentur; vel, si tenentur, non habent sufficientes reditus ad honestam sustentationem; vel, si habent, degunt in loco, ubi ita habet legitimè præscripta consuetudo, & authoritate publica permittitur; ita tenent Suar. *L.* 4. *de Simon. c.* 15. *n.* 5. Gutt. *qq. can. L.* 1. *c.* 29. *a n.* 15. Castrop. *l. c. p.* 9. *num.* 1. Reiffenst. *h. t. n.* 218.

2. Resp. Ad secundum: Sicut non est Simonia præstare temporale sub spe consequendi spirituale; sic quoque Simoniacum non est præstare seu offerre spirituale sub spe obtinendi temporale, dum non habet pro fine seu motivo principali consecutionem rei spiritualis, & dans spirituale pro motivo suo consecutionem rei temporalis, (sic enim uterque dans committeret Simoniam) sed uterque solùm secundariò speret, & per accidens intendat ille acquirere spirituale, alter temporale; ita Gloss. *in c. cum essent. h. t. v. promiserat.* Abb. & Barbos. *ibidem num.* 4. Nav. *in man. c.* 23. *n.* 102. Sylv. *v. Simonia q.* 16. *dicto* 4. Suar. *de relig. L.* 4. *c.* 45. *num.* 4. dicens communem, Pirh. *h. t. n.* 86. Reiffenst. *n.* 89. & 220. arg. *c. tua nos. h. t.* Sicque habet consuetudo universalis, ut detur Religiosis & aliis pauperibus Eleemosyna spe obtinendi ab iis orationes & pia opera: Et è contra Religiosi offerant sæcularibus suas preces, spe ab iis obtinendi temporalia, & hæc, etiamsi spes consequendi spirituale aut temporale fuisset causa impulsiva ad dandum, ita, ut non fuisset datum ex alio motivo etiam principali, ex quo modò datum sine dicta spe; cum fieri possit, ut Reiffenst. *n.* 102. ex Navar. *l. c.* citante pro hoc D. Thom. *quodlib.* 8. *a.* 2. & Matron. *in* 4. *dist.* 25. *q.* 1. ut quis certum, cúmque principalem ac præcipuum finem agendi habens, tamen non ageret, nisi ab alio minùs principali fine seu causa, ad agendum excitaretur & impelleretur.

Quæst. 81. *An Simoniacum sit pro ingressu & receptione in religionem exigere aut recipere temporale quid?*

1. Resp. Primò: Pro receptione ad Religionem exigere vel recipere pecuniam, aliúdve temporale tanquam pretium receptionis, esse Simoniam saltem de jure ecclesiastico, tenent Ugol. *de Simon. Tab. L.* 1. *c.* 4. §. 2. *n.* 16. Archid. &c. & constare videtur ex textibus juris indistinctè & universaliter prohibentibus, quid exigi aut recipi pro receptione hac, *c. veniens de regular. c. non satis. c. cùm in Ecclesia c. quoniam. c. audivimus. h. t. & extrav.* 1. *inter comm.* Quin & esse Simoniam de jure divino, absolutè pronunciant Suar. *cit. L.* 4. *c.* 17. *n.* 4. & 5.

Pirh.

Pirh. *h. t. n.* 58. intelligendo id ipsum tam de receptione ad novitiatum seu probationem, & suscipiendum habitum religionis, quia hic est in ordine ad recipiendum ad professionem, quàm ad professionem; utraque enim hæc receptio est quid spirituale, tam ratione principii, quàm finis, quippe receptio hæc procedit à jurisdictione & potestate spirituali, & tendit ad animarum & caritatis perfectionem, Nav. *L.* 5. *Cons. cons.* 86. *h. t. n.* 2. Similiter Simonia est, personam ingredientem aliquid accipere temporale à monasterio, ut ingrediatur, quia sic dicta persona vendit seu locat suum officium & ministerium spirituale, Pirh. *h. t. n.* 61. arg. *c. quàm pio. c.* 1. *q.* 2. Neque his obstant moderna monasteriorum, præsertim monialium consuetudo & praxis ab ingredientibus pecunias exigendi, & desuper paciscendi; nam non exigitur aut recipitur pecunia pro admissione ad religionem tanquam pretium, sed pro honesta ingressi sustentatione. Hinc

2. Resp. Secundò: Absque Simonia, & licitè ab admittendo ad religionem exigitur & recipitur pecunia, tanquam dos ingredientis, ad honestam illius sustentationem, saltem, dum monasterium minùs benè fundatum, & aliunde inops est, & insufficiens ad alendas in numero consueto personas, Glos. *in c. quoniam. h. t. v. paupertatis.* Abbas *ibid.* & Barbos. *n.* 4. D. Thom. *in* 4. *dist.* 25. *a.* 3. *quæstiunc.* 1. Cajet. *ibid.* & *in summa. v. excommunicat. c.* 73. Navar. *in man. c.* 23. *n.* 106. & *de redit. Eccles. q.* 1. *monito* 62. Sylv. *v. Simon. q.* 15. *d.* 2. Marchant. *tom.* 3. *tr.* 10. *tit.* 6. *q.* 10. *concl.* 2. Less. *cit. c.* 35. *du.* 12. *n.* 68. Laym. *L.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 39. Castrop. *l. c. p.* 9. *n.* 4. Pirh. *h. t. n.* 59. Wiestn. *n.* 47. Reiffenst. *h. t. n.* 163. dicens communem tam TT. quàm Canonist. ex ea ratione, quòd dicta sustentatio nihil sit spirituale, multóque magis licitum recipere, quod gratis & sponte offertur pro necessaria sui sustentatione, Pirh. *n.* 60. Neque his obstat, *c. quoniam. h. t.* dum ibi tanquam Simoniacum prohibetur, etiam sub prætextu paupertatis, aliquid temporale exigere ab ingredientibus; nam prohibetur solùm exigi sub prætextu falsæ & fictæ paupertatis, ubi monasterium verè pauper non est, ut cum Glos. *in cit. c.* Suar. *l. c. n.* 14. Less. *l. c. n.* 71. Castrop. *l. c. n.* 6. Reiffenst. *n.* 164. Neque Trid. *sess.* 25. *de regul. c.* 3. dum dicit: in monasteriis tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, sive non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui ex reditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari &c. Unde uti ex constitutione Clementis VIII. pro reformatione regularium edita, quæ incipit: *nullum omnino*; estque ejusdem Papæ sexta, eadem ferè habet; rectè inferri videtur, non posse ab eo, qui recipitur, saltem dum ejus receptione consuetus personarum numerus non augetur, aliquid temporale pro ejusdem sustentatione exigi. Nam nomine consuetarum eleemosynarum, vel saltem aliarum *obventionum* (quo utitur Clemens) venire rectè possunt dotes, aliáque bona temporalia, quæ sive mulieres, sive viri in religionem recepti pro honesta sui, aliorúmque jam ibi præexistentium sustentatione inopi monasterio tribui (etiam ad exactionem) consueverunt; ita Suar. *n.* 17. Less. *c.* 39. *n.* 12. *in fin.* Castrop. *cit. n.* 6. Reiffenst. *h. t. n.* 168. Neque ex eo, quòd receptus media receptione acquirat jus, ut ex reditibus monasterii sustentetur, sicut cæteri jam in eo præexistentes, sequitur, eum admitti non posse cum pacto & onere solvendi propriam sustentationem: Nam cùm ex dicta admissione, ei debita non sit integrè sustentatio, sed solùm pro facultate redituum monasterii, illique priùs purè sufficientes pro consueto suorum religiosorum numero congruè sustentando, reddantur insufficientes, aucto hoc numero per receptionem novi religiosi, nil vetat pro ejus sustentatione exigi pecuniam, ne illius ingressu graventur jam præexistentes diminutâ & subtractâ eis congruâ sustentatione; ita quoad rem Castrop. *l. c. n.* 5. Sed nescio, num hac ratione sufficienter diluatur objectio pro casu, quò in locum demortui unius ex præexistentibus religiosis, subrogatur alius, & sic non augetur consuetus numerus, & consequenter reditus ad eos sustentandos non reddantur insufficientes.

3. Resp. Tertiò: In eo, an Simoniacum sit, sustentationis necessariæ prætenso titulo, exigere & recipere quid temporale à recipiendo in religionem, dum monasterium opulentum est, aut saltem ita fundatum, ut quos recipit, sufficienter ex suis præhabitis reditibus sustentare possit, in eo, inquam, non conveniunt AA. Affirmat, & fulè stabilit conando solvere objecta in contrarium Reiffenst. *h. t. n.* 169. citans pro hoc D. Thom. 2. 2. *q.* 100. *a.* 3. *ad* 4. March. *ubi supra concl.* 4. quin & *num.* 170. *& sequent.* addit, non tantùm esse Simoniam de jure ecclesiastico, sed & de jure divino, pro quo præter textus juris *c. quoniam. h. t.* & extravag. *sanè. tit. eod.* citat March. *n.* 5. Roderiq. *tom.* 2. *q.* 49. *a.* 2. qui dicit, sic sentire ferè omnes Canonist. Et rationem adducit, quod opulenta monasteria, etiam monialium, temporale nihil exigere possint, titulo honestæ sustentationis, nec titulus alius supersit, unde necesse habeant exigere pro receptione, quod est Simoniacum de jure divino, contra quod nulla consuetudo præscribere potest. Quin & dato, esse solùm contra jus humanum, consuetudo tamen talis sit invalida & illicita, eò, quòd jus *cit. extravag.* & *c. veniens.* ei resistat, eamque reprobet tanquam detestabilem abusionem & corruptelam; Contra quæ si opponas cum Pellizz. *tr.* 10. *c.* 2. *n.* 40. in religione duo consideranda, nimirum ipsum statum religionis, & onus alendi susceptum, & pro hoc licitè exigi quid temporale; id aliter non diluit, quàm dicendo, id nimium probare, nempe licitum quoque esse in monasteriis quibuscumque opulentissimis virorum, quod ipsum tamen admittent contrariæ sententiæ AA. juxta mox dicenda. Quòd, si opponas, quòd opulenta monasteria monialium exigere possint temporale quid, id ea habere ex privilegio & concessione Clement. VII. & declaratione Innocent. VIII. quâ declaraverit ad tollendos monialium scrupulos in receptione earum nunquam committi Simoniam, nisi exigendo temporale pro ingressu; ad id respondet: istiusmodi concessiones & declarationes nullius esse efficaciæ, eò, quòd non sint, nisi vivæ vocis oracula, quin & quòd talia sint, non constare authenticè; pro quo tamen non allegat, nisi unum sui ordinis authorem Cassarubiam. Ad hæc: omnia vivæ vocis oracula regularibus concessa (præsertim de quibus authenticè non constat) esse abrogata, de quo infra ad tit. de privilegiis: vel si ea adhuc vigeant, non loqui, nisi de monialibus indigentibus, seu non habentibus sufficientes reditus pro honesta sustentatione ingredientium; verùm respectu earum non opus erat privilegio; vel denique concedere solùm, & declarare Pontifices moniales exigentes ab ingredientibus temporale, non incurrere per hoc excommunicationem, aliasque

juris

juris pœnas, cùm concedere vel declarare non possint, non esse Simoniam, si monasteria opulenta exigant quid temporale ab ingredientibus, cùm id, uti asserit, sit Simonia Juris Divini. Ac denique, si opponas, Monasteria opulenta exigere posse temporalia à de novo ingredientibus, non tantùm, ut aucto hac ratione Religiosorum numero augeatur cultus divinus, sed & ut acquisita augeant & conservent, ne uti ingredientium dotibus acquisitæ & auctæ divitiæ, iis cessantibus paulatim redigantur iterum ad paupertatem. Ad id, inquam, vix aliud respondet, quàm non esse facienda mala, ut eveniant bona. Verùm hoc ipsum exigi quid temporale à Monasterio pro sustentatione de novo receptæ, num malum sit stante consuetudine, est in Quæstione. Quod quia plures negant, etiàm docent contrarium: Nimirum non esse Simoniacum, Monasterium sive virorum, sive mulierum dives exigere quid temporale ab ingressuris, Sylv. *l. c. q.* 15. Sotus *l. 9. q. 6. a. 2.* Valent. *l. c. d. 6. q. 17. p. 2.* Arag. *q.* 100. *a. 3. V. si quid.* apud Castrop. *l. c. n. 4.* quos sequuntur Pirh. *h. t. n. 59.* Wiestn. *h. t. n. 48.* eò quòd licèt id vetuerint SS. Canones, passim tamen invaluerit, & toleretur consuetudo, quâ præcipue in Monasteriis Monialium etiam divitibus nemo recipitur, nisi sufficientem ad sui sustentationem afferat dotem, aut alia ratione sit monasterio proficua. Supponunt enim hi AA. id nunquam fuisse prohibitum de Jure divino, sed solùm Ecclesiastico, contra quod legitimè præscribi potuit, atque talem consuetudinem damnari non posse ut corruptelam, vel irrationabilem, cùm temporale non exigatur pro spirituali tanquam ejus pretium, sed tantum requiratur tanquam conditio, ut dotem pro necessaria sustentatione afferat recipiendus, ne monasterium accessu novarum personarum gravetur, signanter adstruit cum Less. *cit. c. 35. n. 69.* Suar. *cit. 14. n. 18.* Laym. *cit. c. ult. §. 4. n. 39.* Pirh. *l. c.* Ideóque hanc consuetudinem tacito consensu Prælatorum Ecclesiæ scientium & tolerantium illam approbatam esse. Quamvis rectè addat abusus illos, qui fiunt circa apparatus & sumptus conviviorum in susceptione & professione regularium, aliáque dona, quæ cum exactione seu pacto expresso vel tacito quasi extorquentur, talémque consuetudinem tanquam corruptelam reprobari *in cit. extravag.* ut notat Navar. *in tract. de redit. Eccles. q. 1. monito 62. n. 3.*

Quæst. 82. Qualiter in concessione sepulturæ committatur, vel non committatur Simonia?

RESp. Hanc quæstionem à me fusè & accuratè tractatam videre licet in foro Beneficiali *p. 2. q.* 104. Videri quoque potest Castrop. *tr. 17. d. 3. p. 8. n. 4.*

Quæst. 83. An & qualiter committatur Simonia in Doctione & Promotione ad Doctoratum & Magisterium?

1. RESp. Primo: Pro Officio Doctionis ipsoque actu docendi scientias profanas, quales sunt Jurisprudentia, Philosophia, Mathesis, Rethorica, &c. exigi & recipi posse pecuniam, aliáve temporalia tanquam pretium, extra controversiam est, ut patet, cùm ipsæ scientiæ: adeoque & doctio & officium docendi sint quid mere profanum. Proinde Quæstio solùm spectat doctionem Theologiæ & eorum quæ ad illam reducuntur. Hinc

2. Resp. Secundò: Neque Simonia est recipere pecuniam pro officio docendi & interpretandi sacram Scripturam, saltem secluſa interpretatione, quæ fit instinctu Spiritus Sancti. Glos. *in c. vendentes caus. 1. q. 2. & in c. qui studet. caus. 1. q. 1. V. Sanitatis. & in c. quibusdam 37. dist. V. Magistri.* Adrian. *quodlib. 9. a. 1. in fin.* Soto *de just. l. 9. q. 5. a. 1. & q. 6. a. 2. ad 2.* Less. *l. 2. c. 35. du. 13. n. 80.* Tolet. *in Summal. 5. c. 88. n. 3. & 4.* Suar. *l. 4. de Simon. c. 7. n. 7.* qui dicit communem & in scholis receptam. Eandem tanquam probabiliorem tenet Castrop. *tr. 17. d. 3. p. 10. n. 2.* addita ratione: quòd hoc munus per se non ordinetur ad salutem animæ, sed potiùs ad illustrandum intellectum in hac doctrina, non secus ac aliæ scientiæ naturales. Idem est de munere docendi Theologiam, ut vocant, scholasticam; quia esto, quòd conclusiones talis Theologiæ procedant à principiis revelatis & fide divina creditis, fides tamen divina per accidens se habet ad hoc munus docendi, cùm qui de tali principio dubitaret voluntariè, eodem modo docere eam posset, quo habens fidem Divinam, ita Castrop. *l. c.* Unde jam pro licentia docendi hanc Scientiam, seu pro habenda cathedra dare pecuniam, seu cathedram emere non esse Simoniacum, docent Innoc. & Abb. *in c. 2. de Magistris.* Tabien. *V. Magister. n. 10.* Suar. *l. c. c. 18. n. 14.* Less. *l. c. n. 83.* quos citat & sequitur Castrop. *l. c. n. 3.* Sed neque id prohibetur *c. 2. de Magistris*, tanquam Simoniacum, sed solùm ut simpliciter illicitum, quin & huic prohibitioni communi consuetudine derogatum, dum passim in universitatibus fiunt fundationes, & dantur annua stipendia pecuniaria.

3. Resp. Tertio: Neque est Simoniacum, vendere gradum Magisterii & Doctoratûs in Theol. Suar. *l. c. n. 16.* Less. *l. c. n. 83.* Castrop. *l. c. n. 4.* & alii ab eo citati, eò quòd ejusmodi gradus sint solùm quædam approbationes publicæ de sufficiente scientia ad docendum & consulendum, cum aliquibus privilegiis, facultatibus, commoditatibus & honoribus omnino temporalibus. Sed neque his obstat, ut cit. AA. quòd institutio & collatio hujusmodi graduum sit à Pontifice; cùm etiam Pontifex possit aliqua instituere ad splendorem rerum spiritualium, quæ non eo ipso sint materia Simoniæ, nisi specialiter eorum venditio prohibeatur intuitu religionis, quod non fit in dictis gradibus. Neque quod insigniti istis gradibus, ratione cathedræ aut beneficii, quod obtinent, aliáve viâ obligentur ad docendum, si exigant pro doctione pretium pecuniarium; cùm ea obligatio nihil spiritualis ei superaddat, si id de se non habeat. Suar. *l. c. n. 17.* Aragon. *q. 100. a. 3. vers. in eadem.*

4. Resp. Quartò: Theologum dare & exigere pro resolutione casuum conscientiæ pretium, non est Simoniacum, non secus ac Simoniacum non est, Canonistas pro hujusmodi responsis & consiliis exigere pretium. D. Thom. *cit. q. 100. a. 3. ad 3.* Navar. *c. 13. n. 200.* Suar. *l. c. c. 18. n. 19. & 20.* quos citat ac sequitur Castrop. *l. c. n. 5.* contra Less. *l. c. du. 13. n. 78. & 79.* ex ea ratione, quòd talis instructio sit naturali labore humano acquisita, & de se ordinetur solùm ad illustrandum intellectum, tollendámque ignorantiam secundùm dicta paulò supra. His non obstante, quòd interrogans suas interrogationes acceptaque responsa referat ad pacandam conscientiam aliósque fines supernaturales, cùm illius intentio non mutet actionem, quæ per se ad id non ordinatur.

5. Resp. Quintò: Pro tradita doctrina Christiana recipere pretium non esse Simoniacum, tanquam

quam probabilius tenet Castrop. *num.* 6. cum Ugol. *tab.* 1. *c.* 10. §. 3. *n.* 3. & Suar. *cit. c.* 18. *in fin.* Si doceatur Christianus solùm ad juvandam memoriam & exercendam illam. Esse verò Simoniacum, si tradatur ad confirmandum illum in fide, & operandùm juxta illam, eò quòd introductio talis, utpote ad finem supernaturalem ordinata, sit opus supernaturale; idque à fortiore, si sit instructio infidelis, ut ad fidem convertatur, & maxime facta in baptismo, cùm sit Ministerium Ecclesiasticum. Tradunt præter cit. AA. Less. *l. c.* & Soto *l. c. q.* 7. *a.* 1. *in fine.* Idémque dicendum de concione habita ad infideles convertendos, fideles in fide conservandos, incitandosque ad operandum juxta illam. Idque quia est maximè spiritualis, tam ex parte finis, quàm ex parte principii, cum concionatores sint ministri Dei & loco illius subrogati. D. Thom. *l. c. a.* 3. *ad* 2. & ibi Cajet. Angel. *V. Simonia num.* 9. Host. *in summa l.* 6. *tit.* 5. Less. *num.* 79. Suar. *cit. c.* 18. *n.* 2. Castrop. *l. cit. n.* 7. Plura de his ad *tit.* 5.

Quæst. 84. *Donationes gratuitæ, an & qualiter sint materia Simoniæ?*

1. Resp. Primò: Donationem rei temporalis etiam gratuitam seu absque omni pacto & obligatione pro consequenda re spirituali prohiberi posse ab Ecclesia ob reverentiam rerum Spiritualium, ne commutari videantur cum temporali, extra controversiam est: Et ita expresè Cardenas *in crisi super* 46. *propositiones damnatas ab Innoc. XI. dissert.* 27. cujus rationem fide apud me *in foro benef. n.* 3. 4. 7. 46. Atque ita, si talis donatio fiat stante prohibitione, peccari contra religionem, adeóque Simoniacum, tenent Suar. *tom.* 1. *de relig. l.* 4. *de Simon. c.* 40. *à n.* 1. apud Castrop. *l. c. p.* 5. *n.* 1. Carden. *l. c. n.* 74. Quæ in contrarium opponi possunt, vide diluta à me *l. c. n.* 3. & 4. Castrop. tamen *num.* 6. inquit se nullam donationem talem gratuitam intuitu religionis prohibitam aut ut Simonicam damnatam invenire (de quo vide me *l. c. n.* 5.) uti nec onerosam, quæ emptio & venditio non sit extra materiam beneficialem; & in foro conscientiæ, & in foro externo, quomodocumque donatio fiat cum onere dandi spirituale, nisi ab Ecclesia sit approbata, præsumatur fieri pro spirituali in commutationem illius, & ut Simoniacam puniri. Porrò ex quibus in dubio, utrum donatio sit merè gratuita, an verò per modum pretii aut compensationis colligatur, v. apud me *l. c. n.* 6. Ad illud etiam, quod præcipuè in contrarium affertur ex Trid. *Sess.* 21. *c.* 1. *de reformatione*; ubi ait: *Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia qualicumque de causa etiam sponte oblatum, Episcopi aut alii collatores & eorum ministri quovis prætextu accipiant*; ad illud, inquam, dicit cum Suar. *tom.* 5. *in* 3. *part. d.* 31. *n.* 23. *in fine.* & Less. *l. c. du.* 30. *n.* 61. *in fine*, ex mente Concilii non committi Simoniam per talis donationes etiam de Jure Ecclesiastico, cùm solùm prohibeat tanquam affectum avaritiæ, ut patet ex principio hujus decreti. Et licèt postea addat Concilium, contrarias consuetudines favere Simoniacæ pravitati, non esse satis, ut sit Simonia. Ad hæc decretum hoc non intelligendum de iis, qui obtento jam ordine aliquid dant spontaneè, aut quasi coactè, ut obtinere possint litteras dimissorias, quia talis datio non procedit ex ambientis petitione; sed de dantibus spontaneè ante Ordinum susceptionem, deque illis, qui postmodum ex obligatione antecedente donant, tradit Castrop. *l. c. n.* 2. citans pro hoc Less. *l. c. n.* 62. Salzedo *in pract. crim. c.* 27. & alios. Idemque esse, si quid coactè det pro admissione ad professionem, quia videtur esse quædam redemptio vexæ, ut Rebuff. *tit. quot modis benef. acquir. n.* 13. Garc. *de benef. p.* 8. *c.* 1. *à n.* 93. quibus favere dicit Suar. *de relig. tom.* 1. *l.* 4. *c.* 48. *q.* 11. Ac denique cum eod. Less. tenet accipientes excusari posse consuetudine, quæ, etsi corruptela videatur ob speciem mali, talis tamen non sit, quamdiu non exigitur temporale in commutationem spiritualis. Et licèt talia statuta & consuetudines etiam immemoriales eo tempore existentes aboleverit, non tamen irritaverit denuo nascituras, ubi tempus requisitum ad consuetudinem contra legem canonicam compleverint.

2. Resp. Secundò: Simoniacum est dare temporale pro spirituali tanquam gratuitam compensationem illius, ut constat ex damnata ab Innoc. XI. hac propos. *dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale sit solùm gratuita compensatio.* Hanc *Quæst.* à me ex professo tractatam *v. in foro benef. p.* 3. *q.* 745. Ubi etiam, qualiter talis donatio compensativa distinguatur à donatione simpliciter gratuita. Item an committatur Simonia per communem illum modum & praxin, quâ sollicitantes & rogantes pro re aliqua spirituali uti solent dicendo: dignetur esse memor mei, vel, quæso, conferat aut procuret mihi hoc beneficium, exhibebo me gratum; non ero ingratus; promitto me futurum gratum; confide in me; sum vir honestus.

Quæst. 85. *An & qualiter circa jus percipiendi decimas Ecclesiasticas committatur, aut non committatur Simonia?*

Resp. Jus decimarum Ecclesiasticarum propriè & formaliter & secundum primariam institutionem sumptum, quatenus nimirum in titulo spirituali fundatum vendi aut permutari nequit sine Simonia. Laym. *Theol. mor. l.* 4. *Tr.* 6. *c.* 6. *num.* 2. juxta communem, arg. *c. ult. de rer. permut.* Secus est de eo materialiter sumpto pro sola utilitate fructuum percipiendorum præcisa à spirituali jure, quod vendi, locari, aliterve permutari, etiam laicis prohibitum non est, utpote quod ut tale temporale, & æstimationem recipit, quod qualiter fiat, vide apud me *in foro beneficiali p.* 1. *q.* 474. *&c.* & *pluribus qq. sequent.*

CAPUT III.

Qualiter Simonia committatur in Materia Beneficiali?

Quæst. 86. *Qualiter committatur circa Jus Patronatus?*

REsp. Ad hoc responsum à me *in foro beneficiali part.* 2. *q.* 27. ubi, quòd, cur seorsim seu secundum se sumptum vendi non possit, & quod in tali venditione committatur Simonia. Item *ibidem q.* 67. quòd Jus Patronatus reale, seu annexum v. g. castro, per se & solitariè vendi non possit sine Simonia. Item *p.* 2. *q.* 102. *num.* 9. ubi, quòd commissa Simonia in ejus cessione, donatione, venditione non tantùm translatio Juris-Patronatus impediatur, sed etiam amittatur seu extinguatur. Item *p.* 3. *q.* 439. *n.* 3. ubi quòd circa Jus Patronatus committatur Simonia propter inseparabilem connexionem, quam habet cum Jure spirituali ipsius tituli beneficialis. Vide quoque Castrop. *tract.* 17. *d.* 3. *p.* 14. Ubi *num.* 1. quod Jus Patronatus pretio vendere seu transferre sit Simonia Juris Ecclesiastici, & *n.* 2. ubi tanquam probabilius cum Glos. *in c. pia mentis.* 16. *q.* 17. & Lessio *cit. c.* 35. *du.* 22. *n.* 128. & Suar. *tom.* 1. *de relig. l.* 4. *c.* 28. *n.* 7. censet & probat esse quoque Simoniam Juris Divini.

Quæst. 87. *An & qualiter in præsentatione ad beneficia committatur Simonia?*

REsp. Videri posse me de hoc in *foro beneficiali part.* 2. *q.* 100. *num.* 3. Ubi, quòd Simoniacum sit, dum datur vel promittitur temporale quid pro præsentatione, præter quod in fundatione constat esse impositum; idque, etiamsi detur præsentato ignorante; secus tamen, si fiat sub conditione seu onere dicendi missas, nisi hoc onus spectaret ad præsentantem.

Quæst. 88. *Qualiter committatur vel non committatur Simonia in electione & postulatione?*

1. REsp. Primò: committitur Simonia in electione & postulatione tam ad Prælaturas, quàm ad alia beneficia ab eo, qui etiam cæteroqui dignissimus, per se vel per alium offert dat aut præstat temporale cum expresso aut tacito pacto, aut conditione vel ex hoc motivo, ut ei in electione vel postulatione detur votum ad beneficium vel Prælaturam Ecclesiasticam, idque etiamsi ex sola gratitudine promittatur: est enim quodcumque beneficium Ecclesiasticum quid spirituale, sive consideretur ut officium Jus & Obligatio ad obeundas aliquas functiones spirituales, sive ut Jus percipiendi reditus temporales ratione officii spiritualis, quod vi beneficii præstatur; quod jus licèt in se sit quid temporale, quia tamen dicto officio spirituali annexum est, spirituale reputatur, & hinc etiam ut tale vendi nequit sine Simonia, arg. *can.* 2. *& seq. cauſ.* 1. *q.* 3. *c. querelam h. t.* & *c.* 7. *de transact.* Quæ non evitatur, etiamsi quis dicat, se officium & Jus spirituale gratis dare, & solùm vendere seu dare pro temporali, Jus percipiendi reditus temporales, prout constat ex *c.* 7. *cauſ.* 1. *q.* 3. Ubi & ratio assignatur his verbis: *Quia quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum in venditum derelinquit.* Variis itaque modis committitur Simonia, & quidem primò, si pro electione particularis personæ, etiam dignissimæ, detur pecunia; cum tunc ematur actio spiritualis, nempe electio ipsúmque beneficium. Less. *cit. c.* 35. *n.* 12. Pirh. *h. t. n.* 87. Secundò, si duo electores hac ratione conveniant: dabo tibi meum suffragium in hac electione, & tu dabis mihi tuum in electione alia. Sylv. *V. Simonia. q.* 13. Azor. *p.* 3. *l.* 12. *c.* 3. *q.* 7. Pirh. *l. c.* Tertiò, si pro suffragio dando in electione promittatur alteri beneficium vel officium, arg. *c. de hoc. h. t.* & *ibi* Barbos. *num.* 3. Azor. Pirh. *ll. cc.* Quartò Simoniacum est, dare pecuniam alter, ne consentiat in electionem alicujus digni; cùm Simonia committatur non solùm, si detur spirituale pro temporali, sed etiam si omittatur spirituale pro commodo temporali. Glos. *in c. nemo. h. t. V. relatum.* Abb. *ibid. n.* 2. Pirh. *l. c.* Quintò post electionem & postulationem committitur Simonia, si detur vel promittatur temporale pro confirmatione obtinenda, vel ne contradicatur electioni, vel ne electio impugnetur ab aliquo, qui justam impugnandi vel contradicendi causam habet. Immunis tamen est à Simonia, qui dat aut promittit temporale ne eligatur indignus aut minùs dignus. Less. *l. c. du.* 19. *n.* 113. Nav. *in man. c.* 25. *n.* 102. *v.* 8. Azor. *l. c.* Castrop. *l. c. p.* 20. *n.* 8. Reiffenst. *h. t. n.* 145. Cùm in tali casu non detur temporale pro spirituali, sed ne spirituale indignè & malè conferatur. Licitúmque sit per temporale redimere vexam injustam factam Ecclesiæ. Censent nihilominus Azor. Less. *ll. cc.* Reiffenst. *num.* 146. committi Simoniam ab eo, qui dat temporale, ut neglecto minus digno, aliquis in specie, etsi dignissimus, eligatur, cùm hac ratione jam detur temporale pro spirituali, nempe pro electione certæ personæ.

2. Resp. Secundo: In eo, num si per tertium Simoniacè procuratum votum, promittendo, dando, aut præstando temporale ignorante illo, pro quo procuratum, electio tota sit irrita, cæteris legitimè eligentibus, in eo, inquam, non videntur convenire AA. Affirmativam juxta expressum text. *c. nobis. h. tit.* tenent *in cit. c.* 10. Andreæ *num.* 1. Anchoran. *not.* 2. Carden. *q. ult.* Barb. *n.* 2. Fagn. *n.* 3. 4. & 16. Socin. *not.* 1. Navar. *in man. c.* 23. quos sequitur Reiffenst. *h. t. n.* 136. & *num.* 137. cum hac tamen Limitatione, nisi à tertio procuratum votum Simoniacè fraudulenter in præjudicium illius, pro quo procuratum, ex ea ratione, quòd etsi electus in vi talis voti non sit in culpa, electio tamen sit vitiosa, & in forma electionis sit peccatum, dum non omnes elegerunt legitimè, sed unus aut alter Simoniacè, prout etiam decidit Rota apud Farin. *decis.* 22. Unde etiam hi AA. & in specie Reiffenst. *cit. n.* 137. asseverant audacter plures revera electiones Episcoporum, Præpositorum aliorùmque Prælatorum, nec non Canonicorum, & beneficiatorum, quæ per electionem conferuntur, fuisse nullas, dum vacantibus Ecclesiis præsertim cathedralibus mittuntur & deputantur à magnis Principibus aliisve, qui promittendo offerendo uni

vel

vel plùribus eligentibus obsequia sua, aut gratias temporales præstandas ipsis eligentibus aut etiam familiæ eorum aut consanguineis sollicitant, procurant & obtinent vota pro hoc vel illo, quem hujusmodi Princeps electum cupit. Idem dicunt de Parentibus, consanguineis, aliisve, qui desiderantes alicujus certi electionem aut postulationem, promittendo, dando, præstando temporale quid, unum vel plura vota pro illo procurant, ajúntque, eos non tantùm malitiosè, sed & imprudentissimè agere, cum præter Simoniam, quam tam ipsi, quàm eligentes committunt, sint causa nullitatis electionis, & consequenter ut is, pro quo ita laborant, beneficium, v. g. Episcopatum acceptare non possit, & si ipso facto acceptet, acceptatio sit nulla, fructúsque nulliter percipiat, ac ita in continuis peccatis mortalibus, evidentissimóque æternæ damnationis periculo versetur, donec fructus perceptos restituat, beneficiúmque dimittat. Ad hæc talem electionem solere tristissimos eventus secum trahere, Ecclesiâ sub tali nulliter electo adeóque falso Pastore existente. Ad quæ proinde grandia mala avertenda, Ecclesiæ nonnullæ (& in specie cathedralis Frisingensis teste Reiffenst. *h. t. n.* 139.) providè ac sanctè sanciverunt, quòd eligentes ante electionem se obstringere debeant juramento de non dando suffragio ei, qui directè vel indirectè prece vel pretio electionem vel præsentationem sui attentavit. De cætero præscindendo à tali statuto, de jure communi prohibitum non est tanquam Simoniacum, per se vel per alium rogare electores ut hic præ alio eligatur ad Episcopatum &c. & hos ad dictas preces eum eligere. Uti etiam Simoniacum non est, stante dicto statuto ad preces Candidati aut alterius illum eligere. Sed neque de jure communi prohibitum est, Principes & Magnates aliósve informare aut informari facientes Electores, eisque demonstrare merita & qualitates certi alicujus elegendi, aut etiam merita domus seu familiæ, ex qua talis est oriundus. Item demonstrare, quantùm intersit, hunc præ alio eligere, cum etiam ad satisfaciendum gratitudini antidorali post acceptum temporale conferre spirituale licitum sit, modò in his omnibus absint promissiones aut minæ factæ eligentibus, aut eorum familiis, consanguineis, familiaribus.

E contra nihilominus tenet Castrop. *l. c. p.* 20. *n.* 3. *in fin.* citans pro hoc Abb. *in c. super. de officio delegat. n.* 13. Suar. *5. tit. in 3. part. d.* 14. *s.* 2. Rodriq. *in summa. tit.* 2. *c.* 59. *n.* 6. *concl.* 3. Garc. *de benef. p.* 5. *c.* 5. *n.* 74. nulla tamen ratione aut citato juris textu: in casu, quo Electorum unus aut plures dederunt votum suum Simoniacè alicui; major tamen & ad canonicam electionem sufficiens numerus eundem legitimè & absque Simonia elegit, electionem esse validam. Quam sententiam esse contra torrentem DD. præcipuè scribentium *in cit. cap. nobis.* ait Reiffenst. Quin & citatos à Castrop. Abb. & Garc. *ll. cit.* non loqui de Simonia aliis verò locis, nimirum Abb. *in c. nobis. not.* 1. Garc. *p.* 8. *c.* 1. *n.* 10. *& seq.* expressè docere electionem Simoniacam, & nullam esse, si vel uni dumtaxat temporale detur pro voto.

Quæst. 89. *An & qualiter committatur Simonia in collatione beneficiorum?*

Resp. Collationem beneficii esse materiam Simoniæ, jam fere constat ex dictis. Committitur autem variis modis: Primò in genere, dum temporale promittitur, datur, præstatur ex tacito vel expresso pacto, conditione aut motivo, ut sibi vel alteri conferatur beneficium, & è contra si confertur spe beneficium, ut detur vel præstetur temporale. Secundò, si collatio fiat sub spe, casu quo consecutio beneficii per dationem temporalis aut è contra principaliter intendatur, secus si per dationem illam intendatur quid aliud. Tertiò si pro collatione promittitur temporale, vel è contra titulo gratitudinis promittitur spirituale. Secus si post collationem absque ullo antecedente pacto datur temporale, vel post acceptum temporale datur beneficium ex pura gratitudine ad satisfaciendum obligationi antidorali. Quartò si detur pro precibus aut recommendatione interposita apud collatorem in ordine ad obtinendum ab eo beneficium; Secus, si detur pro simplice informatione super meritis & utilitate candidati respectu talis Ecclesiæ, vel etiamsi detur pro procuratione audientiæ candidato apud collatorem. De cætero Simoniam directam & inductivam pœnæ non committit, qui tempotale fictè sine animo dandi promittit, uti nec, si intuitu consanguinitatis, aut metu mali temporalis beneficium conferatur. Ita ferè Reiffenst. *n.* 148.

Quæst. 90. *An & qualiter committatur Simonia in permutatione beneficiorum?*

1. Resp. De hoc me videri posse *in foro benef. p.* 3. *q.* 87. *n.* 2. Ubi, quòd in permutatione beneficiorum inæqualium quoad fructus, dignitatem, jurisdictionem conjunctam beneficio, dum inæqualitas compensanda per assignationem alicujus pensionis, spectari citra Simoniam non possit, conditio dignitatis, potestatis, jurisdictionis, similisve juris spiritualis, sed sola quantitas fructuum, vel aliorum emolumentorum spiritualium ex beneficio provenientium, ut Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 15. Less. *l.* 2. *c.* 35. *n.* 100. Item *eadem quæst. n.* 3. Ubi quod pactum initum inter permutantes, quo alter propria authoritate reservat sibi fructus excedentes sui pinguioris beneficii permutati, aut pensionem pro adæquatione fructuum, sit Simoniacum. Ut Navar. *l.* 5. *de Simon. consil.* 50. *n.* 3. Suar. *l.* 4. *de relig, c.* 34. *n.* 9. Chok. *de permut. p.* 3. *c.* 7. *n.* 1. contra *n.* 101. Sylv. Sot.

2. Quibus adde primò, nullam dari permutationem Simoniacam extra materiam beneficialem, seu nisi beneficium cum beneficio, vel nisi res spiritalis cum re spirituali beneficio annexæ permutetur. Glos. *in c. fin. de pactis V. cessare.* Abb. *in c. statuimus. de transact. n.* 5. Less. *l. cit. n.* 31. Castrop. *l. c. p.* 15. *n.* 1. Suar. *l. c. c.* 30. *n.* 5. Wiestn. *h. t. n.* 26. contra Richard. *in q. dist.* 25. *a.* 3. *q.* 1. Palud. *ead. dist. q.* 2. *n.* 15. ex ea ratione, quod spirituale respectu alterius spiritualis aut spiritualis annexi sit ejusdem ordinis, & non improportionatum, adeóque unum pro altero dari possit, absque eo, quòd unum respectu alterius rationem pretii Simoniaci habeat; sic itaque sacræ reliquiæ inter se, una functio spiritualis pro alia, vasa & vestes sacræ pro aliis propria authoritate dari, & commutari possunt citra Simoniam. His non obstantibus *c. quam pio.* 1. *q.* 2. *c. super eo. de transactionibus. c. cum pridem. & c. fin. de pactis.* Quibus generaliter prohibetur omnis pactio, quæ pro spiritualibus consequendis fit. Cum citata jura intelligenda sint tantùm de pactionibus turpibus, quales extra materiam beneficialem sunt, quæ fiunt inter rem spiritualem & temporalem. Ita Abb. *l. c.* Gonz. *in cit. c. fin. n.* 8. Less. Castrop. Wiestner. *ll. cc.* Sot. *l.* 9. *q.* 5. *in fin.*

3. Secundò, quòd Simoniacum non sit, nec illicitum, ante consensum Prælati partes tractare inter se de permutatione, etiam sub onere pensionis, & se viciſſim obligare, si superior consenserit, cùm hæc obligatio non sit permutatio, sed via ad illam, neque sit pactio absoluta, sed conditionata, quæ effectum non habet, quousque superior consentiat, Fred. de Senis *de permut. benef. q.* 38. *n.* 64. *&* 65. Cardin. *in c. quæsitum de rer. permut. q.* 39. *n.* 23. Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 15. *p.* 3. Pariſ. *de resign. benef. L.* 6. *q.* 2. *à n.* 8. Suar. *L.* 4. *de Simon. c.* 3. *à n.* 7. Leſſ. *de just. L.* 2. *c.* 35. *d.* 5. *n.* 92. Caſtrop. *tr.* 17. *d.* 3. *p.* 15. *n.* 3.

4. Tertiò, quòd permutatio beneficiorum & cujusvis juris spiritualis concernentis beneficia, facta authoritate privata sit illicita & simoniaca jure eccleſiaſtico, *c. majoribus. de præbendis. c. ultimo de pactis. c. quæsitum de rerum permutatione.* & ibi Abb. & Hoſt. item Rebuff. *in pract. part.* 3. *de rer. permut. n.* 52. Redoan. *de Simon. p.* 3. *c.* 3. *n.* 3. Ugol. *tab.* 1. *c.* 17. Valent. *l. c. q.* 26. *p.* 3. Suaretz. *l. c. c.* 31. *n.* 8. Caſtrop. *l. c. n.* 3. cont. Gloſſ. & Innoc. *in cit. c. quæsitum.* docentes, poſſe præbendas ejusdem Eccleſiæ & rationis privatim permutari. Eſtque talis actus permutationis nullus: unde non poſſunt permutantes beneficium propria authoritate retinere, quamvis ipſo facto ea non amittant; poteſt tamen Superior eos in pœnam commiſſi criminis privare per ſententiam beneficiis; juxta *c. cum olim. de rer. permut.* ita tenent Leſſ. *l. c. d.* 17. *n.* 100. Garc. *de benefic. p.* 11. *c.* 4. *n.* 6. Caſtrop. *l. c. n.* 4. Ubi etiam, quòd privata autoritate permutantes, non incurrant cenſuram juxta probabilem.

5. Quartò, quòd nomine ſuperioris (cujus conſenſus neceſſariò requiritur ad permutationem ſine Simonia faciendam, juxta *c. quæsitum. & c. admonet.* de rerum permut.) veniat non tantùm Epiſcopus, qui dignitatem, ſed etiam, qui ſolum jurisdictionem Epiſcopalem habet, ut Capitulum ſede vacante, Gloſſ. *in clem. unic. de rer. permut. v. concedatur.* Cardin. *ibid. q.* 12. Rota *ad tit. de rer. permut. deciſ.* 5. *&* 6. in novis Suar. *l. c. c.* 32. *n.* 11. Caſtrop. *n.* 5. quin & de præſcripta conſuetudine Prælatus alius carens jurisdictione Epiſcopali, Suar. *l. c.* Leſſ. *c.* 34. *du.* 36. *num.* 196. Caſtrop. *l. c.* Quin & præſcindendo à tali conſuetudine, poſſe permutationes ſine conſenſu Epiſcopi approbare Prælatum, ad quem ſpectat collatio beneficiorum permutandorum, tenent Angel. *v. permutatio. num.* 5. Sylv. *v. eod.* 2. *q.* 2. Sotus *L.* 9. *q.* 5. *a.* 2. *&* *q.* 7. *a.* 2. & ut verè probabile cenſent Suar. & Caſtrop. *ll. cit. arg. c. unic. de rer. permut. in.* 6. dum ibi dicitur: quòd approbatio & conſenſus Epiſcopi requiratur in permutatione beneficiorum, quæ ipſe conferre poteſt, non in aliis.

6. Quintò, quòd injuſtum & Simoniacum ſit, Epiſcopum aliúmve Prælatum præter ſummum Pontificem (qui id poteſt, quia poteſt jus percipiendi fructus à ſpirituali ſeparare) concedere facultatem, aut conſentire, ut permutaturus beneficium ſuum pinguius cum tenuiore pro exceſſu hoc exigat pecuniam, aut quid temporale, Gloſ. *in c. cum pridem de pact.* Leſſ. *l. c. num.* 104. §. *ad hoc.* Suar. *l. c. à n.* 10. Caſtrop. *l. c. p.* 16. *n.* 1. apud quem *ibidem* vide, qualiter his non obſtet *c. ad quæst. de rer. permut.* Sed neque de conſenſu Ordinarii poſſe inæqualitatem fructuum ſpiritualium v. g. decimarum, primitiarum, oblationum, annexorum beneficio pinguiori, compenſari in permutatione illius cum tenuiore per impoſitam huic penſionem; contra Gigas de penſion. *q.* 6. Zerol. in praxi Epiſcopali *p.* 2. *v. penſio. n.* 1. Gonz. *ad reg.* 8. *cantell. gl.* 5. *n.* 27. Roman. *tr. de penſion. c.* 15. *num.* 10. Navar. *conſ.* 43. *de Simon. n.* 4. Delphinas *de jurep. L.* 1. *q.* 18. *n.* 186. Docent Garcias *de benef. p.* 1. *c.* 5. *n.* 341. Suar. *l. c. n.* 16. Valent. 2. 2. *d.* 6. *p.* 3. *in fin.* Rodriq. *tom.* 2. *ſum. c.* 65. *n.* 6. Aragon. *q.* 100. *a.* 4. *verſ. eſt aliud.* quos citat & ſequitur Caſtrop. *l. c. n.* 3. ex ea ratione, quòd Epiſcopus beneficia conferre nequeat cum diminutione, quod faceret conſentiendo imponi penſionem. Ad hæc, ut valent; conſuetudo hujusmodi facultatem denegaverit Epiſcopis. Unde etiam Simoniacum eſt, partes inter ſe absque ordine ad conſenſum Pontificium convenire, ut unus, ſcilicet, cui facta eſt reſignatio, integrè ſolvat expenſas bullarum pertinentium ad utrumque; quia in tali pactione exigitur à reſignatario aliquod onus pretio æſtimabile, quod de jure non ineſt, cùm de jure proprias bullas ſolvere teneatur, Garc. *de benef. p.* 11. *c.* 3. § 2. *n.* 147. Navar. *L.* 5. *conſil. tit. de Simon. conſ.* 50. *&* 51. Pariſ. *de reſign. L.* 14. *q.* 7. *n.* 9. Suar. *l. c. num.* 19. Caſtrop. *l. c. n.* 5.

Quæſt. 91. *Qualiter Simonia committatur in reſervatione, ceſſione, & translatione penſionum?*

1. Reſp. Videndum me de hoc *in foro benef. p.* 3. *q.* 435. ubi, quòd factum Papæ tollat vitium Simoniæ, etiam mentalis, etſi ante reſignationem reſignans & reſignatarius tractaverint & conſenſerint ſub beneplacito Apoſtolico de ſolvenda annuatim penſione; pro quo citantur Azor. *p.* 2. *L.* 7. *c.* 21. *q.* 1. Corrad. *p.* 2. *benef. L.* 5. *c.* 2. *n.* 1. Pariſ. *de reſig. L.* 6. *q.* 2. *num.* 67. item *p.* 3. *q.* 664. *n.* 4. ubi, quòd ceſſio ſeu remiſſio penſionis facta à penſionario ad datam pecuniam, vel anticipatam ſolutionem citra beneplacitum Apoſtolicum ſit Simoniaca, pro quo citatur Card. de Luc. *de penſ. diſc.* 5. *n.* 3. *&* *d.* 68. *n.* 23. item *q.* 665. ubi, quòd extinctio penſionis taliter ſimoniacè facta, præjudicet tam titulari, quam penſionario inducendo pœnas ſtatutas Simoniacis, & vacationem ſeu amiſſionem beneficii; citatúrque pro hoc Card. de Luc. *cit. d.* 5. *num.* 9. item *p.* 3. *q.* 629. ubi, quòd licet penſionarius etiam habens à Papa poteſtatem transferendi penſionem, pro pecunia, tamen aut pretio transferre eam nequeat, &, ſi id faciat, committat Simoniam in ſententia ſentientium, penſionem eſſe rem ſpiritualem, absque eo tamen, quòd incurrat cenſuram.

2. Quibus adde primò, penſiones merè temporales, quæ etiam Laicis pro miniſterio temporali, vel etiam ob aliam juſtam cauſam aſſignari & competere poſſunt ex reditibus eccleſiaſticis citra titulum ſpiritualem, absque Simonia vendi & redimi poſſe, cùm non fundentur in titulo ſpirituali, nec ei ſint annexæ, ſed ab eo legitimè ſeparatæ, nec ordinentur ad functionem ſpiritualem, Leſſ. *L.* 2. *c.* 35. *n.* 123. Suar. *l. c. c.* 26. *n.* 5. Laym. *Lib.* 4. *tr.* 10. *c. ult.* §. 5. *n.* 46. *q.* 3. Pirh. *h. t. n.* 96. E contra penſiones propriè ſpirituales, ſcilicet quæ dantur in titulum beneficii, ad juvandum v. g. Parochum in officio ſuo, vocariſque ſolent Capellaniæ, vel etiam ad ſerviendum tantùm in choro, vel officiis divinis, utpote propriè dicta beneficia, quia fundata in titulo ſpirituali perpetuo, & canonicè inſtituta. Item penſiones, quæ loco beneficii ad ſpirituale miniſterium dantur, v. g. Coadjutori, vel Vicario Epiſcopi, aut Concionatori, ſine Simonia vendi aut

redimi

redimi non posse, Less. *l. c. n.* 122. Suar. *l. c. n.* 19. & 20. Laym. *l. c. n.* 47. Pirh. *n.* 97. quamvis ipsi fructus talium pensionum ad tempus vitæ talis pensionarii ab eo citra jus ipsum percipiendi, vendi & locari possint, Laym. Less. Pirh. *ll. cit.*

3. Secundò: Pensiones mixtæ, nimirum quæ dantur Clericis, quà Clericis, seu ratione status clericalis, non ob ministerium spirituale, sed ob aliam causam, quia dantur v. g. Parocho seni, qui ampliùs Ecclesiæ deservire nequit, vel pauperi Clerico ad ejus sustentationem, vel ob resignationem factam in favorem tertii ex natura rei, & de jure communi antiquo emi ac vendi poterant, cùm in nullo titulo spirituali fundentur, aut ei annexæ sint, neque ex eo, quòd dentur intuitu statûs clericalis, aut præhabiti beneficii quidquam spirituale contineant, sed status ille & officium præhabitum habeant se per modum conditionis, dentúrque, non ut stipendium seu merces ministerii, utpote quod præteriit, sed ut eleemosyna quædam separata à bonis beneficii, Less. *n.* 126. Suar. *n.* 24. Pirh. *num.* 98. Nihilominus juxta stylum Curiæ Romanæ, & jure novo post decretum Pii V. istiusmodi pensionum venditiones ut Simoniacæ prohibentur, Less. *n.* 125. Suar. *l. c. n.* 7. *a.* 8. Laym. *n.* 48. Pirh. *l. c.* siquidem Pius V. annexuit iis officium B. V. & ita respiciunt ministerium aliquod spirituale, ob quod dantur, Less. Suar. Pirh. *l. c.* qui tamen tenent, posse eas redimi pecuniâ, quia sic temporale pro spirituali non commutatur, sed solum extinguitur onus aliquod, seu obligatio temporalis, solvendi aliquam pecuniam: vide de his pluribus cit. AA.

Quæst. 92. *An & qualiter committatur Simonia in resignatione beneficiorum?*

Resp. Materiam hanc de Simoniaca resignatione beneficiorum tractatam à me fusè & accuratè in *foro beneficiali. p. 3. q. 723. & seq. ad quæst. usque* 758. ubi *quæst.* 723. An resignatio facta simoniacè, & inde secuta collatio beneficii resignati sit nulla ipso jure? *Quæst.* 725. Quænam resignatio censeatur facta simoniacè? *Quæst.* 726. An & qualiter authoritas & beneplacitum Apostolicum excludat Simoniam à resignatione? *Quæst.* 727. An resignatio facta coram Ordinario in favorem alicujus, & non aliàs, seu aliter sit Simoniaca? *Quæst.* 728. An etiam Simoniacum sit, aut alias illicitum, resignare beneficium coram Ordinario liberè quidem, cum ea tamen intentione, spe, supplicatione, ut conferatur certæ personæ? *Quæst.* 729. An Simoniacum sit resignare coram Ordinario sub alia conditione, v. g. sub reservatione pensionis vel fructuum. *Quæst.* 730. An Simoniacum sit resignare coram Ordinario ad effectum unionis, sub conditione reservandorum sibi fructuum beneficii uniti? *Quæst.* 731. An Simoniacum sit resignare coram Ordinario sub conditione, quæ de jure inest? *Quæst.* 732. An Simoniacum sit resignare (idem est de conferre) beneficium sub conditione, quæ quidem non inest de jure, seu non annectitur ipsi beneficio; continet tamen aliquid aliàs de jure debitum resignanti vel collatori, v. g. ut resignatarius solvat, quod aliàs debet, & in quo solvendo erat injustè morosus? *Quæst.* 733. An Simoniacum sit, resignare beneficium, ut resignatarius resignanti, vel alteri ferat suffragium in electione aliqua aut præsentatione, seu adeptione alicujus beneficii vel officii. *Quæst.* 734. An Simoniacum sit resignare in favorem Titii, ut is resignantem moneat, seu certiorem faciat, ubi beneficium aliquod in urbe Titii vacabit? *Quæst.* 735. An Simoniacum sit, resignare ea conditione, ut resignatarius resignet beneficium suum in favorem resignantis, aut alterius, puta amici, nepotis. *Quæst.* 736. An Simoniacum sit resignare vel conferre beneficium pingue sub onere, ut resignatarius resignet simpliciter seu purè minùs pingue, ut illud conferri possit alteri. *Quæst.* 737. An Simoniacum sit, coram Ordinario resignare beneficium in favorem tertii, ex causa permutationis, dum tertius ille non habet beneficium permutandum? *Quæst.* 738. An Simoniacum sit resignare cum pacto, ut resignatarius solvat expensas jam factas à resignante in beneficio illo consequendo? *Quæst.* 739. An Simoniacum sit, si resignatarius solvat omnes expensas, quæ in conficiendis expediendisque literis Apostolicis factæ sunt; ita, ut solvat etiam eas, quæ à resignante faciendæ essent ob fructus vel pensionem certam ei reservatam? *Quæst.* 740. An Simoniacum sit, dum ex conventione resignantis & resignatarii exprimitur, major vero ad effectum, ut obtineatur à Papa reservatio pensionis, aut majoris pensionis super beneficio? *Quæst.* 741. An Simoniacum sit resignare, ut resignatarius solvat expensas factas à resignante in beneficio jam obtento, v. g. in reparanda Ecclesia, vel domo beneficiali, aut fundis beneficialibus meliorandis? *Quæst.* 742. An sit Simoniacum resignare ea lege, ut resignatarius reparet Ecclesiam, in qua situm beneficium, vel certam summam in illam reparationem conferat, administret ibidem Sacramenta &c. *Quæst.* 743. An Simoniacum sit, resignare in favorem alicujus (idem est de conferre) ob recompensam seu remunerationem servitiorum præstitorum? *Quæst.* 744. An Simoniacum sit, resignare, (vel, quod idem est, quoad præsens institutum) conferre alteri beneficium, ad consequendum aliquid temporale tanquam finem; & è contra dare seu exhibere temporale aliquid ad obtinendum beneficium per resignationem, collationem, vel etiam per præsentationem? *Quæst.* 745. An Simoniacum sit, dare tanquam gratuitam compensationem temporale pro spirituali, vel contra, v. g. dare temporale pro beneficio resignato collato, vel præsentatione ad illud; vel beneficium resignare, conferre pro temporali aliquo sibi dato aut exhibito? *Quæst.* 746. An Simoniacum sit resignatarium (& in genere recipientem aliquid spirituale vel spirituali annexum) facere resignanti beneficium, vel danti spiritualem donationem merè spontaneam, gratuitam, purè liberalem, in hoc distinctam à compensatione gratuita, quòd non sicut illa detur pro spirituali, quamvis fiat præcedente datione rei spiritualis? *Quæst.* 747. An & qualiter Simoniacum sit, resignare, vel conferre beneficium, exigendo à resignatario juramentum fidelitatis? *Quæst.* 750. An Simoniacum sit, resignatione vel collatione beneficii redimere vexam sibi factam in bonis, fama, vita? *Quæst.* 751. An Simoniacum sit, resignare liti super beneficio pro pecunia? *Quæst.* 752. An resignare expectativæ, quam quis habet ad beneficium proximè vacaturum, pro pecunia vel sub pacto adipiscendæ pensionis vel beneficii sit Simoniacum? *Quæst.* 752. An & qualiter committatur Simonia confidentialis in resignatione & provisione beneficiorum?

Quæst. 93. *An Simoniacum sit, dare temporale quia ad redimendam vexam ortam circa consecutionem vel possessionem beneficii?*

R Esp. Videndum me desuper *in foro beneficiali. p. 3. q. 749.*

Quæst. 94. *An Simoniacum sit ab eo, qui de novo receptus in Canonicum, pro vel in admissione in possessionem Canonicatûs vel beneficii, vel ad perceptionem distributionum, ante vel post exigi vel solvi quid temporale, v. g. pecuniam aliquam, vel partem fructuum primi anni prandium vel convivium, & similia pro Canonicis vel beneficiatis illius Ecclesiæ?*

R Esp. Videndum me desuper *in for. benef. part. 3. q. 748.*

CAPUT IV.

De amissione, dimissione, vacatione beneficiorum simoniacè obtentorum, & pœnis Simoniacorum.

Quæst. 95. *An & qualiter Simonia commissa in resignatione præjudicet resignanti, aut etiam commissa ab uno ex resignantibus noceat alteri ignoranti?*

R Esp. Videndum me desuper *in for. benef. part. 3. q. 759.*

Quæst. 96. *An & qualiter, & cui restituendum pretium acceptum in resignatione & collatione beneficiorum?*

R Esp. Videndum me *in foro benefic. part. 3. q. 755.*

Quæst. 97. *An & qualiter simoniacè provisus, de beneficio teneatur illud dimittere?*

R Esp. Videndum me desuper *in for. benef. p. 3. q. 374.*

Quæst. 98. *An ob Simoniam vacet beneficium, & reservetur Papæ?*

R Esp. Videndum me de hoc *in foro beneficiali. p. 2. q. 589.*

Quæst. 99. *Simonia, qualiter constare debeat, aut ea, quomodo probetur in ordine ad incurrendas pœnas?*

R Esp. Videndum me *in for. benef. p. 3. q. 203.*

Quæst. 100. *An & qualiter ob Simoniam mentalem & confidentialem infligitur privatio beneficiorum?*

R Esp. Videndum me *in for. benef. p. 3. q. 200.*

Quæst. 101. *An & qualiter vacent beneficia ob Simoniam confidentialem?*

R Esp. Videndum me *in foro benef. p. 3. q. 20.*

Quæst. 102. *An & qualiter de Simonia (& in specie de confidentiali) constare debeat, eáque probari in ordine ad eam puniendam, impetrandumque beneficium, circa quod commissa?*

R Esp. Videri me posse de hoc *in for. benef. par. 3. q. 203.*

Quæst. 103. *An & qualiter ob Simoniam mentalem, & conventionalem realem infligantur privatio beneficiorum, aliæque pœnæ.*

R Esp. De hoc videri me posse *in for. benef. part. 3. q. 200.*

Quæst. 104. *Ob Simoniam confidentialem, qualiter inducantur privatio beneficiorum, aliæque pœnæ?*

R Esp. De hoc videndum *for. benef. part. 3. q. 201. & 202.*

Quæst. 105. *Quæ pœnæ incurrantur propter commissam Simoniam realem circa beneficia ecclesiastica?*

1. R Esp. Primò: Quasi recapitulando, & in unum locum recolligendo has pœnas, de quibus sparsim, & veluti incidenter dictum in antecedentibus. Et primò quidem ipso jure incurritur excommunicatio Pontifici reservata, à quocumque, qui beneficium ecclesiasticum quodcumque, sive sæculare, sive regulare, (propriè tamen tale, quale non est pensio, vicaria temporalis &c. ut Less. *l. c. n.* 137. Suar. *l. c. c.* 56. *n.* 6. Pirh. *h. t. n.* 167.) procurat vel recipit conferendo, eligendo, postulando, præsentando, commendando ad illud, confirmando, instituendo, constat ex *extrav.* 2. *h. t.* & ex Bulla Sixti V. hujus Pontificis V. qua incipit: *Cum pridem.* & ex AA. *cit.* cum communi.

2. Resp. Secundò: Quævis collatio, provisio & acquisitio Simoniaca talis beneficii est ipso jure nulla, ita, ut provisus jus nullum acquirat, nec fructus faciat suos, & ad eorum omnium restitutionem, uti & ad dimissionem beneficii teneatur, aliàs in æternum periturus, juxta *cit. extravag. can. si quis caus. 5. q. 1.* & *c. Matthæus h. t.* ita tamen, ut electio & præsentatio legitimè facta non irritetur, adeóque non egeat irritatione per subsecutam confirmationem, & institutionem factam simoniacè, Less. *n.* 138. cujus contrarium est, si in priori actu commissa, cùm tunc omnes actus subsequentes sint irriti.

3. Resp. Tertiò: Non tantùm beneficium simoniacè obtentum, ante omnem sententiam dimittendum, sed & ad idem obtinendum, deinceps in perpetuum reddatur inhabilis, nisi Papa dispenset, ut tenet communis post citatam Bullam Pii V. *tùm pridem*, quidquid videatur dici in *c. penult. de elect.* & *c. nobis fuit. v. ab Episcopo.* contrarium, nempe talem non nisi pro illa vice esse inhabilem ad illud beneficium obtinendum. Quamvis autem simoniacè obtinens beneficium reddatur quoque inhabilis ad obtinenda quæcumque alia beneficia, juxta expressa verba *cit. bullæ cum pridem:* Navar. tamen *conf. 92. h. t.* Suar. *l. c. c. 58. n.* 11. Less. *L. 2. de just. c. 35. du. 26.* Castrop. *l. c. p. 25. n.* 7. Pirh. *h. t. n.* 170. *& alii*, sentiunt, dictam bullam quoad hoc non esse usu receptam, vel ante sententiam Judicis condemnatoriam, aut saltem declaratoriam ad hanc pœnam non obligare in conscientia, adeóque aliud beneficium licitè & validè obtineri posse sine

ulla

ulla dispensatione, nisi prior illa Simonia deducta jam fuerit ad forum contentiosum, & talis pro Simoniaco condemnatus vel declaratus.

4. Resp. Quartò: Privat quoque Simonia beneficiis aliis priùs legitimè obtentis, non tamen ipso jure, seu ante sententiam Judicis condemnatoriam de commissa Simonia; cùm jus nullibi hanc pœnam inducat, Abb. *in c. cum Clerici, de pactis, n. 2.* Felin. *in c. insinuatum. h. t.* Navar. *l. c.* Suar. *l. c. n. 6.* Castrop. *l. c. n. 4.* Pirh. *n. 169.* Reiffenst. *h. t. n. 269.* Quòd autem per sententiam privari possit præhabitis beneficiis, docent AA. juxta clarum textum *c. 2. de confessis.* non autem eo ipso privatur quoque fructibus perceptis dictorum beneficiorum, nisi hoc ipsum in ea sententia, uti fieri potest, exprimatur, Suarez. Pirh. Reiffenst. *ll. cc.* in conscientia tamen sicut beneficium simoniacè obtentum dimittere, ita & fructus ex eo perceptos restituere debet, quantumcumque Simonia sit occulta.

5. Resp. Quintò: Simoniacè obtinens beneficium perpetuò deponendus ab altaris ministerio seu officio, prout constat *ex cap. erga Simoniacos. 1. q. 1. ex cap. de hoc h. t. c. 2. de confessis.* quæ tamen pœna non incurritur ipso jure, sed per sententiam est infligenda, arg. cit. textuum, maximè *c. de hoc.* Porrò per depositionem perpetuam ab altaris ministerio, intelligi eandem pœnam, quæ statuitur *c. 2. de confessis*, nempe depositionem ab officio & beneficio, sive agatur per viam accusationis, sive per viam inquisitionis, cum Gloss. *in cit. c.* deponendi, tradit Pirh. *h. t. n. 165.* Non tamen Simoniacus in beneficio deponitur ab ordine, si contra eum procedatur per viam inquisitionis tantum: quamvis & pœna depositionis ab ordine, si Simonia notoria sit, imponi possit, juxta *c. qualiter. de accus. & c. 2. cum ab homine. de judicis.*

Quæst. 106. *Quæ pœnæ Simoniæ in casu, quo quis beneficium obtinuit per Simoniam ab alio commissam.*

Resp. Qui per Simoniam realem ab alio, v. g. à patente, consanguineo, amico &c. commissam, nulliter beneficium acquisivit, tenetur illud unà cum fructibus ante omnem sententiam Judicis dimittere, quamprimum rescit Simoniam in eo commissam, etsi id priùs nescivit, adeóque bona fide acceptavit & frui cœpit: ita unanimis, & certa ob claros textus juris. *c. non fuit.* & *c. sicut tuis. h. t. c. de elect. can. 1. caus. 1.* Non tamen tenetur quis in hoc casu restituere quoque fructus, quos bona fide consumpsit, aut quos percepit tanquam condignum stipendium sui ministerii spiritualis bona fide præstiti, Suar. *l. c. c. 57. n. 36.* sed neque is, in cujus odium ex fraude alterius beneficium eo ignorante obtinuit, etsi resciat simoniacè obtentum, illud aut fructus restituere, cùm in eo casu provisus fuerit licitè & validè, juxta *c. nobis fuit. h. t.* ex ea ratione: quòd non sit indulgendum malitiis hominum, & non debeat aliquis alterius odio prægravari. *c. 22. de reg. jur. in 6.* idem dicendum, si ille cum ignorantia beneficium per tertium simoniacè obtentum per triennium bona fide possedit, Suar. *l. c. n. 9.* Less. *cit. c. 35. du. 25. n. 140.* Castrop. *cit. p. 25. n. 3.* Reiffenst. *h. t. n. 278.* cùm per triennium beneficium titulo colorato possidens pacificè, super eo ampliùs molestari nequeat juxta *reg. cancell. 36. de triennali*, non obstante, quòd vi ejusdem regulæ ad fruendum favore ejusdem requiratur, quòd sine ingressu Simoniaco beneficium obtinuerit: quia id intelligendum de eo, qui per seipsum beneficium simoniacè obtinuit, vel per alterius Simoniam, si statim vel saltem intra triennium id rescivit, cùm tunc bona fide non possederit. Neque etiam beneficio hujus triennalis possessionis pacificæ derogatur quoad præsens punctum, quòd *c. sicut tuis. h. t.* dicatur, parvulos, qui per parentes datâ pecuniâ obtinuerunt Ecclesiam, eam debere dimittere, cùm tamen illi ignari Simoniæ possederint per plures annos ultra triennium. Nam potiùs contrarium dicendum, & per *cit. regulam cancellariæ.* utpote posteriorem, *cit. c. sicut tuis.* similibúsque Canonum statutis, utpote prioribus, esse derogatum, ut Reiffenst. *h. t. n. 279.* vel dicendum, quod *cit. c. tuis.* intelligendum de parvulis, qui Simoniam commissam à parentibus rescíverunt, aut intra triennium parentibus incautè propalantibus, quantùm in eos impendere debuerint. Item idem dicendum, seu non dimittendum beneficium, cujus provisio valida in casu, quo sciente aliquo simoniacè per alium procurari sibi beneficium, ante collationem contradixit, dum alter, eo dein inscio, pergens in sua Simonia reipsa procuravit illi beneficium, isque illud recepit bona fide, putans illud absque Simonia sibi obvenisse, Reiffenst. *n. 280. & 281.* juxta expressum textum *cit. c. sicut tuis.*

Quæst. 107. *Quæ pœnæ Simoniæ commissæ circa susceptionem & collationem Ordinum?*

1. Resp. Primò: Committens Simoniam realem ex utraque parte completam, tam conferendo, quam suscipiendo Ordines, sive dando, sive recipiendo temporale, ipso facto incurritur excommunicatio Papæ reservata, ut constat *ex extrav. 2. h. t.* Neque enim ibi imponitur hæc pœna solis committentibus Simoniam realem in beneficiis: Etsi hanc pœnam statuens Pontifex, immediatè ante loquatur de beneficiis; sed comprehendit totam materiam, etiam antecedentem, in qua mentio facta de Simonia commissa in materia Ordinum; ita cum Less. & Laym. Pirh. *h. t. n. 156.* & Reiffenst. *n. 258.* Dum autem dicitur, ipso facto incurri hæc pœna, id speciale est, in quantum nulla pœna juris ob Simoniam etiam realem incurritur ipso facto præter commissam in ordine, beneficiis, ingressu in religionem, ut Nav. *in man. c. 23. n. 111. vers. 6. & 7.* Suar. *L. 4. de Simon. c. 55. n. 5.* Less. *cit. c. 35. n. 130.* Pirh. *h. t. n. 154.* Porrò nomine ordinum hic veniunt tam minores, quàm majores, ut quorum quolibet confertur specialis potestas in ordine ad Sacerdotium, in quo character Ordinis completur, Suar. *l. c. c. 56. n. 4.* Barbos. *in cit. extrav. 2. n. 8.* Pirh. *n. 56.* Quinimo dictam excommunicationem locum habere in conferentibus & recipientibus primam tonsuram, tenent Suar. *l. c. n. 5.* Laym. *l. c. c. ult. §. 7. n. 79.* Pirh. *l. c.* aliisque apud Barbos. *l. c. n. 8.* contra Less. ex ea ratione allata à Pirh. tum quòd communi modo loquendi per primam tonsuram dicatur quis ordinari, id est, in ordine Clericorum constitui, & in hoc sensu prima tonsura sit Ordo; tum quia aliæ quoque pœnæ statutæ contra Simoniacos in Ordine, habent locum in collatione primæ tonsuræ. Notarium tamen, qui pro expeditione dimissoriarum, aut sigillo accipit aliquid, non incurrere excommunicationem, probabile censet Pirh. *l. c.* eò, quòd Trid. *sess. 21. c. 1. de reformatione*, ad eum non extendat excommunicationem.

2. Resp. Secundò: Præter excommunicationem, conferens ordines per Simoniam realem completam & per-

& perfectam accepto, vel re aliqua æquivalente spectato jure communi decretalium, ipso facto est suspensus à collatione omnium Ordinum saltem ad triennium, juxta *c. 45. h. t.* ubi idem dicitur de præsentatore ad ordines. Dicitur primò: *Per Simoniam realem completam*, qualis non est, dum non intervenit datio alicujus pretii, aut remissio obligationis jam ortæ, seu juris acquisiti, dum ordinandus jurato promisit se, postquam ordinatus, non exacturum sustentationem ab ordinante, sed eam remissurus pro tempore, quo debebitur, adeóque Simonia realis directè non fuit commissa, unde mitiùs puniri debet per suspensionem temporalem seu triennalem. Dicitur secundò: *Spectato jure communi decretalium*: nam ex nova constitutione Sixti V. quæ incipit: *novum & salutare*, ejusdem Pontificis 91. simoniacè conferens Ordines, à collatione quorumcumque Ordinum, atque adeo primæ tonsuræ, & ab executione omnium munerum pontificalium eò ipso suspensus, & ab ingressu Ecclesiæ interdictus existit; quarum censurarum absolutionem, etsi Simonia sit occulta, sedi Apostolicæ reservat. Quas etiam censuras & pœnas contra simoniacè ordinantes & ordinatos permanere voluit Clemens VIII. *in constit. sua* 40. quæ incipit *Romanum*. Etsi quò ad alia quædam Bullam Sixti V. ad terminos juris communis reduxerit. Insuper ut expressè habet cit. constitutio Sixti V. si memoratum interdictum violet ordinans, præter irregularitatem, quam incurrit vi, *c. 1. & 20. de sent. excom.* suspensus est à regimine & administratione suæ Ecclesiæ, & perceptione omnium fructuum suorum beneficiorum; independenter quoque à dictis bullis, si Simonia ab ordinante commissa non est occulta, sed manifesta, & is de ea accusatus convinceretur, à suo gradu & officio ecclesiastico est deponendus vi. *cap. si quis Episcopus. caus. 1. q. 1.* Etsi hoc depositio non ipso jure, sed per sententiam Judicis infligenda, ut Reiffenst. *h. t. n. 260.* citans Pirh. *h. t. n. 168.* qui tamen ibi loquitur, non de simoniacè ordinante, sed de eo, qui expulerit ab Ecclesia ordinatum, (id est, ritè & canonicè institutum) & in ejus viventis locum successerit. Et hæc de suspensione à collatione & exercitio Ordinum, intelligenda quoque de præsentatore ad ordines, ut Pirh. *h. t. n. 159.* quo nomine venit Archidiaconus, seu is, cujus officium est, examinare ordinandos, inquirere in eorum titulum, an sufficiens sit ad ordines, & postmodum præsentare Episcopo ordinandos. Nunc etiam de suspensione, aliisque pœnis incurrendis à simoniacè ordinato.

3. Resp. Tertiò: Ordinatus quoque simoniacè scienter, præter excommunicationem (quam etiam ipso jure seu facto incurrit arg. *c. 1. reperiuntur. q. 1.* juncta *Extravag. cum detestabile. h. t.* ipso jure est suspensus ab executione omnium ordinum tam simoniacè susceptorum, quàm aliorum, etsi crimen sit occultum, arg. *cit. c. cum detestabile. §. 1.* loquentis indefinitè: *omnium ordinum suorum*, adeoque non restringendum ad solos ordines simoniacè susceptos, ut Less. *l. c. n. 135.* Laym. *l. c. num. 7.* Pirh. *h. t. n. 160.* Reiffenst. *n. 262.* cum communiore DD. Et si in tali suspensione actum alicujus Ordinis exercuerit, incurrit etiam irregularitatem. *c. Apostolicæ de cler. excom.* & *c. is, cui de sent. excom.* Insuper incurrit privationem omnium officiorum & beneficiorum, & inhabilitatem ad ea, si fuerit sæcularis; Et, si fuerit regularis, privationem vocis activæ & passivæ, & inhabilitatem ad ea, prout constat ex cit. Bulla Sixti V. quæ etiam harum pœnarum absolutionem sedi Apostolicæ reservat cum derogatione, Trid. *sess. 24. c. 6.* ita, ut etiamsi Simonia sit occulta, nihil circa absolutionem ab ea, possit Episcopus, Reiffenst. *cit. n. 262.*

Quæst. 108. Quæ pœnæ in jure statutæ contra Simoniam admissam in religionis ingressu?

Resp. Tres sequentes; prima, quòd tam dantes, quàm recipientes aliquid simoniacè pro ingressu & receptione in religionem incurrant ipso facto excommunicationem, si sint personæ sæculares, *extrav. 1. de Simon.* & si Capitulum seu Conventus consenserit in illam Simoniam, ipso jure suspensionem generalem ab officio capitulari quoad jurisdictionem & administrationem ecclesiasticam, non quoad alia munia, *cit. extrav. 1.* Secunda, quòd simoniacè susceptì per *c. veniens de regul.* & *c. quoniam. h. t.* jubentur de suo monasterio ad aliud artius expelli ad agendam pœnitentiam sine spe restitutionis; quod etiam vi *cit. c. quoniam.* intelligendum de Abbatibus, & majoribus monasterii personis, quamvis tam hi, quàm privatæ personæ in certis casibus dispensativè remanere in suo monasterio, sed nec inde exire teneantur, priusquam per superiorem compellantur, se ad aliud monasterium conferre, ad quod compelli nequeunt, nisi de commissa Simonia convicti & condemnati, Castrop. *p. 23. n. 1.* citatis Ugol. *tab. 1. c. 16 §. 4.* Less. *l. c. n. 132.* Suarez. *cit. c. 57. n. 8.* Tertia, quòd incurrant infamiam juris, & consequenter fiant irregulares, dum delictum est notorium notorietate juris aut facti, *Extrav. 1. h. t. §. certum.* Thesaur. *de pœn. Eccles. p. 2. v. Simon. c. 10. n. 2. & 3.* Reiffenst. *h. t. n. 225.* Porrò hic sequentia notanda: primò, quòd etsi Simonia incurratur statim per ingressum Simoniacum in novitiatum, præfatæ tamen pœnæ juris non incurrantur, nisi secuta professione, seu dicto ingressu completo per professionem. Unde regulares, si simoniacè pecuniam, vel quid aliud promissum non recipiunt, aut receptum restituunt ante professionem, vel etiam ad sæculum redeuntes professionem non emittant, dictam suspensionem non incurrunt, nec infames, nec irregulares, nec excommunicati fuerunt aut sunt; ita Castrop. *l. c. n. 3.* Pirh. *h. t. n. 71.* Reiffenst. *n. 255.* Secundò, quòd, ut Less. *l. c. n. 131.* ex Navar. & Silv. apud Castrop. *l. c. cit. Extravag. 1.* saltem quoad pœnam excommunicationis non sit recepta. Tertiò, quod secuta professione, etsi dictæ pœnæ incurrantur, ea tamen non sit invalida, & consequenter talis simoniacè professus ad sæculum redire, & nubere nequeat, licèt mandante legitimo superiore ad artius monasterium transire debeat, Less. *l. c.* Sanch. *L. 2. consil. c. 3. du. 104. num. 5.* Navar. & alii. Quartò, quòd etsi moniales (idem est, de aliis regularibus) monasterii habentis jam sufficientes reditus pro sustentandis etiam de novo ingredientibus, Simoniam committant juxta dicta supra, si pro ingressu in religionem temporale quid exigant, etsi dicant, se id facere seu exigere loco dotis ad honestam ingressæ sustentationem, non tamen, ut asserit Reiffenst. *h. t. n. 256.* incurrant dictas pœnas; vide de hoc Pirh. *h. t. n. 71.*

Quæst. 109. Quis sit Judex competens in crimina Simoniæ?

Resp. In crimine Simoniæ cognoscere, & de eo definitivè pronunciare, seu esse Judex, nequit Sæcularis, seu Laicus, sed solus Ecclesiasticus, etsi

reus

teus sit Laicus; cum objectum illius, & consequenter causa sit spiritualis, cujus cognitio & sententiæ pronunciatio juxta *c.* 2. *de judiciis.* pertinet ad solos judices Ecclesiasticos ita cum communiter recepta Gloss. *in c. cum sit. de for. compet. V. malefactores.* Abb. *ibid.* Clar. *l.* 5. §. *Simonia, num.* 7. Pirh. *h.t. n.* 142. Reiffenst. *n.* 348.

Quæst. 110. *Quisnam possit esse accusator & testis in hoc crimine?*

1. REsp. ad Primum Accusator in eo esse potest quilibet Catholicus, etiam servus & criminosus, ut constat ex *c. si dominus. h.t.* idque speciale in crimine Simoniæ, ut etiam servi accusare possint dominos Simoniacos, cum aliàs servi regulariter stare non possint in judicio, juxta *L. vix certus. ff. de judic.* Abb. *in c. si dominus n.* 2. item meretrix, quæ aliàs ad accusandum vel testandum non admittitur, uti nec ad actus alios legitimos propter vilitatem *l.* 29. *c. ad L. Juliam de adult. l.* 3. §. *Lege Julia. ff. de test.* Ex quibus etiam colligitur, quòd sub generali dispositione, qua criminosi ad aliquos actus admittuntur, non admittatur meretrix, nisi de ea caveatur, ut Abb. *l. c. num.* 3. Pirh. *h. t. n.* 143. *in fine.* Modò tamen criminosus non sit præcisus ab Ecclesia per sententiam canonis vel judicis, non suspensus vel interdictus ut Glos. *in cit. c. si dominus. V. ad accusationem.* Pirh. *l. c.*

2. Resp. Ad Secundùm, sicut quilibet aliàs de jure habilis ad accusandum, v. g. criminosus, potest esse accusator; ita etiam testis esse potest contra Simoniacos, modò non sit capitalis hostis rei aut conspirator in eum. *c. Heli. c. per tuas. h. t.* & *ibi* DD. communiter. Et hoc præcipuè si criminosus sit emendatus, *cit. c. per tuas*, nisi fortè sit perjurus, cùm is etiam emendatus non admittatur ad testificandum; cùm, qui semel perjurus timeatur rursus perjuraturus. arg *L. si qui* §. 3. *ff. de accus.* item Glos. *in cap. per tuas. V. furti.* Abb. *ibid. n.* 10. Pirh. *h. t. n.* 150. Reiffenst. *num.* 351. juxta *c. parvuli. caus.* 22. *q.* 5. & *c. testimonium. de testib.* Non tamen criminosi plenè probant sine adminiculis vel aliis indiciis, arg. *cit. per tuas.* & Abb. *ibi. n.* 4. Pirh. *n.* 150. Reiffenst. *n.* 350.

Quæst. 111. *Quinam absolvere possint ab excommunicatione, suspensione, & depositione incursa ob Simoniam?*

1. REsp. Primò ob incursam Simoniam commissam in provisione & receptione beneficiorum, ordinum, & ingressu in religionem absolvere potest solus Papa, utpote cui hæc absolutio reservata. *per extrav.* 1. & 2. *h.t.* Ex speciali tamen Privilegio, etiam Episcopi & religiosi mendicantes, utpote quibus concessum absolvere à casibus Papæ reservatis, modò non sit publica, & ad forum contentiosum deducta. Suar. *l. c. c.* 61. *n.* 4. Castrop. *p.* 8. *n.* 2. Reiffenst. *num.* 333. Pirh. *h.t. num.* 72.

2. Resp. Secundò à suspensione quoque quâ suspensus est Simoniacè Ordinem recipiens ab executione illius, uti & ab ascensu ad Superiores Ordines, & conferens à collatione ordinum absolvere potest relaxando hanc suspensionem solus Pontifex, utpote ei reservatam *c. penult. de Simon.* Suar. *l. c. n.* 5. & *seq.* Castrop. Pirh. *ll. cit.* citra quod potestas delegata, seu Privilegium absolvendi ab ea in ordine ad dictos effectus competat mendicantibus. Quin & licèt probabile censeat Suar. posse Episcopum dispensare in hac suspensione in ordine ad exercendos ordines alios legitimè susceptos, aut etiam ad ascendendum ad Superiores Ordines, contrarium tamen censet probabilius. Idem dicendum de suspensione incursa à capitulo & conventu regulari propter Simoniacam receptionem Religiosi, ait Castrop. *cit. n.* 2. *in fine.*

3. Resp. Tertiò: Infamia & depositio ab officio & beneficio ob commissam Simoniam inflicta, quòd non nisi à summo Pontifice aboleri possit, speciale est, quia hæ pœnæ ex suo genere perpetuæ sunt. Castrop. *l. c. n.* 1. Et hæc de pœnis Simoniæ jam incursis. Quod enim attinet pœnas ipso jure latas & per sententiam inferendas, nondum tamen inflictas, aut etiam latas, nondum executioni datas, ne inferantur aut executioni dentur, vel etiam perseverent tempore, pro quo latæ fuerunt, solus Pontifex impedire potest, ita ut ab inferiore judice impediri aut auferri nequeant; Quamvis tamen Castrop. *l. c.* probabile dicat, posse Episcopum impositam triennalem suspensionem ante transactum triennium auferre. De cætero dum Pontifex ante Simoniam commissam dispensat, ut pœna eâ commissâ non incurratur, sensus non est, quòd dispenset quoad culpam, quod utique nequit, dum Simonia est contra Jus divinum, sed neque, dum Simonia est contra Jus Ecclesiasticum (in quo casu ille solus & inferior Prælatus non nisi ex commissione illius tacita vel expressa dispensare potest) item sensus non est, quòd manente Simonia tollatur culpa, cùm id repugnet; sed quòd datio & receptio pecuniæ, quæ remanente obligatione legis esset Simonia, non sit Simonia. Qualiter autem Pontifex non soleat facilè dispensare hac ratione contra jus Ecclesiasticum, dicetur paulò infra.

Quæst. 112. *Quis tollere possit inhabilitatem Simoniaci ad retinendum, vel denuò obtinendum beneficium Simoniacè obtentum?*

1. REsp. Primò: Præter Papam potest Episcopus, aliúsve Prælatus dispensare, ut beneficiatus invincibiliter ignorans beneficium Simoniacè obtentum, adeóque bona fide à se receptum retinere, aut, potiùs, postquam liberè illud resignavit, de novo ab Episcopo sibi collatum acquirere, si simplex est: Si verò prælatura vel dignitas est, aut curatum, non potest dispensante Episcopo illud retinere, aut de novo acquirere, nisi postquam priùs collatum alteri denuò vacaverit. Abb. *in c.* 22. *h.t.* Castrop. *l. c. n.* 3. Pirh. *h.t. n.* 73. Reiffenst. *n.* 336. *junctis n.* 337. prout hæc habentur *cit. c penult. de elect.* & *ibi.* AA. Quod tamen *cap.* intelligendum esse asserit Reiffenst. de casu quo ob Simoniam ab altero commissam electio alicujus, vel collatio, per Sententiam fuit reprobata aut irrita declarata, ita ut, si in foro externo dicta reprobatio aut declaratio facta non fuerit, Episcopus etiam pro illa vice dispensare possit, ut dignitatem quoque seu beneficium curatum Simoniacè, bona tamen fide obtentum retinere possit, aut potiùs à se priùs resignatum de novo obtinere, absque eo, quòd illud interea alteri collatum fuerit.

2. Resp. Secundò: Si beneficium qualecumque per alium obtentum fuit, beneficiato sciente, & tacitè vel expressè consentiente, vel etiam ipsomet Simoniacè procurante, Episcopus nec pro foro interno nec externo dispensare potest, ut Simoniacus talis hujusmodi beneficium retinere, aut idem hac vel alia vice de novo acquirere possit, id-

que, etiamsi Simonia esset occulta, ut Suar. *cit. l. 4. de Simon. c. 61. n. 10. & 11.* Less. *l. 2. c. 35. du. 25. num. 140.* Castrop. Pirh. *ll. cit.* Reiffenst. *num. 339.* His non obstante Trident. *sess. 24. de reform. c. 6.* Ubi quòd Episcopus habeat potestatem dispensandi in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ provenit ex homicidio voluntario, & absolvendi in foro conscientiæ ab omnibus casibus occultis, etiam Papæ reservatis. Cùm hic casus non comprehendatur dicto privilegio; tum quia non est casus occultus pertinens ad absolutionem Sacramentalem, tum quia non est censura aut irregularitas, sed quædam pœna vindicativa Simoniæ: à pœnis autem omnibus reservatis Papæ absolvendi potestas non detur Episcopo per Trident. ut Suar. *cit. n. 11.* tum denique quia hæc pœna inhabilitatis post Trident. inducta & reservata Papæ. Facultas autem concessa à Trident. non extendit se ad casus nova lege Pontificia reservatos Papæ, ut respondit Gregor. XIII. audita relatione congregationis Cardinalium, prout refertur per Farin. *tom. 4. decision. Rotæ. fol. 77.* ubi etiam refertur ipsa sacræ congregat. Declaratio in hæc verba: *Episcopus, etsi à Simonia occulta absolvere possit, non potest tamen rehabilitare ad beneficium in posterum obtinendum, neque ad ea retinenda, quæ per Simoniam occultam retinet &c.* Ex quibus, ut addit Reiffenst. liquet, contrariam Sententiam in praxi nullatenus tutam, & consequenter nullatenus practicandam. Nihilominus tamen Castrop. *l. c. n. 4.* existimat cum Henriq. *l. 13. de excom. c. 56. n. 1.* Less. Suar. *ll. cit.* satis probabile esse, Episcopum posse in dicta inhabilitate dispensare, eò quòd, ut Henriq. sit quædam quasi irregularitas. Ad declarationes quoque Cardinalium ait: illis non necessariò standum, ut expresè Sanch. *l. 8. de matrimonio d. 2. n. 10. circa finem*, uti & Vasquez. *in 2. 2. d. 177. c. ult. n. 73.* ubi probat declarationes & decisiones Rotæ non habere vim legis. Ad hæc dictas declarationes Cardinalium facilè intelligi posse, de inhabilitate ad beneficia illa obtinenda, de quibus privatus fuit per sententiam. De cætero distinctionem illam quam Castrop. *num. 6.* dicit afferri à gravibus AA. quòd nimirum Episcopo dispensante in impedimento, ob quod collatio beneficii fuit irrita, maneat valida, si collatio pertinet ad ordinarium; secus si spectet ad Pontificem, cui reservata, ait omnino reprobari ab AA. quos magno numero citat.

Quæst. 113. *Quis absolvere possit ab interdicto ingrediendi Ecclesiam incursam à Simoniacè ordinante?*

RESP. Posse id solum Papam, quippe qui sibi soli reservavit hanc absolutionem. Castrop. *l. c. n. 2. in fine.* Dum aliàs ab omnibus aliis censuris, si publicæ non sint, vel ad forum contentiosum deductæ, absolvere possit Episcopus, vi Trid. *Sess. 24. de reformat.* asserit idem Suar. *cit. num. 11.* non obstante Bulla Pii V. hanc facultatem prohibente, dum ea, ut idem cum Sa *V. Simonia q. 12.* & Less. *l. c. du. 24. n. 134.*

Quæst. 114. *An & ex quibus causis Papa dispensare soleat in pœnis Simoniæ?*

1. RESP. Primò: Quamvis ut licitè dispenset, in illis requiratur causa aliqua, sic exigente bono communi & ordinato Ecclesiæ regimine; si tamen sine causa in lege sua dispensaret, & contra eam ageret, non peccaturum eum mortaliter, secluso scandalo, aliáve extrinseca ratione, & validam esse dispensationem, censet Castrop. *l. c. n. 11.* citans pro hoc Sanch. *l. 8. de dispens. d. 17. n. 28.* & *d. 18. n. 7.* Less. cit. *c. 35. du. 5. n. 34.* Valent. *2. 2. d. 7. q. 5. p. 9. infin.* Rodriq. *tom. 1. sum. 2. edit. c. 237.* Nav. *in sum. c. 25. n. 5.*

2. Resp. Secundò: Rarissimè tamen in dictis pœnis solet dispensare, etiamsi gravissimæ allegentur causæ, teste Pyrrho Corrado versatissimo & summè practico in curia, ut de eo ait Reiffenst. *h. t. n. 343.* hac allegata hujus difficultatis dispensandi ratione: quod curia Romana summè hoc vitium execrata, & misericordia indignum reputans, ordinaria negatione dispensationis ab illo committendo deterreat. Si tamen quandoque in illis pœnis dispenset Papa, reus illius non tantùm absolvitur ab omnibus censuris, sed etiam dispensatur ab inhabilitate ad idem & alia beneficia retinenda & obtinenda, simulque redditur immunis à restitutione fructuum perceptorum.

3. Resp. Tertiò: Inter alias verò causas pro hac dispensatione obtinenda serviunt scandalum in dimissione beneficii timendum, & paupertas supplicantis. Quandonam autem vel cum quibus ex istiusmodi causis dispensetur, certa regula non extat, unde, ut ait Reiffenst. reus quidem tentare & supplicare potest pro dispensatione, committere tamen debet, num mentem Cardinalium hic & nunc ad petitam gratiam concedendam movere velit.

Quæst. generalis 115. *An hoc ipso, quòd Papa inhabili conferat beneficium censeatur cum illo dispensare?*

RESP. Affirmativè, si Papæ constet esse inhabilem, ne aliàs in vanum & frustra fecisse collationem dicendum sit. Abb. *in c. cum in cunctis. §. inferiora. de elect. n. 8.* Felin. *in c. præterea. de testam. n. 7.* Navar. *in opusc. de datis & promiss. not. 7. n. 15.* Covar. *reg. peccatum. p. 2. § 8. n. 9.* Molin. *tom. 1. de just. tr. 2. d. 92. §. illud animadvertendum.* Suar. *l. 4. de Simon. c. ultim. n. 14.* quos citat & sequitur Castrop. *l. c. n. 9.* Siquidem generale est principium, quòd quotiescumque impedimentum est juris humani, & legislator scienter impeditum admittit ad actum, præsumatur in eo animus dispensandi, & inducatur vera dispensatio, etsi Legislator seu Princeps potens in eo dispensare, non præmiserit causæ cognitionem. Ut si Papa scienter admitteret irregularem ad ordines vel beneficia, aut jure humano impeditum jungeret Matrimonio, vel Rex inhabilem (puta Servum) judicem constituat, Castropal. *l. c.* cum Sanch. *l. 8. de Matrim. d. 4. n. 2.* & aliis probantibus id ex *L. Barbarius. ff. de officiis præsidis.* & *L. quidem. ff. de re judicata*; Qui & asserunt procedere idipsum non solùm in supremo Principe, sed & in inferioribus Prælatis respectu eorum, cum quibus dispensare possunt. Non tamen etiam supremus Princeps conferendo beneficium inhabili, ab eo aufert absolutè inhabilitatem, sed solùm pro ea vice, seu ad solum illum casum, & respectu illius beneficii tantum. Castrop. *l. c. num. 10.* Quemadmodum etiam, ut idem, dum dicitur *Clement. unic. de sententia excommunicationis.* Pontificem communicando cum excommunicato, non censeri illum absolvere ab excommunicatione, nisi id exprimat, id ita intelligendum, ut per hoc non absolvat absolutè ab excommunicatione, quod tamen non impedit, quò

minùs

minùs suspendat effectum excommunicationis pro illa vice, ne scilicet excommunicatus peccet communicando cum ipso Pontifice, neve in excommunicationem minorem propter illum actum incidat.

Quæst. 116. *Quo recurrendum pro petenda & obtinenda absolutione & dispensatione à Pœnis Simoniæ, & qualiter concipienda supplicatio?*

1. Resp. ad Primum, si Simonia sit publica, adeóque dispensatio necessaria etiam pro foro externo, eâque reservata Papæ, recurrendum est ad Datariam Apostolicam, & supplicatio consignanda summo Datario. Si verò est occulta, adéoque dispensatio necessaria pro solo foro interno, recurrendum est ad S. Pœnitentiariam, inscribendáque supplicatio Cardinali summo Pœnitentiario.

2. Resp. ad Secundum, in supplicatione præter alia, exprimendi fructus ex beneficio Simoniacè obtento percepti, & consignandi summo Datario, quamvis, ut Corradus *in prax. dispens. l. 5. c. 9. n.* 13. & 14. Hodiedum super illis consignatis fiat transactio, ita ut ex illis pars tertia vel etiam major remittatur delinquenti, prout visum fuerit, Datario. Dein ut casus unà cum causis dispensandi exactè in ea exprimatur, consultum, ut Reiffenst. *h. t. n.* 345. ut his expositis alicui procuratori generali vel alteri bono practico scribatur, ut vel ipse supplicationem juxta stylum curiæ formet, vel ab alio practico formari faciat, ne vel ex hoc ipso defectu supplicationis minùs aptè ad stylum curiæ conceptæ gratia dispensationis denegentur.

Quæst. 117. *Quæ forma servanda in ipsa absolutione & dispensatione, ejusque executione?*

1. Resp. ad Primum: Ad valorem dispensationis in pœnis Simoniæ, nulla certa forma præscripta, unde, si Episcopus utatur verbis, quæ sufficienter exprimant voluntatem dispensandi, censebitur hoc ipso validè dispensasse. Castrop. *l. c. num.* 8. quod ipsum in dispensatione Pontificia à fortiore locum habet. Ad absolutionem quoque & dispensationem à confessario ex commissione faciendam, nulla requiritur certa forma præscripta, unde satis est adhibere verba, quæ exprimant tòlli pœnas. Quamvis tamen ad tollendas censuras, aliásque pœnas adhibendum verbum *absolvo*. Ad tollendam irregularitatem verbum *dispenso*. Portò formulam, quâ uti potest ad ritè exequendam commissam sibi dispensationem, ponit Reiffenst. *n.* 347. quam lege apud illum.

2. Resp. ad Secundum: De cætero in executione dispensationis Apostolicæ in pœnis Simoniæ in solo foro interno à pœnitentiaria datæ diligenter attendendus & observandus tenor literarum dispensationis, in quibus si circa restitutionem fructuum non dispensatur, injungi solet confessario, ut cum Simoniaco non dispenset, priùsquam fructus ex illo beneficio indebitè perceptos in totum restituerit, vel si in præsentiarum ob ejus paupertatem non potest, se restituturum promiserit, cùm primùm potuerit, etiam cum aliquali suo incommodo & indigentia. ut Corrad. *l. c. c.* 11. Item non dispenset, priùsquam beneficium Simoniacè acceptum dimittat, & novam illius provisionem à confessario per S. Congregationem deputato pro foro conscientiæ obtineat.

TITULUS IV.

Ne Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu aliis relinquant.

Quæst. 118. *An & qualiter Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu aliis relinquere possint?*

Resp. Cùm Quæstio hæc varios sensus ingerere possit, separando manifesta à minùs claris, notandum primò, non venire in hanc Quæstionem; num Prælati ipsas Prælaturas, Dignitates, officia & beneficia Ecclesiastica cedere, & in alios transferre possint pro pretio, sive simul ac semel soluto, sive annuatim certum censum pendendo; constat enim apertè, id Simoniacum esse, ratione spiritualis jurisdictionis, potestatis, administrationis, regiminis animarum illis annexis. Secundò posse ac debere Episcopum Vicario suo Generali committere jurisdictionem suæ diœcesis, præstando illi annuum stipendium seu salarium ex camera episcopali absque eo, quòd ipse eam dimittat. Quòd aliud longè est, quàm Episcopum relicta sua jurisdictione, vel potiùs retentâ illâ habitualiter, ejus exercitium concedere alteri, ac ita illi suas vices, accepto ab eo annuo censu committere, uti olim fuisse consuetudinis constat ex *c.* 1. 2. 3. *h. t.* quam consuetudinem ibidem Papa vocat enormem, ac reprobat utpote venditionem hujus exercitii in se spiritualis adeóque Simoniam continentem. Præterquam quòd id cedat in gravamen subditorum, dum hac occasione Commissarii istiusmodi officiales, ut ultra pecuniam, quam pendere debent Episcopo, lucrentur aliquid, facilè extorquent per fas & nefas à subditis pecunias, ac ita judicia pervertuntur ab iis, loco pœnæ personalis seu corporalis pecuniam ex rebus impositam exigendo; ut cum Abb. *in c.* 1. *h. t. n.* 4. Azor. *p.* 3. *l.* 12. *c.* 14. *q.* 1. Pirh. *h. t. n.* 2. ob quam rationem prohibetur quoque, *Auth. ut Judices quoquo suffragio.* venditio jurisdictionis temporalis, cùm, etsi id Simoniacum non sit, sit tamen turpe & illicitum lucrum. Atque ita etiam in Concil. Trid. *sess.* 25. *c.* 11. *de reform.* Sancitum & prohibitum jurisdictiones Ecclesiasticas seu facultates nominandi aut deputandi Vicarios in spiritualibus locare, uti & illarum conductores eas per se aut alios exercere, ne aliàs concessiones istiusmodi etiam à Sede Apostolica factæ censeantur subreptitiæ. Sed neque pro jurisdictionis Ecclesiasticæ locatione facit, quòd pro remissione jurisdictionis, quam in Ecclesiam vel Monasterium aliquod habet Episcopus, is annuam pensionem exigere & recipere posse videatur, vi *c. constitutus h. t.* nam & ipsum illicitum & Simoniacum est, cùm paria sint, quò ad Simoniam concedere & remittere jurisdictionem pro pretio. juxta *c. venient. de test. & attest.* junctâ Gloss. *v. remittere.* & *c. querelam.*

relam, de Simon. cit. autem *c. constitutus.* Pensio seu census annuus non tanquam pretium & æstimatio remissæ jurisdictionis, sed in illius sive præteritæ jurisdictionis recognitionem, & concessæ libertatis signum sit reservatus, ut Gloss. *in cit. c. constitutus. v. recompensare.* Abb. *ibid. n.* 17. Suar. *de Simon. c.* 24. *n.* 37. Wiestn. *h. t. n.* 5. juxta *c. recepimus. de privileg.* Neque etiam praxis Curiæ Romanæ, in qua vendi videntur Clericatûs Cameræ & Auditorum munia, habentia annexam jurisdictionem Ecclesiasticam nomine Papæ exercendam. Nam distinguendum inter jurisdictionem & emolumentum temporale, quorum prius vendi nequit sine Simonia; sed neque posterius ut jurisdictioni conjunctum. *Can. si quis objecerit.* 1. *q.* 3. Quo non obstante, vendi potest dictum emolumentum secundum se & nude spectatum, seu ut separatum ab illa jurisdictione. arg. *c. fin. h. t.* Non secus ac in beneficio fructus sine Simonia vendi possunt, dum illi iúsque illos percipiendi à titulo seu officio spirituali authoritate Pontificia separatum, ut Abb. *l. c. n.* 2. Angel. *V. Simonia* 2. *n.* 2. Suar. *l. c. c.* 20. *n.* 6. Castrop. *tr.* 17. *d.* 3. *p.* 12. *n.* 7. quos citat & sequitur Wiestn. *num.* 6. de quo posteriore sit

Quæst. 119. *Num Possessiones, reditus Ecclesiæ, fructúsque beneficiorum pro annuo censu elocari possint?*

RESp. Affirmativè. arg. *c. fin. h. t.* Ubi dum agitur de locatione Ecclesiæ, nomine Ecclesiæ veniunt solùm fructus & obventiones, possessiones Ecclesiæ seu ipsa prædia illius, ex quibus dicti fructus proveniunt, ut cum Gloss. *in cit. c. fin. V. Præfatam Ecclesiam.* hæc enim elocari possunt ad tempus modicum, ut patet ex *c. ad audientiam. de rebus Eccles. alien.* & quidem jure antiquo non ultra novennium, hodiedum verò non ultra triennium citra licentiam Papæ. juxta *Extrav. ambitiosæ.* de rebus Eccl. alien. ubi ea recepta. Qua tamen constitutione etsi Covar. *l.* 2. *resol. c.* 16. *n.* 6. *in fin.* Redoan. *tract. de reb. Eccles. non alien. q.* 58. *n.* 44. *& seq.* Et alii nonnulli probabiliter putent prohiberi tantùm ad triennium locationem rerum Ecclesiæ, quales sunt fundi & prædia, non verò fructuum; sed hos ultra triennium elocari posse, etiam ad vitam beneficiarii; contrarium tamen in puncto juris veriùs censet Pirh. *h. t. n.* 6. eò quod dicta constitutio generaliter loquatur prohibendo ultra triennium elocari omnes res & bona Ecclesiastica, fructus autem beneficiorum sint etiam res & bona ecclesiastica.

Quæst. 120. *Quæ pœnæ constitutæ contra dictam prohibitionem concedentibus & recipientibus jurisdictionem exercendam pro pretio seu annuo censu ejúsve exercitium?*

RESp. Tam dans quàm recipiens jurisdictionem ecclesiasticam, regimen Ecclesiæ, seu animarum pro pretio, excluduntur ab Ecclesia, in cujus contumeliam res seu pretium datum & acceptum. *c. consulere de Simon.* Dein dans pretium pro officio, jurisdictione & regimine Ecclesiæ, à Clero removetur, & sic amittit officium & jurisdictionem concessam. Episcopus etiam eam concedens perdit potestatem concedendi hujusmodi officium, *c. l. h. t.* item suspenditur ad tempus pro qualitate delicti. *c.* 2. *h. t.* & *ibid.* Gloss. *v. percellatur.*

Quæst. 121. *Qualiter Papa sine Simonia exigat & recipiat annatas?*

RESp. Annatas (hoc est, integros fructus primi anni ex Episcopatibus, Prælaturis aliísque beneficiis vacantibus, dum hi excedunt summam 24. aureorum) sine Simonia justè & rationabiliter exigit ac recipit Papa, ut ostendunt Fagn. *in c.* 1. *h. t.* Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 12. cùm non exigantur & solvantur pro collatione seu provisione Prælaturarum & beneficiorum tanquam pretium, aut merces conferenti debita, nec pro ullo jure spirituali aut spiritualibus annexo, sed tanquam fructus ad eum spectantes, quos, uti potuit, separatos à beneficiis sibi reservavit justo titulo, nimirum partim suæ seu Sacræ Sedis, partim in ministrorum seu officialium, quorum opera in totius Ecclesiæ gubernatione eget, sustentationem, adeóque quod suum est, sibique competit veluti quid temporale, ab omni titulo & jure beneficiali separatum exigit, & confert. Confirmatúrque idipsum exemplo summi Sacerdotis veteris legis, cui à minoribus Sacerdotibus ac Levitis ex præcepto divino. *c.* 18. *Numeror.* debebantur & solvebantur decimæ decimarum. Item à simili, dum omnibus Ecclesiis & Clericis suæ diœcesis Episcoporum est imponere, & ab iis exigere subsidium caritativum pro suis necessitatibus. Item ex eo, quòd si Papa conferens alicui beneficium fructus illius reservare potest ex parte vel ex toto in alterius indigentis subsidium, vel pensionem beneficio imponere in gratiam alterius, cur non etiam idipsum possit in commodum Cameræ suæ, vel Ministrorum suorum necessariis egentium: ita ferè Pirh. *h. t. num.* 9. qui etiam *num.* 10. bene advertit, signum manifestum esse; has annatas non pendi pro collatione beneficiorum, sivè sint ex majoribus & consistorialibus, ut Episcopatus, Abbatia, sive ex minoribus, sed tanquam fructus primi anni Pontifici reservatos, quòd dum eadem Prælatura seu beneficium intra annum bis aut sæpius vacat, illúdque successivè duobus vel tribus confertur, annatæ non nisi semel exigantur & solvantur. Verùm de annatis vide me fusiùs tractantem *in foro beneficiali p.* 2. *q.* 601. *& p.* 3. *q.* 189. *&* 190.

TITULUS V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro Licentia docendi.

Quæst. 122. *Literatorum gradus quotuplices sint, & quid singuli importent?*

1. RESp. Primò: Literatorum in scientia aliqua seu disciplina, sive sacra, sive profana testimonio & honore publico ornatorum tres Ordines seu gradus sunt, nempe Baccalaureatus, Licentia, Doctoratus seu Magisterium, etsi in locis aliquibus hi gradus non omnes, vel non ita gradatim recipiantur, & cæteri supremo præmittantur.

2. Resp. Secundò: In loco infimo stant Baccalaurei, sic magis congruè dicti à Bacca lauri sive ejus frondibus jam baccatis & frugiferis, ut Alciat. *in L.*

cui

cui præcipua. ff. de V.S. vel à Gallica voce *Bachelier*, militem tironem, seu inferioris Ordinis nobilem significante, ut Besold. *de studiosis. c.* 6. & Du Fresne *in glossar. v. Baccalaurii:* eorum verò nomine veniunt, qui sui in scientia profectûs primum testimonium publicum sunt consecuti. Non pariformiter ubique, quò ad studiorum tempus hic gradus conferri solet. In pluribus Universitatibus prævio examine creantur Baccalaurei Artium & Philosophiæ, absoluto primo anno Philosophiæ seu Logicâ, ad initium anni secundi. Baccalaurei Theologiæ sub finem secundi, aut initium tertii anni auditæ Theologiæ.

3. Resp. Tertiò: Licentiatorum (qui est alter post Baccalaureatum gradus) appellatione censentur, quibus supremum in scientia aliqua (sive ea sit Philosophica, sive Medica, sive Juridica, sive Theologica) honorem seu gradum, ejúsque insignia, quando volunt publicè capessendi collata, publicè est facultas seu licentia; quæ proinde non solùm judicium de dignitate promovendi, sed & distinctum literatorum gradum constituit supremo gradui, seu Magisterio & Doctoratui affinem. Unde ab aliquibus quasi-Doctores appellantur, Besol. *l. c. c.* 8. Iterus *de grad. Academ. c.* 4. *n.* 10.

4. Resp. Quartò: Doctorum & Magistrorum nomine confuso, etsi veniant indiscriminatim omnes in prædictis Facultatibus suprema laurea donati, ex usu tamen universitatum aliquarum ita distinguuntur, ut nomine Magistrorum in Universitatibus, præcipuè Germaniæ, v. g. in Ingolstadiensi, Salisburgensi, Colonensi &c. omnes tam in Theologia, quàm utroque Jure & Medicina supremum gradum consecuti, ordinariè vocantur Doctores; in Philosophia verò Artium Liberalium ac Philosophiæ Magistri. Item in Parisiensi, Lovaniensi, Salmanticensi dicuntur Magistri, qui supremo illo honore in Theologia condecorati, alii verò in utroque Jure & Medicina gradum supremum adepti vocantur Doctores, Besol. *l. c. num.* 7. Mendo. *de Jure Academ. l.* 1. *n.* 292. Gl. *in Clem.* 2. *v. Doctoratus.*

Quæst. 123. *Penes quos sit hos gradus literarios decernendi & conferendi potestas.*

1. Resp. Primò: Gradus hos in scientiis sacris, puta Theologia & Jure Canonico decernendi, conferendíque potestatem penes summum Pontificem, uti & in disciplinis profanis, puta in Jure Civili, Medicina, Philosophia penes Imperatorem, aliósque Principes superiorem in temporalibus non recognoscentes originaliter residere, ex eo constare videtur, quòd potestas illa conferendi hos gradus, qua pollent alii quoque inferiores, non nisi ab illis supremis Principibus dimanârit: dum illi potestatem hanc tum certis personis, v. g. Comitibus Palatinis, tum Collegiis, ac præcipuè studiorum generalium Universitatibus perpetuò concedere & communicare consueverunt: quin & ipsi per se contulerint, ut variis desuper relatis exemplis testantur Besold. *c.* 9. Mendo. *l. c. n.* 73. *& à num.* 360. apud Wiestn. *h. t. n.* 6. ubi etiam rationem, cur creare sacræ Theologiæ, & SS. Canonum Doctores potiùs sit Apostolicæ, quàm Imperialis ac Regiæ, alteriúsve potestatis, hanc assignat: quòd disciplinæ illæ, in quibus divini & ecclesiastici juris dogmata, sanctiones ac decreta per earum Professores traduntur & explanantur, ex institutione & fine suo sint spirituales, quippe ordinatæ ad spiritualia, nempe DEI cognitionem & cultum, fidei & justitiæ Christianæ studium in fidelibus conservandum ac promovendum, an marúmque salutem.

2. Resp. Secundò: Non ubivis locorum hæc potestas ad hos gradus promovendi inferioribus iisdem communicativè concessa: nam licet in quibusdam Universitatibus ea competat ipsis earum facultatum Professoribus & Moderatoribus, quibus & competit, Candidatos examinare, & pro eorum receptione approbare; in aliis tamen diversi ab illis ad hanc collationem constituti à summis Principibus, sic in Germaniæ Academiis Catholicis licentiam concedit cujusvis Procancellarii, alibi, ut in Parisina Cancellarius ipse, uti & eundem in Universitate Dilingana publicè renunciasse utriusque Juris Doctores, licèt ipse Doctor Juris Imperialis non esset, meminit Wiestn. *n.* 9. In Bononiensi gradus supremos in omnibus facultatibus confert Ecclesiæ majoris Archidiaconus, teste Lenauder. *de privil. Doct. p.* 1. *n.* 4. In Salmantina Scholasticus, seu Magister scholæ solus; testibus Mendo. *l. c. n.* 171. & Gonz. *in c. quia nonnullis. h. t. n.* 5. apud Wiestn. *l. c.* his non obstantibus, quòd hi ipsi promotores gradu, ad quem promovent alios, insigniti non sint; cùm in collatione gradûs Candidatus non approbetur primùm pro eo, sed aliorum Doctorum examine & judicio approbatus, solummodo declaretur, & insignium traditione quodammodo investiatur Doctor, ut cum Fabro *in L.* 2. *c. de vet. jur. enucl.* & Lenaud. Wiestn. *l. c.*

Quæst. 124. *Qualiter & quale promotioni ad dictos gradus præmittendum examen.*

1. Resp. Primò: Examen super scientia promovendi, aut æquivalentem ei positionum ex præcipuis facultatis partibus selectarum publicam, & cum doctrinæ commendatione susceptam propugnationem Magisterii, & Doctoratus collationi præmittendam, constat ex usu & literis Apostolicis & Imperatoriis, quibus potestas hos gradus conferendi Universitatibus communicatur. Et ita quidem, ut graviter peccent, qui Apostolicis aut Imperialibus rescriptis indulta sibi facultate abutendo, gradus & honores literarios supremos sine ulla investigatione doctrinæ personis scientia omnino destitutis, & non nisi, ut inquit Purpuratus *in L.* 1. *ff. de eo, cui mand. n.* 455. in rubrica de edendo, & de juris & facti ignorantia versatis, quibus triti versiculi: *in codice medicè: in digestis nihil potestis, in institutis similes brutis: in novellis asellis: & tamen creamini Doctores: ô tempora! ô mores!* optimè congruunt; in gravissimum reip. damnum, & dictarum Facultatum turpem illusionem & prostitutionem temeratiè conferre præsumunt; quin & hominibus ignotis nunquam antea visis ad simplices aut nummis armatas, eorum etiam absentium preces Doctoratûs diplomata submittunt.

2. Resp. Secundò: Sed &, si instituatur examen, illud minimè perfunctorium & umbratile esse oportet; sed rigorosum, prout exigunt tum Imperatorum ac Cæsarum rescripta, quibus Comites Palatini creantur, aut quibus dicta examinandi creandive Doctores potestas committitur; tum ipsa reip. necessitas, ne ex defectu virorum, quibus fidei & religionis negotia, juventutis institutio, civium gubernatio, Ecclesiarum animarúmque salus pertractanda, nec non quæstionum ac litium cognitio, decisioque committitur, in summam confusionem ac pericula adducatur. Atque ex his jam patet, quid sentiendum de Doctoribus dictis Bullatis, non in

ſtudiorum generalium Univerſitatibus, ſed reſcripto Principum aut à Comite Palatino titulum doctoratûs adeptis, nimirum quod ſi ſine ullo doctorum Academicorum examine aut ſerio ſcientiæ experimento eo titulo digni renunciati, parum curandi, veluti, ut aliqui loquuntur, Bullæ inflatæ vento, & doctrina vacuæ. Dum etiam, licet doctrina non omnino deſtituti, non facilè ad literariarum Univerſitatum cathedras admittantur, quin & Pius V. in Conſtitutione ſua, quæ incipit: *Quamvis. edita* 1568. ad Doctoratus & Magiſterii vel Licentiæ gradus à Comitibus Palatinis aliiſque prætextu facultatum ſibi à Sede Apoſtolica indultarum promotos, ulla iſtiuſmodi gradus prærogativa dignitates aliáque beneficia Eccleſiaſtica concernente voluit gaudere. Tridentino quoque *Seſſ. 22. c. 2. de reform.* exigente, ut ad dignitates & beneficia illa aſſumantur, qui in Univerſitate ſtudiorum Magiſtri vel Doctores aut Licentiati in Theologia vel Jure Canonico ſunt promoti. ita ferè Wieſtn. *n. 16. & 17.* quibus tamen obſtare non videtur, quòd, ut tradunt Rebuff. *intr. de nominat. q. 21. n. 19.* Gratian. *diſcept. for. c. 186. n. 70.* Gonz. ad *reg. 8. Cancel. §. 3. proœm. n. 115.* apud Barboſ. *in c. Epiſcopos. diſt. 17.* nimirum Doctorem creatum à Papa vel Principe (intellige prævie examinatum, vel de cujus habilitate conſtabat) præcedere alios in quibuscunque Collegiis graduatos.

Quæſt. 125. An & quibus privilegiis fruantur Magiſtri ſeu Doctores & Licentiati, vel etiam Studentes his facultatibus?

1. RESP. Ad primum primò: Magiſtros, Doctores, Licentiatos, tam Theologiæ, quàm utriuſque juris pluribus gaudere privilegiis conſtat, non competere ea indebitè promotis aſtruunt plures: quam opinionem quamvis admodum æquitati conſentaneam dicat Wieſtn. *h. t. n. 15.* ſubjungit tamen, in praxi magnopere cavendum, ne communia aliàs illis privilegia denegentur alicui, cui à Collegio aliquo vel etiam Comite Palatino Doctoratus dignitas eſt conceſſa, niſi ei principali aliáve legitima authoritate malè obtentæ dignitatis nomen ſit ablatum. De cætero primum illorum privilegium eſt, quòd à plebeia conditione exempti in dignitate cenſeantur conſtituti. Arg. *c. 3. h. t.* & *Clem. 2. eod.* Secundum quòd nobilibus annumerentur. Arg. *L. 2. §. ult. in fin. & L. 4. §. 1. in fin. ff. de excuſat. tutor.* & vel gaudeant privilegiis nobilium. Arg. C. *de multa. de præb.* Tertium, quòd pro Doctoribus & Magiſtris ſtet præſumptio integritatis & innocentiæ, unde cæteris paribus in aſſequendis dignitatibus & beneficiis Eccleſiaſticis præferri aliis debeant, juxta *c. de multa. c. cùm in cunctis de elect.* juncto Trid. *Seſſ. 24. c. 12. de reform.* Quartum, quòd in collatione beneficii & in receptione ordinum examinandus non ſit, ex quo notus promoveri poteſt ſine examine. Dec. *in c. conſtitutus. il. 2 n. 7.* Abb. *n. 4. de appell.* Henriq. *in ſum. L. 10. c. 19. in princ.* Sa in *aphoriſm. V. examen.* & alii, quos citat. & ſequitur Barboſ. *in c. de Petro diſt. 47. n. 1.* juxta Trid. *Seſſ. 7. c. 13. de reform.* Secus tamen eſt, ut Barboſ. *ibid. n. 2.* in collatione parochialium, in qua examen præcisè neceſſarium eſt, nec omitti poteſt ex eo, quòd proviſus notoriè dignus eſt, cum à Concil. Trid. *Seſſ. 24. c. 18.* & Pio V. *in Bulla incipiente, in conferendis.* examen pro forma requiratur, docente tamen etiam quòd ad Parochiales contrarium Garc. à quo cavendum monet Barboſ. *de off. & poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 60. n. 86.* Quintum, quòd criminum rei mitiùs puniendi quàm plebei, adeóque de crimine etiam capitali ſuſpecti potiùs domi aut alio certo loco quàm publico carcere cuſtodiri debeant. Nec torturæ ſubjiciendi (ut ſpecialiter Clarus *ſent. L. 5. §. fin. q. 64. n. 16.*) niſi in criminalibus exceptis, nec ultimum ſupplicium meriti pœnâ triremium, fuſtibus, laqueo, vel ignominioſiori pœnæ genere, ſed gladio perimi debeant. Arg. *L. cuſtodiam. ff. de cuſtod. reor. L. 4. c. ad Leg. Jul. L. mortis. §. 11. ff. de pœnis.* Sextum, quòd exempti ſint ab oneribus tam realibus quàm perſonalibus juxta expreſſum textum *L. medicos, & L. 11. c. de Profeſſoribus & medicis.*

2. Reſp. Ad primum ſecundò; præter hæc & alia Magiſtris & Doctoribus omnia communia privilegia, habent & alia ſpecialia actu in academia aliqua docentes Theologiam vel Jus Canonicum, quorum præcipuum eſt, quòd percipiant fructus beneficii ſui Eccleſiaſtici, ſi quod habent pro tempore, quo causâ docendi abſunt, etiam per plures annos; & quidem de docentibus Theologiam clarus eſt textus *c. ſuper ſpecula. h. t. §. docentes.* & diſpoſitio Trid. *Seſſ. 5. c. 1. de reform.* & de docentibus Jus Canonicum tradunt Sylv. V. *Reſidentia.* Felin. *in cit. c. ſuper ſpecula. n. 2.* Abb. *ibid. n. 6.* Fagn. *n. 4.* ſic declaratum à S. Congr. teſtans Pirh. *h. t. n. 9.* Garc. *de benef. p. 3. c. 2. n. 54.* qui etiam *n. 60.* ſubjungit, id procedere, etiamſi actu docentes ſtipendium non habeant, nec ad docendum conducti ſint mercede, ſed doceant voluntariè, modò id faciant cum licentia Univerſitatis ſeu Collegii, ratio hujus eſt, quòd Eccleſiæ univerſali non minùs prodeſt ſcientia Juris Canonici quàm Theologiæ, utpote ad Eccleſiæ regimen officiorúmque Eccleſiaſticorum bonam adminiſtrationem omnino neceſſaria. Secùs tamen eſt, de docentibus has facultates privatim, V. G. in monaſterio aliquo, pro ut declaravit S. Congregat. teſte Garc. *l. c. n. 55.* quin & actu publicè legentes Theologiam, & causâ docendi abſentes non lucrantur niſi fructus groſſos ſuorum beneficiorum, non verò diſtributiones quoridianas juxta *c. licèt. de præbendis,* & gl. *in c. ult. h. t.* niſi fortè reditus omnes in diſtributionibus quotidianis conſiſterent, tunc enim non niſi duas partes harum diſtributionum lucrabuntur, tertia parte accreſcente præſentibus, Fagn. *in c. ult. h. t. n. 2. & 3.* Garc. *l. c. n. 351.* juxta declarationem S. Congr. quam refert; vel etiam, niſi alicubi vigeret conſuetudo contraria, ut cum gl. *l. c.* Moneta *de diſtrib. p. 2. c. 10. n. 28.*

3. Reſp. Ad ſecundum: Licentiatos venire quoque in favorabilibus nomine Doctorum & Magiſtrorum, ita ut etiam fruantur eorum privilegiis, aſſerunt Beſol. *l. c. c. 8.* Mend. *l. c. n. 133.* apud Wieſtn. *n. 18.* item Alciatus *in L. Præcipua. ff. de V. S.* & Lenaud. *de priv. Doctor. p. 4. n. 11.* quos citat & ſequitur Reiffenſt. *h. t. n. 12.* ex ea ratione, quòd cùm ea privilegia concedantur Doctoribus & Magiſtris non propter illam ſolemnitatem inaugurationis in Doctores, ſed principaliter ob excellentem & legitimè probatam doctrinam, qua bono publico & communi deſervire poſſunt, non minùs eadem participare cenſendi ſint, qui eadem doctrina inſtructi jam publicè declarati facultatem & licentiam acceperunt, ſine ullo ulteriore examine ſtatim, ſi velint, lauream doctoralem recipiendi, etſi ea necdum decorati. Unde & Trident. *Seſſ. 22. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 12. de reform.* in aſſequendis dignitatibus ac beneficiis Doctoratum requirentibus eosdem

dem Doctoribus æquiparat; hoc tamen excepto, quòd literas Apostolicas inscriptas Doctori vel Magistro Licentiati aperire & exequi nequeant; ut Reiffenst. *n.* 13. sed neque ex eo, quòd dicta privilegia in solemni Doctorum inauguratione à promotore iisdem palàm conferantur, efficaciter evinci videtur, illa ante illam solennem inaugurationem Licentiatis non competivisse: cum in inauguratione doctorali privilegia illa non tam primò conferantur, quàm testimonium publicum feratur, quòd ea iis competant ratione scientiæ experimentis publicis approbatæ, quæ cùm eadem sit, iisdémque experimentis explorata in Licentiatis, non appareat ratio, cur illis eadem privilegia denegentur.

4. Resp. Ad tertium: quod attinet ad privilegium in absentia à sua ecclesia percipiendi fructus beneficiorum; competit id quoque Scholaribus frequentantibus & audientibus lectiones publicas Theologiæ & juris Canonici in Universitate aliqua publica, pro ut statuitur *c. ult. h. t.* ubi dum dicitur; id eis competere de licentia Sedis Apostolicæ, intelligendum non est, quòd ad hoc impetrari debeat à Pontifice, cùm ad hoc veniam generalem habeant per *cit. c. ultimum*, conceditur autem studentibus hoc privilegium, ut excusentur à residentia & interea fructus percipiant ad quinquennium, dum idem docentibus ad nullos certos annos, sed illimitatè, quamdiu docuerint, nisi ex speciali causa revocentur ad suas ecclesias, ideo quia præsumitur quinquennium sufficere, ut quis doctus evadat, docentes verò semper promoveant utilitatem universalis Ecclesiæ, idcóque magis amplum privilegium habeant. Pirh. *h. t. n.* 9. *notab.* 2. cum Abb. *in cit. c. ult. n.* 5.

Quæst. 126. *quis inter Doctores ordo quo ad præcedentiam in itu, in sessione, congressibus, latione suffragiorum &c. servandus?*

Resp. Qui Doctores ejusdem facultatis alios præcedere debeant, pendet ut plurimum à consuetudine, ut in præcedendi jure is defendendus sit, cui hoc diuturni usus observantia stabilivit; ut inquit Wiestn. *h tit. n.* 20. Arg. *c. fin. de consuetud. L. de quibus ff. de LL.* & citatis Bald. *in c. cùm olim. de consuet.* Menoch. *cons.* 51. *n.* 49. conferendo verò Doctores diversarum facultatum inter se, primum locum habent Theologi, dein Juristæ; & inter hos Canonistæ præcedunt Legistas, ac demum sequuntur Medici: Cassan. *catalog. glo. mundi p.* 10. hac prærogativa fundata in majore necessitate, utilitate, præstantia objecti & finis, ad quem singulæ facultates ordinatæ. Circa quæ tamen observandum, doctorem inferioris facultatis quandoque præferri alteri superioris facultatis, v. g. Medicum Juristæ ratione muneris vel administrationis, quam etiam independenter ab his gradibus literariis gerit; ut Gothofred. *p.* 1. *de jure præced. c.* 3. §. 21. Menoch. *cons.* 902. *n.* 65. Pignatell. *tom.* 5. *consult.* 13. *n.* 33. Item in hac prærogativa ferendi suffragii aut honorationis loci rationem haberi antiquitatis gradûs seu prioritatis promotionis. Mendo. *L. c. L.* 1. *n.* 300. Item Doctorem pluribus gradibus insignitum antecedere eum, qui solùm uno vel paucioribus decoratus est, V. G. in utroque Jure Doctorem eum, qui Doctor est in solo Jure Canonico, & qui simul in Theologia & Jure graduatus, eum, qui in Theologia tantùm est Doctor; ut Felin. *in rubric. de majorit. n.* 3. Bardon. *de professor. c.* 5. *n.* 59. Bellizar. *in man. tr.* 8. *c.* 6, *n.* 217. apud Wiestn. *n.* 23. ex ea ratione; quòd, qui pluribus dignitatibus conspicuus est, præferatur ei, qui una sola ornatus est; ut Bald. *in L. sed & milites. ff. de excusat. tutor.* Navar. *cons.* 1. *de major n.* 6. Tiraquel. *de nobilit. c.* 5. *n.* 8. Gothof. *l. c.* §. 27. quod tamen ita limitandum, ut non procedat, nisi ex pluribus gradibus, quos quis habet, unus major vel saltem æqualis sit gradus, quem alter solum habet: unde qui simul est juris & medicinæ Doctor non est præferendus ei, qui solùm est Doctor in Theologia, ita cum Navar. *l. c. n.* 7. & Menoch. Wiestn. *cit. n.* 23. *in fin.*

Quæst. 127. *Num illicitum & Simoniacum sit dare vel exigere aut recipere aliquid pro datione licentiæ docendi?*

1. Resp. Primò: Dare & exigere pecuniam vel simile quid pro concessione licentiæ docendi sive sacram sive prophanam disciplinam aliquam, esse illicitum & graviter prohibitum, etiam vigente in contrarium alicubi consuetudine, unanimis & certa habet sententia, fundata in claris textibus *c.* 1. 2. *& 3. h. t.* dum *c.* 2. transgressores hujus præcepti obligantur ad restitutionem præceptorum ex tali datione. & *c.* 1. *& 3.* puniri jubentur privatione officiorum & beneficiorum, cujus prohibitionis hæc est ratio, quòd meritò censeatur turpe lucrum & sordities à viris doctis extorquere quid pro facultate docendi honestas & reipublicæ salutares scientias, ad quas tradendas potiùs muneribus, honoribus, precibus eos invitari oporteret. Nihilominus illicitum non esse, sed potiùs æquitati consentaneum à Candidatis pro collatione ipsorum graduum Theologiæ aliarúmque facultatum exigere & recipere pecuniam aliáve emolumenta temporalia, & quidem in majore quantitate, quo majores & digniores sunt gradus juxta taxam à majoribus acceptam usúque probatam, probat communis Academiarum praxis, & tradunt Less. *de J. & J. L.* 2. *c.* 35. *n.* 83. Suar. *de Simon. c.* 18. *n.* 15. Castrop. *tr.* 17. *d.* 3. *p.* 10. *n.* 4. Mend. *de Jure Academ. L.* 2. *à n.* 94. Gonz. *in c. nonnullis. h. t. n.* 6. *in fin.* Pirh. *h. t. n.* 13. Wiestn. *n.* 34. ex ea ratione, quòd gradus isti sint solùm approbationes publicæ de scientia & aptitudine ad docendum, quæ sunt quid temporale pretio æstimabiles. Adhæc Academiæ pecuniam illam non exigunt pro concessione facultatis docendi, utpote quam facultatem fecere Principes & Magistratus fundatores Universitatum iis, qui testimonio publico digni, & ad hoc munus apti judicati; sed pro incommoditate & labore, quem cæteri D. D. & membra Universitatis subeunt examinando approbandoque candidatos, & assistendo illis in ipsa inaugurationis solennitate, nec non pro honore, emolumentis temporalibus & privilegiorum communicatione, quæ promoti per illos gradus consequuntur; neque his obstat, quòd in institutione horum graduum interveniat authoritas Pontificia, cùm Pontifex aliqua temporalia instituere & conferre ad splendorem rerum spiritualium, quæ non hoc ipso sint spiritualia & materia Simoniæ, nisi spiritualiter prohibeantur intuitu religionis, quod non fit in his gradibus. Suar. *l. c.* Castrop. *l. c. n.* 4. Mendo. *l. c. n.* 96. Wiestn. *l. c.*

2. Resp. Secundò. Sed & loquendo de ipsa licentia docendi concedenda, licèt secundùm jam dicta turpe & illicitum sit eam vendere seu conferre pro pecunia, non tamen id ipsum propriè Simoniacum est; ut docent gl. *in c.* 1. *h. t. V. consuetudinis.* Fagn. *ibid. n.* 12. Gonzal. Suar. *ll. cit.* Less. *l. c. n.* 82. Barb.

82. Barb. *in c. 2. h. t.* Wieſtn. *n.* 35. Reiff. *n.* 19. ratio eſt; quia nec ipſa doctio in ſe eſt quid ſpirituale, prout ſpirituale in materia Simoniæ ſumitur, etſi ſit aut contineat actum entitative ſpiritualem, hoc eſt, procedentem ab intellectu, & in eo tanquam potentia ſpirituali ſubjectatum, ſed officium merè temporale, prout ampliùs dicetur *quæſt. ſeq.* neque ex ſe ordinata ad actus propriè ſpirituales, dum tendit ad ſcientiam in intellectu audientium ſeu diſcipulorum generandam, cùm non omnis ſcientia, quæ eſt de Deo rebúsque divinis magìs ſit donum Dei Spirituale & ſupernaturale, quàm cæteræ artes, ſanitas & vires. Sed neque his obſtat, quòd poteſtas docendi originetur à poteſtate jurisdictionis ſupernaturalis, qualis eſt in Prælatis maximè in Capite Eccleſiæ, cùm ea poteſtas jurisdictionis ſeu jurisdictio Eccleſiaſtica extendat ſe ad plura, quæ ſunt ordinis naturalis & politici, ut patet, dum punit crimina ſui vel mixti fori pœnis civilibus, V. G. carcere, inedia, mulctâ pecuniaria. Leſſ. *l. c. juncto n.* 83. unde etiam videtur neceſsè non eſſe, facere diſcrimen (uti facere videtur Caſtrop. *l. c. n.* 3.) ſive hæc conceſſio procedat à jurisdictione temporali ſeu ſæculari, ſive à ſpirituali ſeu Eccleſiaſtica.

Quæſt. 128. *Num illicitum ſit & Simoniacum pro ipſa doctione & officio docendi recipere ſtipendium pecuniarium?*

Reſp. Neque Simoniacum neque illicitum eſt, pro munere ſive actu & labore docendi Theologiam ſive Scholaſticam ſive moralem, quæ caſus conſcientiæ ſpectat, ſive poſitivam, quæ circa interpretationem S. Scripturæ verſatur (idem eſt de doctione Juris Canonici, multóque magìs procedit de doctione Juris Civilis, medicinæ, philoſophiæ, utpote quæ omnino profana eſt (exigere juſtum ſtipendium ſeu mercedem, ita contra Palud. Antonin. Sylv. & paucos alios, Soto. *L. 9. de Juſt. q. 5. a.* 1. Leſſ. *l. c. n.* 80. Tholet. *L. 5. ſum. c.* 88. *n.* 3. & 4. Suar. *l. c. c.* 18. *n.* 9. & *ſeq.* Laym. *L.* 4. *tr.* 10. *c. ult.* §. 4. *n.* 30. Caſtrop. *tr.* 17. *d.* 3. *p.* 10. *n.* 2. Pirh. *h. t. n.* 11. Wieſtn. *h. t. n.* 38. &c. ex ea ratione, quòd imprimis ipſa hæc doctrina immediatè neceſſariò & per ſe non dependeat ex principiis ſupernaturalibus; cùm non ſupponat neceſſariò fidem ſupernaturalem in docente, ſiquidem & ab hæretico & actualiter de fide dubio tradi poteſt. Et licèt concluſio ſtrictè Theologica dependeat à præmiſſis, quæ ſunt de fide ſeu revelatæ, non tamen hæ, quatenus creditæ, influunt in dictam concluſionem, ac ita non niſi remotè & per accidens ſe habet fides ſupernaturalis ad illam. Sed neque ab objecto divino & ſupernaturali, quod habet, generatur cognitio ſupernaturalis. Neque ex fine intrinſeco, utpote qui eſt intellectum illuminare & inſtruere ad veritates Theologicas cognoſcendas, vi facultatis ſuæ naturalis diſcurrendo ſuppoſitis propoſitionibus revelatis, non verò movere voluntatem ad pios & ſupernaturales affectus, aut procurare animarum ſalutem, quem per accidens Doctor docendo intendere poſſet. Et eſto doctrina Theologica in ſe eſſet ſupernaturalis ex principiis, objecto & fine, hæc non attenduntur, dùm ſtipendium & merces datur pro doctione, ſed actus & labor docentis, qui non minùs naturale quid eſt & pretio æſtimabile, quàm impenſus aliis ſcientiis tradendis, ut bene Pirh. *l. c.* notandum tamen hìc cum eodem, quòd licèt Magiſter extraordinariè docens abſque eo, quòd ratione beneficii aut annexi illi officii ad hoc teneatur, poſſit licitè & juſtè exigere ſtipendium, ſi tamen, ubi obligatio docendi annexa beneficio exigat illud ultra ſtipendium, quòd recipit ab eccleſia, non ſit Simoniacum, quia ſemper accipitur temporale pro temporali, etſi illa functio ex juſtitia ſit debita. Neque etiam jure Eccleſiaſtico prohibitum in *c.* 1. & 2. *h. t.* ſit tamen illicitum & injuſtum illud recipere, dum pro hoc officio ſtaturum eſt illi ab Eccleſia ſtipendium juſtum cum expreſſo vel tacito pacto docendi de cætero gratis. Notandum item, quòd ſimili ratione Simoniacum aut illicitum non ſit dare ſtipendium, ſeu pretium pro datione conſilii & reſolutionis, non tantum Medicæ & Juridicæ, ſed & Theologicæ & Canonicæ, ſiſtendo in pura inſtructione intellectûs petentis: & ſi is dein ea utatur ad dirigendam & pacandam conſcientiam ſuam. Ita probabilius Suar. *l. c. à n.* 19. Nav. *in man. c.* 23. *n.* 10. Caſtrop. *l. c. n.* 5. Pirh. *n.* 13. Wieſtn. *n.* 40. cum Divo Thom. 2. 2. *q.* 100. *a.* 3. *ad* 3. contra Leſſ. *cit. c.* 35. *n.* 78. & 79. ex ea ratione, quòd dicta inſtructio, reſolutio & reſponſum ſit actus merè naturalis, quo ſcientia humanâ induſtriâ acquiſita per modum humani miniſterii ad finem naturalem, ſcilicet ad intellectum veritatis moralis cognitione erudiendum communicatur ut Pirh. *l. c.* & ex eo Wieſtn. qui tamen contrarium; ſive Simoniacum eſſe ait, *n.* 41. ſi reſponſum tale ad converſionem pagani vel hæretici, ad timorem & amorem Dei, odium peccatorum, virtutis & ſalutis ſtudium excitandum redderetur. Quod poſtremum quoque de concionando dicit. Caſtrop. *L. c.* 7. citatis pro hoc D. Thom. *ubi ante. Cajet. quodlib.* 2. *a.* 12. Angel. V. *Simon.* 3. *n.* 9. Hort. in *ſum. L.* 6. *tit.* 5. Suar. *l. c. n.* 2. Leſſ. *l. c. n.* 79. eò quòd ſacra concio referatur primò & per ſe ad movendam voluntatem ad bona paulò ante enarrata. Item *n.* 6. de doctrina catechetica ſeu chriſtiana dicit cum Leſſ. *l. c. n.* 78. dum traditio illius ordinatur ex ſe immediatè ad prædictos fines ſupernaturales.

TITULUS VI.

De Judæis & Saracenis & eorum ſervis.

Quæſt. 129. *Judæi & Saraceni qui ſint, & unde dicantur.*

Reſp. Primò. Judæi primitus dicti Hebræi ab Hebro, cujus familia cultum veri Dei ſemper retinuit, cæteris idololatriæ deditis. Dein vocati Judæi à tribu Juda belliciſiore & præſtantiore, è qua eorum Reges aſſumebantur. Sunt, qui legem Moſaicam duntaxat, rejecto Novo Teſtamento ad literam ſuperſtitiosè ſine fide in Chriſtum Dei filium & mundi Salvatorem ſectantur, eorúmque error & infidelitas Judaiſmus vocatur. Hoſt. *in ſum. h. t. n.* 1. & 2.

2. Reſp. Secundò: Saraceni ad declinandam ignominiam & generis labem, dum aliàs ab Agar ancilla Iſmaëlis matre deſcendunt (unde & Agareni dicuntur) nomen à Sara uxore Abrahæ aſſumentes, ut Covar. *var. reſol. l.* 4. *c.* 9. ſunt, qui

nec

nec Novum Testamentum nec vetus saltem totum recipientes, dogmatibns Mahometis inhærent, ut Barbos. *in c. 6. h. t. n. 3.* quales sunt Turcæ, Persæ, Tartari, Arabes, Ægyptii & plerique Africani; ut Azor. *Inst. mor. p. 1. l. 8. c. 23. q. 4.* qui licèt confundantur cum Gentilibus & Paganis, hi tamen magis propriè sunt, qui idola colunt & adorant; atque ita cum D. Thom. *2. 2. q. 10. a. 5.* tres infidelitatis species, nempe Judaismum, Paganismum, Hæresin agnoscunt Theologi, quibus tamen continentur quoque Atheismus & Apostasia à fide; ut Suar. *de fide. d. 16. s. 5. n. 8.* Castrop. *tr. 4. d. 2. p. 1. n. 9. & 10.*

Quæst. 130. *Num Judæi licitè in locis Christianorum à Principibus Christianis recipiantur, receptique tolerentur, & Synagogas suas habeant?*

1. Resp. ad Primum: Tametsi absolutè loquendo recipi possint Judæi, ubi prius non fuerunt, id tamen non facilè faciendum, cùm abundantia & multiplicatio eorum periculosa & summopere damnosa religioni Christianæ, teste experientia existat, immanesque ab eis blasphemiæ & injuriæ in Christum redundent, de quibus terribilia, verissima tamen commemorat Pignatel. *tom. 5. consult. 14.* unde sanctè faciunt Catholici Principes, si sibi subditisque suis, ac imprimis honori Jesu Christi ejusque Religioni consulunt, arcendo eos à ditionibus suis.

2. Resp. ad Secundum. Ubi tamen semel recepti & de protectione assecurati, expelli non possunt sine justa ac legitima causa. Barb. *in c. 9. h. t.* Decian. *in praxi crim. l. 5. c. 11.* Socin. *l. 4. cons. 86.* Vasq. *illust. controv. c. 8. n. 12.* arg. *l. 14. c. h. t.* cum cuivis, etiam Judæo & gentili fides justè data servanda sit. Arg. *l. 8. C. de O. & A.* Expelli autem eos posse ex justa causa, præter AA. jam citatos tenent Tusch *Lit. J. V. Judæi. concl. 371. n. 58.* Farin. *fragm. crim. p. 1. Lit. l. n. 67.* Ricciul. *tr. de jure personar. extra grem. Eccl. exist. l. 2. c. 51.* ubi dictas causas recenset, inter quos à Barbos. recensentur vel maximè, si ex eorum cohabitatione periculum vel scandalum Christianis immineat, si machinentur enorme quid contra fidem aut Christianos. Arg. *l. 11. & 16. c. h. t.* Uti etiam eorum ritus, negotiationes modúsque vivendi legibus & pœnis ita constringi possunt à Magistratibus Christianis, ne quid moliri valeant, vergens in Religionis contemptum vel reipublicæ damnum. Arg. *cit. L. Judæi.* & *L. nullus. c. h. t.*

3. Resp. ad Tertium: Tametsi ad ritus suos exercendos Synagogas habere permittantur, non tamen permittendum iis, ut Synagogas novas, ubi prius eas non habuerunt, aut habitæ penitus collapsæ, ædificent, aut habitas altiores & ampliores efficiant; sed solum, ut antiquas ruinam minantes restaurent; uti claris verbis hæc statuuntur *c. Judæi. & c. consuluit. h. t.* & juxta hæc tradunt Abb. Host. Anchar. Felin. Vivian. *in ration. Jur. Pontif. l. 5. pag. 75.* & alii apud Barbos. *in cit. c. Judæi. num. 1.* Quæ tamen etiam restauratio fanorum & delubrorum permissa non est Paganis, ut cum aliis Wiestn. *h. t. n. 5.* hujus discriminis inter Judæos & Paganos ratione; quòd cùm Judæorum ceremoniis præfiguratâ olim veritas, quam modò credimus, ab ipsis veritatis hujus inimicis habeamus testimonium, quam utilitatem non afferunt Paganorum impii ritus, non tamen etiam, ut Barbos. *in c. 7. h. t. num. 5.* citatis Azor. *p. 1. l. 8. c. 24. c. ultim.* Ricciul. *l. 2. c. 39. n. 5. & 6.* ex eo, quòd Judæis permittatur instaurare & reficere, sequitur, licere illis in hunc usum vendere ligna, lapides, cæmentum, cum ea vendere ad talem usum sit naturâ suâ malum, ut AA. citati ex Ricciul. *l. c. l. 2. c. 30. n. 7.* Neque licere architectis & fabris Christianis laborare in ædificandis seu restaurandis Synagogis Judæorum, eò quòd, si iis non liceat vendere res ad hoc, ut utantur ad cultum & ritus Judaicos, ut cum D. Thom. *1. 2. q. 169. a. 2. ad 4.* Sylv. *in sum. v. infidelitas. q. 4. ad fin.* Valent. *2. 2. d. 1. q. 10. p. 5.* Molin. *de Just. tr. 2. d. 340. col. penult.* Sanch. *in præcept. decal. l. 1. c. 7. n. 3.* quos citat Barbos. *l. c.* multò minùs liceat laborare in eorum Synagoga propter eandem, imò majorem rationem, juxta *auth. multò magis. de Ss. Eccles.* quamvis id ipsum limitet ex authore aliquo Hispano, ita ut non sint condemnandi istiusmodi, si id faciant ex officio, quod profitentur.

Quæst. 131. *Qualis communicatio cum Judæis prohibita sit Christianis?*

Resp. Ea prohibita, ne ex hac conversatione contracta familiaritate adeant periculum perversionis & scandali, dicta conversatio nimia ferè in sequentibus, spectantibus etiam ad commercium politicum. Primò prohibetur cohabitare in eadem domo. *c. nullus. & c. Judæi.* sub excommunicatione. Unde etsi licitum sit Christiano, habere Judæum in famulatu suo extra domum, non licet tamen habere eum continuò secum in domo sua; ut Sylv. Sanch. Pirh. apud Reiffenst. Arg. *c. nullus. caus. 118. q. 1.* Quamvis frequentare eorum ædes Clericum gratiâ persuadendi eis fidem licitum sit, juxta *c. 10. h. t.* & Gloss. *in c. Judæi. v. Judæi.* Pirh. *h. t. n. 2.* Secundò, adire cum Judæis balneum, *cit. c. nullus.* nisi id exigat sanitas, & modo Christianus se Judæo non exhibeat familiarem. Sanch. *l. 2. moralium. c. 31. n. 11.* Pirh. *l. c.* Wiestn. *n. 8.* Tertiò invitare Judæos, aut invitari ab illis ad convivium. *c. omnes. 28. q. 1.* idque, etiamsi Judæi absque omni delectu ciborum manducent, cùm id non ob discretionem ciborum, sed &, ut vitetur familiaritas, quæ faciliùs inter epulas contrahitur. Azor. *p. 2. l. 8. c. 22. q. 3.* Sanch. *l. c. n. 10.* non tamen prohibitum Christiano, manducare cum Judæo in eadem mensa, dum casu in eodem diversorio concurrunt. Sanch. *num. 13.* Pirh. *l. c.* uti nec à Judæo caupone cibaria emere, aut cum eo in illius diversorio eis vesci; cum hoc non sit à Judæo invitari ad convivia, quod interdicitur in *cit. c. omnes.* neque ex eo familiaritas contrahitur, Sanch. *num 15.* porrò quòd de Judæis de non-celebrando convivia dictum, idem servandum quò ad Paganos & Gentiles. Gloss. *in cit. c. omnes. v. Judæorum.* Pirh. *num. 4.* Secus est de missis ad infidelium conversionem, quorum animos non tam facilè lacerabuntur, si iis non permissum, cum eis familiariter conversari & comedere, exemplo Christi & pluriumSanctorum Missionariorum. Arg. *c. cum sit. h. t.* Gloss. *ibid. v. temporum.* Quartò interesse eorum nuptiis, festivitatibus, ludis; Choreásque cum eis agere, dum per ea non modicè familiaritas contrahitur, Azor. *l. c. q. 3. in fine.* Sanch. *l. c. n. 17. n. 18.* addens, non licere eorum templa invisere eo tempore, quo in iis superstitiosa exercentur, etsi non sit peccatum grave, si absit scandalum aliis fidelibus datum, vel periculum perversionis propriæ. Quintò adhibere medicum Judæum, aut uti medicina ab eo præparata, nisi Medicus Christianus idoneus, aut Medicina ab alio parata haberi nequi-

ret, cùm lex humana in casu necessitatis obligare desinat. Sanch. *l. c. num.* 8. Sylv. *v. Judæus. q.* 1. Pirh. *num.* 2. uti hæc omnia statuta *cit. c. nullus.* 18. *q.* 1. Sextò prohibetur Christianis omnibus servire Judæis pro mercede in eorum ædibus assiduè, per *c. ad hæc. h. t.* ubi Alexand. 3. præcipit Prælatis Ecclesiarum, ut subjectis sibi id interdicant, etiam, si necesse est, sub interminatione censurarum, additâ etiam memoratâ sæpe ratione, ne Judæi de facili ob continuam conversationem & assiduam familiaritatem ad superstitionem & perfidiam simplicium animos inclinarent. Item per *c.* 13. *h. t.* ubi & alia ratio additur: nimirum ne filii liberæ famulentur filiis ancillæ; quæ ratio & illud evincit, quòd prohibitio hæc locum quoque habeat, sive assiduò aut frequenter, sive rarò iis serviant. Item sive serviant illis intra sive extra domus eorum. prout docent Jo. And. *in cit. c. ad hæc in fine.* Felin. *num.* 3. Barbos. *num.* 4. Gonz. *num.* 1. Sylv. *v. Judæus. q.* 2. *dicto* 3. Sanch. *l. c. n.* 19. & 29. Pirh. *h. t. n.* 6. & alii, contra Gloss. *in cit. c. ad hæc. v. in eorum domibus.* & Abb. *ibidem num.* 2. ait tamen Pirh. citans pro hoc Azor. *l. c. q.* 8. Sanch. *l. c. n.* 20. & *c.* 2. *h. t.* non esse prohibitum Christianis locare operas suas Judæis, sive intra, sive extra domus eorum, si Judæi sint absentes, v. g. ædificium aliquod in eorum utilitatem exstruendo, colendo eorum agros, multòque minùs locare illis res suas. v. g. currus, jumenta, tametsi Judæus quandoque veniat ad inspiciendum ædificium, agriculturam &c. cùm tunc non censeatur esse moraliter præsens, sicut si continuò adstaret operariis. Verùm sic videtur, non satis elidi ratio adducta ex *c.* 13. *h. t.* nimirum non licere servire Judæis (quale quid est ædificare illis domus, colere eorum agros) ne filii liberæ filiis ancillæ famulentur. Nihilominùs tamen, licèt Judæus habere non possit mancipium Christianum, posse tamen habere illum colonum, qui peragat omnia jura, quæ de colonis & originariis statuuntur, ita tamen, ut si Judæus illum alio transferat, vel in alio obsequio, amittat Jus Coloniæ & Jus Dominii, tradit Barb. *in c. multum. h. t. n.* 1. citatis Abb. Cardin. Jo. And. Felin. & pluribus aliis. Posse etiam Judæum, non quidem principaliter, in consequentiam tamen juris quod possidet. v. g. fundi habere servum adscriptitium illi fundo, tenet idem Barb. *l. c. n.* 2. citatis Marquard. *tract. de Judæis. p.* 2. *c.* 5. *n.* 20. Azor. *p.* 1. *l.* 8. *c.* 22. *q.* 8. Sanch. *in præc. decal. tom.* 1. *l.* 1. *c.* 31. *num.* 21. Ricciul. *l. c. l.* 1. *c.* 28. *n.* 21. non tamen ei imponere aliquod onus ultra ea, quæ peragere debent coloni originarii, ut Ricciul. *l. c. n.* 23. Unde etiam dispensare nequit Episcopus, ut Fœmina Christiana nutriat filium Judæi etiam in sua domo, cùm id prohibitum Jure Canonico, in quo dispensandi potestas non legitur concessa Episcopo, nisi id alicubi exprimatur. ac ita tenent Francis. Leo *in thes. fori Eccles. p.* 4. *c.* 4. *n.* 45. Ricciul. *l. c. l.* 2. *c.* 28. *n.* 18. Barbos. *in c. ad hæc. num.* 3. & 4. Pirh. *cit. num.* 7. *in fine.* Quin & juxta peculiarem constitutionem Gregor. XII. quæ incipit: *antiqua Judæorum.* Judæus retinens mulierem Christianam contra SS. Canonum statuta potest puniri, etiam ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, cùm sit unus ex casibus comprehensis in dicta constitutione.

Quæst. 132. *An & qualiter liceat Judæis habere servum vel mancipium Christianum?*

RESP. tametsi Christiano licitum habere servum Judæum, modò is non commoretur cum illo, ita ut habeat illum domesticum & familiarem, ut Pirh. *h. t. n.* 16. cum Sylv. *v. Judæus. q.* 3. *n.* 5. *dicto* 1. secundum dicta; non tamen licèt Judæis habere non tantùm famulos, sed & servos & mancipia Christiana in domibus suis. Pirh. *n.* 17. pro ut constat ex *c. Judæi. h. t.* neque Principes sæculares concedere possunt, ut in suis Provinciis habeant mancipia Christiana, Ricciul. *n.* 12. Scacc. *de appell. q.* 16. *limit.* 1. *n.* 129. Barbos. *l. c.* aut cum iis in hoc dispensare possunt Episcopi, ut Card. *in c. ad hæc. h. t.* Abb. *ibid. num.* 3. Socin. *num.* 5. Barbos. *num.* 5. citatis aliis cùm Christiani libertatem consequantur, si fiant mancipia Judæorum etiam justo bello capta. ut Covar. *l. c. p.* 2. §. 11. *n.* 5. Salon. *in tract. de domin. q.* 3. *a.* 1. *post.* 3. *conclus.* 5. Sayr. *in clav. reg. l.* 9. *c.* 6. *n.* 12. etsi non minùs probabiliter contrarium, nimirum, si Christiani gerant bellum injustum contra infideles, Christiani ab ipsis capti fiant eorum captivi jure gentium, ut Less. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 12. Porrò si Judæus Christianum emerit mercimonii & negotiationis gratiâ, poterit servus à quocunque Christiano redimi 12. solidis (intelligendo solidos aureos, quorum 72. faciunt libram auri, ut Abb. *in c. ult. h. t. in fin.* apud Pirh. *h. t. n.* 19.) sive ad ingenuitatem seu libertatem, sive ad servitutem. Gloss. Abb. Deci. *in c. consuluit. il.* 3. *de appell.* Surd. *de alim. tit.* 1. *q.* 18. *num.* 9. Ricciul. *l.* 3. *c.* 18. *à princ.* Barbos. *in c. præsenti. h. t. n.* 3. Si verò emerit eum Judæus, ut sibi serviat, nullo dato pretio fit liber; ita ut neque Judæus ampliùs eum vendere, neque Christianus eum sibi in servum comparare possit. Pirh. *l. c.* juxta *c. ult. & c. fraternitatem.* Idem est, si servum emptum negotiationis causâ intra tres menses à die emptionis non exposuerit venalem, eò quòd tunc sit præsumptio (quam Gloss. *fin. in cit. c. ult.* Hostiensis *ibid. v. exposuerit.* & Abb. asserunt esse præsumptionem juris, & de jure, quæ nullam in contrarium admittit probationem) Judæum non causâ negotiationis, sed ad serviendum sibi eum emisse. Pirh. *l. c.* Porrò hìc sermo est de servo baptizato aut baptizari cupiente, ut patet ex *cit. c. ult. h. t.* & si talem à Judæo quis emerit ignoranter, agere potest ad pretium seu interesse contra venditorem, qui eum decepit. Gloss. *cit.* & Host. De cætero quòd liceat Judæo habere servos adscriptitios seu colonos originarios, qui etsi mancipia non sint, aut in servitio personali, sed liberi, obligat tamen ad certa prædia, quæ deserere nequeunt colenda, uti & ad præstanda prædiorum dominis certa servitia, aut etiam pensiones, juxta *c. multorum h. t.* de hoc, inquam, dictum est supra, ubi de conversatione cum Judæis.

Quæst. 133. *Num prohibitum Christianis fœminis, esse obstetrices & nutrices infantium Judæorum?*

RESP. Affirmativè juxta *c. ad hæc. h. t.* ubi id ipsum prohibendum illis sub censura Ecclesiastica. Idque etiam, licet eos nutriant extra domus Judæorum, nec refert, quòd Legislator in *cit. c.* loquens etiam de dictis nutricibus, expressè dicat: *in domibus eorum*; cùm id non dicat ad restringendam prohibitionem, sed quia id frequentiùs contingere soleat, id exprimat. Adde, quòd etiam respectu nutricum in suis propriis domibus nutrientium infantes Judæorum habere locum possit ratio *cit. c.* nimirum periculum perversionis ex

nimia

nimia cum iis conversatione, dum parentes ex amore prolis sæpius eam, ejúsque nutricem & domum invisant, & sic familiaritatem contrahant. Unde etiam ait Sanch. *l. c. num.* 19. quòd si dicti infantes extra domum paternam ita nutriri possent, ut caveretur familiaritas cum Judæis, id licitum sit. Sed adhuc altera ratio urget.

Quæst. 134. *An liceat Christianis vendendo, emendo, contractus celebrare cum Judæis?*

Resp. Affirmativè Corsat. *in singul. v. societas.* Marquard. *de Judæis. p.* 1. *c.* 5. Sanch. *l. c. n.* 33. Ricciul. *l. c. l.* 2. *c.* 42. *à princ.* (ubi etiam *num.* 3. extendit id, ut contrahere possit cum Ecclesia) & alii, quos citat, & sequitur Barbos. *in c. postulasti h. t. n.* 5. estque ratio, quia id in nullo jure prohibitum, concessum autem intelligitur, quod expressè non prohibetur. Gloss. *in c. inter corporalia. de translat. Episc. v. non invenitur.* arg. *c. post miserabilem. de usur.* Modò tamen vendendi & emendi causâ non ingrediantur Judæi domus Christianorum, aut hi illorum, idque vitandæ familiaritatis gratiâ. Sanch. *l. c. num.* 23. Azor. *l. c. q.* 4. Pirh. *n.* 8.

Quæst. 135. *Num Judæi fungi possint officio publico, & capaces sint jurisdictionis inter Christianos, & quid de hoc quòd ad Neophytos?*

1. Resp. Primò nulli Judæo committi potest officium publicum inter Christianos, ut constat ex *c. cùm sit. h. t.* ubi hujus duplex assignatur ratio his verbis: *Cùm sit nimis absurdum, quòd blasphemus Christi in Christianos vim potestatis exerceat.* & infra: Quoniam sub tali prætextu Christianis sint plurimùm infensi: Item ex *c. nulla, dist.* 54. ubi refertur Concilium Toletanum III. expressè sic statuens, ut nullus Judæus in Christianos ullum officium vel potestatem exerceat. Idémque innovatur & de novo prohibetur, statuitúrque, quòd si quis illis tale officium publicum commiserit, per concilium provinciale quotannis celebrandum monitione prævia compescatur, & tali officiali (scilicet Judæo) communio in commerciis & aliis Christianis denegetur, donec restituerit, quidquid occasione talis officii à Christianis acquisivit, convertendum in usus pauperum secundum providentiam Episcopi, & officium ipsum cum pudore dimittat, quod irreverenter adsumsit &c. Item constat ex *c. ex speciali. h. t.* ubi Gregor. IX. mandat duobus Episcopis, ut Regem Portugalliæ moneant & inducant, ne in officiis publicis Judæos præficiat Christianis. Item constat ex *L. ult. C. de Judæis.* Per quam arcentur Judæi ab omni honore, dignitate & administratione publica, correctâ per eam *L. generaliter. ff. de decurionibus.* Sed neque solùm ab officiis publicis, sed etiam à quolibet officio & commercio, per quod Christianis aliquod inferri possit gravamen, arcendi. Ut cum Abb. in *cit. c. ex speciali n.* 1. Pirh. *h. t. n.* 12. an verò Judæus inter Christianos esse possit Notarius, Procurator, Advocatus, Doctor, Arbiter, aut consequi alium patriæ honorem, videndum apud Ricciul. *l. c. c.* 22. 23. 24. 25. 26. 27. ad quem remittit Barbos. *in c. Judæi. h. t. n.* 11. Posse tamen Judæos esse Gabellarios seu recipere gabellas, reditus etiam regulares &c. sibi fortè locatos aut venditos, non tamen illos per se aut alium ab iis constitutum exigere, sed per alium fidelem Christianum à Rege vel Domino terræ ad hoc deputatum, satis constat ex *cit. c. ex speciali.* & ita tenent Abb. *ibid. n.* 2. Barbos. *num.* 7. ubi etiam in specie, quòd Judæus aliter nequeat esse Gabellarius jurium fiscalium, pro quo citat Gutt. *de gabell. q.* 132. *num.* 5. uti nec ratiocinarius civitatis, pro quo citat Bart. *in l.* 1. *ff. de off. Præf. urb.* & Garc. *de expens. c.* 24. *n.* 26. Verùm hoc postremum ex eo capite; quia id est officium seu munus publicum. De cætero

2. Resp. Secundò generaliter: Judæus nullius prorsus jurisdictionis inter seu in Christianos est capax. Bart. *in rub. ff. de just. & jure n.* 1. ibique Jason. *n.* 2. & 8. Alex. *l.* 5. *cons. n.* 75. Roland. *l.* 2. *cons.* 35. *n.* 41. & aliis, quos citat & sequitur Barbos. *in cit. c. ex speciali. num.* 2. idque sive jurisdictio sit ordinaria, ut Fulgos. *in L. fin. c. de postulando.* Alex. Barbos. *ll. cit.* Pirh. *n.* 12. sive sit delegata, ut signatè Ricciul. *l. c. l.* 2. *c.* 22. *num.* 1. & 5.

3. Resp. Tertiò: Præscindendo à legibus specialibus regnorum quorundam, videtur affirmandum posse Neophytos sive ex Judæis, sive ex Saracenis aliisque Paganis conversos promoveri ad officia publica, dum in jure publico nihil in contrarium statuatur; & ita tenet Ricciul. *in tract. de Neophytis. c.* 3. licèt addat *num.* 12. Christianum veterem in honoribus consequendis præferendum Neophyto. Rip. *in c. eam. tr. de rescript. num.* 32. & Avendan. *de exec. mandati. p.* 1. *c.* 19. *n.* 20. de cætero teste Barbos. *in c. ex speciali. n.* 6. in regno Castellæ, non quidem ab omnibus officiis publicis, à certis tamen (quæ ibidem enumerat) arcentur Neophyti. In Regno Portugalliæ verò eodem teste non solùm Neophyti, sed nec veterani Christiani, originem ex Judæis, sive ex Saracenis trahentes ad ulla officia publica admittuntur, suntque inhabiles ad Canonicatus & dignitates in Cathedralibus, & principales in Collegiatis aliáque beneficia curam animarum habentia intra septimam generationem ex Apostolica constitutione Clem. VIII. alteráque ejus ampliativa Pauli V. de quibus Barb. *de offic. & potest. Episc. p.* 1. *tit.* 3. Gl. 7. *n.* 30.

Quæst. 136. *Num Judæi possint esse legatarii, & institui hæredes à Christianis?*

Resp. Illicitum est Christianis testamento legare quid Judæis, multóque magis illos instituere hæredes. *l.* 1. *c. de Judæis. v. permittuntur.* Reiffenst. *h. t. num.* 17. cum communi.

Quæst. 137. *Num Judæus inter Christianos habere possit bona stabilia?*

Resp. Judæi non tantùm rerum dominia habere possunt, deque illis tam inter vivos, quàm mortis causâ disponere liberè & quoscunque desuper tam inter se, quàm cum Christianis contractus celebrare, Minsing. *centur.* 5. *observ.* 6. Alex. *vol.* 3. *cons.* 71. Reiffenst. *h. t. n.* 21. sed & bona stabilia inter Christianos possidere. *c. quando. de usur. c. de servis. de decimis.* Pirh. *h. t. n.* 27. Innoc. *in c. quod super de voto. n.* 4. Roman. *cons.* 489. Barbos. *in c. Judæi. n.* 5. Ricciul. *l. c. l.* 2. *c.* 29. *n.* 1. qui *num.* 2. extendit idipsum ad bona Ecclesiæ habita in emphyteusin, & limitat *num.* 4. ita ut Judæi in statu Ecclesiastico ea possidere nequeant ex speciali constit. Pauli V. *in ordin.* 3.

Quæst. 138. *An instituere possint actiones, & coram quo.*

REsp. Possunt instituere & recipere actiones, cùm recepti alicubi fruantur jure aliorum civium, Minsing. Alex. Reiffenst. *ll. cit.* sed non nisi coram Judice Christiano cum Christianis litigare compelluntur, sive sint actores, sive rei, juxta *L. si quæ. c. h. t.*

Quæst. 139. *An filius Judæi conversus & baptizatus succedat patri in bonis jure hæreditario.*

REsp. Affirmativè; retinet enim jura successionis erga parentes, & reliquos non secus ac prius, Tiraq. *de jure primog. a.* 66. *n.* 4. Nav. *cons.* 5. *tit. de testam.* Marquard. *de Judæis. p.* 3. *c.* 2. *num.* 12. Ricciul. *l. c. c.* 29. *n.* 9. & 10. Barb. *in c. Judæi. h. t. n.* 5. juxta §. 1. *Instit. de legit. patr. tutel.* idque, tum quia jura sanguinis velut naturalia sunt indelebilia, *L. jura sanguinis. ff. de reg. jur. L. jus agnationis. ff. de pactis.* tum quia dignitas adepta per baptismum non debet filium reddere deterioris conditionis, quàm fuit ante baptismum, sed dignioris, AA. cit. unde conversus ad fidem, ob conversionem prætextu ingratitudinis, à parentibus exhæreditari nequeunt, Gl. *in Can. Judæi. c.* 1. *q.* 4. *v. fideles.* Surdus de alim. *tit.* 7. *q.* 1. *n.* 44. Ricciullus *l. c.* Barb. *l. c. n.* 3. quin & talis filius potest à patre petere alimenta, & filia dotem, Ricciul. *n.* 16. Barb. *n.* 4. dum etiam in genere constitutum, ut Judæi & Saraceni ad fidem conversi, nullatenus suis juribus & possessionibus spolientur, & spoliati beneficium plenum restitutionis in integrum percipiant, & si secus fiat, Principibus seu Magistratibus injungitur sub pœna excommunicationis, ut partem hæreditatis, & omnium bonorum suorum eis integra faciant exhiberi & restitui, Pirh. *num.* 27. juxta *cit. c. Judæi.* quin & non solum per *Extrav. dignum inter communes. h. t.* conversi ad fidem liberantur, & defenduntur ab injuriis & molestiis in suis bonis, ut sic de servitute ad libertatem transisse se percipiant, ne redire ad pristinam perfidiam prætextu mendicitatis compellantur: verum etiam referente Pirh. *n.* 28. per constitut. Pauli III. quæ incipit: *Cupientes*; Judæis ad fidem conversis remittuntur omnia quæcunque bona, etiam ex usuris, alióque illicito quæstu acquisita, modò personæ, quibus ea restituenda, sint incertæ, dum aliàs etiam conversi injustè acquisita teneantur restituere iis, à quibus extorserunt, vel eorum hæredibus, aut si hi superstites non sint, in pauperes erogare, juxta *c. cùm tu. de usuris.* Gl. *in citat. c. Judæi. v. possessionibus.* Abb. *ibid. n.* 1. Pirh. 27. insuper eorum filii baptizati per Baptismum liberantur à potestate patria, & fiunt sui juris, Gl. *in c. Judæorum.* 28. *q.* 1. v. eodem Pirh. *l. c. &c.*

Quæst. 140. *Num licitè Judæorum Cœmiteria violari possint, & quæ ea violantium pœna.*

REsp. Ad primum negativè cum Barb. *in c. sicut Judæi. n.* 1. citatisque ab eo quamplurimis, juxta quod prohibetur id hisce expressis. *cit. c. nemo Cœmiterium Judæorum mutilare, (hoc est, perrumpere vel destruere) aut invadere, sive obtentu pecuniæ humata seu sepulta corpora effodere audeat,* (alioquin Cœmiterii violati tenebitur, *L. Prætor ait. §. si quis. ff. de sepulch. viol.* Gl. *in cit. C. sicut. v. effodere.*) *si quis verò contra hoc decretum præsumpserit honoris* (seu dignitatis, si quam habeat,) *& officii sui periculum, seu jacturam patiatur, aut excommunicetur, nisi condignè satisfecerit.* Ac proinde in optione Judicis erit, quam ex istis pœnis velit reo imponere, si noluerit satisfacere, nimirum vel pœnam privationis, vel excommunicationis, si autem voluerit satisfacere, neutrâ harum pœnarum puniendus; ita Gl. *fin. in cit. c. sicut.* Abb. *ibid. in fin.* Pirh. *n.* 25.

Quæst. 141. *Num Principes Christiani subjectos sibi Judæos, Saracenos, aliósque infideles cogere possint ad fidem vel Baptismum, aut eorum infantes iisdem invitis curare baptizari.*

1. REsp. Ad primum: Non licet eos ad hoc cogere directè, S. Ambros. *serm.* 13. *in Psal.* 118. D. Tho. 2. 2. *q.* 100. *a.* 8. Suar. *de fide. d.* 18. *s.* 1. & *sq.* Del Bene *de offic. inquisit. p.* 2. *du.* 230. *s.* 8. Gontz. *in cit. c. sicut. n.* 5. Barb. *ibid. num.* 1. & 2. citatis pluribus aliis, cum communi Theologorum & Canonistarum juxta claros textus, *Can. ad fidem. caus.* 3. *q.* 5. *c. sicut Judæi. h. t. Can. de Judæis. dist.* 45. ubi etiam ratio adjungitur hisce expressis: *non enim inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ, sicuti enim propria arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante se gratiâ Dei propria mentis conversione homo quisque credendo salvatur &c.* Adde, quòd talis coactio directa fidem Christianam exosam, & de tyrannide suspectam redderet, & consequenter tales coacti, ut Barbos. non crederentur habere fidem Christi, quæ tamen in adulto ratione prædito requiritur ad Baptismum validè suscipiendum. His, dum opponuntur exempla quorundam præclarissimorum & piissimorum Regum & Principum, ut apud Reiffenst. *h. t. n.* 39. Sisibuti Gothorum Regis, qui Judæos in Hispania, respuentes baptizari, turpiter decalvari, flagellis cædi, & eorum bonis fisco addictis exilio puniri jussit, ut constare dicit ex *Conc. Toletano* 6. dicendum hæc fuisse facti, & fortè zeli alicujus intemperantioris; iisque opponenda clara in contrarium jura, dum adducuntur quædam jura in speciem contraria, si sint juris civilis, ut *L. fin. C. de paganis*, ubi pagani renuentes baptizari confiscatione bonorum, & exilio puniri jubentur, & *L. cælicolarum. C. de Judæis*, quâ cælicolæ converti renuentes, iisdem astringuntur pœnis, quibus Hæretici, hi autem ad fidem Catholicam cogi possunt. Hæ, inquam, leges non curandæ, quia videntur correctæ per jus canonicum; si sint juris canonici intelligendæ de coactione indirecta, quæ coactio variis modis fieri potest, v. g. promissione aut oblatione præmiorum, honorum, privilegiorum, officiorum remissione totali vel partiali onerum aliàs debitorum, vel pœnarum, quas aliàs promeriti; de quo vide D. Gregor. *L.* 4. *Epist.* 6. non tamen cogendi expulsione eorum è territorio, aut subtractâ protectione, ad quod & ad quam semel suscepti; quia hæc foret coactio directa, & consequenter injusta ad fidem, dum vel sic sine alia legitima causa privarentur habitatione & protectione, quæ etiam eis manentibus infidelibus pacificè & sine scandalo viventibus promissa, sicque jure debita. Neque tamen etiam Judæus fugiens ad Christianos, petensque Baptismum, confestim baptizandus, sed exspectandum, donec voluntas ejus bene exploretur, & quâ causâ ac intentione petat Baptismum, ideóque statutum, *c. ne quod abst dist.* 4. *de consecrat.* ut per dies 40. versetur inter Christianos, antequam baptizetur.

2. Resp.

2. Resp. Ad secundum: Neque Judæorum, aliorúmque infidelium infantes, usum rationis necdum adepti parentibus invitis baptizari possunt, licèt tum propter periculum, ne, cùm ad usum rationis pervenerint, à parentibus inducantur ad fidem, quam ignorantes susceperunt, relinquendam, tum quia id repugnat justitiæ naturali, dùm filius ante usum rationis sit sub potestate & cura parentum, quibus proinde invitis non subtrahendus, ita cum D. Tho. 2. 2. *q.* 10. *a. ult.* Marq. *l. c. p. 3. c.* 8. Valq. *in* 3. *part. Tom.* 1. *d.* 155. Suar. *Tom.* 3. *d.* 25. *s.* 3. Ricciull. *l. c. c.* 32. *n.* 2. Abb. Felin. Socin. & immensa turma DD. quos citat & sequitur Barb. *in c. sicut Judæi. n.* 3. contra Archid. Gemin. Jo-And. Angel. Scotum *in* 4. *dist.* 4. 9. plurésque alios apud Reiffenst. *h. t. n.* 53. & communem Scotistarum, quorum rationes fusè deductas in contrarium, vide apud Reiffenst. *l. c. & n. seq.* limitanda tamen etiam respons. nostra pro variis casibus, v. g. in articulo mortis, etiam præsentibus & reclamantibus Parentibus; cùm tunc cesset periculum perversionis, & injuriæ Baptismi: Item dum separati à Parentibus, v. g. aut à Christianis justo bello captis, quibus restitui non debent, aut possunt; Item si unus Parentum altero dissentiente in Baptismum infantis consentit; siquidem tum Parentis consentientis voluntas justior in favorem prolis præferenda.

Quæst. 142. *An & qualiter Judæi habitum distinctum à Christianis ferre teneantur, & ritus suos servare permittantur.*

1. RESp. Ad primum juxta jus commune, ut Judæi utriusque sexus in omni Christianorum Provinciâ, & omni tempore qualitate habitus publicè ab aliis populis distinguantur, statutum est, *in c. nonnullis h. t.* additâ ratione: ne ex velamine erroris damnatæ commixtiones, aut alia perversionis pericula eveniant. Sanxit hoc idem pro Regno Neapolitano in pragmatica sua, quæ incipit: *Et quia perfidorum.* Carolus V. item Paulus IV. *in constit. sua* 3. quæ incipit: *Romanus Pontifex.* verùm hoc ipsum non ubique servatur in Germania, ut passim videmus ante oculos. Posse etiam in locis aliis à Pontifice concedi privilegium de non deferendo tali signo distinctivo, extra dubium est, de quo vide Barbos. *in c. nonnulli. h. t. n.* 2.

2. Resp. Ad secundum: Permittitur Judæis, observare ritus suos, modò hi non tendant in contemptum, & opprobrium Christianæ fidei, Gl. *in c. qui sincera. dist.* 45. Bald. *L.* 1. *cons.* 316. *vers.* 8. Marant. *de ord. Judic. p.* 3. *n.* 60. Ricciul. *L.* 1. *L.* 2. *c.* 18. *& seq.* Barb. *in c. quia super. h. t. num.* 3. juxta *L. Judæos. c. de Judæis.* unde etiam dicitur: *c. nonnullis. h. t.* nullus præsumat, bonas consuetudines Judæorum immutare, (secus est de malis, quæ cedunt in contumeliam Creatoris & Redemptoris) præsertim in festivitatibus eorum, quæ iis more solito & antiquo celebrare permissum, *cit. c. qui sincera.* cujus permissionis iis ab Ecclesia factæ, hanc quoque rationem reddit D. Thom. 2. 2. 4. 10. *a.* 11. *in corp.* quia in illis ritibus olim præfigurabatur veritas Christianæ fidei, quam tenemus, & quasi in figura præteritâ repræsentatur, quod credimus. Sicut è contra ritus aliorum infidelium, qui nihil veritatis aut utilitatis afferunt, non sunt tolerandi, nisi fortè nihil mali in se continentes tolerandi, ut paulatim ad fidem convertantur, ut cum D. Thom. *l. c.* Pirh. *h. t.* 14. *in fine.* Si verò etiam Judæi deprehendantur, fecisse aut commiscuisse aliquid in ritibus suis in ludibrium & contemptum Christianorum, nullatenus ferendi, privandique omni immunitate & privilegio, quo iis aliàs frui permissum, Marant. *n.* 61. quapropter etiam, quia consueverunt Judæi, vel maximè in diebus lamentationis, seu Dominicæ passionis blasphemare Christum, Christianis illudere, & in odium illorum alicubi illis diebus etiam ornatiores procedere, prohibitum illis per *c. nonnullis h. t.* in hebdomada sancta in publicum prodire, quin & per *c. quia super his.* die Veneris sancto clausas habere fenestras & ostia.

Quæst. 143. *Num liceat Judæis exercere usuras.*

RESp. Id ipsis non licere de jure communi, Clar. *L.* 5. § *usura. n.* 7. Curtius Jun. *in L. ejus, qui in provincia. ff. si cert. petat. post. n.* 1. & quod Judæi peccent tenerando dicens communem Theologorum & Canonistarum, Alex. de Nevo *cons.* 100. *n.* 1. adeò, ut Ecclesia non debeat nec possit hoc peccatum permittere nec tolerare, infligendo pœnam, neque propter aliquod malum vitandum, aut propter bonum aliquod inde sperandum, quod ipsum dicit Alex. *n.* 9. *&* 13. esse id ipsam sententiam Theologorum & Canonistarum, seque dolere malitiam DD. Christianorum, qui contra tam apertam veritatem sic contrarium consuluerunt. Quod verò attinet consuetudinem, servatur contrarium. Et ubique etiam in terris Ecclesiæ tolerantur Judæi fœneratores, quamvis eam consuetudinem tanquam nutritivam peccati rectè improbet Alex. *cit. n.* 13. quod etiam ex eo confirmatur, quòd Judæus, qui in Judaismo exercuit usuras, conversus teneatur eas restituere.

Quæst. 144. *An & sub quibus pœnis prohibitum Christianis deferre arma, aliásque merces Saracenis.*

1. RESp. Primò: Variis tum Canonibus, puta *c. ita quorundam. c. significavit. c. ad liberandam. h. t. Extrav.* 1. *eod. inter commun. Extrav. copiosus unic. Joan. XXII. h. t.* & legibus civilibus, puta *L. nemo. C. quæres export. non deb. L. his. C. de pœnis.* quin & *L. cujusque. ff. ad Leg. Jul. Majestatis sanctum.* ut cujus operâ hostes (videntur intelligi Saraceni) armis, equis, commeatu, pecunia, aliáve re instruerentur, Majestatis læsæ crimine ac pœnis teneretur, tum specialibus Pontificum constitutionibus, ac præcipuè in Bulla cœnæ, sub gravissimarum pœnarum interminatione prohibetur Christianis quodcunque armorum, instrumentorum & materialium bellicorum genus ad bellum contra Christianos serviens, Saracenis vendere, & quovis modo subministrare, vel etiam, qui ea deferri permittunt, dum ratione officii id prohibere deberent, ut Azor. paulò post citand. *n.* 13. idque non tantum durante bello, seu dum actu est illis bellum contra Christianos, sed etiam tempore pacis, qui odio Christiani nominis censentur habitu gerere bellum cum Christianis, Abb. *in c. quod olim. h. t. n.* 1. Barb. *in c. ita quorundam. h. t. n.* 8. Reiffenst. *h. t. num.* 31. Idem à potiore est de iis, qui tempore treugæ factæ, inter illos & Christianos deferunt ad illos arma similiaque prohibita, Azor. *p.* 1. *L.* 8. *a.* 23. *q.* 16. Pirh. *h. t. n.* 35. juxta *c. significavit.* §. *illi quoque. h. t.* cùm, qui treugam init, non faciat pacem, sed solùm ad certum tempus cessat à bello, & armistitium servat. *c.* 1. *de treuga & pace.* Excusantur autem deferentes arma ad Sara-

cenos, qui bello contra alios Saracenos, Paganos & Hæreticos defendunt Christianos, Azor. *l. c. q.* 8. Barb. *l. c.* porrò nomine armorum hic veniunt omnia artis militaris instrumenta, tam quæ ad defendendum, quàm impugnandum idonea, ut hastæ, gladii, sagittæ, sclopi, globi, pilæ, quæ ex tormentis bellicis ejiciuntur, Azor. *l. c. q.* 20. Barb. *l. c. n.* 4. item per ligamina, (vel potiùs, ut meliùs habet alia lectio) lignamina, quæ quoque deferri prohibentur, intelliguntur ligna, ex quibus fieri solent triremes, aliorúmque navigiorum species, & quævis machinæ bellicæ, Azor. *q.* 11. Barbos. *n.* 7. per ferrum intelligitur tam factum, ex quo nimirum fabricatum, quidquid utile est ad usus bellicos, quàm infectum, id est, rudis ferri massæ aut laminæ, quò etiam spectat chalybs, stannum, plumbum, aliaque omnia metalli genera, ex quibus bellica instrumenta fieri possunt, ut in Bulla Cœnæ *censur.* 7. ubi etiam prohibentur, deferri cannabis pro velis texendis, funes, & similia, præter quas rerum materialium illationes prohibetur quoque gravissimè Christianis in galeris & piraticis Saracenorum exercere regimen gubernationis, dare consilium, aut præstare auxilium in machinis dirigendis &c.

2. Resp. Secundò: Pœnæ contravenientium his prohibitionibus respectu omnium est excommunicatio, ut constat *ex C. in quorundam.* estque repetita *in C. jam olim. h. t.* & hodiedum est de reservatis in Bulla Cœnæ, de quo, uti & de aliis pœnis per Christianos Principes, tali prohibitioni adjectis, vide AA. magno numero citatos à Barb. *in cit. c. in quorundam. n.* 2. contra exercentes verò regimen gubernationis, & curam in navibus Saracenorum, præterquam, quòd per Ecclesias maritimarum urbium crebra & solennis excommunicatio feratur, statutum, ut per Principes Catholicos, & Consules civitatum, rerum suarum privatione mulctentur, & capientium servi fiant, quæ excommunicatio tamen, cæteræque pœnæ decretæ non extendendæ contra deferentes arma, cæteraque prohibita ad Judæos, paganos alios & Ethnicos, neque ad Hæreticos de jure communi ecclesiastico, ut Pirh. *h. t. num.* 34. *not.* 4. Reiffenst. *h. t. n.* 33. in Bulla tamen Cœnæ omnes Christiani excommunicantur, qui dicta deferunt ad Saracenos, Turcas & Hæreticos, per sedem Romanam nominatim declaratos, & generatim ad omnes Christiani nominis hostes, ut Azor. *l. c. q.* 4. Reiffenst. *l. c.*

3. Resp. Tertiò: Merces alias nullam naturam armorum habentes tempore pacis deferri ad Saracenos, illisque vendi prohibitum non est, Abb. *in C. quod olim. n.* 1. Barb. *ibid. n.* 2. Reiffenst. *n.* 32. Pirh. *n.* 36. Secus tamen est de talibus mercibus ad illos deferendis tempore belli, quod sub eadem excommunicatione prohibitum; de quo vide Pirh. *l. c. juncto n.* 37.

Quæst. 145. *An licitum sit Judæis non subditis, aliisque infidelibus ob solam infidelitatem aut idololatriam inferre bellum, eosque spoliare terris & possessionibus suis, & è contra fœdus cum illis inire.*

1. Resp. Ad primùm negativè cum Covar. *reg. peccatum. p.* 2. §. 10. *n.* 4. Molin. *de jure & justitia tr.* 2. *& 5. & 6.* Laym. *L.* 2. *tr.* 1. *c.* 17. & communiore contra Mairon. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 20. Alph. de Castro 2. *de justa punit. hæreticor. c.* 14. dicentes, hanc solam fuisse causam sufficientem inferendi bellum incolis novi orbis; uti enim ex defectu jurisdictionis, v. g. Rex Hispaniæ bello impellere nequit Regis Galliæ subditos, ad vindicanda eorum delicta juri divino & naturali adversantia, ita nullus Princeps bello adigere potest Infideles, ad sectandam fidem Christianam, & servandas leges divinas. Quòd autem olim Israelitæ plures gentes expugnaverint, suisque terris & possessionibus exspoliaverint, id speciali concessione & jussu Dei, totius universi absolutissimi Domini factum. Dum verò Infideles injuriam inferunt Christianis, possunt Principes Christiani, ad vindicandam suorum subditorum injuriam, & damna, illos justo bello expugnare, eorúmque Provincias occupare, uti etiam, si prædicatione Evangelii, quod in toto mundo prædicari Christus voluit, resisterent, impediendo subditos suos ab audienda illius prædicatione, fidéque susipiendâ; licere enim tunc Christianis Principibus expugnare illos, sentiunt plerique cum Thom. 2. 2. *q.* 8. *a.* 8. Becan. *de fide. c.* 13. *q.* 4. *concl.* 3. Laym. *L.* 2. *tr.* 1. *c.* 17. *num.* 3. *&c.* & hanc fuisse inter cæteras causam subjugandi Americanos, verisimile est.

2. Ad secundum verò, nimirum de fœderibus contrahendis à Christianis cum Infidelibus respondendi occasio commodior erit *Tit. seq.*

Quæst. 146. *A quo Judæi delinquentes possint ac debeant puniri.*

1. Resp. Primò: Judæi, cùm de jure communi subjecti non sint jurisdictioni Ecclesiæ, sed jurisdictioni solùm temporali Principum, ac Magistratuum sæcularium, in quorum territorio existunt, & pœnâ spirituali puniri nequeant, delinquentes contra Christianos à Principibus solùm sæcularibus puniri possunt, bene tamen etiam pœnâ pecuniariâ vel corporali à Principibus ecclesiasticis, non quidem quâ talibus, sed qua pollentibus jurisdictione temporali, si quam habent in dominiis sibi temporaliter subjectis, pro ut sumitur *ex c. postulâsti. h. t.* & si Judex sæcularis id negligat per Judicem ecclesiasticum, cui subest, censuris ad hoc compellendus est, juxta *cit. c.* sic itaque, si Judæus delinquat in Clericum, (qui est læsus, *cit. c. postulâsti.*) etiam percutiendo illum, non incurrit excommunicationem, aliamve censuram ecclesiasticam, quam utpote pœnam spiritualem Ecclesia directè non subdito suo infligere nequit, quamvis id possit indirectè, prohibendo subditis suis, ne commercium ullum aut communionem cum eo habeant, juxta *cit. c. postulâsti.* Barbos. *ibid. n.* 1. citatis plurimis, quin & Prælati Ecclesiastici, de se nulla pollentes jurisdictione temporali ex delegatione Principis, seu Magistratûs sæcularis, cui Judæi, aliique Infideles subsunt, possunt illos afficere pœna corporali, arg. *c. constituit. c.* 17. *q.* 4. *c. de raptoribus.* Gl. *in c. sæpe.* 1. 28. *q.* 1. *v. publicis.* Pirh. *n.* 30. Sic Judæus carnaliter cognoscens Christianam, à Magistratu sæculari puniri potest pœnâ pecuniariâ & corporali, & examinatis circumstantiis etiam pœna mortis, Barb. *in c. in nonnullis. n.* 7. citatis aliis cum Farin. *in pr. crim. p.* 3. *q.* 139. *n.* 8.

2. Resp. Secundò in specie: Porrò Judæus committens adulterium cum Judæa, dum alicubi adulterio statuta est pœna pecuniaria, puniendus est pœna statuti, & non pœna juris communis, (quia ea est pœna mortis, ut Clarus *L.* 5. §. *adulterium. n.* 7.) idem *ibidem. num.* 10. cum Angel. *L.* 1. *cons.* 114 Alex. *L.* 6. *cons.* 99. Barbos. *L.* 4. *cons.* 63. cum Judæi judicari debeant secundùm leges, secundùm quas judicantur alii de civitate. De Judæo tamen com-

2. Resp. Ad secundum: Neque Judæorum, aliorúmque infidelium infantes, usum rationis necdum adepti parentibus invitis baptizari possunt, licèt tum propter periculum, ne, cùm ad usum rationis pervenerint, à parentibus inducantur ad fidem, quam ignorantes susceperunt, relinquendam, tum quia id repugnat justitiæ naturali, dùm filius ante usum rationis sit sub potestate & cura parentum, quibus proinde invitis non subtrahendus, ita cum D. Tho. 2. 2. *q.* 10. *a. ult.* Marq. *l. c. p. 3. c.* 8. Valq. *in* 3. *part. Tom.* 1. *d.* 155. Suar. *Tom.* 3. *d.* 25. *s.* 3. Ricciull. *l. c. c.* 32. *n.* 2. Abb. Felin. Socin. & immensa turma DD. quos citat & sequitur Barb. *in c. sicut Judæi. n.* 3. contra Archid. Gemin. Jo-And. Angel. Scotum *in* 4. *dist.* 4. 9. plurésque alios apud Reiffenst. *h. t. n.* 53. & communem Scotistarum, quorum rationes fusè deductas in contrarium, vide apud Reiffenst. *l. c. & n. seq.* limitanda tamen etiam respons. nostra pro variis casibus, v. g. in articulo mortis, etiam præsentibus & reclamantibus Parentibus; cùm tunc cesset periculum perversionis, & injuriæ Baptismi: Item dum separati à Parentibus, v. g. aut à Christianis justo bello captis, quibus restitui non debent, aut possunt; Item si unus Parentum altero dissentiente in Baptismum infantis consentit; siquidem tum Parentis consentientis voluntas justior in favorem prolis præferenda.

Quæst. 142. *An & qualiter Judæi habitum distinctum à Christianis ferre teneantur, & ritus suos servare permittantur.*

1. RESp. Ad primum juxta jus commune, ut Judæi utriusque sexus in omni Christianorum Provinciâ, & omni tempore qualitate habitus publicè ab aliis populis distinguantur, statutum est, *in c. nonnullis h. t.* additâ ratione: ne ex velamine erroris damnatæ commixtiones, aut alia perversionis pericula eveniant. Sanxit hoc idem pro Regno Neapolitano in pragmatica sua, quæ incipit: *Et quia perfidorum.* Carolus V. item Paulus IV. *in constit. sua* 3. quæ incipit: *Romanus Pontifex.* verùm hoc ipsum non ubique servatur in Germania, ut passim videmus ante oculos. Posse etiam in locis aliis à Pontifice concedi privilegium de non deferendo tali signo distinctivo, extra dubium est, de quo vide Barbos. *in c. nonnulli. h. t. n.* 2.

2. Resp. Ad secundum: Permittitur Judæis, observare ritus suos, modò hi non tendant in contemptum, & opprobrium Christianæ fidei, Gl. *in c. qui sincera. dist.* 45. Bald. *L.* 1. *cons.* 316. *vers.* 8. Marant. *de ord. Judic. p.* 3. *n.* 60. Ricciul. *L.* 1. *L.* 2. *c.* 18. *& seq.* Barb. *in c. quia super. h. t. num.* 3. juxta *L. Judæos. c. de Judæis.* unde etiam dicitur: *c. nonnullis. h. t.* nullus præsumat, bonas consuetudines Judæorum immutare, (secus est de malis, quæ cedunt in contumeliam Creatoris & Redemptoris) præsertim in festivitatibus eorum, quæ iis more solito & antiquo celebrare permissum, *cit. c. qui sincera.* cujus permissionis iis ab Ecclesia factæ, hanc quoque rationem reddit D. Thom. 2. 2. 4. 10. *a.* 11. *in corp.* quia in illis ritibus olim præfigurabatur veritas Christianæ fidei, quam tenemus, & quasi in figura præteritâ repræsentatur, quod credimus. Sicut è contra ritus aliorum infidelium, qui nihil veritatis aut utilitatis afferunt, non sunt tolerandi, nisi fortè nihil mali in se continentes tolerandi, ut paulatim ad fidem convertantur, ut cum D. Thom. *l. c.* Pirh. *h. t.* 14. *in fine.* Si verò etiam Judæi deprehendantur, fecisse aut commiscuisse aliquid in ritibus suis in ludibrium & contemptum Christianorum, nullatenus ferendi, privandique omni immunitate & privilegio, quo iis aliàs frui permissum, Marant. *n.* 61. quapropter etiam, quia consueverunt Judæi, vel maximè in diebus lamentationis, seu Dominicæ passionis blasphemare Christum, Christianis illudere, & in odium illorum alicubi illis diebus etiam ornatiores procedere, prohibitum illis per *c. nonnullis h. t.* in hebdomada sancta in publicum prodire, quin & per *c. quia super his.* die Veneris sancto clausas habere fenestras & ostia.

Quæst. 143. *Num liceat Judæis exercere usuras.*

RESp. Id ipsis non licere de jure communi, Clar. *L.* 5. § *usura. n.* 7. Curtius Jun. *in L. ejus, qui in provincia. ff. si cert. petat. post. n.* 1. & quod Judæi peccent tenerando dicens communem Theologorum & Canonistarum, Alex. de Nevo *cons.* 100. *n.* 1. adeò, ut Ecclesia non debeat nec possit hoc peccatum permittere nec tolerare, infligendo pœnam, neque propter aliquod malum vitandum, aut propter bonum aliquod inde sperandum, quod ipsum dicit Alex. *n.* 9. *&* 13. esse id ipsam sententiam Theologorum & Canonistarum, seque dolere malitiam DD. Christianorum, qui contra tam apertam veritatem sic contrarium consuluerunt. Quod verò attinet consuetudinem, servatur contrarium. Et ubique etiam in terris Ecclesiæ tolerantur Judæi fœneratores, quamvis eam consuetudinem tanquam nutritivam peccati rectè improbet Alex. *cit. n.* 13. quod etiam ex eo confirmatur, quòd Judæus, qui in Judaismo exercuit usuras, conversus teneatur eas restituere.

Quæst. 144. *An & sub quibus pœnis prohibitum Christianis deferre arma, aliásque merces Saracenis.*

1. RESp. Primò: Variis tum Canonibus, puta *c. ita quorundam. c. significavit. c. ad liberandam. h. t. Extrav.* 1. *eod. inter commun. Extrav. copiosus unic. Joan. XXII. h. t.* & legibus civilibus, puta *L. nemo. C. quæres export. non deb. L. his. C. de pœnis.* quin & *L. cujusque. ff. ad Leg. Jul. Majestatis sanctum.* ut cujus operâ hostes (videntur intelligi Saraceni) armis, equis, commeatu, pecunia, aliáve re instruerentur, Majestatis læsæ crimine ac pœnis teneretur, tum specialibus Pontificum constitutionibus, ac præcipuè in Bulla cœnæ, sub gravissimarum pœnarum interminatione prohibetur Christianis quodcunque armorum, instrumentorum & materialium bellicorum genus ad bellum contra Christianos serviens, Saracenis vendere, & quovis modo subministrare, vel etiam, qui ea deferri permittunt, dum ratione officii id prohibere deberent, ut Azor. paulò post citand. *n.* 13. idque non tantum durante bello, seu dum actu est illis bellum contra Christianos, sed etiam tempore pacis, qui odio Christiani nominis censentur habitu gerere bellum cum Christianis, Abb. *in c. quod olim. h. t. n.* 1. Barb. *in c. ita quorundam. h. t. n.* 8. Reiffenst. *h. t. num.* 31. Idem à potiore est de iis, qui tempore treugæ factæ, inter illos & Christianos deferunt ad illos arma similiaque prohibita, Azor. *p.* 1. *L.* 8. *a.* 23. *q.* 16. Pirh. *h. t. n.* 35. juxta *c. significavit.* §. *illi quoque. h. t.* cùm, qui treugam init, non faciat pacem, sed solùm ad certum tempus cessat à bello, & armistitium servat. *c.* 1. *de treuga & pace.* Excusantur autem deferentes arma ad Sara-

cenos, qui bello contra alios Saracenos, Paganos & Hæreticos defendunt Christianos, Azor. *l. c. q.* 8. Barb. *l. c.* porrò nomine armorum hic veniunt omnia artis militaris instrumenta, tam quæ ad defendendum, quàm impugnandum idonea, ut hastæ, gladii, sagittæ, sclopi, globi, pilæ, quæ ex tormentis bellicis ejiciuntur, Azor. *l. c. q.* 20. Barb. *l. c. n.* 4. item per ligamina, (vel potiùs, ut meliùs habet alia lectio) lignamina, quæ quoque deferri prohibentur, intelliguntur ligna, ex quibus fieri solent triremes, aliorúmque navigiorum species, & quævis machinæ bellicæ, Azor. *q.* 11. Barbos. *n.* 7. per ferrum intelligitur tam factum, ex quo nimirum fabricatum, quidquid utile est ad usus bellicos, quàm infectum, id est, rudis ferri massæ aut laminæ, quò etiam spectat chalybs, stannum, plumbum, aliaque omnia metalli genera, ex quibus bellica instrumenta fieri possunt, ut in Bulla Cœnæ *censur.* 7. ubi etiam prohibentur, deferri cannabis pro velis texendis, funes, & similia, præter quas rerum materialium illationes prohibetur quoque gravissimè Christianis in galeris & piraticis Saracenorum exercere regimen gubernationis, dare consilium, aut præstare auxilium in machinis dirigendis &c.

2. Resp. Secundò: Pœnæ contravenientium his prohibitionibus respectu omnium est excommunicatio, ut constat *ex C. in quorundam.* estque repetita *in C. jam olim. h. t.* & hodiedum est de reservatis in Bulla Cœnæ, de quo, uti & de aliis pœnis per Christianos Principes, tali prohibitioni adjectis, vide AA. magno numero citatos à Barb. *in cit. c. in quorundam. n.* 2. contra exercentes verò regimen gubernationis, & curam in navibus Saracenorum, præterquam, quòd per Ecclesias maritimarum urbium crebra & solennis excommunicatio feratur, statutum, ut per Principes Catholicos, & Consules civitatum, rerum suarum privatione mulctentur, & capientium servi fiant, quæ excommunicatio tamen, cæteræque pœnæ decretæ non extendendæ contra deferentes arma, cæteraque prohibita ad Judæos, paganos alios & Ethnicos, neque ad Hæreticos de jure communi ecclesiastico, ut Pirh. *h. t. num.* 34. *not.* 4. Reiffenst. *h. t. n.* 33. in Bulla tamen Cœnæ omnes Christiani excommunicantur, qui dicta deferunt ad Saracenos, Turcas & Hæreticos, per sedem Romanam nominatim declaratos, & generatim ad omnes Christiani nominis hostes, ut Azor. *l. c. q.* 4. Reiffenst. *l. c.*

3. Resp. Tertiò: Merces alias nullam naturam armorum habentes tempore pacis deferri ad Saracenos, illisque vendi prohibitum non est, Abb. *in C. quod olim. n.* 1. Barb. *ibid. n.* 2. Reiffenst. *n.* 32. Pirh. *n.* 36. Secus tamen est de talibus mercibus ad illos deferendis tempore belli, quod sub eadem excommunicatione prohibitum; de quo vide Pirh. *l. c. juncto n.* 37.

Quæst. 145. *An licitum sit Judæis non subditis, aliisque infidelibus ob solam infidelitatem aut idololatriam inferre bellum, eosque spoliare terris & possessionibus suis, & è contra fœdus cum illis inire.*

1. Resp. Ad primùm negativè cum Covar. *reg. peccatum. p.* 2. §. 10. *n.* 4. Molin. *de jure & justitia tr.* 2. *& 5. & 6.* Laym. *L.* 2. *tr.* 1. *c.* 17. & communiore contra Mairon. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 20. Alph. de Castro 2. *de justa punit. hæreticor. c.* 14. dicentes, hanc solam fuisse causam sufficientem inferendi bellum incolis novi orbis; uti enim ex defectu jurisdictionis, v. g. Rex Hispaniæ bello impellere nequit Regis Galliæ subditos, ad vindicanda eorum delicta juri divino & naturali adversantia, ita nullus Princeps bello adigere potest Infideles, ad sectandam fidem Christianam, & servandas leges divinas. Quòd autem olim Israelitæ plures gentes expugnaverint, suisque terris & possessionibus exspoliaverint, id speciali concessione & jussu Dei, totius universi absolutissimi Domini factum. Dum verò Infideles injuriam inferunt Christianis, possunt Principes Christiani, ad vindicandam suorum subditorum injuriam, & damna, illos justo bello expugnare, eorúmque Provincias occupare, uti etiam, si prædicatione Evangelii, quod in toto mundo prædicari Christus voluit, resisterent, impediendo subditos suos ab audienda illius prædicatione, fidéque susipiendâ; licere enim tunc Christianis Principibus expugnare illos, sentiunt plerique cum Thom. 2. 2. *q.* 8. *a.* 8. Becan. *de fide. c.* 13. *q.* 4. *concl.* 3. Laym. *L.* 2. *tr.* 1. *c.* 17. *num.* 3. *&c.* & hanc fuisse inter cæteras causam subjugandi Americanos, verisimile est.

2. Ad secundum verò, nimirum de fœderibus contrahendis à Christianis cum Infidelibus respondendi occasio commodior erit *Tit. seq.*

Quæst. 146. *A quo Judæi delinquentes possint ac debeant puniri.*

1. Resp. Primò: Judæi, cùm de jure communi subjecti non sint jurisdictioni Ecclesiæ, sed jurisdictioni solùm temporali Principum, ac Magistratuum sæcularium, in quorum territorio existunt, & pœnâ spirituali puniri nequeant, delinquentes contra Christianos à Principibus solùm sæcularibus puniri possunt, bene tamen etiam pœnâ pecuniariâ vel corporali à Principibus ecclesiasticis, non quidem quâ talibus, sed qua pollentibus jurisdictione temporali, si quam habent in dominiis sibi temporaliter subjectis, pro ut sumitur *ex c. postulâsti. h. t.* & si Judex sæcularis id negligat per Judicem ecclesiasticum, cui subest, censuris ad hoc compellendus est, juxta *cit. c.* sic itaque, si Judæus delinquat in Clericum, (qui est læsus, *cit. c. postulâsti.*) etiam percutiendo illum, non incurrit excommunicationem, aliamve censuram ecclesiasticam, quam utpote pœnam spiritualem Ecclesia directè non subdito suo infligere nequit, quamvis id possit indirectè, prohibendo subditis suis, ne commercium ullum aut communionem cum eo habeant, juxta *cit. c. postulâsti.* Barbos. *ibid. n.* 1. citatis plurimis, quin & Prælati Ecclesiastici, de se nulla pollentes jurisdictione temporali ex delegatione Principis, seu Magistratûs sæcularis, cui Judæi, aliique Infideles subsunt, possunt illos afficere pœna corporali, arg. *c. constituit. c.* 17. *q.* 4. *c. de raptoribus.* Gl. *in c. sæpe.* 1. 28. *q.* 1. *v. publicis.* Pirh. *n.* 30. Sic Judæus carnaliter cognoscens Christianam, à Magistratu sæculari puniri potest pœnâ pecuniariâ & corporali, & examinatis circumstantiis etiam pœna mortis, Barb. *in c. in nonnullis. n.* 7. citatis aliis cum Farin. *in pr. crim. p.* 3. *q.* 139. *n.* 8.

2. Resp. Secundò in specie: Porrò Judæus committens adulterium cum Judæa, dum alicubi adulterio statuta est pœna pecuniaria, puniendus est pœna statuti, & non pœna juris communis, (quia ea est pœna mortis, ut Clarus *L.* 5. §. *adulterium. n.* 7.) idem *ibidem. num.* 10. cum Angel. *L.* 1. *cons.* 114 Alex. *L.* 6. *cons.* 99. Barbos. *L.* 4. *cons.* 63. cum Judæi judicari debeant secundùm leges, secundùm quas judicantur alii de civitate. De Judæo tamen com-

committente adulterium cum Christiana etiam soluta, & meretrice, Clarus sentit, illum graviùs puniendum, quàm disponat statutum, censetque illum damnandum perpetuò ad triremes; vide eundem *L. 5. v. fornicatio. n. 26.* Judæum tamen contrahentem incestas nuptias in gradu prohibito, permissa tamen lege Mosaica, non puniendum, tradit Clarus *L. 5. §. incestus.* cùm Judæi non servent. *L. nemo. it. l.* de Judæis, ut Authores scribentes in eam *Leg.* De cætero, num Judæus post susceptum Baptismum non in fraudem post commissum delictum de eo puniri possit pœna temporali, controversum est inter Authores in sententiam negativam, tanquam æquiorem, & Religioni nostræ magis faventem & attrahentem Judæos ad conversionem inclinare se, dicit Clar. *L. 5. §. fin. §. 51. n. 19.*

Quæst. 147. *Utrum Judæi, aliique Infideles confugientes ad Ecclesias, gaudeant immunitate asyli.*

RESP. Ad hanc quæstionem sufficienter responsum *in L. 3. decret. q.* 1017.

TITULUS VII.

De Hæreticis.

CAPUT I.

De Hæresi & Hæreticis, eorúmque credentibus, receptoribus, fautoribus.

Quæst. 148. *Hæresis unde dicta, & quid sit.*

1. RESP. Hæresis dicta ab αἱρέομαι, capio, eligo, quasi pro libero arbitrio facta electio opinionis alicujus novæ contra fidem, Isidor. *L. 8. Etymolog. c. 3.* Roias. *tr. de hæret. sing. 73. Lit. H.* loquendo de hæresi formali, sic meliùs definiri potest, quod sit error voluntarius, quem homo baptizatus pertinaciter tenet contra veritatem aliquam fidei Catholicæ, ita ferè D. Thom. 2. 2. *q.* 11. *a.* 1. Farin. *in prax. crim. q.* 178. *n.* 5. Sanch. *L. 2. mor. c.* 7. *n.* 1. Barb. *h. t. in princ. n.* 4.

2. Dicitur primò: *error*, hoc est, erronea opinio, vel judicium intellectûs, unde, qui metu mortis, aut alia ex causa astruit aliquid fidei contrarium sine interno mentis assensu, quo verum credat, quod ore profert, etsi graviter peccet contra præceptum profitendi fidem, verè & propriè Hæreticus non est; quia actum nullum intellectûs, per quem judicet, id verum esse, habet, censetur tamen in foro externo Hæreticus, & ut talis puniretur, Sanch. *l. c. n.* 8. Nav. *in man. c.* 27. *n.* 56. Item dubius quatenus præcisè super articulo aliquo fidei sibi sufficienter proposito, suspendit suum judicium, id est, neque assentit, esse verum, neque dissentit seu negat, esse verum, quà talis non est Hæreticus, eò, quod taliter non eligit, seu adhæret opinioni fidei contrariæ; sicut autem fides importat actum intellectûs, nimirum positivum assensum, ita & fidei opposita hæresis actum positivum, nimirum dissensum importare debet, ita docent Diana *resol. mor. p. 2. tr. 2. miscel. resol.* 53. Malder. 22 *q.* 11. *a.* 2. *memb.* 2. §. *respondeo.* Sanch. *l. c. n.* 12. favétque Sa. *v. hæresis. n.* 1. nihilominus peccare talem graviter, cui repræsentatur objectum fidei, & rationes sufficienter moventes ad assensum, pro tempore, quô tenetur elicere fidem, si non desinat suspendere suum judicium, dicendum videtur. Verumtamen quatenus talis dubitans eo ipso simul habet judicium, quô judicat tale objectum, seu articulum, circa quem suspendit suum assensum, non esse certum, seu non esse dignum, cui firmiter & infallibiliter adhæreatur & credatur, esse illum Hæreticum, docent iidem Sanch. & Malder. eò, quòd manifesta sit hæresis, sentire rem seu articulum fidei sufficienter, ut talem sibi propositam, non esse dignam, quæ credatur; talem verò actum moraliter semper esse conjunctum cum dubitatione circa res fidei, utpote qui bene stat cum dictâ suspensione fidei, tradunt iidem, quin & necessariò illum debere haberi, ut quis verè dicatur de illo objecto peccaminosè dubitare, & sic nunquam dari posse dubium, sine positivo actu & errore astruit, Castrop. *tr. 4. d. 3. p. 2. n.* 10. undè absolutè *n.* 9. docet, tenendam tanquam communem, esse Hæreticum, qui deliberatè dubitat de rebus fidei sibi sufficienter propositis, pro quo citat *c.* 1. *h. t.* ubi dicitur: *dubius in fide infidelis est.* Suar. *de fide d.* 19. *s.* 4. *num.* 10. Cöninck. *d.* 18. *du.* 7. *concl.* 6. *num.* 102. Bonac. *de censur. d.* 2. *q.* 5. *p.* 1. *n.* 3. Farin. *de Hæresi. q.* 178. §. 4. *n.* 90. & plures alios partim apud Sanch. *l. c. num.* 11. partim apud Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 40. *n.* 16.

3. Dicitur secundò: *Voluntarius:* sive liber, sicut enim actus fidei oritur ex pio voluntatis affectu, ita Hæresis est assensus erroneus procedens ex libera voluntatis electione, alioquin peccatum non esset, unde involuntariè & indeliberatè errans, circa res fidei non est Hæreticus, Pirh. *h. t. n.* 1.

4. Dicitur tertiò: *Pertinaciter tenet*; si quidem duo requiruntur ad hæresin formalem, nimirum error in intellectu, pertinacia eum non corrigendi in voluntate, & de pertinacia constat *ex c. damnamus. §. in nullo. de summa Trinitate. junct.* Gl. *fin. Clem. unic. §. porrò eod. can. dixit Apost. Can. qui in Ecclesia caus.* 24. *q.* 1. consistit autem pertinacia in eo, non quòd quis acriter seu mordicus diu retineat & defendat errorem suum contra fidem, sed postquam sufficienter cognovit assensum suum contrariari doctrinæ ab Ecclesia universali seu Catholica, eundem retineat, ac ita judicium suum contumaciter judicio Ecclesiæ præferat, Sanch. *l. c. n.* 2. Valent. 2. 2. *d.* 1. *q.* 11. *p.* 1. *difficul.* 4. *ad* 2. Coninck. *l. c. n.* 78. Vasq. 1. 2. *d.* 126. *n.* 6. Castrop. *l. c. num.* 1. Pirh. *n.* 2. ac ita Hæretici non sunt, qui, etsi teneant contrarium fidei, tamen ita actu vel habitu constituti sint, ut quamprimùm cognoverint, contrarium teneri ab Ecclesia, parati sint, assensum suum erroneum relinquere, arg. *cit. c. damnamus.* juncta Gl. *ibid. v. paratus.* Unde jam etiam non tantùm laborans ignorantiâ invincibili, sed etiam vincibili crassa, & hinc mortaliter culpabili, imò & affectata, suam

cenos, qui bello contra alios Saracenos, Paganos & Hæreticos defendunt Christianos, Azor. *l. c. q.* 8. Barb. *l. c.* porrò nomine armorum hic veniunt omnia artis militaris instrumenta, tam quæ ad defendendum, quàm impugnandum idonea, ut hastæ, gladii, sagittæ, sclopi, globi, pilæ, quæ ex tormentis bellicis ejiciuntur, Azor. *l. c. q.* 20. Barb. *l. c. n.* 4. item per ligamina, (vel potiùs, ut meliùs habet alia lectio) lignamina, quæ quoque deferri prohibentur, intelliguntur ligna, ex quibus fieri solent triremes, aliorúmque navigiorum species, & quævis machinæ bellicæ, Azor. *q.* 11. Barbos. *n.* 7. per ferrum intelligitur tam factum, ex quo nimirum fabricatum, quidquid utile est ad usus bellicos, quàm infectum, id est, rudis ferri massæ aut laminæ, quò etiam spectat chalybs, stannum, plumbum, aliaque omnia metalli genera, ex quibus bellica instrumenta fieri possunt, ut in Bulla Cœnæ *censur.* 7. ubi etiam prohibentur, deferri cannabis pro velis texendis, funes, & similia, præter quas rerum materialium illationes prohibetur quoque gravissimè Christianis in galeris & piraticis Saracenorum exercere regimen gubernationis, dare consilium, aut præstare auxilium in machinis dirigendis &c.

2. Resp. Secundò: Pœnæ contravenientium his prohibitionibus respectu omnium est excommunicatio, ut constat *ex C. in quorundam.* estque repetita *in C. jam olim. h. t.* & hodiedum est de reservatis in Bulla Cœnæ, de quo, uti & de aliis pœnis per Christianos Principes, tali prohibitioni adjectis, vide AA. magno numero citatos à Barb. *in cit. c. in quorundam. n.* 2. contra exercentes verò regimen gubernationis, & curam in navibus Saracenorum, præterquam, quòd per Ecclesias maritimarum urbium crebra & solennis excommunicatio feratur, statutum, ut per Principes Catholicos, & Consules civitatum, rerum suarum privatione mulctentur, & capientium servi fiant, quæ excommunicatio tamen, cæteræque pœnæ decretæ non extendendæ contra deferentes arma, cæteraque prohibita ad Judæos, paganos alios & Ethnicos, neque ad Hæreticos de jure communi ecclesiastico, ut Pirh. *h. t. num.* 34. *not.* 4. Reiffenst. *h. t. n.* 33. in Bulla tamen Cœnæ omnes Christiani excommunicantur, qui dicta deferunt ad Saracenos, Turcas & Hæreticos, per sedem Romanam nominatim declaratos, & generatim ad omnes Christiani nominis hostes, ut Azor. *l. c. q.* 4. Reiffenst. *l. c.*

3. Resp. Tertiò: Merces alias nullam naturam armorum habentes tempore pacis deferri ad Saracenos, illisque vendi prohibitum non est, Abb. *in C. quod olim. n.* 1. Barb. *ibid. n.* 2. Reiffenst. *n.* 32. Pirh. *n.* 36. Secus tamen est de talibus mercibus ad illos deferendis tempore belli, quod sub eadem excommunicatione prohibitum; de quo vide Pirh. *l. c. juncto n.* 37.

Quæst. 145. *An licitum sit Judæis non subditis, aliisque infidelibus ob solam infidelitatem aut idololatriam inferre bellum, eosque spoliare terris & possessionibus suis, & è contra fœdus cum illis inire.*

1. Resp. Ad primùm negativè cum Covar. *reg. peccatum. p.* 2. §. 10. *n.* 4. Molin. *de jure & justitia tr.* 2. *& 5. & 6.* Laym. *L.* 2. *tr.* 1. *c.* 17. & communiore contra Mairon. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 20. Alph. de Castro 2. *de justa punit. hæreticor. c.* 14. dicentes, hanc solam fuisse causam sufficientem inferendi bellum incolis novi orbis; uti enim ex defectu jurisdictionis, v. g. Rex Hispaniæ bello impellere nequit Regis Galliæ subditos, ad vindicanda eorum delicta juri divino & naturali adversantia, ita nullus Princeps bello adigere potest Infideles, ad sectandam fidem Christianam, & servandas leges divinas. Quòd autem olim Israelitæ plures gentes expugnaverint, suisque terris & possessionibus exspoliaverint, id speciali concessione & jussu Dei, totius universi absolutissimi Domini factum. Dum verò Infideles injuriam inferunt Christianis, possunt Principes Christiani, ad vindicandam suorum subditorum injuriam, & damna, illos justo bello expugnare, eorúmque Provincias occupare, uti etiam, si prædicatione Evangelii, quod in toto mundo prædicari Christus voluit, resisterent, impediendo subditos suos ab audienda illius prædicatione, fidéque susipiendâ; licere enim tunc Christianis Principibus expugnare illos, sentiunt plerique cum Thom. 2. 2. *q.* 8. *a.* 8. Becan. *de fide. c.* 13. *q.* 4. *concl.* 3. Laym. *L.* 2. *tr.* 1. *c.* 17. *num.* 3. *&c.* & hanc fuisse inter cæteras causam subjugandi Americanos, verisimile est.

2. Ad secundum verò, nimirum de fœderibus contrahendis à Christianis cum Infidelibus respondendi occasio commodior erit *Tit. seq.*

Quæst. 146. *A quo Judæi delinquentes possint ac debeant puniri.*

1. Resp. Primò: Judæi, cùm de jure communi subjecti non sint jurisdictioni Ecclesiæ, sed jurisdictioni solùm temporali Principum, ac Magistratuum sæcularium, in quorum territorio existunt, & pœnâ spirituali puniri nequeant, delinquentes contra Christianos à Principibus solùm sæcularibus puniri possunt, bene tamen etiam pœnâ pecuniariâ vel corporali à Principibus ecclesiasticis, non quidem quâ talibus, sed qua pollentibus jurisdictione temporali, si quam habent in dominiis sibi temporaliter subjectis, pro ut sumitur *ex c. postulâsti. h. t.* & si Judex sæcularis id negligat per Judicem ecclesiasticum, cui subest, censuris ad hoc compellendus est, juxta *cit. c.* sic itaque, si Judæus delinquat in Clericum, (qui est læsus, *cit. c. postulâsti.*) etiam percutiendo illum, non incurrit excommunicationem, aliamve censuram ecclesiasticam, quam utpote pœnam spiritualem Ecclesia directè non subdito suo infligere nequit, quamvis id possit indirectè, prohibendo subditis suis, ne commercium ullum aut communionem cum eo habeant, juxta *cit. c. postulâsti.* Barbos. *ibid. n.* 1. citatis plurimis, quin & Prælati Ecclesiastici, de se nulla pollentes jurisdictione temporali ex delegatione Principis, seu Magistratûs sæcularis, cui Judæi, aliique Infideles subsunt, possunt illos afficere pœna corporali, arg. *c. constituit. c.* 17. *q.* 4. *c. de raptoribus.* Gl. *in c. sæpe.* 1. 28. *q.* 1. *v. publicis.* Pirh. *n.* 30. Sic Judæus carnaliter cognoscens Christianam, à Magistratu sæculari puniri potest pœnâ pecuniariâ & corporali, & examinatis circumstantiis etiam pœna mortis, Barb. *in c. in nonnullis. n.* 7. citatis aliis cum Farin. *in pr. crim. p.* 3. *q.* 139. *n.* 8.

2. Resp. Secundò in specie: Porrò Judæus committens adulterium cum Judæa, dum alicubi adulterio statuta est pœna pecuniaria, puniendus est pœna statuti, & non pœna juris communis, (quia ea est pœna mortis, ut Clarus *L.* 5. §. *adulterium. n.* 7.) idem *ibidem. num.* 10. cum Angel. *L.* 1. *cons.* 114 Alex. *L.* 6. *cons.* 99. Barbos. *L.* 4. *cons.* 63. cum Judæi judicari debeant secundùm leges, secundùm quas judicantur alii de civitate. De Judæo tamen com-

committente adulterium cum Christiana etiam soluta, & meretrice, Clarus sentit, illum graviùs puniendum, quàm disponat statutum, censetque illum damnandum perpetuò ad triremes; vide eundem *L. 5. v. fornicatio. n. 26.* Judæum tamen contrahentem incestas nuptias in gradu prohibito, permissa tamen lege Mosaica, non puniendum, tradit Clarus *L. 5. §. incestus.* cùm Judæi non servent. *L. nemo. it. l.* de Judæis, ut Authores scribentes in eam *Leg.* De cætero, num Judæus post susceptum Baptismum non in fraudem post commissum delictum de eo puniri possit pœna temporali, controversum est inter Authores in sententiam negativam, tanquam æquiorem, & Religioni nostræ magis faventem & attrahentem Judæos ad conversionem inclinare se, dicit Clar. *L. 5. §. fin. §. 51. n. 19.*

Quæst. 147. *Utrum Judæi, aliique Infideles confugientes ad Ecclesias, gaudeant immunitate asyli.*

RESP. Ad hanc quæstionem sufficienter responsum *in L. 3. decret. q.* 1017.

TITULUS VII.

De Hæreticis.

CAPUT I.

De Hæresi & Hæreticis, eorúmque credentibus, receptoribus, fautoribus.

Quæst. 148. *Hæresis unde dicta, & quid sit.*

1. RESP. Hæresis dicta ab αἱρέομαι, capio, eligo, quasi pro libero arbitrio facta electio opinionis alicujus novæ contra fidem, Isidor. *L. 8. Etymolog. c. 3.* Roias. *tr. de hæret. sing. 73. Lit. H.* loquendo de hæresi formali, sic meliùs definiri potest, quod sit error voluntarius, quem homo baptizatus pertinaciter tenet contra veritatem aliquam fidei Catholicæ, ita ferè D. Thom. 2. 2. *q.* 11. *a.* 1. Farin. *in prax. crim. q.* 178. *n.* 5. Sanch. *L. 2. mor. c.* 7. *n.* 1. Barb. *h. t. in princ. n.* 4.

2. Dicitur primò: *error*, hoc est, erronea opinio, vel judicium intellectûs, unde, qui metu mortis, aut alia ex causa astruit aliquid fidei contrarium sine interno mentis assensu, quo verum credat, quod ore profert, etsi graviter peccet contra præceptum profitendi fidem, verè & propriè Hæreticus non est; quia actum nullum intellectûs, per quem judicet, id verum esse, habet, censetur tamen in foro externo Hæreticus, & ut talis puniretur, Sanch. *l. c. n.* 8. Nav. *in man. c.* 27. *n.* 56. Item dubius quatenus præcisè super articulo aliquo fidei sibi sufficienter proposito, suspendit suum judicium, id est, neque assentit, esse verum, neque dissentit seu negat, esse verum, quà talis non est Hæreticus, eò, quod taliter non eligit, seu adhæret opinioni fidei contrariæ; sicut autem fides importat actum intellectûs, nimirum positivum assensum, ita & fidei opposita hæresis actum positivum, nimirum dissensum importare debet, ita docent Diana *resol. mor. p. 2. tr. 2. miscel. resol.* 53. Malder. 22 *q.* 11. *a.* 2. *memb.* 2. §. *respondeo.* Sanch. *l. c. n.* 12. favétque Sa. *v. hæresis. n.* 1. nihilominus peccare talem graviter, cui repræsentatur objectum fidei, & rationes sufficienter moventes ad assensum, pro tempore, quô tenetur elicere fidem, si non desinat suspendere suum judicium, dicendum videtur. Verumtamen quatenus talis dubitans eo ipso simul habet judicium, quô judicat tale objectum, seu articulum, circa quem suspendit suum assensum, non esse certum, seu non esse dignum, cui firmiter & infallibiliter adhæreatur & credatur, esse illum Hæreticum, docent iidem Sanch. & Malder. eò, quòd manifesta sit hæresis, sentire rem seu articulum fidei sufficienter, ut talem sibi propositam, non esse dignam, quæ credatur; talem verò actum moraliter semper esse conjunctum cum dubitatione circa res fidei, utpote qui bene stat cum dictâ suspensione fidei, tradunt iidem, quin & necessariò illum debere haberi, ut quis verè dicatur de illo objecto peccaminosè dubitare, & sic nunquam dari posse dubium, sine positivo actu & errore astruit, Castrop. *tr. 4. d. 3. p. 2. n.* 10. undè absolutè *n.* 9. docet, tenendam tanquam communem, esse Hæreticum, qui deliberatè dubitat de rebus fidei sibi sufficienter propositis, pro quo citat *c.* 1. *h. t.* ubi dicitur: *dubius in fide infidelis est.* Suar. *de fide d.* 19. *s.* 4. *num.* 10. Cöninck. *d.* 18. *du.* 7. *concl.* 6. *num.* 102. Bonac. *de censur. d.* 2. *q.* 5. *p.* 1. *n.* 3. Farin. *de Hæresi. q.* 178. §. 4. *n.* 90. & plures alios partim apud Sanch. *l. c. num.* 11. partim apud Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 40. *n.* 16.

3. Dicitur secundò: *Voluntarius:* sive liber, sicut enim actus fidei oritur ex pio voluntatis affectu, ita Hæresis est assensus erroneus procedens ex libera voluntatis electione, alioquin peccatum non esset, unde involuntariè & indeliberatè errans, circa res fidei non est Hæreticus, Pirh. *h. t. n.* 1.

4. Dicitur tertiò: *Pertinaciter tenet*; si quidem duo requiruntur ad hæresin formalem, nimirum error in intellectu, pertinacia eum non corrigendi in voluntate, & de pertinacia constat *ex c. damnamus. §. in nullo. de summa Trinitate. junct.* Gl. *fin. Clem. unic. §. porrò eod. can. dixit Apost. Can. qui in Ecclesia caus.* 24. *q.* 1. consistit autem pertinacia in eo, non quòd quis acriter seu mordicus diu retineat & defendat errorem suum contra fidem, sed postquam sufficienter cognovit assensum suum contrariari doctrinæ ab Ecclesia universali seu Catholica, eundem retineat, ac ita judicium suum contumaciter judicio Ecclesiæ præferat, Sanch. *l. c. n.* 2. Valent. 2. 2. *d.* 1. *q.* 11. *p.* 1. *difficul.* 4. *ad* 2. Coninck. *l. c. n.* 78. Vasq. 1. 2. *d.* 126. *n.* 6. Castrop. *l. c. num.* 1. Pirh. *n.* 2. ac ita Hæretici non sunt, qui, etsi teneant contrarium fidei, tamen ita actu vel habitu constituti sint, ut quamprimùm cognoverint, contrarium teneri ab Ecclesia, parati sint, assensum suum erroneum relinquere, arg. *cit. c. damnamus.* juncta Gl. *ibid. v. paratus.* Unde jam etiam non tantùm laborans ignorantiâ invincibili, sed etiam vincibili crassa, & hinc mortaliter culpabili, imò & affectata, suam

suam opinionem adversari doctrinæ Ecclesiæ, Hæreticus non est, neque Ecclesiasticis pœnis obnoxius, Sanch. *l. c. n.* 20. Sayr. *Clav. Reg. l.* 2. *c.* 9. *num.* 34. Laym. *l. c.* 2. *tract.* 1. *c.* 13. *num.* 2. Azor. *Tom.* 1. *l.* 1. *inst. mor. c.* 14. *q.* 9. Suar. *L. S.* 3. *à n.* 9. Farin. *l. c. q.* 179. *n.* 29. & 30. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c. num.* 3. ex ea ratione, quòd impossibile sit contradicere authoritate Ecclesiæ, in quo consistit pertinacia, nisi cognoscat Ecclesiam docere contrarium, cùm ignorantia autem, etiam affectata, quæ est causa erroris, non stat talis cognitio, quin etiam dum quis affectat nescire, quod Ecclesia doceat contrarium, ne cogatur assentiri, includitur voluntas obediendi Ecclesiæ, ubi id clarè fuerit propositum. Neque opponas primò: Affectans ignorantiam, eò quòd parvi pendat authoritatem Ecclesiæ, est verè pertinax, quia non est paratus corrigi ab Ecclesia, adeóque verus Hæreticus; nam talis non committit Hæresin per errorem procedentem ex ignorantia affectata, sed per errorem voluntarium procedentem ex scientia, quo despicit authoritatem Eceleſiæ, qui despectus est negotio infallibilis authoritatis illius. Neque secundò, quòd affectatè errans ex affectu liberiùs errandi sit error summè voluntarius, adeòque constituens hæresin. Nam si errans ex affectu liberiùs errandi scit se errare, & consequenter suum assensum esse contrarium sensui Ecclesiæ, ac consequenter cessat ignorantia succedente illi scientia, si verò ignorat se errare, ita tamen affectus, ut etiamsi sciret, esse contrarium Ecclesiæ, tamen non desisteret, committit hæresin. Si denique haberet voluntatem relinquendi errorem, si sciret contrarium, non erit Hæreticus, ita Castrop. *l. c. n.* 4. Neque tertiò: Quòd ignorantia vincibilis non excuset à peccato in materia aliarum virtutum, nec facit, quò minùs sit ejusdem speciei, cujus est peccatum commissum contra eas cum scientia, ergo nec error contra fidem commissus ex dicta ignorantiâ excusat, quò minus peccetur peccato Hæresis. Nam negatur consequentia, siquidem in eo est disparitas, quòd in materia aliarum virtutum non mutetur objectum, sive peccetur contra eas scienter, sive ignoranter, sed mutatur solùm modus operandi, dum redditur magis vel minùs voluntarius. Secus est in fide, dum illius objectum est divina revelatio proposita per Ecclesiam, quæ in errore commisso ignorantiâ etiam affectatâ non potest error ille dici contradicere revelationi illi taliter ignoratæ, adeóque nec dici habere oppositionem directam cum fide, seu esse Hæresim, sed solùm esse contra obligationem sciendi res fidei, ex cujus obligationis contemptu seu neglectu non sequitur, affectatè errantem contradicere formaliter (in qua formali contradictione consistit Hæresis) sed solùm materialiter. Ita ferè Castrop. *à cit. num.* 4. De cætero in eo, num si taliter errans postquam super errore monitus ab Episcopo vel Inquisitore, perseveret in eo, judicando non esse contra definitionem Ecclesiæ, sit verè formalis Hæreticus, Authores non conveniunt; negat Tanch. *l.* 2. *c.* 7. *num.* 26. affirmat è contra Castrop. *l. c. num.* 6. talem, tam in foro interno, quàm externo reputandum esse pertinacem Hæreticum, eò quòd nixus suo cerebro contemnat authoritatem Ecclesiæ per ipsius Magistros satis ei declaratam. Quibus omnibus dictis de ignorantia non obstantibus, erranti in fide in foro externo alleganti ignorantiam non creditur, dum error versatur circa ea, quæ quis ex officio scire tenetur, vel quæ passim & communiter omnes similis qualitatis sciunt; unde Episcopi, Sacerdotes aliique Viri docti errantes in articulis fidei præsumuntur ignorare, non ex ignorantia, sed ex malitia; ita citatis Menochio, *Cons.* 82. *n.* 175. Farin. *de Hæres. q.* 179. *n.* 27. & 28. Decian. *in tract. crim. l.* 5. *c.* 37. *n.* 15. Simonc. *de Cathol. Inst. tit.* 27. *rub. de fide Cathol. n.* 13. Castropal. *l. c. n.* 5. Qui etiam hanc de ignorantia & pertinacia materiam concludens notat *n.* 6. *in fin.* cum Sanch. *l. c. n.* 26. Tolet. *in sum. l. c.* 4. *c.* 3. *n.* 8. & Farin. *l. c.* §. 2. *n.* 14. Hominem doctum faciliùs judicandum pertinacem Hæreticum, si mysteriis fidei dissentiat, quam hominem rusticum, qui facilè ignorare possit regulas fidei & obligationem credendi.

5. Dicitur quartò: *Contra aliquam veritatem fidei, ubi sub intelligitur: Sufficienter propositam.* Hæretici enim formales non sunt, qui inter Hæreticos nati & educati de uno vel pluribus articulis dubitant, aut eos ignorant, quia carent sufficiente instructione, aut quia de iis nunquam quidquam audiverunt. Dicitur quintò: *Etiam contra aliquam veritatem*, nam si omnes seu totum testamentum novum neget, non tam hæreticus quàm Apostata, & infidelis est, ut Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 7. *n.* 1. Pirh. *h. t. num.* 3. Satis autem est, ut sit Hæreticus, si unum neget; cùm enim inter alios articulos fidei principalis sit, cujus negatio constituit Hæreticum pertinacem: veram Ecclesiam in cunctis dogmatibus fidei proponendis infallibilem & certam esse, & vel in uno articulo errans culpabiliter, hunc ipsum articulum neget, necesse est, Hæreticum esse.

6. Dicitur denique: *Homo Baptizatus:* vel ut aliis, qui Christi fidem semel suscepit: intellige infusam in Baptismo. Etsi enim talis errans circa articulum fidei debitè propositum, sit Hæreticus coram Deo, habeatúrque etiam pro tali, ut constat in Anabaptistis, qui etiam ante Baptismum, quem non nisi anno 30. suscipiunt, censentur Hæretici (propter quod alii ut Castrop. has patticulas in definitione Hæresis omittunt) non est tamen Hæreticus punibilis ab Ecclesia, cùm fundamentum omnis juridictionis Ecclesiæ sit Baptismus, ut Suaretz. *de fide. d.* 19. *s.* 5. *n.* 6. & 8. Quidquid sit de hoc, num talis error appellandus sit Judaismus aut Paganismus, ut volunt aliqui. Et ita docent. Azor. *p.* 1. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 3. Suar. *l. c. & Tom.* 5. *de censuris. d.* 21. 1. 2. *n.* 4. Sanch. *l. c. n.* 34. Castrop. *l. c. n.* 20. Farin. *l. c. à n.* 128. 131. & 135. referens quam plurimos alios, tenendúmque id ipsum cum Sanch. & Suar. *cit. ll.* astruit Castrop. dum Baptismus susceptus quidem, sed invalidè ex defectu formæ, materiæ, vel intentionis, eò quòd Baptismus invalidus recipientem non constituat membrum Ecclesiæ visibilis, neque subjiciat illum Jurisdictioni Ecclesiæ. Contrarium tamen apud eundem sentientibus Gabr. *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *a.* 10. Alph. de Castro *l.* 1. *de justa Hæret. punit.* Azor. *l. c. q.* 1. Farin. *l. c.* §. 6. *n.* 135. eò quòd talis invalidè baptizatus ex voluntate sua videatur subjectus & obligatus parere mandatis Ecclesiæ.

Quæst. 149. *An dissentiens speciali revelationi sit hæreticus punibilis ab Ecclesia?*

1. Resp. Primò: Dissentiens speciali revelationi sibi sufficienter propositæ esse Hæreticum, docent Autor. *l. c. q.* 4. Suar. *de fide. l. c. num.* 11. Cöninck. *d.* 18. *du.* 7. *n.* 18. Sanch. *l. c. num.* 32. referens alios, quibus adhæret Castrop. *l. c. n.* 14. ex ea ratione, quòd tota malitia Hæresis consistat in contemptu primæ veritatis, qui autem discredit speciali

speciali revelationi divinæ seu Deo dicenti, æqualiter Deum mendacem facit, ac qui discredit revelationi illius publicæ, his non obstantibus, quod Ecclesia non proponat talem veritatem credendam, cum proponat credendum summæ veritati revelanti.

2. Resp. Secundò ob solum dissensum specialis revelationis nequit quis puniri pœnis Ecclesiasticis. Non enim potest quis puniri ob delictum, quod nulli cognitum, nec alteri manifestari potest, quam abillo, qui admisit illud, talis autem est dissensus ille præstitus revelationi speciali omni alteri incognitæ, ita Azor. *l. c.* Castrop. *n.* 15. Suar. *l. c. n.* 12. secus est, si dictus dissensus prodeat in actum externum, tunc enim illum dissentientem incurrere excommunicationem, aliásque hæreticorum pœnas, tenent Sanch. *Lc.* & Coninck. *n.* 20.

Quæst. 150. *An solo verbo aut facto dissentiens, interiùs verò verum retinens, sit hæreticus punibilis ab Ecclesia?*

Resp. Talem non esse hæreticum, nec pœnas incurrere; siquidem hæresis necessariò consistit in voluntario dissensu, sicut fides in assensu voluntario præbito articulo fidei, ideóque cum pœnæ extendendæ non sint ad delicta alia, quàm quibus impositæ, non potest talis extrinseca negatio puniri pœnis impositis hæreticis. Sanch. *l. c. n.* 8. relatis aliis. Suar. *de fide d.* 14. *s. ult. n.* 3. Less. *l. c. 2. c.* 43. *du.* 2. *n.* 11. Castrop. *l. c. n.* 16. qui tamen addit, *n.* 17. tali alleganti se id dixisse sine dissensu intrinseco non credi pro foro externo, cùm contra illum stet præsumptio, quâ quisque præsumitur loqui & facere, quod sentit, & ne aliàs quilibet hæreticus facilè prætendere posset, hanc excusationem, se in animo sic non sensisse, & sic effugere pœnas.

Quæst. 151. *Num hæreticus sit tenens verum, dum putat illud esse contra fidem?*

Resp. Affirmare hoc ipsum apud Barbos. *in c.* 3. *h. t. n.* 4. Henriq. *in sum. l.* 13. *c.* 17. *n.* 3. Sayr. *de censur. l.* 3. *c.* 4. *n.* 14. Petr. de Ledesm. *in sum. Tom.* 2. *tr.* 1. *c.* 6. Sanch. *in præcep. decal. c.* 7. *n.* 30. Farin. *l. c. q.* 179. *sub n.* 3. Ricciul. *de person. extra grem. Eccl. existent. l.* 5. *c.* 5. *n.* 1. è contra sentire videtur Castrop. *l. c. n.* 15. ubi quod in casu, quo quis negaret propositionem, quam putat ab Ecclesia definitam, quæ tamen abea damnata non est, committat hæresim, pro quo citat eosdem Authores Sanch. & Farin. *ll. cit.*

Quæst. 152. *Quotuplex sit hæresis?*

1. Resp. Dividitur primò in materialem & formalem, formalis hæresis est, quæ jam à nobis definita & declarata est, materialis (quæ tamen propriè hæresis non est) dicitur illa, dum quis non malo animo, aut ex pertinacia, sed ex simplicitate, aut ex defectu debitæ informationis, vel expositivè sinistra informatione errat circa fidem, quales plures sunt in vulgo hæreticorum, præsertim Catholicis intermixti degentes, cum verè & sufficienter instructi simpliciter credunt ea, quæ à parentibus vel prædicantibus tanquam articulos fidei proposita audiunt; hi enim errorem voluntarium cum pertinacia non habent, quin & hæretici formales non sunt, qui etsi sciant fidem seu religionem suam in multis adversari Ecclesiæ Romano-Catholicæ, ex simplicitate tamen aut defectu sufficientis informationis ignorant aut non credunt, eam esse veram Ecclesiam, ita Reiffenst. *h. t. n.* 12. *&* 13.

2. Secundò hæresis formalis subdividitur in internam seu mentalem, qualis est, quæ in corde seu mente tenetur, & neque verbis neque facto externè manifestatur, & externam, quæ verbo vel facto aliquo externo sufficienter exprimitur. Externa iterum subdividitur in publicam, qualis est, quæ palam & coram pluribus externè manifestatur: Et in occultam, quæ verbis vel facto signove externo aliquo proditur uno alterove solùm, vel etiam nemine præsente, ut dum aliquis solus secum loquens hæresim mente conceptam ore proferret; dicendo V. G. non credo Deum esse unum & trinum. Ut autem quis sit & censeatur hæreticus externus, requiritur, ut verba & facta hæresim internam sufficienter exprimant, sive illam expressionem habeat ex se solo, sive simul ex adjunctis circumstantiis desumptis ex qualitate personæ, aut aliunde, cum hæresis externa cognoscibilis & punibilis constitui nequeat, nisi signis illam sufficienter & integrè declarantibus. Ita Azor. *p.* 1. *L.* 8. *c.* 10. *q.* 4. *& seq.* Sanch. *l.* 2. *c.* 7. *à. n.* 6. Suar. *de fide. d.* 21. *s.* 2. *n.* 8. Castrop. *l. c. p.* 3. *n.* 2. qualia quia non verba aut facta indifferentia, ex quibus præcisè interna colligi nequeat, ea proferens, non constituitur hæreticus externus, ita cum AA. citatis Castrop. *n.* 3. ubi etiam, quid sentiendum de verbis ambiguis & æquivocis, de cætero hæresim externam occultam sufficere ad incurrendas pœnas docent Sanch. *in Decal. l. c.* 2. *c.* 8. *a. n.* 2. Farin, *de hæres. q.* 192. §. 1. *n.* 6. Suar. *l. c. n.* 6. Barb. *de potest. Episcop. p.* 2. *alleg.* 40. *n.* 9. *&* 10. Castrop. *Lc. n.* 1. & alii ab eo citati ex ea ratione; quòd cùm actus ille prolationis externæ occultæ per se sit cognoscibilis ab Ecclesia & solùm per accidens ex defectu testium non cognoscatur, subjiciatur Jurisdictioni Ecclesiæ.

3. Tertiò est & alia adhuc divisio hæretici, de qua Castrop. *l. c. n.* 5. in affirmativum, qui hæresim internis conceptam verbo vel opere manifestat; & negativum, qui de hæresi legitimè convictus, eam negat, ut autem quis ut talis condemnetur & Curiæ sæculari puniendus tradatur, requiruntur duo: primò, ut verbis vel factis claris & patentibus hæresin manifestarit, dein ut per testes convincatur, talem manifestationem ab eo factam; dum enim his duobus stantibus quis negat hæresim, convincitur nolle relinquere eam, sed impœnitens existere; negat enim eam, ne abjurare cogatur, pro quo posteriore citat Albertin. *tr. de agnoscend. assert. Cathol. q.* 34. *n.* 51. Farin. *l. c. q.* 178. §. 1. *n.* 22. Roias. *p.* 1. *n.* 84. *& seq.* de quo vide pluribus Castrop.

4. Denique hæresis dividi potest in varias ac plurimas sectas, prout nimirum plures sunt errores circa fidem, quos quædam communitates certum sequentes authorem seu hæresiarcham tenent; horum hæreticorum ingentem catalogum texit Reiffenst. *h. t. à n.* 18.

Quæst. 153. *An & qualiter prohibitum vel licitum communicare cum hæreticis?*

1. Resp. Primò communicare cum hæreticis in rebus Sacris & divinis jure divino ac naturali vetitum, si ex tali communicatione oriatur apud Catholicos Scandalum & offensio, vel suspicio, quòd Catholici hæreticorum ritus, mores & dogmata, verbo, signo, vel facto profiteantur. Item si ex communicatione in his rebus immineat pe-

riculum ſpirituale animæ, nimirum perverſionis in fide, aut contemptus religionis Catholicæ; ac denique ſi Catholicus cum hæretico habeat commercium in crimine, ob quod hæreticus fuit excommunicatus. Extra quos caſus hæretici jure divino vitandi non ſunt, ita Pirh. *h. t. n.* 22. eum Azor. *p.* 1. *L.* 8. *C.* 10. *q.* 1. & communi.

2. Reſp. Secundò, etſi olim Jure Canonico quævis communicatio cum hæretico, utpote excommunicato, fuerit prohibita, hodiedum tamen licitum eſt communicare cum omnibus hæreticis (intellige, præſcindendo à dicto ſcandalo & periculo) etiam manifeſtis & notoriis, non obſtante excommunicatione, quâ in jure communi, vel Bulla Cœnæ, ſunt excommunicati, niſi ſint ſpeciatim ac nominatim excommunicati. Azor. *l. c. q.* 11. *q.* 1. Sanch. *L.* 2. *mor. c.* 9. *n.* 3. Pirh. *n.* 23. Reiffenſt. *lc.* cum communi ſtatuit, ſiquidem Martin. V. in Conſtit. ſua *ad evitanda*, nullum impoſterum excommunicatum eſſe vitandum, niſi à Judice ſpeciatim & nominatim ſit excomunicatus, & ut talis denuntiatus, aut notorius percuſſor Clerici. Unde etiamſi Lutherani & Calviniſtæ in Bulla Cœnæ ſint nominatim excommunicati, & quot annis publicè denuncientur excommunicati adhuc vitandi non ſunt, quia iſta excommunicatio & denuntiatio non eſt ſpecialis reſpectu aliquarum certarum nominatim expreſſarum, perſonarum, ſed generalis, quæ vi dictæ conſtitutionis non ſufficit ad hoc, ut excommunicatus ſit vitandus, quin etiam eum, qui nominatim eſt condemnatus & declaratus hæreticus, quamdiu non eſt declaratus quoque expreſsè excomunicatus, non eſſe adhuc vitandum, probabiliter docet Sanch. *l. c. n.* 4. contra Guttier. *qq. can. L.* 1. *C.* 1. *n.* 42. Henriq. Suar. & alios non minùs probabiliter ſentientes contrarium, eò quòd in cit. conſtitutione dicatur, neminem teneri vitare excommunicatum, niſi excommunicatio ipſa ſpecialiter expreſsè à Judice contra eum fuerit denuntiata, adeoque non ſufficere eſſe ſpecialiter denunciatum hæreticum, tametſi eo ipſo, quò fit hæreticus, ſit excommunicatus, cùm hac ratione non denunciatur formaliter & expreſsè excommunicatio, ſed ſolùm implicitè virtualiter ſeu per conſequentiam, imò addit Sanch. Idem dicendum, ſeu adhuc non eſſe vitandum, qui nominatim declaratus incurriſſe omnes pœnas hæreticis conſtitutas, cùm vel ſic necdum nominatim declaratus excommunicatus, & multi neſciant ſub dictis pœnis & cenſuris comprehendi excommunicationem. Unde jam in ſpecie deduco ſequentia, &

3. Reſp. Tertiò: præſcindendo à Scandalo tam proprio quàm alieno, non eſſe illicitum Catholicis cum hæreticis non ſpecialiter denuntiatis non tantùm negotiari & contractus civiles inire, ſed & intereſſe rei divinæ, adire eorum templa, ibique cum eis orare, eorum conciones ex juſta cauſa audire, filios hæreticorum ad Catholicas Scholas admittere, & ſi adulti & erroribus hæreticorum imbuti, non tamen vice verſa mittere filios Catholicorum ad Scholas hæreticorum propter perverſionis periculum. Azor. *l. c. q.* 4. Sanch. *l. c. c.* 4. *n.* 26. Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 11. *n.* 5. Pirh. *n.* 24. item comitari eorum funera ad ſepulturam, non quidem animo per hoc favendi illis, quatenus hæretici ſunt, ſed ex affectu humanitatis & amicitiæ Nav. *h. t. conſ.* 12. *n.* 7. Azor. *l. c. q.* 2. & 4. Pirh. L. c. item licitum Catholicis in locis, ubi permixti hæreticis degunt, horum filios ſuſcipere ex Baptiſmo, modò is & ritu Catholico, & non hæretico miniſtratur, non tamen vice verſa licitum Catholicis admittere hæreticos in Patrinos filiorum ſuorum: cùm juxta SS. Canones officium Patrini ſit ſuſceptos è Baptiſmo inſtruere in primis fidei rudimentis, Nav. *l.* 1. *conſ.* 1. *n.* 67. *de conſtit.* Azor. *l. c. q.* 9. Pirh. l. c. Item, quantum eſt ratione hæreſis & excommunicationis, ubi abeſt Scandalum vel perverſionis periculum, licèt à Parochis & Epiſcopis hæreticis ſuſcipere Sacramenta. Pirh. *n.* 25. cum Sanch. *l. c. c.* 9. *n.* 10. quin etiam in extremo vitæ periculo licitum ſuſcipere Sacramentum pœnitentiæ à Presbytero ritè ordinato hæretico, etiam ſpecialiter denunciato ut hæretico excommunicato; eò quòd in eo caſu excommunicatus etiam nominatim denunciatus non careat jurisdictione, ita Pirh. *l. c.* ex Nav. *conſ.* 10. *n.* 2. & Azor. *q.* 10. quod attinet matrimonium, valide ſed illicitè contrahitur à Catholico cum hæretico, etiam non ſpecialiter denunciato, & dum abſunt incommoda mox enumeranda; quia Jure Eccleſiaſtico fundato in præſumptione dictorum incommodorum ſpecialiter prohibetur. *C. cave.* & *C. non oportet* 28. *q.* 1. 4. cui tamen juri, quia vi conſuetudinis receptæ & toleratæ in locis, in quibus hæretici permixti cum Catholicis degunt, derogatum, poſſunt talia matrimonia contrahi ſine peccato, ubi re ipſa abſunt dicta incommoda: nimirum ubi per hoc non præbetur Scandalum, nec Catholicus exponit ſe & ſuos liberos periculo perverſionis; ac inſuper ab initio contractus matrimonialis excipiatur & caveatur, ut liberi Catholicè educentur, conjux Catholicus liberè fidem & religionem Catholicam profiteri permittatur, adſit quoque gravis cauſa, v. g. quia ſpes probabilis convertendi Conjugem hæreticum ad fidem, aliáve ſimilis, ratione cujus conjux Catholicus non cenſebitur cooperari Sacrilegio conjugis hæretici, quod committit profanando, & indignè ſuſcipiendo Sacramentum, ſed permiſſivè ſolùm ſe habere, ita cum Azor. *cit. c.* 11. *q.* 5. Sanch. *cit. c.* 9. *n.* 9. & aliis, Pirh. *l. c.*

Quæſt. 154. *An, quibus & quando liceat Catholicis diſputare cum hæreticis?*

1. Reſp. Primò, quamvis Catholicis Laicis omnibus ſub pœna excommunicationis ferendæ prohibitum ſit, de rebus fidei publicè vel privatim diſputare cum hæreticis, juxta clarum textum. *C.* 2. *h. t. in* 6. eò quòd cùm Catholici Laici minùs docti inſtructique in myſteriis fidei præſumantur quàm hæretici, utpote plerúmque magis in ſuis erroribus verſati, iisque meliùs imbuti, potiùs immineat ex diſputatione periculum perverſionis, & hæreticis in ſua religione confirmatis, quàm ſpes converſionis eorundem, quamvis etiam dictus *Can.* 2. cùm loquatur generaliter, & indiſtinctè extendendus ſit etiam ad Laicos doctos, ut Gl. *in cit. Can. V.* tenet Farin. *pr. crim. n.* 178. *n.* 112. Sylv. V. *diſputatio n.* 1. Azor. *p.* 1. *L.* 8. *c.* 26. *q.* 1. Sanch. *L.* 5. *moral. c.* 6. *n.* 5. Caſtrop. *tr.* 4. *d.* 2. *p.* 4. *n.* 4. Pirh. *h. t. n.* 27. ex ea etiam ratione, ne ſi licitum id eſſet Laicis doctis, his diſputantibus alii quoque indocti, de ſua ſufficientiâ malè præſumentes, anſam accipiant diſputandi. Nihilominùs, ut Sanch. *l. c. n.* 7. Caſtrop. *l. c. n.* 8. citatique ab eo Valent. Suar. Con. &c. in terris, ubi Catholici hæreticis immixti vivunt, dictum *Cap.* vel nunquam receptum, aut contraria conſuetudine abrogatum; dum paſſim ibidem cum hæreticis in privatis colloquiis diſputant de fide Laici, idque ſæpe neceſſarium pro avertendo ſcandalo puſillorum, præſertim ubi non tolerantur Clerici,

tici, quibus etiam aliàs per *Can. cum quibus.* 24. *q.* 3. & *L. nemo. C. de summa Trinitate* ſpecialiter (cùm in cit. c. 2. non comprehendantur Clerici, etiam primæ tonſuræ) prohibitum diſputare cum hæreticis. Quamvis & iſti *Can.* 24. derogatum in dictis locis & *cit. L. nemo*, cùm ſit Imperatoria & Civilis, diſponens de rebus ſpiritualibus Clericos obligare nequeat, nisi ſit à Jure Canonico approbata, ut Sanch. *l. c. n.* 8. Azor. *l. c. q.* 2. Pirh. *l. c.*

2. Reſp. Secundò: ubi *cit.* C. 2. & *Can.* 24. abrogati non ſunt, ut nihilominus liceat etiam publicè diſputare cum hæreticis, obſervanda ſunt ſequentia: primò ex parte diſputantis, primò ut is ſit doctus, ſufficienter inſtructus & firmus in fide, præſertim, dum id ſit ad defenſionem fidei & confutandos hæreticorum errores. D. Thom. 2. 2. *q.* 10. *a.* 7. *in corp.* Gl. *in cit. C. cum quibus. v. certamen.* Farin. *l. c. n.* 122. Sanch. *cit. c.* 6. *n.* 9. Caſtrop. *l. c. n.* 3. quanta autem ſcientia neceſſaria, relinquendum arbitrio prudentis conſideratâ qualitate materiæ diſputandæ & perſonarum, cum quibus diſputatur, illudque certum requiri illam Scientiam, quâ & veritas confirmari & argumenta oppoſita diſſolvi facilè poſſent, & quidem ad captum auditorum. Caſtrop. *l. c. n.* 3. ſecundò ex parte auditorum, ut hi quoque docti ſint, ita ut tam rationes pro fide noſtra, quàm contra illam allatas percipere valeant, & non ſuſcipiatur diſputatio coram rudi tantùm plebe, D. Thom. *l. c.* Suar. *de fide d.* 20. *ſ.* 1. *n.* 14. Sanch. *l. c. n.* 10. Caſtrop. *l. c. n.* 9. *&c.* Tertiò ex parte modi, nimirum ut diſputando ſervetur, *&* non excedatur mediocritas, de quo videndus Nazianzen. *in orat.* 16. *de moderat. in diſp. ſervand.* excedatur autem, ſi non tam pondere rationum, quàm verbis contendatur, contra illud Apoſt. *noli contendere verbis.* Item, ſi ex modo diſputandi videatur diſputans potiùs velle Adverſarium vincere, quàm errorem ſuperare, quod eſt ſuperbiæ, contra illud D. Hieron. *l.* 1. *contra Pelag. circa medium. non de Adverſario victoriam, ſed contra mendacium quæramus veritatem &c.* De cætero prohibitio diſputationis quoque limitanda, ut non procedat, dum diſputatio ſuſcipitur in caſu neceſſitatis vel gravis & evidentis utilitatis, V. G. dum hæreticus ſuis dictis traheret fideles ad errores; tunc enim & Laicus doctus non tantùm licitè, ſed & ex caritate poſſet diſputare, ubi nullus adeſſet Clericus, qui eum confunderet & frænaret, Valent. 2. 2. *d.* 1. *q.* 10. *poſt concl.* 2. Suar. *l. c. n.* 11. Sanch. *l. c. n.* 7. Caſtrop. *n.* 6. cum aliis ab eo citatis.

Quæſt. 155. *An & qualiter tolerandi hæretici, iisque concedendum liberum religionis ſuæ exercitium?*

1. RESp. Primò: De Jure tam Civili quàm Canonico loquendo, ordinariè Principes Catholici nullos recipere, aut tolerare in ſuis territoriis hæreticos, multóque minùs religionis, ſeu falſæ ſectæ ſuæ exercitium permittere illis poſſunt, ut patet ex claris utriúsque juris textibus. Juris Canonici quidem C. *excommunicamus.* §. *moneantur. C. ad abolendum* §. *Statuimus h. t. C. ut officium* §. *Statuimus. eodem in* 6. Juris Civilis *L. omnes.* & *L. manichæus. h. t. authent.* Si verò, auth. *Gazaroſ. h. t.* quibus hoc ipſum ſub gravibus etiam pœnis fusè inculcatur dictis Principibus, quos textus verbotenus tranſcriptos leges apud Reiffenſt. *h. t. a. n.* 139. uti & SS. Patrum teſtimonia conglobata, quibus hæreſim magis peccaminoſam & deteſtabilem quàm Judaiſmum & Paganiſmum, hæreticósque pejores & perniciores Judæis & Paganis, adeóque majore zelo à provinciis Catholicis arcendos & extirpandos pronunciant ac probant ea ratione, quòd Judæi & Pagani ex ignorantia quædam cæca, etſi culpabili, hæretici, utpote ferè orti ex odio, vindicta, libidine Catholicam veritatem & veram religionem impugnent, evidentiúsque perverſionis periculum ac ſcandalum ab eorum converſatione continua Catholicis, inter quos vivunt & ſuam religionem impunè exercere permittuntur, immineat, uti hodiedum probat experientia, dum ſemel recepti, brevi tempore ſupra modum multiplicati integras Civitates ac provincias peſtifera ſua lue infectas occuparunt; è contra verò provinciæ, à quibus ejecti aut repulſi, aut nunquam admiſſi, ab iſta lue immunes, ſub obedientia Eccleſiæ Catholicæ perſeverent tranquillæ, quod tranquillitatis & pacis publicæ bonum firmum eſſe non ſolet, nec poteſt, ubi eſt religionum diverſitas & fidei diſſenſio, juxta illud D. Ambroſ. *L.* 3. *officiorum*: *Vix firma eſſe poſſunt pacis jura, inter quos eſt fidei bellum.*

2. Reſp. Secundò: nihilominus ſuas Limitationes patitur reſponſio, & quidem primò, ut tolerari poſſint vel recipi hæretici, dum id neceſſe eſt conſideratis omnibus ad evitandum majus malum, v. g. ne integræ urbes vel provinciæ ad hæreticos tranſeant, dum v. g. imminente bello hæreticis victoribus, aut nimium præpotentibus juſtè timetur Civitatem vel etiam integram provinciam redigendam ſub eorum poteſtatem, nisi in tractatu pacis permittatur ibi habitare, exercere ſuam religionem; vel etiam procurandum majus bonum, V. G. dum paucorum toleratorum (præſertim ſine exercitio ſuæ religionis) ſperatur converſio, ita Laym. *l. c.* 2. *tr.* 1. *c.* 17. *n.* 4. citans Valent. *Tom.* 3. *d.* 1. *q.* 10. *p.* 6. *ad* 4. Beccan. 2. 2. *c.* 16. *q.* 4. Cajetan. &c. ex ea ratione, quòd etſi facienda non ſint mala, ut eveniant bona. arg. *C. ex tuarum. de Sortileg.* licitum tamen ſit & rationabile, ad evitandum majus malum permittere, quandoque minus malum, arg. *C. hac ratione. Cauſ.* 31. *q.* 1. & *L. legis virtus. ff. de LL.*

3. Advertendum tamen, ob majus malum temporale avertendum, aut ad obtinendum ſolum bonum temporale, non poſſe Principes Catholicos recipere hæreticos, aut iis liberum exercitium permittere, dum v. g. magna penderetur pro illius exercitio ſumma pecuniæ vel annuum tributum, vel quia juvant illos contra alium Principem Catholicum pro conſervanda provincia, vel jure aliquo temporali, unde, ut cum Laym. *l. c.* & aliis notat Reiffenſt. *n.* 147. præter majus malum aut majus bonum religionis & animarum eſſe non poteſt aliud, propter quod recipiantur, tolerenturve hæretici, aut exercitium ſuæ religionis illis permittatur, quamvis etiam, dum hæreticis per pacis aliumve contractum vel pactum ex objecto non malum aut invalidum promiſſa fuit dicta eorum receptio, tolerantia, exercitium; illud ſervandum ſit ob fidem publicam, utpote quæ à quocunque cuicunque, etiam Judæis, Paganis, hæreticis, ſervanda, arg. *L. ſicut. de a. & o.* niſi nova cauſa ſuperveniens v. g. periculoſæ & enormes machinationes, contra veram fidē, regnum aut Principem Catholicum conceptæ & attentatæ, fidem ampliùs non ſervandam, ſed expellendos illos negandumque illis exercitium, perſuadeant, ut habet Reiffenſt. *n.* 150. atque ex his patet, quid ſentiendum de pace Paſſaviæ Anno 1552. inter Carolum V. & Principes Catholicos ex una parte, & Acatholicos ex altera parte inita & Anno 1555. Auguſtæ confirmata, quâ

Confessionis Augustanæ Lutheranis, exclusis Calvinistis, plena securitas & libertas concessa, quæque nullibi positivè à Sede Apostolica reprobata scitur, præcipuè cùm eo tempore necessitas vitandi majus malum, nimirum periculum, ne totaliter, aut certè major pars Germaniæ ad Hæreticos transiret, ad eam pacem ineundam vehementer urgeret. Uti & quid è contra sentiendum de pace Osnabrugensi & Monasteriensi, Anno 1648. facta, quâ Privilegia concessa Hæreticis Augustanæ Confessionis ad Calvinistas fuerunt extensa, & insuper integri Episcopatus Præposituræ, ac Monasteria, pluraque alia in summum præjudicium Religionis Catholicæ, libertatis & immunitatis ecclesiasticæ, in perpetuum attributa, quamque proinde Innocentius X. penitus annullavit & reprobavit, omníque robore, etsi juratam, carere, nullúmque ullo modo ad eam observandam teneri declaravit *in Bulla sua, Zelo Domus Dei*, quam verbotenus leges apud Reiffenst. *n.* 154.

Quæst. 156. *An & qualiter Principes Catholici possint ad bellum gerendum, aut, quod de facto geritur, fœdus inire cum Hæreticis, aliísque Infidelibus, de præbendo iis auxilio contra alios Principes, præsertim Catholicos?*

1. Resp. Secernendo quædam certa ab incertis, quæ potiùs ad Politicos & Statistas pertinent, & de quibus fusè per plura folia Reiffenst. Primò indubitatum, Principes Catholicos Infidelibus & Hæreticis præbere auxilium, aut aliquod ab iis petere ad bellum, sive offensivum, sive defensivum patenter injustum, sive contra Catholicos, sive contra Acatholicos, ut patet, prohibitum est, cùm malum cognitum ut tale, (quale est, bellum injustum inferre alteri) perpetrare, aut ad illud cooperari, est contra jus divinum ac naturale, juxta Theologos & Canonistas omnes.

2. Secundò impium esse, Principes Catholicos pecuniis, armis, annona, militibus, vi fœderis succurrere Infidelibus, aut Hæreticis ad bellum, quod gerunt pro dilatanda sua, & opprimenda nostra Religione, cùm id sit Infidelitatem & Hæresin propagare, & veram Religionem exstirpare; quare tales adjuvantes ipso facto excommunicati existunt per Bullam Cœnæ. §. 1. & 7.

3. Tertiò, non licere Principi Catholico, promittere aut præbere auxilium Infidelibus & Hæreticis, etiam bellum in substantia justum gerentibus, etiam contra alios Infideles sub conditionibus Ecclesiæ, & Catholicæ Religioni præjudiciosis, ut patet ex Bulla Cœnæ. *cit.* §. 7. allegante ibi *C. quod olim. C. ad liberandum. de Judæis & Saracen. Clem.* 1. §. *porrò. de jure jurando. L.* 2. *C. quæ res exportari non deb.*

4. Quarto, neque licere Principibus Catholicis, ad bellum etiam justum, ex eorum parte, pro recuperandis, aut conservandis bonis temporalibus, jure sibi debitis invocare Infidelium & Hæreticorum auxilia contra alios, præsertim Principes & populos Catholicos inito cum iis fœdere sub conditionibus Ecclesiæ, & Religioni Catholicæ graviter præjudiciosis, vel dum certò prævidetur, inde oriturum grave damnum Ecclesiæ & Religioni nostræ. Siquidem bonum commune Ecclesiæ, utpote spirituale, & à quo innumerarum animarum salus pendet, præferendum bonis temporalibus, quin & eo ipso, quod bellum non nisi sub talibus conditionibus præjudiciosis, aut sine tali damno Ecclesiæ non geritur, aut geri potest, evadit injustum & illicitum, quod aliàs etiam petito & præbito ab Infidelibus auxilio, sine talibus conditionibus, & prævilo damno, erat justum & licitum, ita Castrop. *de carit. tr.* 6. *d.* 5. *p.* 4. *num.* 18. Molin. *de J. & J. tr.* 2. *d.* 107. *n.* 6. Bonac. *tr.* 2. *d.* 2. *de rest. in partic. q. ult. s.* 1. *p. ult.* §. 2. *n.* 6. Suar. *d.* 13. *de carit. s.* 4. *num.* 4. Valent. 2. 2. *d.* 3. *q.* 16. *p.* 2. *vers. ollavo, certum est &c.* Unde jam certum est, Catholicum Principem contra alium Principem Catholicum juvare Turcas aut Hollandos in bello, quod illos justissimum gerere judicaret, sub illa conditione, ut quidquid occupaverint, etiam ex terris Catholicis, inter se dividerent, vel invocaret eosdem sub hac promissione: Juvabo & vos, nec pacem inibo, donec hanc aut illam Provinciam Catholicam occupaveritis, illicitum esse. Secùs seu licitum fore, Principem Catholicum Hæreticos contra alium Principem eos injustè aggredientem absque talibus conditionibus Ecclesiæ pernicioſis, & damno illi inde orituro juvare præcisè ad hoc, ut ab injusta aggressione defensi in suis per publicam & validam pacem sibi acquisitis, & stabilitis bonis & locis manuteneantur, non tamen, ut nova à Catholicis cum religionis damno acquirant, existimat Reiffenst. *n.* 171.

5. Resp. Secundò: Transeundo ad minùs certa, & inter AA. controversa, qualis est quæstio illa: num igitur liceat Hæreticos adjuvare, eorúmque auxilium invocare, & fœdus cum iis inire in bello justo, præsertim contra Catholicos, si nullæ conditiones Religioni præjudiciales, nec aliàs illicitæ, sed honestæ adhibeantur, & aliunde nullum Ecclesiæ vel Religioni ex tali bello subesse damnum, aut damni periculum prævideatur. In hac quæstione, etsi aliqui partem negativam amplectantur, & acerrimè propugnent, absolutè negando, id ipsum in ullo casu licere, eò, quòd censeant semper indirectè vel indirectè Ecclesiæ præjudicium, vel saltem scandalum sequi; alii tamen, ut Laym. *L.* 2. *tr.* 3. *c.* 12. Molin. *tr.* 2. *d.* 112. *n. ult.* Suar. *l. c. s.* 7. *num.* 25. Pignatel. *Tom.* 9. *consult.* 185. *per totum*, Bonac. Besoldus, & alii apud Reiffenst. *h. t. n.* 188. mediam quasi viam ingrediuntur, docendo cum communissima ordinariè loquendo, id esse illicitum; probat id ipsum fusissimè Reiffenst. *à n.* 189. ac primò ex sacra Scriptura, ubi Deus similia fœdera cum infidelibus graviter prohibuit, & contra hanc prohibitionem agentes severè punivit, prout plura hujus punitionis exempla præter textus ipsos adducit Reiffenst. Dein *à num.* 193. summorum Pontificum SS. Patrum oraculis, adjunctis gravibus eorum reprehensionibus, quin & quandoque censuris, ac denique ratione *à n.* 207. quæ tamen ferè fundatur in scandalo, & damno inde Ecclesiæ sequi solito, quod tamen ipsum in quæstione exclusimus, nihilominus dari casus, in quibus id licitum, negari non posse videtur, dum nimirum præterquam, quòd hoc damnum scandalumque abesse, moraliter certo cognoscitur, id necessarium sit, ad avertendum majus Ecclesiæ & Religionis malum, multóque magis, si inde commodum & emolumentum Ecclesiæ sequi apertè cognoscitur, cum fœdus inire cum Hæreticis, eosque juvare, aut auxilium ab iis petere ex se, seu naturâ suâ malum non sit, sed solùm ratione damni ac scandali, quod vel ipsum cavetur, & tollitur per hoc, quod emolumentum Ecclesiæ exinde nascatur oriturum; ita Abb. *in c.* 8. *de voto. n.* 15. Decian. *Vol.* 3. *Cons.* 20. Laym. Molin. *ll. cit.* quod ipsum quoque confirmatur à simili, dum ubi Catholicus

licus privatus videns, alium Catholicum velle occidere Hæreticum vel Saracenum, illi contra iniquum aggressorem licitè præbet auxilium, vel contra illum cum advocato in auxilium Infideli alio init fœdus, ad defendendum illum, quis invasus est in periculo, Reiffenst. *n.* 210. qui pluribus inde deductis exemplis idem declarat; quem vide.

Quæst. 157. *Nomine librorum Hæreticorum, qui veniant, & an, & qualiter eorum impressio, lectio, retentio, defensio sit prohibita.*

1. RESp. Ad primum, cum impressio, lectio, retentio sit veluti quædam cum Hæreticis etiam defunctis communicatio, rectè de iis hoc loco tractatur, ac proinde ante omnia sciendum, qui libri sint Hæretici in ordine ad prohibitionem impressionis, lectionis, retentionis eorundem; circa hoc itaque notandum primò, ut liber sit Hæreticus, & hinc prohibitus vi Bullæ Cœnæ, ejusque pœnis subjaceat, requiri, ut Author illius, seu qui eum conscripsit, sit verè Hæreticus, etsi nondum denunciatus, modò talis esse cognoscatur, ut Castrop. *tr.* 4. *d.* 2. *p.* 10. §. 1. *n.* 1. Sanch. *L.* 2. *mor. L.* 10 *n.* 24. Suar. *de fide. d.* 20. *s.* 2. *n.* 11. qualis, quia non est, qui compositus à Judæo, Turca, Pagano, aliove Infideli non baptizato, vel etiam Catholico, etsi de religione tractans unam alteramve, aut plures Hæreses contineat, non subjacet excommunicationi Bullæ Cœnæ, Nav. *in man.* 15. *c.* 27. *n.* 56. Sanch. *l. c. n.* 23. Laym. *L.* 2. *tr.* 1, *c.* 15. *n.* 1. Castrop. *l. c. n.* 1. & 2. Idem de libris Græcorum & Armeniorum tractantibus de suis ritibus sentiunt Azor. *p.* 1. *c.* 18. *q.* 8. Sanch. *n.* 27. Farin. *de Hæresi. q.* 180. *n.* 10. quod tales ritus ab Ecclesia habiti non sint Hæretici; contrarium sentiente Castrop. *l. c.* cum Suar. *l. c. n.* 12. eò quòd, cùm à Romanæ Ecclesiæ fide & obedientia secernantur, dicti eorum libri sint Hæretici, & tractent de Religione.

2. Notandum secundò, nomine librorum Hæreticorum prohibitorum in Bulla Cœnæ, comprehendi orationem, concionem, quæstionem, disputationem, epistolam, similiaque brevia scripta ab Hæreticis edita, Suar. *l. c. n.* 10. Farin. *l. c. n.* 30. & 31. Ugol. *tr. de censur. p.* 2. *in gloss. ad eorundem libros. n.* 2. eò, quòd hæc prohibitio librorum non est lex odiosa, sed in favorem fidei, adeóque extendenda; plures pro hac sententia rationes vide apud Castrop. *l. c. n.* 4. qui, etsi *n.* 5. dicat, hanc sententiam in praxi tenendam, addit tamen, se credere, probabile esse, quod istiusmodi scripta prævia, ab Hæreticis edita, non comprehendantur nomine librorum Hæreticorum, sub censuris Bullæ Cœnæ prohibitorum, pro quo citat etiam Sanch. *in Decalog. L.* 2. *c.* 10. *n.* 29. Bonac. *de cens. d.* 2. *q.* 5. *p.* 4. *n.* 18. *&c.* eò, quod in communi modo loquendi non reputentur libri, & prohibitio librorum Hæreticorum, etsi ordinata in favorem fidei, sit odiosa, adeóque non extendenda ultra proprietatem verborum, ne alias etiam Lex pœnalis puniens latrones & homicidas, utpote cedens in bonum Reipublicæ & defensionem innocentûm, dicenda sit favorabilis; vide quoque apud eundem dilutionem rationum adductarum ab eo pro oppositâ sententia. De cætero, quò minùs liber ab Hæretico compositus, seu editus sit, & maneat Hæreticus, & hinc prohibitus, non impedit, quòd Hæresis aliàs in eo contenta à privato quodam sit expuncta, Castrop. *l. c. n.* 7. cum Sanch. *l. c. num.* 35. & Bonac. *l. c. num.* 19.

3. Resp. Ad secundum: Non minus (quin & magis ob faciliorum Hæresum divulgationem) prohibita est sub iisdem pœnis & censuris per clarum textum Bullæ Cœnæ §. 1. tam impressio, quàm lectio librorum Hæreticorum, quin & librorum quorumcunque tractantium de fide, moribus, aliisque rebus sacris, etsi Hæresin non contineant, facta editio seu impressio sine examine & approbatione Superiorum, (intellige Vicarii Papæ, & S. Palatii Magistri in urbe, & extra hanc Ordinarii seu Diœcesani, aut alicujus ab eo deputati, & ubi viget inquisitio, Inquisitoris Generalis in Hæreticam pravitatem, etsi sint libri regularium, Superioris eorundem) per Concilium Lateranense, sub Leone X. *Sess.* 10. & Indicem *Lib. prohib.* prohibita sub pœna amissionis librorum impressorum, ac insuper mulctæ pecuniariæ, & annuæ suspensionis ab impressione, ac demum excommunicationis ipso facto incurrendæ, non tamen reservatæ; quæ pœnæ, qualiter extensæ ad vendentes, & apud se retinentes à Concil. Trid. *sess.* 4. *decreto de editione lib.* vide Bonac. *de cens. d. & q.* 2. *p.* 16. *à n.* 1. & Barb. *de off. & potest. Epis. alleg.* 90 *à n.* 5. possèque contra impressores librorum Hæreticorum, uti & cooperantes (quos enumerat Castrop. *l. c. n.* 13.) tali impressioni procedi, tanquam fautores Hæreticorum, tradunt Sanctarel. *de Hæres. C.* 13. *n.* 18. Sayr. *de censur. L.* 3. *c. C.* 15. *n.* 17. Barb. *in C. fraternitati. h. t. num.* 7.

4. Resp. Ad tertium: Lectio librorum ab Hæreticis compositorum & editorum, Hæresin continentium, vel de religione tractantium sub excommunicatione Papæ reservata, aliisque pœnis prohibita per Bullam Cœnæ, Conciliorumque Oecumenicorum Constantiensis *sess.* 8. Lateranensis *sess.* 10. Trid. *sess.* 4. variorumque Pontificum, puta Gelasii & Leonis I. Gregor. IX. Innoc. & Alex. IV. Pauli & Julii III. Paul. & Pii IV. Pii & Sixti V. aliorúmque à Farin. *pr. crimin. q.* 180. §. 1. & Gonz. *in C. fraternitati. h. t.* allegatorum constitutiones; quin & eorum lectio Imperialibus interdictis vetita. Extendit hoc ipsum Castrop. *l. c.* §. 4. *n.* 4. *in fine.* ad imprimendos libros, suppositio falso nomine Authoris, & ne ulla hæreticæ pravitatis vestigia existerent, ipsi libri perfectissimo interitu mancipari & concremari jussi sunt. *L. decere* §. 1. *c. de sum. Trinit. L. quicunque in fine. L. ex Manichæo.* §. *fin. C. de Hæres. L. Eunomianæ in fin. C. Theodos. tit. eod.* Extenditur hæc lectionis prohibitio ita, ut urgeat primò, etiamsi liber unam tantum Hæresin continens, totus de cætero sit de re profana, neque etiam ex professo tractet de Hæresi, Bonac. *l. c. d.* 2. *q.* 5. *p.* 4. *n.* 19. Sanch. *l. c. C.* 35. Suar. *de cens. Tom.* 5. *d.* 21. *s.* 2. *n.* 10. Farin. *l. c. n.* 22. Castrop. *l. c. n.* 7. quos sequitur Reiffenst. *h. t. n.* 49. contra Graffis *L.* 4. *decis. C.* 18. *n.* 40. quamvis ad hoc, ut sit prohibita, quia liber tractat de religione, requiratur, ut de ea ex professo tractet, v. g. de S. Scriptura, Theologia Scholastica vel morali, ut Castrop. *l. c.* cum Sanch. *num.* 12. Farin. *n.* 31. Nihilominus tamen etiam tradit Laym. *L.* 2. *tr.* 1, 15. *n.* & Pirh. *n.* 20. istiusmodi Hæreticorum libros tractantes de materiâ profanâ, etsi unam alteramve Hæresin contineant, non tamen ex professo eam propugnent, posse in Germania legi, non obstante Bulla Cœnæ, rationes pro hoc vide apud Reiffenst. *n.* 50. Secundò, ut urgeat prohibitio lectionis libri Hæreticorum, facta in expurgatorio Romano edito jussu Clem. VIII. etiamsi non tractet de religione, nec ullam Hæresin contineat, nisi

prius examinetur & approbetur per Deputatos ad hoc, Sanch. *n.* 26. Farin. *n.* 22. Castrop. *l. c.* verùm id videtur spectare sola Regna Hispaniæ. Tertiò sive liber sit impressus, sive manu scriptus, ne aliàs eludi posset facilè hæc saluberrima prohibitio, Suar. *de fide d.* 20. *s.* 10. *n.* 2. Laym. *L.* 2. *tr.* 1. *c.* 75. *n.* 1. Sanch. *n.* 26. Quartò, sive libri sint editi ante, sive post damnationem authoris, Barb. *in c. fraternitati. h. t. n.* 4. Ricciul. *de person. extra grem. Eccl. c.* 24. *n.* 8. Quintò extendit se quoque ad doctos, etiam legentes libros Hæreticorum, solùm animo Hæreticos confutandi, & absque periculo perversionis, Suar. *de fide d.* 20. *s.* 2. *n.* 21. Sanch. *l. c. n.* 53. Castrop. *l. c. p.* 10. *n.* 9. loquens tamen expressè de retentione doctorum librorum, Farin. *l. c. n.* 39. & 42. Reiffenst. *h. t. n.* 65. &c. contra Felin. *in c. si quis Episcopus. h. t.* Mascard. *de probat. concl.* 862. *n.* 14. cùm Bulla loquatur indistinctè & generaliter, addendo etiam clausulam: ex quavis causa, quovis ingenio, vel colore. Sextò, ut excommunicatio sit lata in legentes libros prohibitos, in Indice librorum edito, authoritate Pii IV. Sixti V. Clem. VIII. qui continent errores, etiamsi non Hæreticos, quæ tamen excommunicatio non est reservata Papæ, sicut excommunicatio Bullæ Cœnæ; de quo vide Pirh. *num.* 21. citantem Becanum.

5. Limitatur è contra primò, ita, ut ob lectionem (idem est de retentione, impressione, defensione, venditione, emptione, asportatione) talium librorum non incurratur censura, nisi scienter fiat; unde, si detur ignorantia prohibitionis, & censuræ invincibilis, seu esse librum Hæretici, vel continere Hæresin, vitatur non tantùm censura, sed & peccatum, quin & non incurratur censura, etiamsi hæc ignorantia sit vincibilis, imò crassa & affectata, nisi tamen sit ingens temeritas, quo casu censetur, adesse scientia, quia adest gravis suspicio malitiæ, Sanch. *l. c. n.* 32. Bonac. *de censuris. d.* 2. *q.* 5. *p.* 4. *n.* 8. Castrop. *l. c.* §. 2. *n.* 1. Secundò, ut non extendatur censura ad lectionem solùm materialem, quæ solùm verba percipit, sed requiratur formalis, quæ etiam sensum verborum intelligit, cùm hæc sola sit lectio propriè talis, etiamsi res lecta non proferatur verbis, sed visu & mente percurratur, Bonac. *l. c. n.* 12. *Suar. de fide l. c. num.* 18. Castrop. *num.* 2. Sanch. *num.* 2. relatis Ugol. &c. Tertiò, ut non extendatur ad audientem legi librum talem ab alio, non tantùm, si is nullo modo induxerit ad legendum, (in quo casu aliàs censeretur audiens legi legere medio alio) ut Azor. *p.* 1. *L.* 8. *C.* 16. *q.* 4. Sayr. *in Thes. cas. Tom.* 1. *L.* 3. *C.* 5. *n.* 14. & alii apud Castrop. *n.* 3. sed etiam, si audiens induxerit rogando, mandando alium ad legendum, ut non improbabiliter tradit Castrop. *num.* 4. citans pro hoc Sanch. *l. c. n.* 48. Coninck. *d.* 18. *du.* 11. *n.* 178. eò, quòd audiens legi, etsi sit causa lectionis, propriè dici nequeat legere, verba autem Legum pœnalium ultra propriam significationem extendenda non sint. Quartò, ut saltem à peccato mortali & censura excusetur ob parvitatem, qui paucas solùm lineas legeret absque animo habito legendi plura, (quem, si habuisset ab initio, etsi talis paucis lineis pœnitentia ductus destitisset, peccaturus fuisset mortaliter, non quidem ratione lectionis illiùs exterioris, sed ratione dicti animi, non secus ac ille, qui furatus essem cum animo furandi plura) ita probabiliter Suar. *l. c. n.* 20. Coninck, *l. c. n.* 179. Bonac. *n.* 13. Azor. *l. c. q.* 3. Castrop. *n.* 6. contra Ugol. *tr. de cens. p.* 2. *in gloss. ad eorund. lib.* quam gravitatem ad paginam unam libri impressi in folio extendunt Farin. *l. c. n.* 13. & alii Castrop. *l. c.* cum aliis coarctant ad lineas quatuor vel decem; eò, quòd non videatur regulariter adesse periculum perversionis in tantilla materia lectionis; secus esse videtur de eo, qui præfationem vel epistolam dedicatoriam legeret, ut Sanch. apud Reiffenst. *n.* 69. adeóque multo magis, qui ipsam substantiam libri ad quantitatem præfationis legeret, idque, etiamsi quantitas lecta nullam Hæresin contineret, Reiffenst. *l. c.* Quintò, non extenditur ad eos, qui specialem facultatem legendi libros Hæreticos habent à Pontifice, aliòve, qui ad eam concedendam à Pontifice facultatem acceperunt. Qualem facultatem ordinariè habent Episcopi Germaniæ, tam pro se, quàm ad communicandam aliis, non quidem Laicis, etiam doctis, aut etiam quibuscúnque Sacerdotibus simplicibus, sed idoneis in cura animarum laborantibus, & nonnisi ad effectum impugnandi Hæreticos; exceptis etiam operibus Molinei, Machiavelli, & libris de Astrologia judiciaria principaliter aut incidenter tractantibus, prout communiter sonare solet tenor similium facultatum, qui proinde diligenter inspiciendus, considerandus & observandus est. Solent quoque istiusmodi facultates concedi Episcopis, non ultra quinquennium, quo elapso iterum necessariò peti & renovari debent. Unde nec ipsi eas alteri in perpetuum concedere possunt, aut etiam, dum facultas ipsis ad quinquennium concessa, ex parte exspiravit, & non supereſt, nisi solùm v. g. triennium non possunt eam communicare, etiam Vicario suo Generali ad integrum quinquennium, sed solùm ad triennium, nisi ipsi de novo interea eam petierint. Ita Reiffenst. *à n.* 60. qui tamen *n.* 63. addit, se per hæc nihil positivè velle, aut audere resolvere, sed potiùs S. Congregationis oraculum desuper exspectare, ac interim suadere ad evitanda pericula nullitatem, ut non nisi modo jam explicato, quò ad tempus dictam facultatem legendi libros Hæreticorum, aut dispensandi in impedimentis v. g. matrimonii aliis communicent, Sextò, multò magis removetur prohibitio ab Inquisitionibus hæreticæ pravitatis, utpote quibus ex speciali privilegio generaliter & indefinitè concessa per Bullas Jnlii III. Pauli V. Pii IV. Farin. *l. c. num.* 43. Azor. *l. c. C.* 6. *q.* 13. Deltio *l. c. s.* 17. *vers. solis Pontificibus.* Castrop. *l. c.* §. 3. *n.* 2. & alii. Uti etiam taliter removetur prohibitio à Commissariis inquisitionis, non solùm à Pontifice, sed & ab Inquisitoribus constitutis, Farin. *l. c.* Castrop. *num.* 3.

6. Resp. Ad quartum: pari modo prohibita est per Bullam Cœnæ sub excommunicatione Papæ reservata ipso facto incurrenda retentio istiusmodi librorum, ùt constat ex verbis illius, §. 1. idque, etiamsi sint retentoris, sive alterius, sive retineantur in propria, sive in aliena domo, & quocunque demum fine retineantur sine licentia illius, qui eam dare potest, sive ad refutandum illos, sive curiositatis aut ornamenti Bibliothecæ gratiâ, sive ad distrahendum, commutandum aut compingendum. Ita Sanch *l.* 2. *Mor. d. l. n.* 52. & 53. Suar. *l. c. n.* 71. Farin. *l. c. n.* 39. & 42. Castrop. *cit.* §. 2. *à n.* 7. & alii passim ex ea ratione, quòd Lex Bullæ Cœnæ absolutè hanc retentionem prohibeat, contra Mascard. *de prob. l.* 2. *concl.* 862. *num.* 14. Felin. *in c. si quis. Episcop. in fine.* Decian. *in tract. crim. l.* 5. *c.* 35. *n.* 21. Quatenus docent, posse eos retineri gratia confutandi eos, cùm sic non faveatur hæresi, sed potius exstirpationi illius. Vide

plura

plura de impressione dictorum librorum apud Castrop. §. 4. *n.* 4.

7. Extenditur responsio ita, ut ad excommunicationem sufficiat retinere scienter partem talis libri juxta dicta de lectione illius, Castrop. *p. n.* 11. Sanch. *cit. n.* 54. unde is *n.* 53. censet, excommunicatos aromaticos mercatores, & quosvis alios, qui hujusmodi libros aut partes eorum retinent (intellige scientes esse Hæreticos) ad involvendas merces aliáque similia, item ad retentionem modici temporis, v. g. unius alteriúsve diei, quin & horæ, ex quo quis illum tradere possit Inquisitori. Dum voluntatem habuit illum retinendi diutiùs, utpote quæ voluntas est mortaliter peccaminosa, etiamsi post horam pœniteas. Secùs, si talem voluntatem non habuit. Nihilominus Castrop. *l. c. n.* 11. citans pro hoc Sayr. *in Thes. eas. Tom.* 1. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 16. Reginald. *l.* 9. *num.* 256. Bonac. *l. c. p.* 4. *num.* 15. Sanch. *l. c. n.* 55. Farin. *l. c. n.* 42. censet esse probabiliùs, non peccaturum graviter, qui postquam habuit voluntatem absolutam retinendi istiusmodi librum diutiùs, dein pœnitens modico solùm tempore eum retinet, eò quòd gravitas retentionis non solùm desumatur ex libro, quia retinendus est, sed etiam ex tempore, quò retinendus est, adeóque ad retentionem gravem requiratur mora temporis, quin & retentio illa exterior brevis censeri debeat ad incurrendam censuram, cùm ea non incurratur ex voluntate retinendi, sed ex tali voluntate executioni mandata, quæ cum supponatur esse in materiâ gravi, non sufficit ad eam incurrendam, sicut dictum de legente paucas lineas, de cætero etsi excusetur à censura Bullæ Cœnæ, habens librum Hæreticum, dum, quàm primùm agnoscit Hæreticum, eundem comburit, quia retentionem illius in Bulla damnatam impedit, ut cum Suar. *l. c. n.* 23. Sanch. *num.* 56. Farin. *num.* 40. Castrop. *l. c. n.* 12. hâc ratione tamen non evitat excommunicationem per Bullam Julii III. quæ incipit: *Cùm meditatio.* latam in omnes retinentes penes se ex quacunque causâ libros Hæreticos aut falsam Sectam continentes, & à Sede Apostolica reprobatos, dum eos non tradunt Inquisitoribus in Civitate, ubi hi libri sunt, existentibus, in ordine, ut author libri cognoscatur, & errores, qui in illis sunt, meliùs emendentur, ita Sanch. Farin. Bonac Castrop. *ll. cit.* Azor. *l. c. c.* 16. *q.* 11. Delrio *disquisit. Magicar. l.* 5. *s.* 17. *vers. sunt autem tales.* Barbos. *de potest. Episcop. p.* 3. *alleg.* 90. *n.* 5.

8. Resp. Ad Quintum: Prohibita in Bulla cœnæ librorum Hæreticorum defensio, sive publica, sive occulta, facta quovis colore, sive factis, ut dum liber occultatur, aut alio modo impeditur, ne comburatur aut Judicibus tradatur, ut Sanch. *n.* 58. Suar. *num.* 25. Castrop. *n.* 14. sive verbis, v. g. persuadendo librum non esse comburendum, dissolvendo argumenta, quibus impugnatur, vel in ejus favorem rationes investigando, ut AA. citati; vel dicendo: hic liber est optimus seclusa Hæresi: vel non est dignus prohibitione aut combustione, ut Suar. *num.* 25. quod intelligendum ait Castrop. si dicatur id coram aliis, secus si dicatur nullo audiente; tametsi adhuc defensionem esse, si etiam in cubiculo scriptis liber laudetur; cum scriptura sit permanens, dicat Castrop. cum Sanch. *num.* 58. Uti etiam defensionem esse astruit Castrop. si quis dicat: volo defendere hunc librum; eò quòd retrahat alios ab impugnatione illius, dum vident illum habiturum Patronos, contrarium tamen tenentibus Sanch. Farin. Ugolin. sed neque defensio est, dum quis librum tractantem purè de religione laudat à stylo, ingenio, modo procedendi.

Quæst. 158. *Quid sentiendum de Bulla Cœnæ, num in ordine ad prohibitionem & Censuras in libris jam enumeratis contentas sit ubique in rigore recepta?*

Resp. Affirmativè cùm Reiffenst. *h. t. à n.* 79. ex professo quàm fusissimè acriter invehentem Ecclesiasticos, tam Sæculares quàm Regulares, innixos potissimùm unius ferè Laymanni *l. c. tr.* 1. *c.* 15. *n.* 4. & Beccani 2. 2. *c.* 15. *q.* 8. *n.* 5. authoritati in scriptis suis & discursibus suis audacter asserentes, dictam Bullam in Germania receptam non esse, & Legentes libros Hæreticos non censeri excommunicatos. Ratio responsionis est, quod juxta communiorem & veram sententiam ad obligationem justæ legis (qualem in Bulla Cœnæ contineri omnes admittunt, & nullus hucusque causam allegavit, cur sit injusta) non requiritur subditorum acceptatio, præsertim hodiedum, postquam Alexander VII. damnavit hanc propositionem 28. *Populus non peccat, etiamsi ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.* Sed neque contra hanc legem ulla consuetudine legitima præscribi potest, tum quia talis consuetudo, utpote ab initio & semper contra immunitatem Ecclesiasticam & Jurisdictionem Ecclesiæ, ab Hæresi, propter quam principaliter edita, illicita est adeóque invalida. Tum quia cit. Bulla sæpe annullat & revocat omnes & singulas immemoriales & longissimi temporis in contrarium consuetudines, & quidem, non tantum existentes ante dictam, sed & nascituras post illam impedit, dum quilibet Pontifex eam quotannis in Cœna Domini tanquam novam condit, promulgat & confirmat, ac ita facit, ut nullo tempore ad præscriptionem legitimam requisito convalescere possit, etsi aliàs præscriptibilis esse, gratis concederetur. His non obstantibus, quò minus in Germania aliisque Provinciis istiusmodi de facto existentes consuetudines sint abusus & corruptelæ, à peccato & censuris minimè excusantes, quòd locorum Ordinarii contra transgressores plerúmque non procedant declarando illos excommunicatos, dum ad avertendum graviora mala aliisque justis de causis etiam patentes Bullæ violatores necessariò dissimulant & Deo vindicandos relinquunt. Non curatis interim Hæreticorum injustis, dolosis, mendacibus, calumniosis querelis, quibus plebi imponunt, quod eorum libri prohibeantur, & quandóque comburantur, odio veritatis & fugâ lucis, seu ideo, ne eorum lectione Catholici veritatem agnoscentes ad eorum partes transeant; dum patet, id ideo non fieri, sed quia omnes ferè infecti mendaciis, calumniis, falsis allegationis textibus truncatis, Sophismatibus, unde meritò damnantur etiam ad ignem, praxi quoque antiquæ Ecclesiæ, quam veram fuisse ipsi testantur, nec non Imperatorum Religiosissimorum decretis ac legibus, quas supra citavimus. Porrò de libris contentis in Indice librorum distincto in quatuor classes, quem novissimè strictè observari voluit Alex. VII. in constit. sua; quæ incipit: *Speculatores.* in *Tom.* 5. 15. illius; vide Reiffenst. *à n.* 99.

Quæst. 159. *Quinam dicantur credentes, Receptatores, Fautores Hæreticorum?*

1. Resp. Ad Primum: Hæreticorum Credentes magis propriè dicuntur, qui erroribus eorum

rum contra fidem in communi assentiuntur, sive expressè, sive confusè, hoc assensu signis externis, facto vel verbis manifestato, cùm tamen nullam in particulari hæresin credant, v. g. dum scientes, hæreticum esse credunt, & dicunt illum rectam fidem habere, seu credunt, quòd ipse credit, etsi in particulari nesciant illius errores. Nav. *in sum. c.* 17. *n.* 55. Ugol. *de cens. Papæ reserv. p.* 2. *c.* 1. *v. credente n.* 1. & 2. Farin. *de hæres. q.* 181. *n.* 104. Sanch. *l. c. c.* 10. *n.* 2. Suar. *de fide d.* 24. *S.* 1. *n.* 1. & 3. Castrop. *tr.* 4. *d.* 3. *p.* 5. *n.* 1. Barb. *in C. excommunicamus. h. t. n.* 20. Pith. *h. t.* 106. tales quoque sunt, qui animo assentiendi eorum erroribus prædicationem & lectionem ejus audiunt frequenter. Castrop. Barb. *LL. cit.* Sanctarel. *de hæres. c.* 11. *n.* 29. & *seq.* & quamvis credens hæreticorum juxta sententiam communem condemnandus sit ex gemino actu interessendi concioni, alii tamen, ut Pegna. *in director. p.* 2. *q.* 50. *comm.* 65. Farin. *n.* 115. Suar. *l. c.* id negant; alii id distinguunt, ut procedat, si Catholicus existens in terris hæreticorum, semel aut bis intersit concioni, si verò existens in terris Catholicorum vel semel adeat conventicula occulta hæreticorum, sufficiat, ut habeatur credens; imò, si non habeant animum absolutum assentiendi, sed sub conditione, si illis rationes & motiva hæretici placuerint; cùm etiam ratione istius animi fidem amittant; Suar. *l. c. n.* 3. Castrop. *l. c.* Item, qui in infirmitate hæreticum Pastorem vocant, ab eoque manus impositionem pro sua consolatione & auxilio petant, ut Pith. *l. c. n.* 109. Reiffenst. *h. t. n.* 248. Arg. *C. filii h. t.*

2. Resp. Ad secundum: Receptatores hæreticorum censentur, qui hæreticum ob causam hæresis fugientem seque occultantem, ne in manus Judicis incidat, hospitio suo, Agro, Civitate, aliove quovis loco recipiunt. Sanch. *l. c. n.* 10. Suar. *n.* 4. Castrop. *n.* 4. Ugol. *hic, v. receptatores. in Princ. n.* 1. & §. 2. *n.* 3. Farin. *q.* 182. *n.* 152. Pith. *h. t. n.* 112. Idque, sive receptator sit persona privata, sive Publica, ut Princeps, recipiens illum in Provincia vel Civitate sua, ut Sanch. *l. c.* sive recipiat illum in Domum suam sive alienam, ut Idem. Item sive receptatio sit occulta, sive publica, per quam gravius peccatur, ut Farin. *l. c.* §. 7. *n.* 99. Castrop. *l. c.* Item, sive hæreticus sit denuntiatus, sive non, modò sciatur, receptum esse hæreticum, quæ scientia in foro externo non præsumitur. Sanch. *l. c. n.* 6. Castrop. *l. c.* sufficit quoque, si unica vice receptus sit, Suar. Ugol. Farin. Castrop. *ll. cit.*

3. Resp. Ad tertium, fautores hæreticorum (qui quandoque nomine receptatorum comprehenduntur) sunt, qui quomodocunque, ob causam hæresis hæretico favorem seu auxilium consiliumve præstant; sive id faciant negativè seu per omissionem, ut dum quis, cum obligatur (obligatione hac orta ex officio vel ex speciali Inquisitoris mandato) illum non denuntiat, capit, aut captum non custodit, vel puniendum non punit, ut Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 15. *n.* 5. Sanch. *n.* 11. Castrop. *n.* 6. sive positivè per commissionem, ut dum hæreticum ut talem laudant, eum occultant, ut non capiatur, non ejiciatur, non condemnetur, officium inquisitionis impediunt &c. Unde jam etiam ipsi Episcopi & Inquisitores, fautores hæreticorum sunt, si talia faciant vel omittant favore hæresis, Sanch. *n.* 15. Suar. *de fide. l. c. s.* 1. *n.* 6. Farin. *q.* 182. *n.* 27. Castrop. *n.* 7. secus est, si illi aliique, qui ex officio tenebantur, id faciant favore ipsius hæretici, quia amicus vel consanguineus est, vel ex animo satisfaciendi alteri alicui obligationi humanæ, ut Bonacin. *de cens. d.* 2. *q.* 5. *p.* 3. *n.* 2. Sanch. *n.* 5. quod à fortiori tenent Simone, de *Cathol. instit. tit.* 15. *rub. de creden. n.* 25. Decian. *tr. crim. L.* 5. *c.* 51. *n.* 7. si consanguinitas est in primo gradu, quibus favere Sanch. *L.* 2. *in decal. c.* 17. *n.* 24. ait Castrop. *l. c. n.* 13. qui tamen ipse tradit, communem esse sententiam, titulum consanguinitatis, affinitatis vel amicitiæ quantúmvis strictæ non excusare in hoc crimine fautores hæreticorum ab excommunicatione aliisque pœnis. Quamvis has, dum latitudinem recipiunt, pro majore vel minore sanguinis conjunctione temperandas esse, dicat cum Menoch. *de arb. L.* 2. *centur.* 6. *cas.* 548. *n.* 8. Farin. & aliis; sed neque præbentem auxilium & favorem hæreticis censeri fautorem hæretici in ordine ad pœnas incurrendas, dum auxilium vel favor effectum de facto non habuit, v. g. si quis domi suæ hæreticum recipit, ut eum liberaret à Judice, qui tamen id non obtinuit, quia Judex eum quæsivit & invenit, tradunt Sanch. *n.* 9. Bonac. *l. c.* Farin. *l. c. n.* 102. contrarium tamen (ut ait probabiliùs) docent Castrop. *l. c. n.* 11. cum Suar. *l. c. de fide n.* 14. Sayr. *tit.* 1. *in Thes. L.* 3. *c.* 5. *n.* 4. *&c.* Item non censeri fautorem hæretici in foro interno conscientiæ (secus in foro externo) qui favet hæretico solùm præsumpto, v. g. excommunicato, & in excommunicatione insordescenti per annum; docet Suar. *l. c. n.* 13. quod tamen limitat Castrop. *cit. p.* 5. *n.* 12. ad excommunicatum ex causa fidei, eò quòd excommunicatus non ratione fidei, persistens in excommunicatione per annum reddatur & habeatur tantùm suspectus de hæresi, verùm non solere ex consuetudine Romanæ Ecclesiæ & Inquisitionis Generalis adversùs excommunicatos ex alia ratione quàm hæresis in ea insordescentes excommunicato faventes dici, aut condemnari non posse, ut fautores hæresis, sed solùm ut fautores suspicioni hæresis, docet ex Pegna. 2. *P. direct. comment.* 72. *vers. quidem.* Castrop. *l. c.* De cætero ob officia exhibita hæretico quà tali mortuo, v. g. sepeliendo illum in loco sacro, vel etiam emendato, dum cedunt in favorem hæresis, dicendum & condemnandum tanquam fautorem hæreticorum sentiunt, Arg. *c.* 2. *h. t.* Suar. *de fide d.* 24. *S.* 1. 6. Sanch. *l. c. n.* 17. Ugol. *v. fautores. in initio n.* 18. §. 1. *n.* 1. Castrop. *cit. p.* 5. *n.* 6. Item Reiffenst. *h. t. n.* 252. qui tamen addit, excommunicationem propterea incursam non reperiri ullibi reservatam Pontifici, modò tamen excommunicatus priùs faciat, quod præscribitur *c.* 2. *h. t.* his verbis: *nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publicè extumulent, & projiciant hujusmodi corpora damnatorum.*

Porro quas pœnas incurrant dicti credentes receptatores, fautores, defensores hæreticorum, commodiùs dicendum differtur ad *Cap. sequens*, ubi de pœnis hæreticorum.

CAPUT

CAPUT II.

De pœnis Eccleſiaſticis & temporalibus hæreticorum.

Quæſt. 160. *An & quæ hæreſis incurrat pœnas Eccleſiaſticas Jure Canonico ſtatutas?*

RESP. Omnis & ſola hæreſis formalis externa contrahit pœnas Spirituales ſeu Eccleſiaſticas coram Deo ſeu in conſcientia eſt omnino communis & certa. Dicitur primò, *omnis hæreſis*, cujuscunque ſectæ, quocunque nomine compellata. Dicitur ſecundò: *ſola hæreſis formalis* quæ ſupra ad initium *hujus tit.* deſcripta: ſiquidem hæreſis materialis juxta dicta *ibidem* nec propriè hæreſis, neque peccatum eſt, adeóque nec pœnam meretur (quamvis in foro externo talis præſumatur, unde additum: *coram* Deo) & conſequenter quò ad eam abſolutionis capaces non ſunt, quamvis etiam ruſtici ſimilesque ſimplices homines ſectam Lutheranam vel Calviniſticam profitentes in Germania ex conſuetudine aliquarum Diœceſium mittantut ad Epiſcopum aliósque habentes poteſtatem abſolvendi ab hæreſi, examinandi ab iis, num verè ignorantia invincibili asque pertinacia laborent, factáque profeſſione fidei pro majore tam fori externi quàm interni ſecuritate abſolvantur, dum ſæpe dubium eſt, an tales non ſint aut fuerint etiam hæretici formales. Laym. *L.* 2. *tr.* 1. *c.* 13. *n.* 4. Pirh. *h. t. n.* 16. Reiffenſt. *h. t. n.* 239. & alii. Dicitur tertio: hæreſis ſola externa, quia juxta *Can.* 14. *de pœnitentia. diſt.* 1. cogitationis pœnam nemo cogitat; & juxta *C. ſicut, de Simonia.* Eccleſia de internis non judicat, ad externam autem hæreſin in ordine ad incurrendas pœnas ſatis eſt, prodi eam ſigno aliquo externo, ſive facto ſive verbo ad eam manifeſtandam prolato, etiamſi in occulto ſeu nemine prorſus præſente, Sanch. 2. *Mor. c.* 8. *n.* 6. Laym. *l. c. c.* 14. Barb. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 48. *n.* 10. Pirh. l. c. eò quòd talia ſigna ſint ex natura ſua cognoſcibilia & Judicio Eccleſiæ ſubjecta, etſi per accidens hic & nunc nemine præſente poſita ſint occulta, & ſic hæreſis puniri nequeat in foro externo media cognitione & accuſatione, cùm id non impediat, quò minùs puniatur pœnâ, quæ ab ipſa Lege ſeu Canone impoſita, utpote quæ nec cognitionem, nec accuſationem, nec ſententiam Judicialem requirit. Non tamen etiam pœnas incurrit, qui hæreſin animo conceptam externè manifeſtat alteri conſilii gratiâ, vel ut ab eo meliùs inſtruatur; aut etiam præcisè legendo, narrando, diſputando, non animo exprimendi aut confirmandi, eam proferat ut ſuam, ſed ut alienam, aut denique eam proferat ſignis vel verbis non ſatis eam exprimentibus, Reiffenſt. *h. t. à n.* 244.

Quæſt. 161. *In ſpecie, an & qualiter ob hæreſin incurratur excommunicatio ab hæreticis & credentibus, receptatoribus, fautoribus eorundem?*

1. RESP. Ad primum hæreticus formalis ipſo jure & facto incurrit excommunicationem majorem, non quidem ex jure divino, cùm conſiſtat in privatione activa & paſſiva Sacramentorum communione fidelium, ſuffragiis Eccleſiæ, quibus omnibus non magis privatus eſt hæreticus, quàm quilibet peccator, Caſtrop. paulo poſt citandus, ſed ex jure Eccleſiaſtico, nimirum ex *C. cum Chriſtus. C. ad abolendam. C. excommunicamus. il.* 1. *& 2. h. t. noverit. de ſent. excommun.* quam non ex *citatis Cap.* ſed poſtmodum ex Bulla Cœnæ fuiſſe reſervatam Papæ, teſtatur Caſtrop. *tr.* 4. *d.* 4. *p.* 1. *n.* 1. ſed neque olim lata ipſo jure, ſed ferenda, poſtquam moniti fuiſſent hæretici, ut Azor. *p.* 1. *l.* 8. *c.* 10. *q.* 2. Suar. *de fide d.* 21. *ſ.* 1. *n.* 4. Sanch. *l. c. c.* 9. *n.* 2. Valent. 2. 2. *q.* 11. *a.* 3. *verſ. ex his.* Caſtrop. *l. c. C. ſi quis Epiſcop.* 1. *q.* 7. de cætero ad incurrendam excommunicationem hanc requiritur, ut hæreſis juxta dicta externa &c. non tamen conſtitui per eam vitandum, conſtat ex dictis ſupra de hæreticis in genere ob *Extrav. ad evitanda.* & tenent Azor. *l. c. c.* 13. *q.* 7. Sanch. *n.* 3. Suar. *l. c. S.* 3. *n.* 3. Caſtrop. *l. c. n.* 12. ſed neque vitandum eſſe, etſi hæreticus ut talis ſit declaratus, etiam nominatim, niſi etiam ſpeciatim & expreſsè declaratus ſit à Judice in ſententia, incurriſſe excommunicationem hæreſi jure annexam, docent Sanch. *n.* 4. (qui etiam plus dicit, nimirum ad obligationem vitandi non ſufficere, denuntiatum eſſe nominatim incurriſſe pœnas in hæreticos ſtatutas nullâ in ſpecie expreſsâ) Nav. *Miſcellan.* 47. *de orat. n.* 2. & alii apud Caſtrop. *l. c. n.* 3. plures pro hac ſententia rationes afferentem contra Suar, Gutt. Henriq. Medin. &c. etſi ipſe mediam quandam vitam ingrediatur. *n.* 5.

2. Reſp. Ad ſecundum, eandem excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt hæreticorum credentes, receptatores fautores juxta *C. excommunicamus. h. t.* & Bullam Cœnæ & ſpecialiter etiam receptatores, fautores, & defenſores illorum in *C. ſicut. h. t.* ſunt enim & habentur heretici, adeoque pœnæ omnes, quæ Jure Canonico ſtatutæ hæreticis extenduntur ad eos, ut Barb. *in cit. C. excommunicamus. n.* 21. citans Abbat. *ibidem n.* 12. & Socin. *n.* 36. Sylv. *v. hæreſis* 1. *n.* 10. ac proinde ſi in excommunicatione permanſerint per annum, ipſo jure ſint infames, & ad officia publica non admittantur. Extenditur quoque hæc excommunicatio ad eos, qui horum credentium, receptorum, fautorum corpora in loco ſacro ſepeliunt juxta textum clarum. *c.* 2. *h. t. in* 6. & dicta à nobis paulo ſupra de ſepelientibus ipſos hæreticos, quamvis & horum excommunicatio non ſit reſervata Papæ, quod ſpectat ad vitationem illorum, de hac idem dicendum, quod de vitatione hæreticorum formalium, dictum eſt, de aliis eorum pœnis dicendum *quæſtionibus ſequentibus.*

Quæſt. 162. *An & qualiter ob hæreſin hæreticorumque fautoriam, receptionem, defenſionem incurratur irregularitas?*

1. RESP. Ad primum, hæretici, ſaltem notoriis & publici, ſive per evidentiam facti, ſive notorietate juris, nimirum vel per ſententiam Judicis, vel proprium confeſſionem in judicio, etiam poſt pœnitentiam & abſolutionem ab hæreſi ſunt irregulares ſeu inhabiles ad ordines ſuſcipiendos, & ad miniſtrandum in iis, *Can.* 1. *& c.* 21. *cauſ.* 1. *q.* 7. *c. quicunque.* §. *hæreticis. C. ſtatutum h. t. in* 6. cùm hac tamen diſtinctione, ut Clerici in hæreſin lapſi, etſi non poſſint aſcendere ad ordines altiores, etiam poſt pœnitentiam & abſolutionem, poſſint tamen

etiam notorii in ordinibus ante hæresin susceptis ministrare (intellige postquam hæresin ejurârunt, & ab ea absoluti) *C. saluberrimum* & *C. convenientibus cit. caus.* 1. *q.* 7. sed non nisi cum dispensatione, ut addit Pirh. *h. t. n.* 45. cum citato à se Sanch. *L.* 2. *mor. c.* 25. *n.* 3. Item irregulares & inhabiles ad officia Ecclesiastica & beneficia obtinenda sunt hæretici, saltem notorii, donec ab irregularitate absolvantur. Host. *in sum. h. t.* §. *quando & qualiter. n.* 12. Gemin. *in C. super eo h. t.* Castrop. *tr.* 4 *p.* 5. *n.* 2. & alii relati à Farin. *de hæresi q.* 193. *n.* 68. juxta *C. statutum h. t. in* 6. unde collatio beneficii facta hæretico invalida est, perceptique fructus ex eo unà cum beneficio restituendi ante omnem sententiam. Sanch. *l. c. c.* 26. *n.* 2. Garc. de *benef. p.* 11. *c.* 10. *n.* 72. Farin. *q.* 189. *n.* 72. Wiest. *h. t. n.* 54. porro perseverare hanc inhabilitatem ejuratâ hæresi, affirmant quidam, negat Castrop. *l. c.* eumque secutus Wiest. *n.* 55. vel potiùs affirmat, eam non oriri, nisi hæresis sit publica, quod ipsum probabile censet Castrop. hinc dixi: *hæretici saltem notorii seu manifesti*, nam utrum hæretici occulti contrahant irregularitatem, aut maneant irregulares post ejuratam hæresin, inter Authores valde controversum est, partem negativam, sive non contrahere illos irregularitatem, adeóque multò minùs manere irregulares post absolutionem ab hæresi, sectantur Avila *de censuris p.* 7. *d.* 4. *du.* 2. Henriq. *L.* 14. *c.* 4. *n.* 6. Laym. *L.* 1. *tr.* 5. *c.* 4. *n.* 12. Farin. *l. c. q.* 192. *n.* 79. Pirh. *h. t. n.* 46. Castrop. *l. c. p.* 4. *n.* 2. qui postquam dixisset, se, dum de irregularitate tractaret, asseruisse, etiam hæreticum occultum esse irregularem, quin & *p.* 5. *n.* 2. ait expresè, censere se, esse probabile, ex hæresi occulta non oriri irregularitatem, seu inhabilitatem aut eam hæresi exclusa (intellige per absolutionem) ad beneficia obtinenda; ratio hujus sententiæ est, quòd textus, in quibus fundatur hæc irregularitas, ut *C. nos.* 2. *q.* 7. *C. presbyter. de pœnitent. dist.* 5. non loquantur, nisi de delicto notorio, & irregularitas non incurratur nisi in casibus in jure expressis, ita Castrop. aliam rationem dant alii, nimirum, quod dicta irregularitas non contrahatur ob hæresin secundum se, sed ob infamiam annexam illi, quæ cessat, seu nulla incurritur, dum hæresis est occulta. E contra partem affirmativam tanquam communiorem & veriorem sequuntur *Sylv. v. crimen q.* 2. *n.* 3. Sanch. *l. c. n.* 2. Azor. *p.* 1. *L.* 8. *C.* 11. *q.* 3. & *c.* 21. *q.* 8. quibus inhæret Reiffenst. *h. t. n.* 255. citans etiam pro ea Farin. quem paulo ante citaverat pro opposita, ratio ferè unica illorum est, quòd jura de hac irregularitate loquantur universaliter, & quòd Clem. VII. det Inquisitoribus facultatem dispensandi in irregularitate ob hæresin occultam, quod signum sufficiens sit, non minùs eam contrahi ob hæresin occultam, quàm ob eam contrahatur excommunicatio. De cætero bene hic notat Pirh. cum Sanch. *l. c. n.* 12. sermonem hic esse de hæresi occulta, quæ in actum externum prodiit, non tamen est publicè nota seu manifesta; cùm certum sit apud omnes, ob hæresim sola mente conceptam & retentam nullam incurri irregularitatem. Item advertendum quòd addit, nimirum consuetudinem, secundum quam in his Provinciis Septentrionalibus Episcopi ex hæresi conversos, & ab ea absolutos ordinare solent, validam & licitam esse, cùm hi etiam in foro Civili à publicis officiis & dignitatibus non excludantur, possintque hi Episcopi cum illis dispensare vi privilegii concessi illis dispensandi in omnibus irregularitatibus, præterquam contractis ex homicidio voluntario, bigamia, defectu natalium.

2. Resp. Ad secundum: idem, quod dictum de hæreticis quò ad incurrendum irregularitatem, dicendum quoque de eorum credentibus, receptoribus, fautoribus, defensoribus, etiam quoad beneficia & officia ab iis obtinenda, ut Authores citati *resp. præced.* loquendumque de eorum credentia, receptatione, defensione, fautoria occultis, sicut de hæresi formali occulta Wiestn. *h. t. n.* 53. imò de hæreticorum credentium receptorum &c. filiis & nepotibus, saltem post eorum hæresin natis, ut Wiestn. *l. c.* juxta *C. statutum. h. t. in* 6. quod idem esse videtur de natis post credentiam, fautoriam, &c.

Quæst. 163. *Num hæretici eorumque credentes, fautores priventur officiis & beneficiis Ecclesiasticis ante hæresin legitimè obtentis?*

Resp. Tam de hæreticis formalibus ipsis, quàm de eorum credentibus, fautoribus &c. affirmativè juxta. *C. ut commissi. h. t. in* 6. *C. ad abolendam h. t.* Barb. *ibid. n.* 5. citatis Riccius. *de person. extra gremium Eccles. L.* 5. *c.* 19. *n.* 8. Sanctarel. *de hæresi c.* 33. *n.* 1. tametsi, credentium, fautorum, &c. mentionem expressam non faciat. An verò ipso jure priventur illis, an non nisi per sententiam, controversum est, posterius docent, Vasq. 1. 2. *d.* 172. *c.* 2. *n.* 11. Gomer. *reg. de annal. poss. q.* 52. Henriq. *de excomm. L.* 13. *c.* 56. *n.* 2. de Castrop. *l.* 2. *de just. haret. punit. c.* 4. & alii apud Castrop. qui hanc sententiam probabilem dicit, *tr.* 4. *d.* 4. *p.* 5. *n.* 3. ex ea ratione, quòd *cit. C. ad abolend.* de hoc dubiè loquatur; indubio autem benignior facienda interpretatio Legis, qualis est, infligendam pœnam privationis per sententiam. Prius, seu hæreticum, quantumcunque occultum, ipso jure privatum esse beneficiis legitimè obtentis & possessis, defendunt Paris. *de resig. benef. l.* 8. *q.* 1. *n.* 31. Gontz. *ad reg. cancell.* 8. *gl.* 15. *n.* 6. Garc. *de benef. p.* 11. *c.* 10. *n.* 60. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 26. 31. 6. Suar. *de fide d.* 21. *s.* 5. *n.* 17. Covar. *l.* 2. *var. c.* 8. *n.* 3. Farin. *q.* 189. *a.* 69. Castrop. *l. c. n.* 4. Barb. *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 57. *n.* 37. & 38. & *in cit. c. ad abolendam n.* 6. citans quam plurimos, unde ait, quòd hæc sententia ita recepta, ut videatur ab omnium sententia discedere velle, qui eam impugnare auderet; ratio præcipua hujus sententiæ est praxis & consuetudo, quia teste Farin. Sanch. &c. à die commissæ hæresis reputantur beneficia vacare ita, ut nulli amplius resignare possint in favorem, quia non sunt perfectè sua, sed reservatum Papæ, ut Castrop. *n.* 6. à quovis impetrari possint & alteri conferri, &, si sint juris patronatus, ad illa à Patrono præsentari. Lambertin. *de jure pat. p.* 1. *l.* 2. *q.* 8. *a.* 9. & 10. Sanch. *l. c. n.* 12. Farin. *l. c. n.* 79. Gontz. *l. c. n.* 148. Barb. *de potest. Episc. l. c. n.* 255. Garc. *l. c. n.* 23. non tamen ante sententiam declaratoriam hæresis commissæ beneficium dimittere, & fructus perceptos post privationem restituere non tenetur, Sanch. *l. c. n.* 7. Farin. *l. c. n.* 80. Azor. *p.* 1. *L.* 5. *c.* 8. *q.* 8. Covar. 4. *decret. p.* 2. *c.* 6. §. 8 *n.* 8. Castrop. *l. c. n.* 5. contra Paris. *l. c. n.* 81. Garc. *l. c. n.* 18. Gontz. *l. c. n.* 15. Barb. *l. c. n.* 154. eò quòd quoties privatur quis in pœnam delicti beneficio ipso jure, requiratur etiam externa executio, adeóque etiam ad inducendam obligationem in conscientia requiritur sententia declaratoria criminis, utpote ante quam non privatur beneficii possessione, nec etiam perfectè titulo illius, sed sub conditione, si sententia sequatur Castrop. *l. c. n.* 6. unde etiam

infert

infert contra AA. paulò supra citatos, præsentationem & electionem ad tale beneficium, si electivum est, fieri non posse hæretico possessore illius non citato, uti id fieri posset titulo & possessione perfectè amissis. Si verò de facto Hæreticus resignationem vel permutationem beneficii fecisset, citra sententiam declaratoriam eam tenere, quousque dicta sententia sequatur, asserunt Sanch. *n.* 9. Azor. *p.* 1. *L.* 8. *c.* 13. *q.* 8. Castrop. *l. c.* quod nullatenus sustineri posset, si Hæreticus resignans vel permutans etiam possessionem jam amisisset. Porrò quod attinet perceptionem & retentionem fructuum perceptorum ex beneficio usque ad sententiam declaratoriam Hæresis, docentes id ipsum, fundant se in eo, quòd ad hoc sufficiat titulus possessionis & legitimæ administrationis, etsi titulus & proprietas beneficii amissa, in quo maxima differentia ab habente scienter, & ab initio titulum nullum, quia is non habet, in quo fundet possessionem & administrationem legitimam beneficii, quæ tamen ratio, etsi eandem sententiam sectetur, non placet Castrop. ex eo capite, quòd censeat, privationem beneficii factam Hæretico ante sententiam declaratoriam criminis non esse tam absolutam & perfectam, ut titulum & dominium beneficii, aliarumque rerum penitus admat, cùm videatur ei imperceptibile, qualiter sciens secarere omni modo titulo, eo uti possit, & validè in alium transferre, non translato titulo, quare existimat, dictam privationem esse quodammodo imperfectam, & conditionatam, ut adveniente sententiâ declaratoriâ censeatur à die commissi criminis privatus beneficio, & in hoc fundat suam rationem.

Quæst. 164. *An igitur etiam Clericus lapsus in Hæresin, & mox sincerè conversus sit privandus officiis & beneficiis.*

Resp. In hoc non convenire AA. negativam tenent Rebuff. *Pract. benef. n.* 1. Eymer. *in director. p.* 3. *q.* 113. *vers. considerandum.* Decian. *tr. crim. L.* 5. *c.* 54. *num.* 8. Archid. Gemin. Franc. aliique apud Farin. *l. c. q.* 189. *n.* 82. & *in fragment. v. Clericus. num.* 362. fundant se hi AA. in textu *C. ad abolendam. h. t.* ubi: *Si Clericus est totius ecclesiastici ordinis prærogativâ, & sic omni officio spoliatus ecclesiastico; si Secularis, relinquatur arbitrio potestatis, animadversione debita puniendus, nisi continuò post deprehensionem erroris ad fidei Catholicæ unitatem sponte recurrere, & errorem suum ad arbitrium Episcopi publicè consenserint abjurare.* Sponte autem ad fidem reverti dicitur, quando intra tempus gratiæ venit non monitus, re integra, & ante receptas contra eum probationes, ut Archid. *in C. ut commissi. h. t. in 6. col.* 2. *ad medium.* vel ut alii apud Castrop. *l. c. n.* 7. ante sententiam definitivam, affirmativam, seu talem omnino privandum, & solùm ex dispensatione Pontificis, (quam dispensationem convenientissimam esse, eò, quòd hæc gratia aliorum conversiones maturet, ait Castrop.) earetinere posse, tradunt Simancas. *de Cathol. Instit. c.* 47. *n.* 76. Zechus *in sum. p.* 1. *tit. de fide. c.* 11. *num.* 16. *in* 2. Pegna, aliique apud Farin. *l. c.* qui idem tenet de Hæretico redeunte ad fidem, non sponte, sed testibus convicto, aut post sententiam. Item Castrop. *n.* 8. cum Sanch. *L.* 2. *in decalog. c.* 25. *num.* 15. de Hæretico jam declarato, ut tali, quantumcúnque is ante declarationem pœnituerit, cùm hac declaratione posita, contrahantur omnes pœnæ à jure statutæ, inter quas est privatio ipso facto beneficiorum.

Quæst. 165. *Quid sentiendum de filiis & nepotibus Hæreticorum, eorúmque credentium, receptatorum, fautorum &c. quò ad irregularitatem ad ordines, tam ad obtinenda, quàm retinenda beneficia & officia ecclesiastica.*

1. Resp. Primò: Filii Hæreticorum, & nepotes descendendes ex patre Hæretico, seu per lineam paternam, per lineam verò maternam non nisi filii, etiam Catholici, sunt irregulares, & inhabiles ipso jure ad officia & beneficia ecclesiastica publica, adeóque & Ordines sacros, utpote quorum officia comprehenduntur inter officia publica ecclesiastica, ut Nav. *in man. c.* 27. *n.* 205. Avila *de censur. p.* 7. *d.* 4. *du.* 3. Sanch. *L.* 2. *mor. c.* 28. *n.* 7. Pirh. *h. t. n.* 101. obtinenda. AA. iidem, Castrop. *tr.* 4. *d.* 7. *p.* 2. *n.* 6. Reiffenst. *n.* 26. juxta *C.* 2. §. *Hæretici. in* 6. *C.* 15. *eod. in* 6. atque ita filius matris Hæreticæ erit inhabilis ad beneficia & Ordines, etsi pater illius Catholicus, & filius & nepos patris Hæretici erunt inhabiles, etsi mater Catholica, Gl. *in cit. C. statum. h. t. in* 6. *v. inane.* Farin. *de Hæresi. q.* 191. *n.* 63. Pirh. *h. t. n.* 104.

2. Extenduntur hæc ipsa ad filios & nepotes credentium, receptatorum, fautorum &c. Hæreticorum, Pirh. *n.* 101. Castrop. *l. c. & n.* 7. juxta *cit. textus.* & communem, nullo facto discrimine inter filios illorum legitimos, & illegitimos, etiam incestuosos, ut Sanch. hoc tamen observato discrimine cum Sanch. *l. c. n.* 6. inter parentes Hæreticos, credentes, & eorum descendentes, quò ad hanc inhabilitatem, ut parentes maneant irregulares, etsi conversi, nisi cum illis dispensetur; filii autem illorum per conversionem parentum liberentur ab irregularitate, ita, ut absque ulla dispensatione beneficium & Ordines suscipere valeant, & obtenta retinere, ut constat *ex c. statutum* §. *hoc sanè. h. t. in* 6. Gloss. *fin. ibid.* Molin. *de J. tr.* 2. 658. *n.* 19. Azor. *p.* 1. *L.* 8. *c.* 13. *q.* 8. Farin. *q.* 191. *n.* 64. Sanch. *L.* 2. *c.* 27. *n.* 26. Pirh. *h. t. n.* 105. Reiffenst. *n.* 271. Secus tamen etiam est, & non liberantur filii ab illa inhabilitate, etsi traditi brachio sæculari ad comburendum, (ut sunt relapsi, negativi, hæresiarchæ) etsi signa pœnitentiæ ediderint; quia impœnitentes à jure reputantur; ita cum Suar. *de fide. d.* 23. *s.* 3. *n.* 3. Castrop. *l. c.* Pirh. *n.* 105. De cætero, ut filii incurrant dictam irregularitatem, debet parens probari, esse Hæreticus vel fautor &c. vel decessisse in Hæresi, vel fautoriâ per sententiam, vel evidentiam facti, etiam non secutâ sententiâ, Sanch. *l. c. num.* 28. Azor. *p.* 1. *L.* 13. *C.* 13. *q.* 8. Castrop. *l. c.* Item debet parens certò esse parens, ut ex delicto illius pœnæ in filios descendant, aliàs in dubio excusabuntur, ut Covar. 2. *var. C.* 8. *n.* 3. qualis in hoc casu probatur filiatio per nominationem & reputationem ortam ex tractatu, Farin. *l. c. num.* 10.

3. Et hæc quidem de irregularitate & inhabilitate filiorum & nepotum ad dignitates, beneficia & officia ecclesiastica obtinenda, de jure communi, etiam in Germania & Romano Imperio esse certam, & communissimam DD. etiam Germanorum, ait Reiffenst. & ipse Germanus *h. t. n.* 274. eò, quòd jus universaliter & indistinctè omnes Hæreticorum filios ac nepotes dictæ irregularitati & inhabilitati subjiciat; mirum proinde, Wiestner. *h. t. num.* 60. scribere, oppositam sententiam esse plerorumque Germaniæ nostræ AA. dum inter omnes, quos plu-

res pro ea citat, nullus sit Germanus. Illud certè indubitatum, quòd, si quid alicubi in Germania viget in contrarium, probandum esse, vi consuetudinis juri communi derogatum, quod fieri posse, admittere coguntur omnes; cùm irregularitas & inhabilitas ad beneficia ob Hæresin à sola lege humana inducta; per hoc autem, quòd fortè probetur, consuetudinem talem in una alteráve Diœcesi aut Provincia Germaniæ existere, non probaretur, nec dicere liceret, generaliter filios & nepotes Hæreticorum in Germania citra dispensationem in irregularitate admitti ad ordines & beneficia, sed neque ex eo, (quod est fundamentum præcipuum Adversariorum) quòd Hæretici, eorumque filii in Germania non sunt infames, tametsi id gratis concederetur; cùm dicta inhabilitas non fundetur in infamia, sed in odio Hæresis, & studio illam exstirpandi, avertendique ab ea alios metu talis pœnæ. Unde etiam, dum pro obtinendo beneficio Romam recurritur, à filio Hæretici Germani Papa declarat, filios Hæreticorum etiam in Germania esse inhabiles ad beneficia, teste Corrado; in praxi Curiæ Romanæ versatissimo, *L. 3. prax. dispensat. Apostol. c. 4. à n. 1.* cujus etiam in specie argumentum ex Germania adducit Reiffenst. *h. t. num. 279.* dum ait, se ipsum vidisse Germanum de nobilissima familia optimè Catholicum, ideo præcisè, quia genitus à matre hæretica in Hæresi defuncta, patre illius jam tum converso non fuisse admissum ad Canonicatum, donec Româ dispensationem ab irregularitate attulisset, quod idem exemplum refert Wiestner, dum indicat illum admissum à Capitulo, citra, quod illud allatam illam dispensationem exegisset, nescio, num satis probet ex eo, quod, ut asserit, idem Canonicus Cathedralis à se jam ante obtenta sine dispensatione beneficia licitè retinuerit, sed neque, quod addit, Romam non adversari praxi Germaniæ, satis probat ex eo, quod etsi Roma non conferat filiis Hæreticorum beneficia citra dispensationem, non tamen etiam factas in Germania illis collationes, sine dispensatione rejiciat; multa enim ad evitationem majorum malorum toleranda sunt: neque denique quicquam pro derogatione juris communis, vi cujus statuitur dicta irregularitas, confici potest ex pactis & fœderibus publicis, initis à Catholicis Principibus cum Hæreticis, cùm per ea SS. Canonibus, & legibus ecclesiasticis, pœnisque præsertim spiritualibus ab illis statutis contrarium nihil induci potuit, nisi à potestate ecclesiastica acceptatum & approbatum.

4. Resp. Secundò: Filii & nepotes Hæreticorum, eorúmque credentium, receptatorum, fautorum &c. non privantur beneficiis, quæ legitimè obtinuerunt, antequam parentes eorum laberentur in Hæresim, credentiam, fautoriam, receptionem Hæreticorum, aut etiam tales declarentur, ita juxta benigniorem usu receptam & communiorem, Farin. *q. 191. n. 57.* Sanch. *L. 2. mor. C. 23. num. 27.* Abb. *in C. urgentis. h. t. n. 4.* Felin. *ibid. num. 3.* Menoch. *cons. 805. n. 33.* Clarus §. *Hæresis. n. 14.* Pirh. *h. t. n. 106.* apud Reiffenst. *h. t. 282.* item Penia. *p. 4. direct. q. 114. comment. 163. vers. in hac quæst.* Suar. *de fide. d. 22. s. 3.* quos citat & sequitur Castrop. *l. c. n. 9.* contra Paris. *de resign. L. 3. q. 1. n. 34.* Gutt. *qq. can. L. 2. c. ult. num. 38.* Graffis. *L. 2. decis. c. 1. n. 11.* quibus inhæret Reiffenst. *n. 281.* ratio præcipua responsionis est, quia nullibi statuta reperitur hæc pœna his filiis; pœnæ autem statutæ (v. g. in præsente, quo ad irregularitatem ad beneficia obtinenda dictis filiis natis post Hæresin parentum) extendendæ non sint præcipuè respectu innocentum. Neque obstat *C. filius. de pœnis in 6.* ex quo adversarii præcipuum desumunt fundamentum suæ sententiæ, ubi filii percutientium Cardinalem S. R. Ecclesiæ privantur beneficiis, quæ tempore percussionis obtinebant; nam etsi inde probari posset, potuisse Ecclesiam filios privare beneficiis habitis ob Hæresim parentum, etsi ea gravius delictum sit, quàm dicta percussio, non tamen probat illam de facto privâsse cum illis; cùm in pœnis non valeat argumentum à pari, aut etiam à majoritate rationis; ita ferè Castrop. unde etiam infirmatur alterum adversariorum argumentum, nimirum quod parentes magis affligantur ex privatione illa beneficiorum à filiis obtentorum, quàm ex rejectione illorum ab obtinendis. Porrò dicta de retentione beneficiorum jam obtentorum à filiis Hæreticorum, idem dicendum videtur de beneficiis jam obtentis ab aliis ad preces, & recommendationem Hæreticorum, antequam jam essent Hæretici, tametsi certum sit, *ex c. quicunque §. ad hæc.* illos privari beneficiis taliter obtentis per illos, postquam inciderunt in Hæresin, vel credentiam, favoriam &c. Hæreticorum.

Quæst. 166. An & qualiter incurrant infamiam Hæretici, credentes fautores, receptores, & filii eorum.

1. Resp. Primò: Hæretici sunt ipso jure, tam Canonico, quam Civili infames, ut *ex c. excommunicamus. §. credentes. h. t. c. statutum. eod. in 6. Can. infames. 6. q. 1.* & *Auth. Gazaros. c. h. t.* desumunt Azor. *p. 1. L. 8. c. 13. q. 8. §. sept. Hæret. pœna.* Suar. *de fide. d. 21. s. 5. n. 3.* Grilan. *de Hæres. q. 3. n. 2.* Penia *in director. inquisit. p. 1. Comment. 4.* Barb. *ad c. excommunicamus. n. 24.* Pirh. *h. t. n. 52.* Et quidem ante omnem sententiam etiam declaratoriam criminis, si crimen sit publicum & notorium, quia tunc per evidentiam facti redditur infamis infamiâ facti, quæ per contrarium factum, nempe conversionem, aboletur, si verò notorium non est, requiritur sententia, non quidem condemnatoria, sed declaratoria, non contractæ infamiæ, sed commissi criminis, seu quòd sit Hæreticus, vi cujus jam efficitur infamis infamiâ juris, Sanch. *cit. c. 26. n. 1.* Azor. Pirh. *ll. cit.* Laym. *L. 2. tr. 1. c. 16. &c.* hocipso autem, quòd sunt declarati Hæretici, repelluntur ab omnibus honoribus, dignitatibus, neque esse possunt Advocati, Notarii, Judices, neque agere in judicio, *Auth. credentes. §. nullus. c. h. t.* excluduntúrque ab omni actu legitimo, Farin. *q. 189. n. 46.* de quo paulò post in particulari.

2. Resp. Secundò: Credentes quoque receptores, fautores, defensores Hæreticorum sunt infames, non tamen antequam fuerint declarati excommunicati, & ab eo tempore intra annum satisfacere contempserint, juxta *c. excommunicamus. §. credentes. h. t.* cujus verba sunt: *Credentes præterea, receptores, defensores & fautores Hæreticorum excommunicamus, firmiter statuentes, ut postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit, ex tunc ipso jure sit factus infamis &c.* unde patet, tales quidem fuisse excommunicatos, infamiam tamen nunquam contraxisse, sed eam primò incurrere, quando intra annum à dicta declaratione excommunicationi non satisfecerunt, deserendo nimirum, seu ejurando illam suam credentiam, receptionem, fautoriam &c.

3. Resp. Tertiò: Infamiam tamen probabiliùs non incurrunt Hæreticorum, eorúmque credentium,

um, receptorum, fautorum filii; cum hæc nullo jure in eos ſtatuta reperiatur, ſiquidem inhabilitas eorum ad beneficia eorum, & publica eccleſiaſtica officia ſtatuta in eos, *C. 2. §. Hæretici. h. t. in 6.* non tam eſt infamia juris, aut etiam in ea fundatur, reddens eos inhabiles ad teſtificandum, & repellens eos ab actibus aliis legitimis, quàm genus quoddam irregularitatis, quæ non reddit illos inhabiles ad præ-dictos actus, & propriè infames, ita cum Sanch. *l. c. t. 28. n. 5.* Pirh. *h. t. n.* 107. & alii contra Molin. *cit. d. 658. n. 25.* & alios apud Farin. *q.* 191. *n.* 25. Sed neque pœna infamiæ ſtatuta in filios reorum læſæ Majeſtatis humanæ, *in L. quisquis. §. filii verò. C. ad Leg. Jul. Majeſtatis.* extendenda ad filios Hæreticorum reorum læſæ Majeſtatis divinæ, etſi horum crimen gravius, præſertim, cùm, ut dictum ſupra, contra non delinquentes fieri non debeat extenſio pœnæ, ob paritatem, vel etiam majoritatem rationis, arg. *C. vergentis. h. t.* ubi Papa non arguit abſolutè à confiſcatione bonorum ſtatuta reis læſæ Majeſtatis, ad confiſcationem bonorum Hæreticorum, ſed ſolùm ex majoris criminis gravitate infert, non eſſe iniquum & mirum, ſi eadem pœna confiſcationis imponatur jure canonico, crimini Hæreſis, quæ jure civili impoſita eſt crimini minori læſæ Majeſtatis humanæ.

Quæſt. 167. *An & quando Hæretici, eorum credentes, receptores priventur ſepultura eccleſiaſtica, & quæ pœna ſepelientium illos.*

1. REſp. Primò: Hæretici notoriè decedentes in Hæreſi privandi ſepulturâ eccleſiaſticâ, ſeu in loco ſacro inter Chriſtianos, non obſtante quocunque privilegio; ita juxta *C. ſicut. h. t.* Barb. *ibid. n.* 1. citatis pluribus aliis, uti & *in C. excommunicamus. n.* 39. Caſtrop. *tr.* 4. *d.* 4. *p.* 4. *n.* 1. Pirh. *h. t. n.* 53. Muller. *in ff. lib.* 48. *tit.* 4. §. 36. cum communi, eò quòd, quibus in vivis non communicavimus, nec mortuis communicare debemus, *C. ſacris. de ſepult.* Extenditur dictæ ſepulturæ privatio ad credentes receptatores, fautores Hæreticorum, arg. *cit. C. ſicut.* & *C. quicunque. h. t. in 6.* Caſtrop. *l. c.* Pirh. *n.* 54. Reiffenſt. *n.* 276. item cum communi.

2. Reſp. Secundò: Scienter ſepelientium Hæreticos notoriè tales, aut etiam eorum credentes, receptores, fautores &c. pœna prima eſt excommunicatio, juxta *cit. C. quicunque. junctâ gloſſ.* Farin. *q.* 192. *toto* §. 2. *à num.* 38. Pirh. *l. c.* Caſtrop. *l. c.* videtur autem ad talem excommunicationem requiri, ut, qui ſepelitur, nominatim ſit denunciatus Hæreticus, ut colligit Pirh. ex Nav. *L.* 5. *Conſ.* 11. *n.* 1. *h. t.* unde etiam eam non incurret, qui ſepelit ſolùm ſuſpectum de Hæreſi ex famâ, cùm quis propriè non dicatur ſcire, qui ſolum novit per famam, & quod nequit, probare. Item videtur non ſufficere, ut ſimpliciter ſepeliat Hæreticum, ſed requiri, ut id faciat ex dolo & malitiâ, cum *in cit. C. quicunque.* dicatur: *Sepelire præſumpſerit.* ut Pirh. ex Nav. *l. c. n.* 2. *& ſeq.* Eſt autem hæc excommunicatio latæ ſententiæ ob verba, *cit. c. excommunicationi ſubjacent.* tametſi reſervata non ſit Pontifici per Bullam Cœnæ, aliáve jura, quamvis contrarium colligi videatur *ex C. excommunicamus. h. t.* Sunt quoque excommunicati, qui locum (credo ſacrum) concedunt ad ſepeliendum Hæreticum, etſi ipſi non ſepeliant, ut cum Farin. *l. c.* §. 3. *n.* 45. Pirh. non tamen illi, qui illum ſepeliri curârunt, non favore Hæreſis, ſed ob amicitiam vel conſanguinitatem, aut ne ex inſepulto cadavere aër inficiatur, ut Farin. *n.* 50. De cætero præter excommunicationem ſepelientes incurrunt ſuſpicionem de Hæreſi, Farin. *l. c. n.* 49. Caſtrop. *l. c.* Pirh. *n.* 55. locus quoque ipſe, in quo ſepultus Hæreticus, privatur ſepultura aliorum fidelium, & quidem non ad tempus tantùm, donec ſatisfactum, ſed in perpetuum, ut *ex citato c. quicunque. in fine* patere ait Pirh. citans Jo-And. *ibid. v. perpetuò.* de quo tamen meritò dubitandum videtur, ſi cadaver, vel oſſa Hæretici exhumata, & locus reconciliatus.

Quæſt. 168. *Degradatio Hæreticorum quid ſit, coram, & à quibus, qualitérque infligenda, ob Hæreſin, & qualiter evitanda.*

1. REſp. Primò: Degradatio eſt pœna eccleſiaſtica, per quam Clericus ab officio & beneficio eccleſiaſtico depoſitus, omnibus inſuper Ordinibus Eccleſiaſticis, & Clericorum Privilegiis, etiam fori, & Canonis per ſententiam in perpetuum, & ſine ſpe reſtitutionis ſolenniter privatur, adeóque per eam degradatus, in poteſtatem ſæcularem tranſit, à qua capi, incarcerari & puniri poteſt, ſicut quilibet alius Laicus in quo poſteriore differt à ſimplici depoſitione, ita Gl. *in C. 2. de pœnis in 6. v. privilegio clericali.* Abb. *in C. cùm non ab hom. de Judiciis. n.* 5. Sylv. *v. degradatio. num.* 1. Clar. §. *fin. q.* 74. *n.* 1. Farin. *de Hæreſi. q.* 189. §. 2. *num.* 11. Laym. *L.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 5. *n.* 3. Caſtrop. *tr.* 29. *d.* 5. *p. ult. n.* 5. Pirh. *h. t. n.* 84.

2. Reſp. Secundò: Ut Clerici Hæretici degradentur, & poteſtati ſæculari ab eo puniendi tradantur, debent eſſe manifeſtè deprehenſi in Hæreſi, ſive per evidentiam facti, quia v. g. publicè prædicavit Hæreſim, ſive per legitimam probationem, puta, per teſtes convictus, ſive ex propria confeſſione in judicio, quam *C. ad abolendam. h. t.* juncta Gloſſ. *v. deprehenſi.*

3. Reſp. Tertiò: Cùm ad degradationem Clericorum non facilè convenire poſſet Epiſcoporum numerus, aliàs ad eam requiſitus à SS. Canonibus, *C. 3. & 2. cauſ. 15. q. 7.* (nimirum in Epiſcopi degradatione Epiſcopi duodecim, in degradatione Presbyteri ſex, in degradatione Diaconi, uti & probabiliter arg. *C. miramur. de ſervis non ordin.* in Subdiaconi degradatione tres) *C. quoniam. h. t. in 6.* conceſſum eſt, ut Sacerdotem, aliúmve Clericum in Sacris conſtitutum, dum ob Hæreſin ſæculari Curiæ tradendus, aut immutandus, (id eſt, ad perpetuos carceres damnandus) convocatis ſuæ Diœceſis Abbatibus, aliisque Prælatis ac Literatis, etiam Laicis, in utróque jure bene verſatis, de quibus ei videbitur, degradare poſſit, etiam actu, & realiter ſolus Epiſcopus proprius confirmatus & conſecratus, non tamen excluſo Capitulo Cathedrali, niſi Epiſcopus præſcripſiſſet, ut poſſit in puniendis & corrigendis ſubditorum exceſſibus ſine conſenſu aut conſilio ſui Capituli procedere, Franc. *in cit. c. quoniam. n.* 1, & in fine Pirh. *n.* 89.

4. Reſp. Quartò: Clericorum in Sacris conſtitutorum ob Hæreſin ad perpetuos carceres aut triremes damnatorum degradatio, etſi de jure communi eſſe debeat actualis & realis, eos tamen ex conſuetudine Tribunalis generalis, Inquiſitionis Romanæ, ordinariè nonniſi verbaliter degradari; teſtatur Farin. *l. c. q.* 199. §. 2. *n.* 16. Clerici tamen minorum Ordinum, etiamſi tradantur Judici ſæculari, ab eo damnandi ad mortem, non degradantur priùs

realiter, sed solùm verbaliter, Farin. *num.* 17. Pirh. *l. c.* arg. *cit. C. quoniam.*

5. Resp. Denique tametsi aliàs regulariter non tollatur pœna delicti per pœnitentiam, juxta *L. 6. ff. de furtis.* redeuntes tamen ad fidem Hæretici in continenti sponte (secus si ex intervallo, & non sponte, sed metu pœnæ & probationum) evadunt pœnam, saltem mortis, modò tamen etiam tunc hæresim abjurent, & congruam satisfactionem præstent. Abb. *in C. ad abolendam, n. 5. & 6.* Menoch. *de arb. cas. 37. num.* 10. Pirh. *h. t. num. 86.* Porrò hi redeuntes ab hæresi abjurare debent hæresim, non tantùm, quàm tenuerunt, sed & omnes quascunque alias Hæreses, aliàs non recipiendi. Farin. *q.* 194. *n.* 4. 12. *&* 13. & quidem publicè, si Hæreticus manifestus & Hæresin publicè professus. Item per scripturam manu propria abjurantis, vel per Notarium confectam, & ab abjurante subscriptam *c. 8. & seq. c.* 1. *C. maximum. 1. q.* 7. cujus abjurationis forma habetur *c.* 42. *dist.* 2. *de consecrat.* &, si abjurans nesciat scribere, sufficit Notarium se subscribere in præsentia testium audientium abjurationem ore proprio rei factam, ut Farin. *q.* 197. *num.* 15. Si verò Hæreticus recuset abjurare ad arbitrium Archi-Episcopi aut Inquisitorum, Judici sæculari ut pertinax & impœnitens relinquendus, modò convictus de Hæresi, vel in ea deprehensus, alioquin non statim tradendus Curiæ sæculari, sed priùs excommunicandus, & si per annum in excommunicatione steterit, condemnandus, Pirh. *l. c.* ex Farin. *l. c. n.* 34. *&* 35. Et hæc de degradatione ob hæresim. De cætero quæ spectant ad degradationem in genere, etiam ob alia crimina, ejúsque executionem, dicentur ad *tit.* 37. *de pœnis.*

Quæst. 169. *Quæ pœna Ecclesiastica statuta de Hæresi suspectis?*

1. Resp. Primò in genere: Suspecti de Hæresi, nimirum ob factum aliquod affine Hæresi, nisi de facto illo congruè ad suspicionis & personæ qualitatem coram Episcopo se purgaverint, subsunt excommunicationi, & sunt vitandi, &, si perstiterint per annum in illa excommunicatione, condemnandi & puniendi tanquam convicti de Hæresi *c.* 9. *h. t.* Abb. *ibid. num.* 8. & arg. *c.* 13. *h. t.* Barbos. *ibid n.* 8. Pirh. *h. t. n.* 86. *in fine.*

2. Resp. Secundò: In specie leviter suspectus, nimirum ex levibus indiciis (qualia sunt, ex quibus, non frequenter, sed rarò concluditur ad crimen suspectum, Castrop. *tr.* 4. *d.* 7. *p.* 1. *n.* 1. & qualia is *ibidem*, ex quibus quis in fide reddatur leviter suspectus, partim secundum communem Doctorum opinionem, partim ex Jure & Lege sic statuente, plura enumerat) non est condemnandus reus Hæresis, cùm lævia indicia modicæque conjecturæ movere non debeant virum prudentem ad Judicium ferendum de tam gravi crimine. Castrop. *l. c. n.* 4. citatis Simancas. *de Cathol. instit. tit.* 50. *num.* 28. Eymer. *p.* 2. *director. q.* 55. *n.* 2. Roias. *tr. de Hæret. p.* 2. *assert.* 6. *n.* 148. Farin. *q.* 187. *n.* 26. An verò sufficiat talis suspicio ad inquirendum specialiter contra aliquem ipsúmque interrogandum de fide, controversum est. Affirmant Scaccia *tract. de Judic. c.* 59. *n.* 2. Roias, *l. c. n.* 20. Calderin. *de Hæret. filiis. n.* 10. Paris. *l.* 4. *cons.* 2. *n.* 100. Decian. *tract. crim. l.* 5. *c.* 20. *n.* 21. Mascard. *de prob. l.* 2. *concl.* 861. *n.* 3. & alii apud Castrop. *n.* 5. Limitant alii, & admittunt de homine vili & improbo, negant de homine honesto, nobili, religioso, utpote, quem sola inquisitio gravissimè lædit & maculat. Alii etiam, ut Clarus *part. crim. §. fin. q.* 6. *n.* 6. Menoch. *de præsump. q.* 100. *n.* 2. *& seq.* Nav. *L.* 5. *h. t. cons.* 2. *n.* 8. negant de homine vili; eò quòd inquisitio & examinatio de credulitate alicujus institui nequit; quin de ejus recta fide dubitetur, dubitare autem de alicujus infidelitate nunquam licet ob lævia indicia. Denique aliter distinguit Castrop. *num.* 7. & admittit, si levis suspicio oriatur ex delicto, cui à jure vel consuetudine annexa est talis suspicio; eò quòd tunc directè examinetur tantùm super delicto causante talem suspicionem &c. suspicionem autem solùm in consequentiam, unde examinato nulla irrogatur injuria, cùm non imponatur illi alia suspicio, quàm quæ ei à jure imposita est. Negat verò, si delictum tale non est, sed quod solùm ex opinione Doctorum ingerit talem suspicionem. Ex quo infert *num.* 8. leviter suspectum suspicione probabili & juridica condemnari debere ad abjurandum de levi, ut tali abjuratione purget suspicionem contractam, ut Eymericus *l. c. num.* 9. *&* 10. Simanc. *l. c. tit.* 1. *rub. de abjurat. n.* 18. 21. *& seq.* Scaccia. *l. c. c.* 59. *n.* 10. Decian. *l. c. c.* 47. *num.* 2. Farin. *q.* 187. *n.* 31. ut autem condemnatio & abjuratio taliter leviter suspectis inferatur, delictum, ex quo oritur talis suspicio, debet esse plenè probatum; cum aliàs non sit vera suspicio, aut pœnâ digna, Masc. *l. c. n.* 7. Farin. *n.* 34. Menoch. *l. c. cons.* 82. *n.* 155. Castrop. *n.* 9.

3. Resp. Tertiò: valde seu vehementer suspectus de Hæresi, nimirum ex verbis & factis efficaciter & frequenter Hæresin concludentibus, ut Castrop. *num.* 2. varia horum verborum & factorum exempla adducens ex Eymer. primò condemnari potest ad abjurationem de gravi; cùm ea suspicio non videatur aliâ viâ purgari posse. Decian. *l. c.* Eymer. *l. c. num.* 9. *&* 12. Farin. *num.* 40. Castrop. *num.* 10. item damnari potest, in aliqua extraordinaria pœna, vel pecuniæ, vel triremis, vel fustigationis pro qualitate personæ & delicti, ex quo oritur suspicio; hoc enim ipsum est, quod punitur, Farin. *num.* 41. Penia *in director. p.* 2. *in Comment.* 80. *vers. sed hanc.* Suar. *de fide. d.* 23. *s.* 2. *n.* 5. Simanc. *l. c. tit.* 50. *rub. de præsump. n.* 21. Castrop. *l. c.* Si suspicio vehemens oriatur ex favoria, receptione &c. Hæreticorum &c. puniuntur, hi suspecti pœna statuta fautoribus, receptatoribus Hæreticorum, de quo vide Castrop. *num.* 11. & dicta partim supra, partim dicenda infra de pœnis temporalibus eorum.

4. Resp. Quartò: Suspecti de Hæresi maximè & violenter nimirum suspicione orta ex verbis vel factis arctantibus Judicem ad credendum sic facientem vel dicentem, v. g. Hæreticis exhibentes reverentiam, consolationem, communionem ab iis recipientes. *C. quicunque h. t. in* 6. in causis fidei excommunicati, in excommunicatione insordescentes per annum; contumacia, *h. t. in c.* 6. In purgatione Canonica sibi in causa fidei indicta deficientes, *C. inter consuetudines. de purgat. Canonica.* Hæreticos visitantes, & ab iis visitationes recipientes, dona iis mittentes, & ab iis recipientes. *C. accusatus. §. illæ. h. t. in* 6. hi, inquam, ut Hæretici damnari possunt; quia est præsumptio juris & de jure non admittens probationem directam in contrarium, juxta Eymer. *cit. n.* 10. Penia *l. c.* Farin. *num.* 46. *C. quicunque. C. contumacia. C. filii. h. t. in* 6. Castrop. *l. c. num.* 12. admittens tamen probationem indirectam, dum suspectus v. g. vult probare, testes examinatos falsum dixisse, vel indicia,

ex

ex quibus sumpta hæc suspicio, esse falsa. Simanc. *l.c. tit.* 51. *rub. de probat. n.* 13. Farin. *n.* 50. qui tamen *n.* 51. ait modum nihilominus procedendi in judicio contra sic suspectum esse eundem, qui est contra suspectum de vehementi.

5. His omnibus non obstantibus, non est condemnandus ut Hæreticus, aut etiam ut de ea vehementer suspectus, qui metu gravi cadente in virum constantem v. g. metu tormentorum & mortis, exteriùs negat fidem, etsi peccet graviter; eò quòd cùm Hæresis consistat in voluntario recessu à Catholica veritate, non præsumatur sic coactè recedens recedere voluntariè à fide; ac ita talis metus purgat suspicionem Hæresis, ita cum Simanca *l.c. tit.* 17. *num.* 29. & *l.c.* modo cessante tali metu statim signa doloris ostendat, & patrati sceleris pœnitentiam exposcat, ne aliàs præsumatur adhuc priùs ex animo consensisse & ratum habere turpem illum recessum. Unde & tunc ad abjurationem compellendus tanquam de Hæresi vehementer suspectus. Sic AA. cit. Penia *l.c.* Simanc. *num.* 37. Farin. *q.* 183. *à n.* 26. Azor. *instit. mor. p.* 1. *l.* 8. *c.* 9. *in fine.* de cætero, secus est de metu non ita gravi (pro cujus exemplo Castrop. ponit metum infamiæ, exilii, fustigationis non ita gravi) quia non videtur sufficiens in tam gravi crimine ad excludendam ejus suspicionem præsertim respectu Episcopi, Clerici, Monachi, Theologi, etsi ad hoc sufficeret respectu fœminæ, pueri, aut plebei.

Quæst. 170. *An quoque de Jure Civili incurrant infamiam & inhabilitatem ad Honores & Officia & Actus Civiles?*

1. RESP. Primò: Infamiam, quæ pœna est temporalis, incurrunt quoque Hæretici Jure Civili, ut constat ex *Auth. Gazaros. C. h. t.* ubi omnes Hæreticos utriusque sexûs, quocunque nomine censeantur, perpetua damnamus infamiâ. Item ex *L. Manichæos. L. quæ de Samaritis. auth. credentes,* fautores, receptores, qualitérque incurratur, dictum est supra.

2. Resp. Secundò: Hinc quoque de Jure Civili inhabiles sunt ad honores, officia publica & omnes actus Civiles, ita ut, per citata jura, si quis Hæreticorum, eorumque fautorum &c. ad honorem, dignitatem, aut officium publicum assumatur, vel aliquem ex actibus paulò post specificandis similibúsve exerceat, omnia sint nulla & irrita. Sic itaque in specie creari non possunt Civitatum defensores. *L. jubemus. C. Episcop. audien.* nec ad consilia vocari, juxta *Auth. Credentes C. h. t.* ut Ricciul. *de jure personar. L.* 5. *c.* 20. *num.* 7. Sanctarel. *de Hæres. c.* 25. *num.* 11. *vers. Hæretici.* apud Barb. *in C. excommunicamus. h. t. num.* 26. nec esse possunt testes, Barb. *num.* 27. citatis Menoch. *cons.* 149. *n.* 28. Rebuff. *de reprob. test. n.* 226. Farin. *de Hæres. q.* 56 *n.* 206. Sanctarel. *l.c.* nec esse consiliarii aut alii Ministri publici, Farin. *q.* 89. *à n.* 43. eóque teste Canonistæ omnes, nec consequi gradum Doctoris, eósque Judices & Advocati. *Auth. Credentes. h t.* Barb. *cit. n.* 26. Sanctarel. *l.c.* Ricciul. *l.c. n.* 11. & 13. nec esse possunt milites, ex *L. quicunque. §. nullum. C. h. t.* aliique, adducti per Decian. *L.* 6. *c.* 43. *n.* 4.

Quæst. 171. *An & qualiter Hæretici sint intestabiles, institui Hæredes, & ab intestato succedere nequeant?*

1. RESP. Ad Primum: Hæretici nec testamentum, nec codicillum, nec aliam voluntatem ultimam facere possunt. *C. excommunicamus. §. Credentes. h. t.* qui textus, etsi loquatur expressè de Fautoribus & Defensoribus Hæreticorum, à fortiore tamen de ipsis quoque Hæreticis intelligendus est, juxta omnes. Concordat Jus Civile. *L. Manichæos C. h. t. §.* 5. *ubi ergo scriptura illius irrita sit, sive testamento, sive codicillo, sive epistolâ, sive alio genere reliquerit voluntatem &c.* item *L. Ariani. L. fin. Auth. Credentes. C. h. t.* rationem reddit Castrop. *tract.* 4. *d.* 5. *p.* 26. *n.* 1. quia omnia illorum bona à die commissi criminis addicta sunt fisco, de quo paulò post. Extenditur responsio primò, ut testamentum, codicillus, fideicommissum sint nulla, etsi facta ad pias causas; quia jura indistinctè loquuntur. Farin. *q.* 190. §. 6. *num.* 92. Barb. *l.c. n.* 29. Pirh. *n.* 74. Item, etsi facta in favorem filiorum, eorúmque orthodoxorum, Gloss. *in C. cùm secundum leges h. t. in* 6. Simanc. *de Catholic. tit.* 9. *n.* 4. Barb. *l.c. n.* 30. Secundò, ut extendat se ad testamentum militare. *L. fin. C. h. t.* ut testamentum non convalescat post secutam pœnitentiam Hæretici, Farin. *n.* 93. Pirh. *l.c.* Tertiò, ut secundum probabilem, quam tenent Covar. *in clem. furiosus. p.* 1. §. 2. *n.* 2. Penia *l.c. p.* 2. *comment.* 165. Peregrin. *de jure fisci. L.* 5. *tit.* 2. *n.* 172. Barb. *l.c.* testamentum sit ipso jure nullum ante sententiam, tam declaratoriam quàm condemnatoriam, ita ut secuta sententia declaratoriâ criminis, retrahatur ad diem commissi criminis, & ab illo testamentum censeatur nullum. Contrarium tamen fortè probabiliùs sentientibus Molin. *de J. & J. Tom.* 1. *d.* 95. *post med.* Sanch. *L.* 2. *mor. c.* 24. *n.* 3. Vasq. *l.* 2. *d.* 171. *c.* 1. *n.* 21. Pirh. *h. t. num.* 74. Castrop. *l.c.* Farin. *q.* 190. *n.* 89. *in fin.* ex ea ratione, quòd Hæreticus non privetur Dominio utili suorum bonorum, & potestate transferendi ea in alios, donec sententia, saltem declaratoria criminis, succedat, adeóque sicut vi hujus potestatis potest bona sua validè etsi revocabiliter alienare, ita id etiam poterit testamento; ita Castrop. qui etiam subdit: Se non credere, quod tradit Farin. *n.* 93. nimirum Hæreticum pœnitentem & Ecclesiæ reconciliatum non posse testari de bonis acquisitis post abjurationem, eò quòd sententia confiscationis bonorum extendat se solùm ad bona habita ante abjurationem, & non ad habenda post illam. Posse nihilominùs testamentum ante sententiam juxta hos posteriores AA. validum invalidari per sententiam, admittunt iidem. Reiffenst. *h. t. n.* 299. eò quòd *in C. excommunicamus dicatur: Sit intestabilis*; quo verbo futuri temporis importari sententiam ferendam volunt.

2. Resp. Ad Secundùm: Privantur quoque omni successione ab testato, sive institui nequeunt Hæredes, Legatarii, aut quicquam capere ex testamento, aut ex alia voluntate ultima. Sed neque illius successionis ab intestato capax est, Farin. *l.c.* Calder. *tract. de Hæret. rub. de pœnis Hæres. n.* 2. Simanc. *de Cathol. instit. tit.* 46. *n.* 55. Castrop. *cit. p.* 26. *n.* 2. &c. juxta *L. Manichæos. C. h. t. §.* 1. *in fine*, ubi: *Ipsos quoque volumus ab omni liberalitate & successione, quolibet titulo venientes. L. Arriani. C. eod.* Proinde generaliter procedit responsio: sive successio deferatur jure communi, sive jure militari, id est, ultima voluntate militis, sive jure fideicommissi, institutionis aut particularis Legati Barb. *in C. excommunicamus. num.* 32. Ricciul. *l.c. L.* 5. *c.* 27. *n.* 3. & 4. Extenditur insuper specialiter, ut procedat, etiamsi deferatur per viam contractûs seu donationis inter vivos, *L. Arriani C. h. t. §. cunctis.* Farin. *q.* 190. *n.* 96. Sanch. *l.c. l.* 2. *c.* 14. *n.* 36.

n. 36. Azor. *p.* 1. *L.* 5. *c.* 8. *q.* 1. Barb. Castrop. *ll. cit.* Pirh. *n.* 75. Item etiamsi successio aut relictum deferatur vi majoratûs seu primogenituræ. Meres. *tract. de majorat. p.* 1. *q.* 1. *n.* 95. Sanch. *n.* 32. Ricciul. *num.* 6. Barb. *l. c.* Item extenditur juxta communiorem, quam tenent Vasq. *in opusc. mor. c.* 9. §. 4. *du.* 2. *n.* 122. Farin. *cit. q.* 190. *n.* 102. & 104. & plures apud illum præcipuo argumento desumpto ex *C. excommunicamus*, quod etsi expresse loquatur de fautoribus, receptatoribus Hæreticorum (qui fictione juris sunt Hæretici) efficaciùs tamen de his intelligendum, ita ut Hæreticus tanquam incapax privetur Hæreditate & legato à tempore durantis Hæresis, adeóque statim à commissione illius, etiam ante Sententiam declaratoriam illius, ex qua sententia sequitur, teneri Hæreticum durante hæresi sibi delatam Hæreditatem & legatum restituere seu potiùs relinquere Hæredibus ab intestato venientibus; quia cùm ipse sit incapax illius, non habet titulum ad retinendum. Neque etiam ea cedenda fisco, juxta *L. si quis mihi bona. ff. de acquir. Hæred.* & *L.* 1. *C. de Hæred. instit.* quam sententiam in judicando & consulendo tenendam esse ex eo præcisè, quia communis est, ait Castrop. *l. c. n.* 6. etsi censeat nullo jure probari Hæretici per sententiam non declarati incapacitatem succedendi. Nihilominùs contrariam sententiam, nimirum Hæreticum ante sententiam condemnatoriam aut declaratoriam non esse incapacem, & hinc non debere Hæreditatem aut legatum relinquere Hæredibus ab intestato, aut etiam fisco, tenent Less. *L.* 2. *c.* 10. *n.* 52. Sanch. *l. c. c.* 14. 31. & 34. eò quòd durum videatur sponte ante præceptum Judicis Hæreditatem aut legatum restituere. Ad quod tamen bene dicit Pirh. quòd, licèt durum sit privare se ipsum Hæreditate aut legato jam adito & obtento, secus tamen sit, de iis non aditis & obtentis, quorum ipso jure redditus est incapax. Atque ex his jam sequitur, quòd juxta sententiam priorem non tantum possit, sed & debeat repudiare Hæreditatem oblatam; secundum hanc posteriorem verò sententiam, etsi plures Doctores censeant eam repudiari non posse; quia talis repudiatio cedere videtur in fraudem fisci (utpote, qui post latam sententiam Hæreticum tanquam indignum Hæreditate, eâ privare potest) licitè & validè eam repudiari posse, ut cum Vasq. *opusc. de testam. c.* 9. *du.* 6. *num.* 24. Castrop. *l. c. num.* 8. eò quòd Hæretico solùm prohibitum sit alienare, quod ejus est, & fisco obligatum, non autem omittere acquirere, quod alienum est, & fisco obvenire potest, qualis est in hoc casu, Hæreditas. Extenditur denique ad donationem inter vivos, ita ut, sicut Hæreditatis & legati est incapax Hæreticus durante Hæresi, sic & hujus donationis, ita ut teneatur donanti restituere, nec publicanda sit per fiscum, ita Host. *inc. in eos. h. t. v. nihil conferant.* Azor. *p.* 1. *L.* 5. *c.* 8. *q.* 1. Farin. *q.* 190. *num.* 96. Castrop. *l. c. n.* 10. dicens communem, quamvis *num.* 11. subjungat, se credere attento rigore juris, probabilius validam esse talem donationem, neque Hæreticum ante sententiam obligatum esse restituere, sententiâ verò secutâ pertinere ad fiscum.

2. E contra limitatur responsio primò in Hæretico absoluto ab Hæresi & reconciliato Ecclesiæ; cùm per eam reconciliationem cesset ista incapacitas, & nanciscatur utrámque testamenti factionem, ut & testari, & hæres institui possit, Sanch. *cit. c.* 14. *n.* 40. Ricciul. *cit. c.* 27. *n.* 17. Barb. *l. c. n.* 33. Castrop. *l. c. n.* 7. An verò ad hoc sufficiat, Hæreticum pœnitere, an autem requiratur, ut etiam absolvatur, controvertitur. Posterius sentit Vasq. *l. c. c.* 9. § 4. *du.* 2. *n.* 123. Eò quòd quam diu non absolvitur, censeatur in Hæresi perseverare. Priùs, nimirum solum pœnitentem non tantùm in foro conscientiæ, ut docet Sanch. *l. c.* sed & in foro exteriore, dum de verâ pœnitentia constat, capacem esse Hæreditatis, credit Castrop. eò quòd licèt excommunicatio tollatur per absolutionem, & non per pœnitentiam, Hæresis verò solâ pœnitentiâ, incapacitas autem succedendi non proveniat ab excommunicatione, sed ab ipso peccato Hæresis. Secundò in legato alimentorum, cujus Hæreticus capax est, Barb. *l. c.* citatis Surdo *de aliment. tit.* 9. *q.* 33. *n.* 7. & *seq.* Molin. *tract.* 2. *d.* 154. *Col.* 2. *vers. de Jure Civil.* Borgnin. *tract. de usufr. n.* 238. Ricciul. *cit. c.* 27. *n.* 19. contra Menoch. *Cons.* 185. *num.* 8. idque non tantum post pœnitentiam & absolutionem ab Hæresi, ut Sanch. *l. c. n.* 43. in quantum censet, illorum quidem capacem esse Hæreticum pro tempore, quo durat Hæresis, sed ea usurpare posse fiscum, si, cum pronunciavit sententiam condemnatoriam invenit inter delinquentis bona, quia illa sunt bona illius præsentia, sed & pro tempore, pro quo perseverat in Hæresi, ut Castrop. *num.* 9. dum credit, ea non publicari seu confiscari, & hinc si illorum capax est tempore Hæresis, non fisco, sed Hæredibus ab intestato debita, & quidem irrevocabiliter.

Quæst. 172. *An & qualiter confiscatio bonorum sit pœna Hæreticorum, & qualiter fieri possit, & cui bona confiscata applicanda?*

1. Resp. Primo: Pœna Hæreticorum quocunque nomine venientium; tam Jure Civili quam Ecclesiastico ipso facto statuta à die commissæ Hæresis est confiscatio bonorum, ita ut filiis etiam Catholicis in nullo successio relinquatur, ut cum omnino commuui & claros textus utriusque juris *auth. Gazaros. C. h. t.* ubi: *Censentes, quod bona talium* (Hæreticorum) *confiscentur, nec ad eos amplius revertantur, ita, ut filii eorum pervenire non possint &c.* ubi etiam ratio verbotenùs desumpta ex *C. vergentis h. t.* (per quod hæc lex ex toto canonizata est) redditur, nimirum quòd cum reorum criminis læsæ Majestatis bona dicto modo confiscentur, *L. quisquis. C. ad Leg. Jul. Majestatis, quanto magis, qui aberrantes à fide Domini Dei Filium Jesum Christum offendunt à Capite nostro, quod est Christus, debent distinctione præscindi & bonis temporalibus spoliari* &c. *& cùm Leges secundum h. t. in* 6. *ubi bona Hæreticorum ipso jure* de Fratrum consilio decernimus confiscata. Less. *de Inst. L.* 2. *c.* 29. *n.* 8. Sanch. *in Decal. c.* 19. Farin *pr. crim. p.* 1. *q.* 25. *n.* 10. & 11. Menoch. *de arb. cas.* 574. *n.* 4. & alii magno numero citati à Barb. *in C. vergentis. n.* 2.

2. Resp. Secundò: Notando cum Castrop. *tr.* 4. *d.* 5. *p.* 1. *n.* 2. in executione hujus confiscationis leges non Civiles, sed Ecclesiasticas spectandas; cùm Hæresis sit crimen merè Ecclesiasticum. *C. inquisitionis. §. prohibemus h. t. in* 6. dum autem crimen est Ecclesiasticum, tam Laici quàm Clerici subduntur Legibus, & jurisdictioni Ecclesiæ. *C. licèt de foro compet.* junctâ Gloss. *v. vacante Imperio.* Unde Principes & temporales Domini contra voluntatem Ecclesiæ confiscationis pœnam nequeunt exequi. Quid autem iidem possint, latâ per judi-

cem

cem Ecclesiasticum sententiâ declaratoriâ criminis, mox dicetur.

3. Resp. Tertiò: tametsi igitur confiscentur, & confiscata sint hæreticorum bona à die commissæ hæresis, quo ipso jure absque ullâ sententiâ Judicis condemnatoria, intellige tam criminis quàm pœnæ, non secus ac in crimine læsæ Majestatis humanæ, ut cum Gl. *in C. cùm secundum h. t. in 6. V. ipso facto.* Franc. *ibid.* §. *confiscationis. not.* 1. Sanch. *l. 2. mor. C.* 14. *n.* 1. testans de communi omnium consensu recepta, Pirh. *h. t. n.* 60. nihilominùs tamen requiritur sententia Judicis, quâ declaretur, quis reus hæresis, antequam fiat executio, & in præsente in pœnam delicti spolietur possessione bonorum suorum; nisi fortè crimen esset ita notorium, ut nulla tergiversatione celari posset, ut Abb. *in C. cùm ab homine. de Judic. n.* 29. Farin. *in C.* 1. *de constit. n.* 45. Nav. *Cons.* 20. *h. t. n.* 5. Pirh. *n.* 58. sententia enim declaratoria in iis tantùm requiritur, ut constet de crimine, unde, si de eo jam constet, exspectanda non est hæc sententia, post latam verò sententiam declaratoriam illam criminis statim posse fieri executionem per Judices Sæculares, & bona per illos occupari absque alio processu, imò sine alio mandato Judicis Ecclesiastici, eò quòd illis ex hâc sententia acquisitum sit jus illud occupandi illa, astruit Pirh. *l. c. not.* 2. atque ita necdum dici posse videtur, executio fieri purè per Judices Sæculares, si jus illud occupandi ita acquisitum per sententiam illam latam à Judice Ecclesiastico. Fieri autem potest hæc executio etiam post mortem hæreticorum, si priùs accusati de hæresi, non nisi post mortem convicti & condemnati fuerint; non enim pendente accusatione mortui crimen extinctum est, quin contra hæredes continuari possit, quin & inchoati accusatio, in ordine, ut bona defuncti cedant fisco. Arg. *C. accusatus.* §. *in eo. h. t. in 6.* Gl. *ibidem. v. porro in figuratione.* Franc. *ibidem* §. *in eo.* Farin. *tr. de hæresi. q.* 190. *n.* 9.

4. Resp. Quartò: sed neque ante latam sententiam declaratoriam criminis hæreticus amittit dominium & administrationem bonorum, quo jure secundum probabiliorem, ùt videtur, quam tenent Molin. *l. c. d.* 95. *n.* 22. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 22. *n.* 3. & 4. & plures apud illum contra Azor. & Farin. eò quòd exillo, quod confiscatio illorum à die commissi criminis ei sit annexa solùm, sequatur bona ab eo die realiter esse obligata & hypothecata tacitè fisco, quod bene stare potest cum Dominio, non secus dominium rei hypothecatæ est penes debitorem, etsi res sit obligata Creditori, post sententiam tamen declaratoriam hæresis confiscatio actualis seu privatio & amissio retrotrahitur ad diem commissi delicti, ac si illo die lata fuisset, unde bona interea alienata fisco restitui debent unà cum fructibus perceptis, & alienationes contractúsque interim initi rescindi, ut Sanch. *n.* 33. dicens receptissimum apud utriúsque Juris DD. & Theologos, nisi possessio bonorum defuncti fisco obstrictorum sit contra fiscum præscripta, ad quod requiruntur anni 40. vel nisi alienationes sint necessariæ ad alendum se & familiam solvendáque debita. Ex quibus jam infertur, non esse obligationem ante sententiam bona offerendi fisco, ut Barb. *in C. urgentis. h. t. n.* 3. citatis pluribus, & Authores mox citandi, nec delinquenti à Principe imponi posse, ut is in se ipsum tam gravem pœnam exequatur, privando se possessione bonorum suorum, cùm per legem ad ejus executionem obligare sit extra potestatem Legislatoris, quia bono communi non expedit, dum talis obligatio sit humanæ infirmitati contraria, & hinc multis transgressionibus exposita, & ita tenent Covar. 4. *Decret. p.* 2. *c.* 6. §. 8. *n.* 10. Gometz. *l.* 3. *var. C. ult. n.* 3. Azor. *l. c. p.* 1. *l.* 5. *c.* 7. *q.* 1. & 2. Sanch. *l. c. n.* 7. Suar. *de fide d.* 22. *s.* 3. *n.* 3. Farin. *q.* 190. *n.* 23. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c. p.* 18. *n.* 2 Item Pirh. *h. t. n.* 62. sed neque admittenda distinctio, quâ aliqui volunt esse obligationem spoliandi se bonis, dum delictum est publicum, secus, si est occultum, cùm lex confiscans bona loquatur æquè de delictis occultis ac publicis, ita Castrop. *n.* 3. cum Suar. Farin. qui etiam addit, non esse illam obligationem, etiamsi quis crimen suum confessus esset in Judicio, quinimò etiamsi lex aliqua diceret, non esse opus sententiâ declaratoriâ, ut quis amittat & per se cadat sua bona, eò quòd, ut dictum, talis sit nimis acerba & regulariter ultra vires humanas, & bono communi non expediens, adeóque intelligenda lex talis de sententia declaratoria pœnæ, ita ut hæc censeatur incursa sine hac sententia, non tamen sine aliqua sententia declaratoria criminis, ut Vasq. 1. 2. *d.* 170. *à n.* 21. Sanch. *l. c. n.* 20. Gometz. Castrop. *ll. citat.* sed neque ante hanc sententiam fiscus ea bona occupare potest, ut Vasq. *l. c. c.* 4. *n.* 15. Sanch. *n.* 18. quamvis, ut cum Suar. notat Custrop. *l. c.* Fiscus ante hanc sententiam bona illa alteri tradere possit custodienda, ne auferantur.

5. Resp. Quintò: latâ sententiâ criminis declaratoriâ, executioni nequit resistere, utpote tunc justæ ac debitæ adeóque ea ex proposito occultare, & alteri custodienda tradere nequit, nec fiscus ea occupare possit; quia hæc est positiva resistentia. Sanch. *cit. c.* 22. *n.* 11. Bonacina *d.* 3. *de contract. q.* 8. *p. ult.* §. *n.* 5. Castrop. *l. c. n.* 5. testans de ferè communi. Item interrogatus de bonis, quæ habet & fisco jam applicatis, debet ea manifestare, quòd nisi faciat, executioni sententiæ positivè resistit, peccátque contra justitiam adversùs fiscum, qui ratione dominii acquisiti per sententiam jam jus habet in delinquentis bona, adeóque & jus obligandi delinquentem, ut de eis interrogatus veritatem dicat. Sanch. *l. c.* Azor. *cit. c.* 8. *q.* 4. Castrop. *l. c.* Idémque, ut iidem, dicendum de hærede & possessore, penes quem talia bona existunt. Si verò condemnatus bona illa interrogatus non occultat, nec resistat, si auferantur, sed potiùs ea petita paratus offerre, satisfacit absque eo, quòd ea ultroneè seu non petita offerat; cùm sententia (aliàs durissima, ut dictum) non obliget ad ea deferenda fisco, sed solùm jus tribuat fisco ea capiendi, Azor. Govar. *LL. cit.* Suar. *l. c. S.* 2. *in fine* Sanch. *l. c. n.* 8. in qua tamen sententiâ, ut ait Castrop. *n.* 6. communi difficultatem facit ex eo, quòd, cùm facta condemnatione delinquens jus nullum in illis bonis habeat, sed illud totum translatum sit ad fiscum, & si hic ea non petat, delinquens ea non retinere possit, multóque minùs ea alienare, aut in usus proprios convertere.

6. Resp. Sextò: bona Clericorum confiscata ob hæresim patrimonialia tam immobilia quàm mobilia, secundùm Gloss. *in Clem.* 2. *h. t. V. Ecclesiarum.* Lopez. *in pract. crim. Can. c.* 117. *in addit. Lit. F. V. applicantur.* Sylv. *V. hæreticus.* 1. *n.* 13. Farin. *de hæres. q.* 190. §. 11. *n.* 154. *n.* 37. & 38. Pirh. *n.* 68. Barb. *in C. excommunicamus. h. t. n.* 8. & alios apud illum, applicanda sunt fisco Ecclesiæ Episcopalis, in pios usus distribuenda, secundùm alios (quorum sententiam approbat Covar. *l.* 2. *resol. C.* 9. *n.* 12. cùm Capones dicentes applicanda Clericorum hæreticorum bona Ecclesiis non loquantur de bonis, de quibus ii aliàs non hæretici testari

testari possunt) applicanda fisco Principis, idem ii sentiunt de bonis eorum quasi patrimonialibus, de quibus etiam liberè testari possunt, quæ acquiruntur non ex fructibus beneficii, sed ratione alicujus ministerii Ecclesiastici, v. g. promissis legendis administratione Sacramentorum, sepeliendis defunctis, bona verò ab iis acquisita intuitu beneficii Ecclesiastici tanquam indubitatum juxta *C. excommunicamus. § damnati h.t.* debere applicari Ecclesiæ, cui serviverunt, tenent à fortiore præter Authores paulò ante citatos Sanch. *l. c. c.* 20. *n.* 24. Clar. *V. hæresis n.* 13. Vasq. 1. 2. *d.* 169. *c.* 2. *n.* 19. Azor. *l. c. c.* 12. *q.* 14. Penia *in director. inquisit. p.* 3. *Schol.* 154. Covar. *l. c.* Sanctarel. *de hæres. c.* 23. *n.* 2. ubi etiam, quòd quando clericus à pluribus Ecclesiis stipendia accepit, ejus bona confiscata pertineant ad omnes illas Ecclesias juxta proportionem stipendii accepti. Quod si hæreticus est Laicus, bona illius confiscata pertinent ad fiscum Principis Sæcularis, ita tamen, ut ab hoc istiusmodi executio fieri nequeat, nisi priùs fuerit lata sententia declaratoria criminis per Judicem Ecclesiasticum, juxta *C. cùm secundum, h. t. in* 6. & dicta à nobis paulò supra. Porrò hìc notandum ex Castrop. *l. c. p.* 23. *n.* 2. quòd, cùm punire hæresim tanquam crimen purè Ecclesiasticum tam in Laicis quam Ecclesiasticis spectet ad Pontificem, & inter pœnas illius sit confiscatio bonorum in imponenda illâ & exequenda, adeóque etiam in determinanda applicatione bonorum confiscatorum constitutiones Pontificiæ servandæ sint, & præferendæ aliis Principum constitutionibus contrariis, ac proinde constitutiones, si quas quò ad hanc applicationem observandas, quandoque Pontifex ad speciales Provincias & personas dirigit, hæ tanquam leges universales pro tota Ecclesia observandæ, ut constat ex pluribus Legibus Corpori juris insertis, quæ non nisi ad speciales personas directæ fuerunt, quibus tamen non obstantibus, attendendæ sunt, & servandæ diversorum locorum consuetudines diversæ quòad hanc applicationem præscriptæ, dum à Sede Apostolicâ non reprobantur, dum etiam ea applicatio ad Inquisitores aliosque Ministros Pontificis, quibus concessum de hæresi judicium tanquam accessoria condemnationi, spectat Pirh. *h. t. n.* 73. *in fine.*

Quæst. 173. *Quænam bona hæreticorum obnoxia confiscationi, quænam non?*

1. Resp. Ad primum, primò in genere: omnia bona, tam mobilia, quàm immobilia, jura & actiones hæretici propria dum hæresim committit, confiscantur ipso jure, *L. Manichæos* Vasq. 1. 2. *d.* 96. *n.* 3. Sanch. *cit. l.* 2. *c.* 14. *n.* 1. 2. Suar. *l. c. d.* 22. *s.* 5. *n.* 4. Castrop. *tr.* 4. *d.* 5. *p.* 2. *n.* 2. secùs est de bonis, quæ sunt alterius, etsi in potestate hæretici. Item de bonis, quæ fuerunt hæretici, sed non sunt illius tempore delicti, quia ea alienavit donatione simplici aut contractu, nisi alienata in fraudem fisci, quia tunc nulla est donatio vel venditio, sed revocatur à fisco. Farin. *in pr. crim. q.* 164. *n.* 48. & 50. Castrop. *cit. p.* 2. *n.* 3. præsumitur hæc fraus, si facta alienatio statim, ac delictum committitur, nisi necessitas alienandi appareat. Menoch. *L.* 3. *præsump.* 127. *n.* 17. Gomez. *Tom.* 3. *Var. c.* 14. *n.* 4. Castrop. *l. c. n.* 4. contra Fabium *in Instit. §. item, quis in fraudem à n.* 7. item, si fiat donatio omnium bonorum vel majoris partis eorum, Menoch. *præsump.* 124. *n.* 7. & 8. Mascard. *de prob. concl.* 558. *n.* 1. & 2. Castrop. *n.* 4. idque etiam, si donatio facta interpellatis vicibus & diversis personis, Menoch. *n.* 10. Gomez. *n.* 21. Idem est de alienatione bonorum meliorum & pretiosorum, Menoch. *n.* 9. Gomez. Castrop. *LL. cit.* secus est in venditione majoris partis bonorum, aut etiam si venditio omnium bonorum facta est justo pretio, vel parùm minori absque omni occultatione. Gomez. *n.* 8. Castrop. *l. c.* Item fraus præsumitur, si facta donatio vel venditio personæ conjunctæ sanguine vel amicitia, à qua donatum vel venditum facilè recuperari potest. Menoch. *n.* 23. Castrop. *l. c.*

2. Resp. Ad primum secundò: bona sub conditione donata ab hæretico purificata conditione, dum hæresis seu delictum committitur, obnoxia sunt publicationi seu confirmationi. Farin. de hæres. *q.* 190. *n.* 12. Suar. *l. c. n.* 3. Simanc. *de Cathol. Instit. c.* 9. *n.* 9. Castrop. *l. c. p.* 3. *n.* 1. dicens communem, quia dicta bona sunt donantis, quamdiu conditio non impletur, hac impleta sunt, sunt fisci ob hæresim donationis. Idem est de donatis sub conditione causâ mortis, ita ut, si donator postea fiat hæreticus; sic donata confiscentur, ac si nulla donatio facta, cùm tunc, quando donatio debebat habere effectum, jam donatum non sit donantis, sed fisci, Castrop. *l. c.* qui tamen *n.* 2. secus sibi ait, de bonis donatis absolutè causâ mortis, si donata à viro uxori, ita ut talis donatio commisso delicto cæteris bonis confiscatis firma maneat, & bona illa non transeant in fiscum, non secus, acsi mors naturalis Donatoris evenisset. Pro quo citat. *L. sed si mors. ff. de donat. inter vir. & uxor. L. res uxoris. C. eod. L. quisquis §. uxores. C. ad Leg. Jul. Majestat.* & Bald. *in L. in executorem. C. de execut. rei Judic. col.* 9. Molin. *de J. & J. d.* 659. *in fine.* Sanch. *de matrim. l.* 6. *d.* 17. *n.* 5. Farin. *q.* 25. *n.* 130. Ut autem talis donatio firma remaneat respectu fisci, traditionem factam requirunt, Farin. *l. c. n.* 137. Clarus. §. *donatio. q.* 9. *vers. Scias autem:* contrarium tenente Molin. *Tom.* 2. *d.* 288. §. *dubium est,* utrámque sententiam hanc probabilem sentiente Castrop. *l. c.* ubi etiam contrarium sentit, de donatione facta absolutè causâ mortis ab uxore, viro vel à viro aliis, ita ut ea non confirmetur morte civili donantis, sed omnino dissolvatur, & bona donata transeant ad fiscum, eò quòd morte civili confirmetur donatio causâ mortis facta uxori respectu fisci sit speciale privilegium, respectu uxoris, juxta *cit. L. res uxoris.* pro quo citat Molin. *Tom.* 2. *d.* 289. §. *disput.* præced. Sanch. *ubi ante n.* 6. Farin. *l. c. n.* 131. & *q.* 164. *n.* 17.

3. Resp. Ad primum tertiò: debita hæretico & jura conditionata sub conditione futura descendentia ex contractu aliquo, v. g. venditionis, stipulationis, cadunt sub confiscatione, etiamsi conditio impleatur priùs post condemnationem. Menoch. *cons.* 101. *n.* 25. *quemad. in qq. fiscal. q.* 10. Castrop. *L. p.* 4. *n.* 3. Pereg. *de jure fisci. l.* 5. *tit.* 1. *n.* 132. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *C.* 7. *q.* 8. Vasq. 1. 2. *d.* 169. *c.* 1. *n.* 6. Sanch. *L.* 2. *c.* 14. *n.* 15. & alii, quos citat & sequitur Barb. *in C. urgentis. h. t. n.* 6. ex ea ratione, quòd jus illud sicut transmissibile est ad hæredes juxta §. *ex conditionali. Inst. de V. O.* ita etiam ad fiscum, secus est de debitis hæretico ex testamento, ut est hæreditas, legatum, fideicommissum, utpote, quæ sicut transire nequeunt ad hæredes, ita neque ad fiscum, ad quem transmitti solùm possunt, quæ ad hæredes extraneos transire possunt, quia fiscus est loco hæredis extranei, per *l.* 2. *C. ad Leg. Jul. de vi.* Sanch. *l. c.* Farin. *cit.* 9. 25. *n.* 143. Castrop. *cit. p.* 4. *n.* 2. Et quid de substitutione conditionali, quod non transeat

eat ad fiscum, si conditio purificetur post sententiam, sumitur *ex L. substitutio. ff. de acquir. rerum dominio. & L. ex facto. §. fin. ff. de vulg. & pupill. & ibi* Baldus, quem sequitur Gigas *de crim. læsæ Majest. L. 2. q. 7. n. 2.* Farin. *l. c. n.* 144. Sanch. *cit. c. 14. n. 18.* de fidei commissis, si fidei commissarius decedat ante conditionis eventum, constat *ex L. legata sub condit. ff. de condit. & demonst.* de legatis conditionalibus ea non transire in fiscum, si conditio sub qua legata impletur, post delictum, probatur manifestè *ex L. unic. c. de caduc. toll.* Farin. *cit. n.* 144. Covar. *qq. pract. C. 39. in fine.* Sanch. *l. c. n.* 17. quin & legatum alimentorum, etiam durante vita banniti non transire in fiscum, tenent Bossius *tit. de bonis public. n.* 24. Clarus *qq. pract. q.* 78. *vers. item in fiscum.* Farin. *l. c. n.* 145. Ita ferè Castrop. *cit. n. 2.* apud quem etiam vide rationem discriminis, cur potiùs debita ex contractu, & non debita conditionata ex voluntate ultima transeant ad fiscum.

4. Resp. Ad secundum primò: Bona Ecclesiæ, ut domus, prædia ac similia, ex quibus Clerici reditus beneficii percipiunt, non confiscantur ob Hæresin Clericorum, qui ea possident, quin & ipso jure excommunicantur Judices illa confiscantes, *Clem. 2. h. t. post. princ.* per hos verò Judices intelliguntur ipsi Inquisitores, & eorum Commissarii seu Vicarii, etiam Episcoporum & Capitulorum sede vacante ab iis ad negotia inquisitionis deputati, vel ab iis substituti, Gl. *hic. v. in casu.* Sanch. *L. 2. c. 20. n. 4. & 5.* Pirh. *h. t. n.* 71. non tamen excommunicantur id attentantes Episcopi, aut alii Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes; quia de illis in jure, quo ad hoc non fit mentio, excommunicatio autem non est extendenda ad casus non expressos, ita Sanch. *l. c. C. 22. n. 6.* Farin. *de Hæresi. q. 186. num. 141.* Pirh. *l. c.* Extenditur dicta excommunicatio ipso jure lata, *in cit. clem.* ad eosdem, si illicitè, seu quibuscunque modis illicitis pecuniam, aut res pecuniâ æstimabiles à delinquentibus, etiam Ecclesiæ applicandam extorqueant prætextu officii inquisitionis, aut in causa fidei; secus si illicitè id faciant, aut ignorantes esse bona Ecclesiæ, Sanch. *n.* 7. Farin. *n.* 139. & sic ea excommunicatio incurritur, si bona acquisita à Religioso professo, qui præest alicui Ecclesiæ, etiam intuitu personæ illius, applicantur fisco; cum ea sibi utpote professo acquirere non potuerit, sed Ecclesiæ, Gl. *in cit. Clem. v. Ecclesiarum.* Sanch. *n.* 13. ab utrâque tamen hac excommunicatione, utpote non reservata Papa absolvere potest Prælatus Papâ inferior, quamvis absolutio à priore excommunicatione non permittatur Ordinariis, nisi priùs iis, à quibus pecuniæ sunt extortæ, plenè sit satisfactum, Gl. *v. absolvi.* Sanch. *n.* 18. *a.* 19. & 21.

5. Resp. Ad secundum secundò: Jus patronatus (cujus non datur propriè confiscatio, sed extinctio) personale, & de se principale non includitur in confiscatione bonorum, nec per se Judex Laicus potest illud confiscare, (intellige minùs propriè loquendo) seu extinguere ob defectum jurisdictionis spiritualis, sed manet penes delinquentem, donec is per Judicem Ecclesiasticum eo privetur, tanquam eo indignus, vel etiam is ipso jure post latam sententiam declaratoriam criminis illo privetur, in quo casu Ecclesia manet libera à jure patronatûs, sibi oneroso, quod quidem privilegium immunitatis à confiscatione, etsi in jure expressum non sit, est tamen consuetudine receptum; ita Rochus *de jurep. v. ipse vel is. q. 29. num. 69.* Clar. *§. fin.* Molin. *de primogen. L. 1. c. 24. n. 26.* Sanch. *in Decalog. L. 2. C. 19. n. 26.* Farin. *de Hæres. q. 191. §. 1. num. 24.* Garc. *de benef. p. 5. C. 25. & seq.* Lambert. *L. de jurep. L. 3. q. 8.* Azor. *p. 1. L. 8 c. 12. q. 9.* Castrop. *l. c. p. 5. n. 1.* & plurimi alii, quos citat Barbos. *in C. urgentis. h. t. num. 21.* quòd si tamen sint plures compatroni, Ecclesia non manet libera, sed jus patronatûs pergit residere penes cæteros, utpote, qui sine sua culpa jure acquisito privari non debent, Castrop. *n. 2.* cum Sanch. *n. 17.* Item, si institutor juris patronatûs non vocavit successores, ad quos jure hæreditario cum aliis bonis transiturum esset jus patronatus, Ecclesia in dicto casu manet in perpetuum libera. Si verò vocavit successores, dixitque, ut succedant post vitam delinquentis, hoc vivente, Ecclesia manebit libera, si voluit, ut statim à commisso crimine succedat proximus agnatus, negant ei, talem dispositionem præjudicare posse fisco, tenere debent, Ecclesiam manere liberam; affirmantes verò, eam præjudicare fisco, affirmare debent, statim jus patronatus transire ad designatum successorem, Castrop. *cit. n. 2.* De cætero, si jus patronatus transire non potest ex voluntate Institutoris, seu Fundatoris Ecclesiæ ad hæredes extraneos, transire nequit ad fiscum, seu is illud usurpare non potest, quia is loco extranei Hæredis habetur, *ex L. 2. ad Leg. Jul. de vi.* ubi verò confiscatio omnium bonorum fit à Judice Ecclesiastico, ut contingit in crimine Hæresis, sive Patronus sit Laicus, sive Clericus, jus patronatus transire potest ad Hæredes extraneos, juxta *Clem. Pastoralis. §. rursus. de sent. & re judic.* confiscatione autem facta omnium bonorum à Judice Laico, (uti ea ab illo fieri potest directè jus patronatûs annexum castro, alterive rei confiscatur indirectè, & manet confiscatum, seu suo modo transit ad fiscum. Si verò nulli rei confiscabili directè, sed personæ, confiscatis omnibus bonis illius personæ, manet inconfiscatum, quia non potest confiscari indirectè, seu accessoriè ad bona directè confiscabilia, cum nullis adhæreat, neque directè confiscari potest à Judice Laico, Castrop. *n. 8.*

6. Resp. Ad secundum tertiò: Pensiones ecclesiasticæ non veniunt sub confiscatione omnium bonorum, facta à Judice Laico, tum quia sunt quid spirituale, tum quia pensionarius talis judicari nequit à Laico, cùm sit de jurisdictione Ecclesiæ, ratione talis pensionis, Castrop. *n.* 11. confiscari autem possunt à Judice Ecclesiastico pensiones decursæ ante sententiam, quia sunt bona delinquentis, secus est de pensionibus decurrendis post sententiam, quia confiscatio non extendit se ad bona futura, seu acquirenda post condemnationem, Castrop. cum Suar. *de fide. d. 22. s. 5. n. 6.* de jure autem percipiendi illas, loquendum ferè sicut de jure patronatûs, jus enim illud propriè non confiscatur, sed, dum crimen est dignum privatione juris percipiendi pensiones, extinguitur in favorem Ecclesiæ, & beneficium, ex quo solvebatur pensio, manet liberum ab illo onere, Iidem. Simile quid est, quò ad censum annuum perceptum, & percipiendum ante vel post condemnationem, ita tamen, ut res censui obnoxiæ pertinentes ad Dominum censûs delinquentem confiscentur, (intellige post sententiam declaratoriam criminis) reservato tamen jure solvendi sibi censum, quod in iis habet alter, cui obnoxiæ, Barb. *in C. urgentis. h. t. n.* 16. citatis Bajardo *ad Clarum. §. Hæresis. n.* 19. Farinacio *de Hæres. q.* 190. §. 1. *n.* 25. Sanch. *cit. L. 2. C. 14. n. 7.* item Castrop. *L. p. 8. n. 3.* ex ea ratione, quòd fiscus succedit in juribus delinquentis, ac proinde in dominio utili &

directo prædiorum, rerúmque aliarum Hæretici, cum obligatione tamen censum ei, cui is debetur.

7. Resp. Ad secundum quartò: Non confiscatur Emphyteusis, quæ ad hæredes extraneos transmitti non potest, privatur tamen eâ quò ad commoditatem percipiendi fructus delinquens, eâque transit ad successores vocatos, etsi nulli vocati sint, redit ad Dominum directum, Farin. *l. c. q.* 190. *n.* 63. Castrop. *l. c. n.* 4. secus est de Emphyteusi, quæ ad hæredes extraneos transire potest, non existente aliqua speciali prohibitione, Farin. *l. c.* Clarus §. *Emphyteusis. q.* 29. *n. unico.* Vasq. 2. 2. *d.* 169. *c.* 3. *n.* 25. Azor. *l. c. c.* 12. *q.* 11. Molin. *de Just. tr.* 2. *d.* 481. *concl.* 1. Barb. citatis insuper plurib. aliis, Castrop. *l. c. n.* 2. Sanch. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 24. & 26. ubi etiam resolvit, quòd fiscus ad instantiam Domini directi cogi possit, ut vendat Emphyteusin, transferatque in personam, quæ non ita potens, & tot gaudens privilegiis, dum verò fiscus Emphyteusin retinet, tenetur jus integrum servare Domino, quod in ea habebat, dum à delinquente possidebatur. Ampliant hoc ipsum in Emphyteusi Ecclesiastică, seu ea, quæ accipitur ab Ecclesia, Xenodochiis, aliisque locis piis, Azor. *l. c.* Simanc. *de Cathol. inst. tit.* 9. *n.* 103. Barb. *l. c. num.* 7. citatis aliis, Sanch. *l. c. n.* 29. contra Clarum & Molin. *ll. cit.* censentes, Emphyteusin Ecclesiasticam non posse publicari, quod idem tenet Castrop. *l. c. n.* 2. dum ait: Si concessa ab Ecclesia, non potest ad hæredes extraneos transire, nisi ab ea fuerit in perpetuum concessa, Sanch. etiam *num.* 31. verius censet, dari optionem Ecclesiæ, ut intra biennium deliberet, an malit revocare, quàm fiscum habere Emphyteutam. De cætero, ad quem fructus & commoditates, quas Emphyteuta delinquens percipere debuisset, spectent tempore vitæ emphyteutæ, vide fusè tractatum à Castrop. *l. c. à n.* 5. Item, num Ecclesiæ competat jus revocandi Emphyteusin Ecclesiasticam in fiscum translatam, vide apud eundem *à n.* 9. & ad quem pertineant melioramenta facta in prædio Emphyteutico, vide apud illum *à n.* 13.

8. Resp. Ad secundum quintò: Fidei commissum, seu bona fidei commisso subjecta, adeóque alienari prohibita à testatore, non comprehenduntur sub publicatione, seu confiscatione bonorum omnium fidei commissarii Hæretici, aut aliter delinquentis, cui aliàs statuta pœna confiscationis bonorum omnium; ita juxta expressum textum, *L. Imperator. ff. de fideicommiss. Libert.* Bart. *ibid. n.* 1. Gigas *de crim. læsæ Majest. L.* 2. *tit. de pœn. q.* 3. *num.* 3. Clar. *pract. q.* 78. *vers. saltem quæro.* Mol. *de just. Tom.* 3. *d.* 556. *n.* 2. Castrop. *tr.* 4. *d.* 5. *p.* 6. *n.* 1. Farin. *L.* 1. *pract. q.* 25. *n.* 22. citans quàmplurimos ex ea ratione, quòd, cùm quilibet habeat liberam facultatem disponendi de suis bonis, adeoque etiam sub prohibitione, ne donatarius donata alienare possit, ac ita constituat fidei commissum, hic fidei commissarius sicut ea alienare nequit, contrahendo in præjudicium alterius, sic etiam id nequit delinquendo in præjudicium innocentis, quòd fieret, si ex bona, in quibus substitutus est alius, fidei commissario primo civiliter mortuo, seu delinquente, transirent ad fiscum; quod ipsum extendunt Farin. *l. c. n.* 3. Sanch. *l. c. c.* 18. *num.* 17. Ruin. *L.* 5. *cons.* 23. *n.* 15. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *num.* 2. ad bona prohibita dividi, cùm divisio illa sit quædam alienatio. Limitanda è contra responsio, primò, ut procedat, si prohibitio alienationis facta tantùm in favorem delinquentis, (uti id colligitur ex eo, si nullus ei substitutus, seu nulli præter eum vocati) tunc enim bona illa transeunt ad fiscum; cum favor ille perdatur ob delictum, idque, etiamsi testator expressè prohibuisset, bona illa transire ad fiscum; quia illa prohibitio, utpote favens delinquenti, & in fraudem fisci facta, impedire illam translationem in fiscum non potuerit, ita Mol. *de primog. L.* 4. *c. ult. num.* 5. *junctο n.* 14. Sanch. *l. c. n.* 5. *junctο n.* 7. Farin. *l. c. n.* 46. & 47. Castrop. *l. c.* limitanda secundo, ita ut, si facta sit prohibitio alienationis temporalis tantùm, seu ad vitam delinquentis, bona illa transire possunt ad fiscum, quò ad commoditatem & usumfructum, quem delinquens damnatus percipere debuisset, cùm nulla per hos fiat innocenti injuria, ita juxta expressum textum *L. Statius Florus.* §. *Cornelio. de jure fisci. L. cùm Pater.* §. *Hæreditatem. ff. de Legat.* 2. & *ibi* Alex. Bart. Farin. *cit. q.* 25. *n.* 34. Sanch. *cit. c.* 19. *n.* 7. Castrop. *n.* 3. neque ex eo, quod Bannitus cum publicatione bonorum reputetur pro mortuo, per *L. ex facto.* §. *ex facto. ff. ad Trebellian.* rectè deducitur, substitutum, & non fiscum debere succedere in hoc casu, quò ad dictam commoditatem in fidei commisso; cùm id verum sit in iis, quæ commodum delinquentis spectant, & non, quæ aliorum utilitatem concernunt, ut Castrop. *l. c.* cum Farin. *l. c.* quæ contra hæc objiciuntur, vide apud Castrop. unà cum eorum solutione, *l. c. à n.* 6.

9. Resp. Ad secundum sextò: Majoratus seu bona, ex quibus constituitur majoratus, qui est quoddam fidei commissum, ob delictum præcipuè Hæresis, & crimen læsæ Majestatis humanæ possessoris, qui non est primus institutor illius, non confiscantur; confiscatis cæteris bonis, Mol. *de primog. L.* 4. *C. ult. à num.* 31. Molin. *de Just. Tom.* 3. *d.* 657. *à n.* 3. & *d.* 582. *n.* 1. Sanch. *L.* 2. *in decal. c.* 18. *n.* 36. Vasq. 1. 2. *d.* 169. *C.* 4. *à n.* 30. Castrop. *l. c. n.* 8. Barb. *in C. urgentis. n.* 18. Sed nec bona majoratûs, durante vita possessoris delinquentis quò ad fructus & commoditatem, transeunt ad fiscum, sed unà cum majoratu statim transeunt ad sequentem vocatum, Clar. §. *fin. q.* 78. *num.* 10. Gabr. *L.* 7. *commun. tit. de criminal. concl.* 24. *n.* 3. Menoch. *cons.* 104. *n.* 42. Sanch. *l. c. n.* 15. Farin. *q.* 25. *n.* 35. Barb. Castrop. *ll. cit.* contra Mol. *de primog. n.* 11. Mol. *de Just. tr.* 2. *d.* 470. & *d.* 656. *n.* 6. Pereg. *de jure fisc. L.* 5. *tit.* 1. *n.* 101. Sayr. *cla. reg. L.* 9. *C.* 7. *n.* 7. *in fin.* & alios apud Barb. *l. c.* ex ea ratione, quòd fiscus non usurpat bona delinquentis, nisi quatenus illius sunt; bona autem majoratûs non sunt delinquentis absolutè, & in perpetuum, sed solùm pro tempore vitæ illius, quâ finitâ transeunt ad proximè vocatum; adeóque, & quò ad fructus & commoditates ex dispositione instituentis majoratum.

10. Extenditur responsio, primò, quod confiscatio locum non habeat, dum institutus ex bonis absolutè à Rege datis, & non titulo, seu ex fine instituendi majoratum à donatario, Castrop. *l. c. n.* 9. cum Mol. *de primog. l. c. n.* 48. Sanch. *l. c. n.* 37. Item, ut si bona à Rege data sub titulo majoratûs in perpetuum, Pontifex in perpetuum, ea confiscare nequeat ob delictum Hæresis, sed solùm pro vita delinquentis fructus & commoditates talis majoratûs assignare fisco Ecclesiæ, cùm Papa nequeat innocentes, debito sibi jure succedendi in majoratu, quod habent alii vocati in majoratu à se nec dato, nec instituto privare, Castrop. cum Sanch. *n.* 40. & Vasq. *cit. d.* 169. *C.* 4. *n.* 28. Porrò quid sit circa confiscationem, dum majoratus institutus ex facultate

cultate Regia, vide apud Castrop. *à n.* 12. *per plures. num. seqq.* De cætero, quod spectat ad ipsum instituentem majoratum, dum is committit delictum confiscatione bonorum dignum; num is confiscationi obnoxius, pro diversis casibus diversimodè respondendum breviter. Et primò quidem, dum majoratus institutus post delictum, cui confiscatio ipso jure annexa, firque de bonis habitis tempore delicti, firma non est institutio, & non impedit confiscationem, sive facta testamento, sive alio contractu; quia facta ex bonis fisco obligatis, ac proinde facta declaratione delicti perit, & confiscatur in perpetuum, ita Castrop. *l. c. p. 7. num.* 4. citatis Sanch. *l. c. c.* 18. *n.* 60. Vasq. *l. c. n.* 39. Secundò, si bona ob delictum non confiscantur ipso jure, sed confiscanda veniunt per sententiam, & institutio facta in testamento vel codicillo ex bonis tempore delicti habitis, citra dubium subjiciuntur confiscationi. Si autem ex bonis acquisitis post delictum, institutio de jure communi est nulla, arg. *L. ejus qui.* § *si cui. ff. de testam.* vi cujus testamentum tam quòad ante delictum, quàm post illud fecit, non valet, Castrop. *n.* 51. Tertiò: si majoratus contractu irrevocabili institutus, antequam de delicto condemnetur, institutio tenet, & non confiscatur majoratus; quia bona illa non erant fisco obligata, Sanch. *n.* 61. Mol. *cit. d.* 656. *n.* 1. Castrop. *l. c.* nisi tamen institutio talis fieret in fraudem fisci, qualiter in fraudem fisci semper præsumitur alienatio facta post delictum. Idem, seu non esse locum perpetuæ confiscationi, probabiliùs censet Castrop. *l. c. n.* 6. cum Mol. *de primog. L.* 4. *c. ult. n.* 25. Mol. *de just. l. c.* Sanch. *l. c. n.* 66. contra Simanc. si institutio fieret contractu revocabili inter vivos, cum institutor de nullo bono obligato fisco disponit, quia illa bona, etsi sint delinquentis, sint tamen obligata transmitti successoribus vocatis, utpote quibus ex tali contractu est jus acquisitum, quod, etsi ab institutore, dum vivit, revocabile sit, non est tamen revocabile à fisco, quia personale est. Si verò institutor revocet majoratum ante mortem, bona illius pertinere ad fiscum, probabiliùs sibi apparere, ait Castrop. *n.* 9. secutus Molinam *de Just. l. c.* eò, quòd bona illa sint delinquentis, etsi successoribus obligata, adeòque transeant ad fiscum cum illa obligatione, hac autem obligatione cessante per revocatam voluntatem institutoris, transeant ad fiscum in perpetuum.

11. Resp. Ad secundum septimò: Feudum, loquendo in genere, delinquente Vasallo non confiscatur in præjudicium Domini directi, Menoch. *cons.* 304. Azor. *l. c. C.* 12. *q.* 10. Farin. *pr. crim. q.* 25. *à n.* 62. & *de Hæresi, q.* 190. §. 4 *à n.* 59. Penia. *ad direct. Inquis. p.* 3. *q.* 112. *comment.* 161. *vers. quid si Clericus.* & alii apud Barb. *l. c. n.* 17. De cætero, quia feudum simillimum Emphyteusi ejus naturam imitatur, quæ dicta de ea, feudo applicari possunt, juxta Card. *in Clem. nolentes. h. t. v. inquisitoribus. col. penult.* & alios apud Castrop. *p.* 9. *n.* 1. In specie verò, si feudum directum est, & ad hæredes extraneos non transit, transire nequit ad fiscum, utpote, qui est loco hæredis extranei, ac insuper tale feudum, sicut contractu, ita etiam delicto alienari nequit, Penia. Azor. *ll. cit.* Clar. §. *feudum. q.* 84. *vers. ego verò.* Castrop. *num.* 2. Secus est de feudo, quod ad hæredes extraneos transire potest, dum nimirum datum est tibi, & quibus tu dare voles, Gigas *de crim. læsæ Majest. L.* 2. *tit. de pœn. committ. hoc crim. q.* 5. *n.* 6. Menoch. *de recuper. possess. remed.* 9. *n.* 251. Boss. *tit. de publ. bonor. n.* 20. Farin. *pr. crim. q.* 25. *n.* 71. Castrop. *n.* 6. nisi tamen Vasallus de feudo liberè disponere nequiret sine licentia Domini directi; cùm ratione hujus prohibitionis, neque contrahendo, neque delinquendo feudum alienare posset: unde tunc Vasallo committente delictum obnoxium confiscationi omnium bonorum, feudum ad Dominum revertitur, & dominium utile cum directo consolidatur, Clar. *l. c. vers. secundum autem.* Boss. *l. c. n.* 54. Farin. *n.* 71. uti etiam à fortiore contingit, si tale delictum commissum adversùs Dominum feudi, Farin. *cit. q.* 25. *n.* 78. Boss. *n.* 53. Castrop. *l. c. n.* 3. nisi tamen ex tenore investituræ constaret, concedentem feudum noluisse, ut delictum unius noceret alteri ex vocatis. Si verò non ob delictum contra Dominum, sed ob delicta alia facienda publicatio, feudúmque concessum tibi in perpetuum, ita, ut à te, tanquam à radice, deveniat ad hæredes, revolvitur ad Dominum, secus, si concessum tibi ac cognatis, tunc enim te delinquente non ad Dominum, sed ad proximum cognatum devolvitur. Quod spectat ad usumfructum & commoditates feudi, eas durante vita delinquentis Vasalli transire ad fiscum tenent Gigas *l. c. n.* 3. Menoch. *l. c. à n.* 26. Afflict. & alii; eò quòd, ut habet communis, teste Claro *l. c. q.* 31. *vers. successivè.* & tenent omnes. *in L. si Dominus.* §. *fin. ff. de legat.* illas ad tempus vitæ suæ alienare possit Vasallus; contrariùm tamen tenentibus aliis, eò, quòd fructus feudi sequantur feudum. Posteriorem hanc sententiam certam censet Castrop. *l. c. num.* 5. si ultra tacitam prohibitionem alienandi feudi à lege inductam instituens illud expressè noluerit exire extra familiam, ex ea insuper ratione, quòd feudatarius ex natura feudi jurare debeat fidelitatem, & obsequium potiùs personale, quàm reale præstare Domino, secus ac est in Emphyteuta; hæc autem onera videantur transferri non posse in fiscum: probabile tamen censet, dictas commoditates transire ad fiscum, si solùm prohibitionem tacitam alienandi habet, utpote quæ solùm impedit translationem ad fiscum post mortem, aut in perpetuum.

12. Resp. Ad secundum octavò: Peculium castrense, vel quasi castrense filii, confiscatis omnibus bonis parentum, ob crimen parentum, nullo modo publicatur, seu confiscatur; quia tam quò ad proprietatem, quàm quò ad usumfructum, & administrationem spectat ad filium, Gigas *l. c. q.* 13. *n.* 1. Sanch. *l. c. c.* 16. *n.* 1. Bonacin. *d.* 3. *de contract. q.* 8. *p. ult.* §. 1. *num.* 14. Farin. *de Hæres. q.* 190. *n.* 17. Sanctarel. *de Hæres. C.* 18. *num.* 8. Castrop. *l. c. n.* 8. Barb. *l. c. n.* 15. & alii apud illum cum communi & certa. Neque hoc peculium, confiscatis ob crimen filii ejus bonis, confiscatur, sed defertur patri illius in patriæ potestatis amissæ solatium, Barb. *l. c.* citatis Menochio *l. c. remed.* 70. Masc. *de prob. concl.* 1158. *n.* 10. Sanch. *l. c. C.* 15. *num.* 4. Gomez. *Tom.* 2. *var. C.* 15. *Lit. D.* Farin. *pr. crim. q.* 23. *n.* 11. & 13. Pereg. *de jure fisci. L.* 5. *h. t.* 1. *num.* 124. & alii. Contrarium apud eundem Barb. tenentibus Azor. *p.* 1. *l.* 8. *c.* 12. *q.* 10. Suar. *de fide d.* 22. *s.* 5. *n.* 9. &c.

13. Resp. Ad secundum nonò: Bona adventitia filii ob delictum parentum nullo modo confiscantur, quo ad proprietatem, quia quò ad hanc spectant ad filium, Azor. *l. c. n.* 15. Farin. *cit. q.* 190. *n.* 27. Sanch. *cit. c.* 16. *n.* 9. Castrop. *l. c. p.* 11. *num.* 9. Neque bona illa ob delictum filii confiscantur, quò ad proprietatem, sed hæc transit ad patrem, & consolidatur cum usufructu, quem

pater in iis habebat, Menoch. *l. c. n. 66.* Marant. *de Ord. Judic. p. 6. actu fin. n. 35.* Pereg. *l. c. num. 228.* Sanctarel. *l. c. n. 3.* Barb. *l. c. n. 13.* citatis aliis. Dixi: quò ad proprietatem: nam quò ad usumfructum, probabilius censet Castrop. *l. c.* cum Gomez. *l. c. n. 18.* Farin. *pr. crim. q. 24. n. 33.* Sanch. *l. c. n. 15.* (contrarium tenente Barb. confiscari ea pro tempore, quo pater, seu usufructuarius delinquens debebat percipere usumfructum. Eò, quod licèt jus percipiendi fructus nomine proprio alienari nequeat ab usufructuario, & consequenter sit intrans missibile ad fiscum, jus tamen percipiendi fructus, nomine ipsius usufructuarii alienari potest, & consequenter transmitti ad fiscum; nisi tale sit delictum, ob quod ususfructus extinguatur; tunc enim non transit ad fiscum, sed cum proprietate consolidatur: uti etiam, quia extinguitur ususfructus per maximam aut mediam capitis diminutionem, qualis quænam dicatur, vide tantisper apud Castrop. *cit. p. 11. n. 1.*) consolidatur cum proprietate, quam filius delinquente patre retinet in illis bonis, attento jure communi.

14. Ad secundum decimò: Peculium profectitium filii, num confiscetur confiscatis bonis patris delinquentis, non convenit inter AA. non confiscari, sed filio reservari, arg. *L. 3. ff. de minor.* tenent, Barb. *l. c. n. 12.* remittens ad Menoch. *l. c. n. 73.* Farin. *cit. q. 25. n. 26.* Sanch. *l. c. n. 20.* & alios, quam sententiam limitant horum Authores aliqui, ut non procedat in casu, in quo delictum patris tale est, ut ob illud solvatur potestas patria, eò, quòd dicant, tunc desinere peculium, juxta *L. fin. C. de inofficioso testam.* quod ipsum reprobant alii, eò, quòd velint ad confiscationem nihil referre, quòd desinat esse peculium, cessante patria potestate, sed sufficere, quòd fuerit peculium tempore commissi delicti, & quò erat facienda confiscatio, Castrop. Denique *n. 13.* censet probabilius, peculium adventitium absolutè confiscari publicatis bonis patris, eò, quòd peculium illud sit patris quò ad proprietatem & usumfructum, per *L. certum. C. familiæ erciscundæ*, filius autem usurpet bona, quæ sunt delinquentis tempore commissi delicti, adeòque usurpet horum bonorum proprietatem & usumfructum, neque hoc impediri potest administratione & spe succedendi, quam filius habet in hoc peculio; cùm administratio hæc & spes sit quid accessorium possessioni parentis, ita Castrop. quem vide de his fusiùs.

15. Resp. Ad secundum undecimò: Quantumvis regula generalis sit, desumpta ex *L. cùm ratio. ff. de bon. damnator.* quòd publicatis bonis parentum non confiscetur legitima; ac ita teneant Farin. *pr. crim. q. 24. n. 34.* Sanch. *cit. C. 16. num. 34.* Clar. *cit. q. 78.* Menoch. *l. c. n. 178.* Pereg. Roland. & alii apud Castrop. *num. 17.* ex ea ratione, quòd legitima debeatur jure naturali, & quidem à die, quo bona patris confiscata, quia ab illo die parens reputatur mortuus, ut Boss. *tit. de publ. bonor. n. 6.* Roland. *vol. 2. cons. 97. à n. 34.* Farin. *l. c. n. 35. & 36. &c.* arg. *L. 1. ff. de bon. damnator.* Limitanda tamen hæc regula primò in bonis maternis, quæ, si ob delictum matris publicentur, non servatur inde filiis legitima, ex *L. de bon. mat. c. de bonis præscript.* Farin. *l. c. n. 41.* Clar. *L. 5. q. 78.* citatis aliis, secus est de filiabus, ut Farin. *in pr. l. c. 3. q. 115. §. 3. n. 99. & 100.* Castrop. *num. 18.* Secundò, in filiis conceptis post damnationem patris, quia illis non debetur legitima; cùm jam eo tempore pater nihil habeat, quod illis relinquat Bald. *in cit. L. fin. C. de bon. damnator. col. 1.* Farin. *n. 42.* Castrop. *n. 19.* Tertiò, specialiter in crimine Hæresis, in quo ob paternam Hæresim, & in punitionem patris, filii etiam Catholici privantur legitima aliàs illis debita in totum, juxta expressum textum, *C. vergentis. h. t.* & *Auth. Gazaros. C. h. t.* Gl. *in C. cùm secundum. h. t. in 6.* Penia *in director. Inquisit. p. 2. comment. 9.* Sanch. *cit. c. 16. n. 26.* Castrop. *num. 20.* Quartò, in crimine læsæ Majestatis humanæ, contra Principem vel rempubl. *L. quisquis. ff. ad Leg. Jul. Majest.* secus est de aliis criminibus læsæ Majest. contentis in *L. 1. 2. & 3. ff. eodem.* Gl. *in L. eorum. ff. eodem.* Clar. §. *læsæ Majest. num. 15.* Menoch. *de arb. L. 2. cas. 316. n. 29.* Farin. *prax. L. 2. q. 115. §. 3. n. 123.* Castrop. *n. 21.* Secus quoque est de filiabus, quibus etsi non debeatur legitima ex bonis paternis confiscatis, ob crimen læsæ Majestatis, debetur tamen illa ex bonis maternis, per *cit. L. quisquis.* & Gl. *ibi. v. filiab.* Farin. *l. c. n. 94.* citatis plurimis, Castrop. *n. 22.* quin & licet filiabus ex bonis paternis confiscatis, ob crimen læsæ Majestatis, non debeatur legitima, debetur tamen ex illis dos, si aliunde non habent, quia pater jure naturæ tenetur, dotare filiam, per *L. fin. c. de dotis promiss.* Et hinc, si pater huic obligationi non satisfecit, tenentur filiam dotare hæredes, & consequenter fiscus, si ad eum patris bona confiscata transierunt, quia est loco hæredum, Cynus *in L. insulam. ff. soluto matrim.* Farin. *l. c. n. 46. & 47.* Roland. *vol. 23. cons. 73. num. 23.* Clar. *prax. crim. læsæ Majest. vers. ha autem.* Castrop. *n. 23.* ubi etiam exceptionem addit, nimirum in crimine hæresis, ob ejus atrocitatem etiam filias debere privari, quacunque legitima, dote, successione materna & paterna, si ab utroque parente commissa hæresis, aliàs illis tantùm, quæ debebant illis obvenire ab uno parente, si ab uno commissa.

16. Ad secundum duodecimò: quamvis communiter negent DD. reservanda esse liberis alimenta ex bonis parentum reorum criminis læsæ Majestatis, arg. *c. vergentis. h. t.* & *cit. L. quisquis.* Surdus *de alim. tit. 1. n. 31.* Sanch. *l. c. n. 26.* probabilitate tamen non carere, ait Castrop. *n. 24.* citatis Socino *L. 3. cons. 30. n. 3.* Farin. *L. 3. prax. q. 115. §. 2. n. 128.* & aliis; dicta alimenta, etsi detractâ hæreditate, & legitima reservanda filiis, quin etiam *n. 25.* citato Bonacin. & alii, censet licere in foro conscientiæ, si ea non reserventur ex bonis parentum, confiscatis ob Hæresim, aut etiam ob læsam Majestatem humanam abscondere quædam, non tantùm in casu extremæ necessitatis, ut vult Sanch. *n. 27.* sed etiam in casu gravis necessitatis; cùm etiam in eo casu teneatur, talibus filiis Eleemosynam elargiri fiscus, & debitor non teneatur creditori reddere debitum.

17. Resp. Ad secundum decimò tertiò: nulla bona uxoris confiscari ob crimen mariti, etiam læsæ Majestatis, generalis est regula, desumpta ex *L. sancimus. C. de pœnis. L. ob maritorum. C. ne uxor pro marito.* Sic itaque non confiscatus, dos uxoris ob delictum mariti, per *L. quisquis. §. uxores sanè. C. ad Leg. Jul. læsæ Majest. L. si quis post hac. C. de bon. præscript.* & expressè de crimine Hæresis, *C. decrevit. h. t. in 6.* nisi tamen mulieres ipsæ scientes viros esse Hæreticos, cum iis contraxerint matrimonium, ut dicitur *cit. C. decrevit.* quæ tamen scientia, cum in casu dubio non præsumatur, à fisco probanda est. Sed neque, dum ea constat ipso facto, sed per sententiam incurritur, Castrop. *l. c. n. 10.*

uti

uti etiam, tunc in casu habitæ scientiæ de Hæresi mariti confiscari possunt citata bona, quæ habuit uxor, tempore contracti matrimonii. De cætero, quæ dicta de non-confiscatione dotis positâ ignorantiâ Hæresis, extenduntur ad bona paraphernalia, vel alio titulo uxori quæsita, quia sunt uxoris, Farin. *de Hæresi. q.* 190. §. 3. *n.* 44. Barb. *l. c. n.* 22. Castrop. *l. c. p.* 12. *n.* 3. Item ad arrhas & donationes factas uxori propter nuptias à sponso, Barb. Castrop. *ibidem.* nisi tamen, ut hic, sponsus tunc fuisset Hæreticus, cùm in eo casu omnes donationes à puncto commissi criminis infirmentur, quia omnia illius bona obligata sunt fisco. Item ad donationes factas uxori, & à consanguineis mariti, nisi donans expressisset, se velle donata acquiri, quod rarò fit, & regulariter non præsumitur, Barb. Castrop. *ll. cit.* Item ad donationes constante matrimonio factas uxori à marito, quas quidem publicari publicatis bonis mariti probabile censeant Azor. *p.* 1. *L.* 5. *C.* 7. *q.* 8. Vasq. 1. 2. *d.* 196. *C.* 1. *n.* 4. Bonac. *d.* 3. *de contract. q.* 8. *p. ult. n.* 16. *&c.* probabilius tamen non publicari, existimat Castrop. eò, quòd morte civili mariti videantur hæ donationes confirmatæ quò ad effectum, ne transeant ad fiscum. Item non extenditur hæc confiscatio bonorum uxoris nubentis scienter Hæretico ad casum, quo ab initio inscia Hæresis dein reddita, conscia illius, virum Hæreticum comitatur, eúmque non denunciat, Farinacius *cit. q.* 25. *n.* 111. Sanch. *cit. c.* 17. *n.* 24. Pereg. *de jure fisci. L.* 3. *tit.* 1. *n.* 83. Clar. *L.* 5. *recep. q.* 78. *n.* 15. Castrop. *l. c. n.* 13. porrò de eo, an maritus quoque privetur bonis suis, si nubat scienter mulieri Hæreticæ, vide Castrop. *à num.* 15. apud quem id negant Bonacin. & Sanch. ipse verò affirmat, si idem est periculum perversionis in marito, quod est in uxore, eadémque præsumptio Hæresis de illo, quàm de illa. Notandum denique circa omnia dicta, quòd publicatis bonis mariti uxor innocens propria authoritate capere possit sibi propria detenta à marito, per *L. si quis post hac. C. de bon. præscrip.* Sanch. *l. c. C.* 17. *n.* 3. Farin. *in prax. p.* 1. *q.* 25. *n.* 119. Castrop. *l. c. n.* 8. idque, ut idem, quasi in prærogativam matrimonii, dum aliàs cautum per *L. si quis tantam. C. unde vi.* & *L. exstat. ff. quod metûs causâ.* nemini liceat habere manuum injectionem in re propria.

18. Resp. Ad secundum decimo quartò: Tametsi mortuo viro, confiscatis bonis uxoris, viduæ ob delictum tempore viduitatis ab ea commissum, confiscatur quoque dos illius, bona paraphernalia, omniáque alia, quæ stante matrimonio acquisivit, ut Sanch. *cit. c.* 17. *num.* 15. Clar. *cit. q.* 78. *vers. quæro.* Farin. *l. c. n.* 112. Castrop. *l. c. p.* 13. *n.* 1. constante tamen matrimonio, ob commissum ab ea delictum, dos ejus confiscari nequit, (bene tamen alia ejus bona) nisi in quinque casibus, seu delictis expressis, in *L. quinque legibus. ff. de bon. damnat.* inter quæ, cùm sit crimen læsæ Majestatis, dubium non est, sub eo comprehendi crimen læsæ Majestatis divinæ, seu Hæresim uxoris, ita Sanch. *l. c. n.* 26. Farin. *cit. q.* 190. *n.* 54. Roias *tr. de Hæret. p.* 2. *assert.* 40. *n.* 323. *&* 325. Castrop. *n.* 2. qui etiam *n.* 6. addit, probabilius esse, dotem confiscari tunc non solùm quò ad proprietatem, sed & quò ad usumfructum, uti in specie de crimine Hæresis docent Farin. *l. c.* Roias, Zechius, & alii apud Castrop. nisi inter maritum & uxorem intercessisset pactum, ut, si uxor commisisset delictum ex illis, ob quæ statuta confiscatio, eo ipso proprietas & ususfructus dotis transiret ad maritum, tum enim dotem in eo casu nullatenus confiscari, cum Farin. *cit. q.* 25. *n.* 115. & aliis tradit Castrop. *n.* 9. ex ea ratione, quòd dos tunc prohibetur expresè confiscari, non alienetur in favorem delinquentis, cùm non applicetur uxori delinquenti, neque in fraudem fisci, cùm non fiat post commissum delictum; adeóque jam maritus, ratione talis pacti, habet jus acquisitum ad dotem, & præferendus fisco, cætera, quæ valde fusè de confiscatione bonorum tractat Castrop. *tr.* 4. *d.* 5. *ap.* 14. cùm non ita specialiter concernant confiscationem ob crimen Hæresis, lege apud eundem.

Quæst. 174. *An & qualiter ob Hæresim pater privetur potestate patria.*

Resp. Ob paternam Hæresim filii eximuntur à potestate patria, ita, ut statim ante omnem sententiam declaratoriam desinant esse sub patria potestate, & efficiantur sui juris, Sanch. *L.* 2. *mor. C.* 24. *n.* 6. Farin. *de Hæresi. q.* 197. §. 3. *num.* 29. Azor. *p.* 2. *L.* 2. *C.* 22. *q.* 6. Castrop. *tr.* 5. *d.* 5. *p.* 25. *n.* 12. Mol. *de just. tr.* 2. *d.* 9. *n.* 10. Pirh. *h. t. n.* 79. juxta *C. quicunque. h. L. in* 6. & Gl. *ibidem. v. desierunt.* unde, ut dicitur *ibidem.* Pater Hæreticus non potest emancipare filium, quippe qui jam est sui juris. AA. citati. Neque potest filio suo impuberi substituere pupillariter, seu pro eo facere testamentum, per *L.* 2. *ff. de vulg. & pupill. substit.* §. 1. *Inst. pupill. subst.* AA. iidem; quæ tamen pœna privationis patriæ potestatis, non extenditur ad recepratores, fautores, defensores Hæreticorum, Sanch. *n.* 5. Pirh. *l. c.* Castrop. *n.* 15.

Quæst. 175. *Num Hæreticus privetur dominio servorum.*

Resp. Affirmativè, & servi absolvuntur ab omni debito fidelitatis & obsequii erga Dominum, juxta *C. absolutos. h. t.* non quidem ipso jure statim post lapsum Domini in Hæresim, ut dictum de privatione patriæ potestatis, sed post sententiam declaratoriam Hæresis, Sanch. *l. c. num.* 10. *&* 13. ubi ait, sententiam illam retrotrahi ad diem commissi criminis, Castrop. *l. c. n.* 16. Pirh. *num.* 81. contra Gl. *in cit. C. absolutos. v. absolutos.* & Abb. *ibid. n.* 2. & Fagn. *n.* 3. arg. *ejusd. C.* dum ibi requiritur Hæresis manifesta, nempe judicialiter per sententiam, quæ est præcipua & principalis manifestatio, Sanch. Castrop. Pirh. *ll. cit.* quamvis alii vi, *cit. cap.* plus non requirant, quàm quòd Hæresis sit manifesta ipso facto, vel probatione testium citra sententiam. Porrò servi Christiani & Catholici Domino ipso in Hæresim absolutè & in perpetuum evadunt liberi, ita ut, etiamsi Dominus abjurata Hæresi redeat ad fidem Catholicam, eíque beneficio Principis bona restituantur, non tamen recuperet dominium servorum, cùm libertas semel acquisita, quocunque modo, per *L.* 1. *&* 2. *C. si adver. libert.* revocari non debeat, Castrop. *n.* 18. his non obstante, quòd libertas omnimoda servis Christianis in hoc casu concessa nullibi in jure sit expressa, dum id satis colligitur ex *L. Manichæos.* §. *fin. C. h. t.* ut declarant Castrop. *n.* 17. *&* 18. Pirh. *l. c.* E contra servi, pagani & hæretici in hoc casu absolvantur quidem à fidelitate & obsequio Dominorum suorum, unà tamen cum bonis cæteris (inter quæ numerantur & servi) Domini facti Hæretici transeunt in dominium fisci; ac ita tenent Sanch. *l. c. n.* 10. Mol. *Tom.* 1. *de Just. d.* 40. *tota.* Azor. *p.* 1. *L.* 8. *c.* 12. *q.* 7. Decia. *tr. crim. L.* 5. *C.* 44. *n.* 28. Farin. *cit. q.* 197. §. 3. *n.* 30. Castrop. *n.* 18.

Pirh.

Pirh. *l.c.* Idem de servis, non quidem baptizatis, dum Dominus in Hæresin incidit, intendentibus tamen baptizari, seu Catechumenis, quod congruum sit, & illos plenè donari libertate, (non tamen ipso jure) eò, quòd id cedat in augmentum & favorem Religionis Catholicæ, tenent Penia *in director. Inquis. p. 3. comment. 168. vers. an autem.* Castrop. *l.c.*

Quæst. 176. An & qualiter Hæretici priventur quoque aliis juribus & obligationibus, quibus alios sibi obstrictos habent.

REsp. Affirmativè juxta clarum textum *C. absolutos.* ubi dicitur: absolutos se noverint à debito fidelitatis, dominii & totius obsequii, quicunque ipsis manifestè in Hæresim aliquo pacto quacunque firmitate vallato obstricti. Sic itaque Vasalli, famuli & famulæ, non secus ac servi, seu mancipia, liberantur à fidelitate & obsequiis, quibus obstricti Domino, saltem post sententiam declaratoriam Hæresis, vel etiam, ut alii citati, *quæst. præced.* quos sequitur Reiffenst. *h. t. 309.* citatis insuper Gonz. *in C. absolutos. n. 1.* Fagn. & Barb. *ibidem. n. 3.* ipso jure ante illam. Sic quicunque debens aliquid Hæretico titulo emptionis, promissionis, commutationis, mutui, pignoris, depositi, alteriúsve contractûs redditur immunis ab obligatione, & non tenetur servare promissum pactum vel contractum, aut fidem etiam juratò datam Hæretico, Abb. *l.c. n. 1.* Farin. *de Hæresi. q. 189. à n. 57.* Castrop. *n. 19.* Pirh. *n. 82.* Reiffenst. *h.t. n. 312.* Limitatur hoc ipsum tamen à Castrop. *n. 20.* dum credit, probabilius esse, quod debitores possint ac debeant Hæretico solvere debita, & præstare obsequia alia ante sententiam declaratoriam Hæresis, secus post illam, quia sicut ante illam fiscus occupare non potest bona Hæretici, privando illum possessione & administratione illorum, sic post sententiam illa solvere non potest debita creditori, quia jam sunt fisci. Limitandum secundò: ita ut, licèt quivis haberetur à privata fide, facta Hæretico, ut Farin. *cit. q. 197. n. 24.* Clar. §. *Hæresis. n. 16.* Zechius *Sum. p. 1. tit. de fide. C. 11. de Hæret. n. 16.* Simanc. *de Cathol. instit. tit. 46. à n. 52.* Castrop. *cit. p. 25. n. 22.* fides tamen publica data Hæretico à Principe, Republica, vel alia authoritate publica, servanda sit, ita exigente bono communi, quin & jure gentium, & attestante S. Scriptura, *Josue C. 9. v. 18. & 2. Reg. c. 21. v. 6.* nec non aliis historiis sacris, Deum graviter ultum fuisse violationem fidei publicæ, ac ita juxta *C. absolutos.* & arg. *C. 1. & 2. de pact. L. 1. ff. eod. L. postliminii. §. 3. ff. de Captivis.* tenent Farin. *l.c.* Clar. *n. 18.* Menoch. *cons. 106. n. 226.* Castrop. *l.c.* Pirh. *n. 83.* cum communi. Sic v.g. si Inquisitor (utpote quibus concessa ampla potestas temperandi pœnas, ex *C. ut commissi. h.t. in 6.*) promisisset Hæretico, se facturum ei gratiam, si crimen fateretur, ei fatenti illud fidem servare debet; Secus tamen, si omnimodam immunitatem promisisset, quia, cùm id non poterat, aliam servare non debebat; quamvis & tunc non ad pœnam ordinariam, sed ad aliquam extraordinariam condemnare debeat, cùm talis confessio esset dolosè extorta; sic Castrop. *l. c.* cum Penia *l.c. p. 3. comm. 23. vers. jam in hoc.* Quòd verò contra datam à Concilio Constantiensi fidem Hussius non fuerit combustus, demonstratum vide apud Becan. *de fide. C. 16. q. 6.* & Reiffenst. *h. t. n. 10. 318.*

Quæst. 177. An & qualiter pœna Hæreticorum sit destructio domus, in qua exercita hæreticalia.

REsp. Esse funditùs evertendam, & nunquam reparandam; idem dicendum de domo, in qua Hæreticus se occultavit, ne ab Inquisitoribus caperetur, asserunt Penia *l. c. comm. 92. circa finem.* Farin. *q. 190. §. 2. à n. 30.* Zanch. *de Hæret. C. 39. & 40.* apud Castrop. *n. 23.* iis consentientem. Si verò non de consensu Domini, sed conductoris domûs ibi Hæretici conveniunt, non destruendam domum, sed conductorem, ut fautorem Hæreticorum, aliis pœnis, v. g. pecuniæ, verberum, exilii juxta conditionem personæ puniendum, ex *L. Arriani. §. cunctis. C. h. t.* tradunt Farin. *l. c. num. 39.* Decian. *L. 5. C. 51. num. 50.* De cætero, quandoque ad publicam utilitatem vel terrorem destruendam, etiamsi Dominus nesciverit, ibidem exercita hæreticalia, reddito tamen tum pretio domus Domino, ait Castrop. *l. c.*

Quæst. 178. An & qui Hæretici pœnâ pecuniariâ puniri possint.

REsp. Pœnam pecuniariam Hæreticis, non tantùm Laicis, sed etiam Clericis imponi posse officio Inquisitoris, aut ad pios usus applicandam, cum Gl. *in Clem. 2. h.t. v. illicitis.* tradunt Farinac. *de Hæresi q. 193. §. 6. n. 108. & 109.* Pirh. *h.t. num. 93.* Hanc verò pœnam pecuniariam Inquisitor vel Episcopus imponere potest Hæreticis pœnitentibus, suspectis de Hæresi, non tamen Hæreticis confessis, convictis, impœnitentibus; cùm contra hos jure statutæ pœnæ certæ & determinatæ, quas Judex mitigare non potest, Farin. *n. 117. & 120.* Pirh. *l.c.*

Quæst. 179. An & quibus Hæreticis imponi possit pœna carceris?

REsp. Quamvis Hæreticis pœnitentibus de rigore juris imponi possit, & sæpe imponatur, pœna carceris perpetui, idque extra dubium sit, juxta *C. excommunicamus. ul. 2. h.t.* & Gl. *ibi. v. si qui.* Farin. *de Hæres. q. 193. n. 101.* Castrop. *tr. 4. d. p. 1. num. 1.* & alii communiter; ad illum tamen damnari non possunt, qui tantùm de Hæresi suspecti; cùm hæc pœna solis à fide expressè deficientibus, & in Hæresi deprehensis, (quales in ordine ad hanc pœnam dicuntur, qui notoriè sunt Hæretici, vel legisimè de Hæresi suspecti) statuitur, neque qui errorem suum fatentur, antequam dicta testium eis publicata sunt, sed solum ii, qui post publicationem testium errorem suum falsi plenè, veræ pœnitentiæ signa dederunt, Farin. *l. c. n. 103.* Roias. *tr. de Hæret. p. 2. n. 197. & seq.* Penia *l.c. p. 3. q. 93. comment. 142.* Simanc. *de Cathol. Instit. tit. 47. à n. 29.* Castrop. *l.c.* Pirh. *h.t. n. 191.* quem tamen etiam carcerem perpetuum debitum Hæreticis pœnitentibus post publicationem testium ex aliqua justâ gravique causâ ab Inquisitoribus cum Episcopis mitigari posse, & ad brevius tempus ad eorum arbitrium, spectata inclusi humilitate, aut alias pœnas extraordinarias, (v. g. exilii, triremis ad triennium, ut cum Farin. Castrop. *p. 2. n. 1.* secundum potestatem illis concessam in *L. commissi. h.t. in 6.* tradit Castrop. *l.c. n. 2.* cum Farin. *l. c. n. 94. 96. & 104.* Clar. §. *Hæres. n. 7.* Eymer. *in director. inquisit. p. 3. q. 93. & 96.* & aliis: & quamvis carcer ille, ut dicitur *Clem. 1. h. t. §. propter.* magis ad pœnam, quàm custodiam deservire debeat, non tamen debere esse ita arctum & durum, ut hac ratione vita incarcerati abbreviaretur, ne aliàs Judices

fidei

fidei irregularitatem incurrant; observant Farin. *n.* 106. Penia *l. c. q.* 59. *comment.* 106. Castrop. *n.* 3. & alii apud illum, quidquid in contrarium dicat Delrio *de Magarum inquisit. L.* 5. *s.* 7. *in princ.* nimirum posse hoc medio vitam illius abbreviare.

Quæst. 180. *Hæretici an, qualiter, & qui puniendi ultimo supplicio?*

1. Resp. ad Primum: Posse Hæreticos puniri pœnâ mortis, & potestatem hanc à Christo concessam Ecclesiæ, cùm sine ea rebelles coërcere, delicta in hoc genere commissa vindicare, putrida & toti corpori vel maximè nociva membra resecare nequiret, & sic non satis provisum Ecclesiæ, consentiunt omnes & optimè probant, Bellarm. *L.* 3. *de Laicis. c.* 21. *&* 22. Covar. *L.* 2. *var. c.* 10. *num.* 10. Valent. *Tom.* 3. *d.* 1. *q.* 11. *p.* 3. Castrop. *l. c. p.* 2. *n.* 2. Suar. *de fide. d.* 20. *s.* 1. *&* 3. *n.* 22. ubi etiam asserit erroneum esse, hanc potestatem negare Ecclesiæ, utpote definitum ab Urban. VIII. *in Extrav. unam Sanctam de major. & obed.* ab Innoc. IV. *in C. ad Apostol. de sent. & re judic. in* 6. Idem statuitur per leges Imperatorias. *L. quicunque C. h. t. &c.*

2. Resp. ad Secundum: Ad hanc pœnam mortis, etsi condemnare possit & debeat Ecclesia, non tamen eam exequitur per ministros Ecclesiasticos, sed per Laicos, & media illorum potestate temporali juxta *C. ad abolendam. §. præterea. h. t.* utpote inferiore & subdita potestati spirituali; ubi verò à Judicibus fidei sæculari brachio traditus est puniendus, debet Judex sæcularis statim exequi pœnam, nec potest remissionem facere. *C. ut officium h. t. in* 6. aliàs ut fautor Hæreticorum puniri potest, Castrop. *n. cit. p.* 2. Priùs autem, antequam brachio sæculari tradatur & pœnâ hac afficiatur, tentanda omnia, quæ Judicibus fidei convenientia visa fuerint, ut errorem suum agnoscat, inter quæ præcipuum est, ut viris doctis convincendus tradatur, Castrop. *num.* 3. & si clerici sunt priùs à suis Ordinibus degradantur, per *C. excommunicamus. h. t.* de quo vide dicta supra.

3. Resp. ad tertium. Primò: Pœnâ mortis afficiuntur Hæretici impœnitentes, pertinaciter persistentes in sua Hæresi, ut constat ex *L. Arriani. §. Manichæis. L. quicunque. C. h. t.* & *C. ad abolendam. h. t.* Farin. *q.* 196. §. 1. *num.* 4. Eymer. *l. c. q.* 40. *n.* 1. Decian. *tract. crim. L.* 5. *c.* 55. *in fin.* Clar. §. *Hæresis. n.* 7. Azor. *p.* 1. *L.* 8. *c.* 13. §. *ultima pœna.* Suar. *de fide. d.* 22. *s.* 2. *num.* 3. Et quidem de consuetudine comburuntur, teste Abb. *in C. ad abolendam. h. t. num.* 13. quin & vivi, præcipuè Hæresiarchæ, Farin. *num.* 5. Castrop. *num.* 3. in quo casu, ut iidem os eorum & lingua obligari debent, ne suis blasphemiis astantes scandalizent. Porrò pœnam mortis (non tamen pœnas alias, puta exilii, triremium ad triennium evadunt Hæretici verè pœnitentes, & errorem suum sponte; & non metu mortis abjurantes statim seu continuò ac deprehensi, id est, antequam depositiones testium aliique processus contra ipsos fiant; ùt dictum *quæst. præced. de carcere perpetuò*, quamvis Sylv. *v. Hæreticus* §. 1. *n.* 18. Farin. *num.* 56. Clar. *num.* 8. Gonz. *ad L. abolendam n.* 4. quos sequitur Reiffenst. *h. t. num.* 327. & alii testantes de communi consuetudine & praxi etiam tribunalium Inquisitionis, idem admittant, si errorem suum priùs post incarcerationem, postque receptas ac publicatas probationes, imò post sententiam latam à Judice Ecclesiastico, modò antequam Curiæ Sæculari tradantur, fateantur & pœniteant. Sumitur hæc evasio mortis pœnitentium Hæreticorum ex *C. abolendam. h. t.* & *ibi.* Fagn. *num.* 15. & *C. excommunicamus.* & ex ea ratione, quòd licèt aliàs ordinariè loquendo pœnitentia non liberet à pœna mortis per crimen promerita, hoc tamen speciale sit in crimine Hæresis, ut pia Mater Ecclesia nullum pœnitentem velit à gremio suo rejicere, sed magis ad exemplum Dei, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat, sed potiùs misericorditer recipere, & saltem pœnam mortis condonare.

4. Resp. ad tertium. Secundò: Ultimò supplicio afficiendi Hæretici relapsi etiamsi pœniteant, & Hæresin denuo abjurent, plenéque convertantur, *C. super eo. C. accusatus. h. t. in* 6. *C. ad abolendam. h. t.* & *ibi* Abb. *num.* 1. Host. *num.* 9. Felin. *n.* 2. Barb. *num.* 20. Clar. *l. c. n.* 7. Farin. *de Hæresi. q.* 195. *à n.* 4. Castrop. *cit. p.* 2. *n.* 7. Porrò alii dicuntur relapsi verè & propriè, nimirum qui postquam convicti & confessi in Judicio Hæresin abjurârunt, id est, jure jurando execrati sunt, in eam iterum incidisse deprehensi sunt, deque eadem denuo convicti & confessi in Judicio fuerunt. Farin. *q.* 195. *à n.* 1. Azor. *l. c.* 14. *q.* 1. & Pirh. *h. t. n.* 94. & hos tradendos Sæculari Judicio, & ab eo afficiendos esse ultimo supplicio extra dubium est, propter expressum textum *C. ad abolendam. §. illos quoque*, in hoc tamen notanda verba: *deprehensi in abjuratam Hæresin reincidisse*; propter quæ Castrop. *cit. p.* 2. *num.* 7. credit, illum, qui sponte à nullo alio præventus se ipsum manifestaret in Hæresin abjuratam reincidisse, evasurum mortem, ex ea ratione, quòd pœna mortis relapsis ideo irrogetur, quia præsumuntur fictè converti & esse incorrigibiles, pro quo citat Peniam. *p.* 3. *director. comment.* 12. *vers. sed quid.* Menoch. *cons.* 82. *n.* 168. *&c.* unde etiam ait, idem esse, si relapsus sponte veniat, & non probetur metu probationum sibi instantium venire, uti de hoc, si relapsus est publicus, ferè semper est præsumptio. Alii relapsi dicuntur fictione vel præsumptione juris, vel quia de Hæresi accusatus propter vehementem suspicionem in Judicio eam abjuravit, & postea de relapsu in eam denuò accusatus, eam confessus, vel de ea convictus, aut è contra priùs de ea accusatus plenè fassus vel convictus, dein propter vehementem suspicionem accusatus denuò eam abjuraret, si parum enim refert ad hoc, ut quis computetur relapsus fictione juris, ut Castrop. *num.* 9. sive lapsus præsumptus præcedat, sive subsequatur, cum sufficiat, ut de uno lapsu constet indubitabiliter, & de altero præsumptione vehementi; ita Farin. *l. c. n.* 13. Castrop. *n.* 8. Reiffenst. *h. t. n.* 322. juxta clarum textum. *C. accusatus. h. t. in* 6. & taliter relapsos, uti & propriè relapsos ultimo supplicio afficiendos, asserit Reiffenst. & probabilius censet Castrop. citatis Menoch. *L.* 1. *cons.* 82. *n.* 148. à Castrop. *de justa Hæretic. punit. L.* 2. *c.* 2. Bursat. *L.* 1. *cons.* 7. *n.* 15. Farin. *q.* 195. *num.* 17. dicuntur, & alii relapsi fictione juris cit. *C. Accusatus.* qui post abjuratam unam in specie Hæresim & cum ea, ut mos est, abjurarunt simul generaliter omnes, denuo in Hæresim incidunt. Et hos ut verè relapsos condemnandos, & supplicio afficiendos nemini dubium esse possit, ait Castrop. *num.* 12. *cit.* Glos. Archid. Gemin. cæterisque DD. *in cit. c. Accusatus.* An verò idem sit, dum abjuratâ solâ Hæresi, in quam priùs quis inciderat, labitur dein in aliam diversæ speciei, controvertunt AA. negant dici relapsum, & hinc ut talem puniendum. Glos. *in cit. c. accusatus.* & *ibi*

Jo. And. *n.* 8. & 9. Eymer. *p.* 2. *direct. q.* 40. *n.* 5. Menoch. *l. c. à num.* 156. Suaretz. *de fide. d.* 23. Econtra affirmant Archid. Gemin. Franck. *ad cit. c. Accusatus.* Mandos. Penia, Decian. &c. ex ea ratione, quòd abjurans quamlibet Hæresim tacitè abjuret omnes, quia abjurat recessum à divina revelatione per Ecclesiam proposita, qui in omni Hæresi includitur, promittitque tacitè, se ab Ecclesia non recessurum, ob quam rationem, ait Castrop. *n.* 13. hanc opinionem sibi apparere omnino probabilem. Limitat tamen pro casu, quo quis prius de Hæresi vehementer suspectus eam abjurarit, & dein incidit in aliam diversæ speciei, eò quòd prior illa abjuratio fuerit generalis, secus ac accidit, si post purgationem sui ab una Hæresi labatur in aliam, cùm purgans se ab unius Hæresis infamatione, non purget se ab omnibus, sicut abjurans unam, censetur abjurare omnes, pro quo citat Farin. *q.* 195. *num.* 30. Paramum *de orig. inquisit. L.* 5. *q.* 4. *rub. de expedit. process. in casu fidei. num.* 5.

4. Resp. Ad Tertium tertiò. Hæresiarchas & Dogmatistas (quales non solùm sunt illi, qui errores invenerunt & confinxerunt, sed ii, qui jam inventos & confictos quasi ex officio & consuetudine aliis publicè vel occultè prædicarunt, ut Farin. *q.* 179. *n.* 15. Eymer. *l. c. p.* 2. *q.* 39. Suar. *citat. d.* 23. *s.* 2. *n.* 11. Castrop. *l. c. n.* 15. non verò ii, qui consanguineos suos, aut unum alterumve privatum pervertunt, sine ulla misericordia brachio sæculari tradendos, etsi signa conversionis & pœnitentiæ ostendant, defendunt Rojas *tr. de Hæret. p.* 2. *n.* 339. *assert.* 43. Suar. *l. c. n.* 9. & inter alios acrius Simancas. *de Cath. instit. tit.* 47. *à n.* 50. ex ratione, quòd in jure civili variis legibus hæc pœna iis statuatur. *L. cum qui servum. C. de Apost. L. quicunque. C. h. t. L. fin. C. de Judæis.* jurique civili standum, dum Jure Canonico contrarium statutum non est, & usitatum non sit in pœnis imponendis Jus Canonicum impleri per Jus Civile. Et esto in Jure Canonico Hæreticos Pœnitentes admitti ad reconciliationem, id tamen intelligendum de Hæreticis communibus, & non de qualificatis, & à communi modo peccandi quoad Hæresin exorbitantibus. Quam Sententiam, etsi satis probabilem dicat Castrop. *cit. p. n.* 17. Probabiliorem tamen existimat oppositam, sive Hæresiarchas verè pœnitentes non esse tradendos brachio sæculari, sed admittendos ad reconciliationem, citatis pro hac sententia Penia *l. c. p.* 2. *comment.* 64. *vers. an autem.* Eymer. *p.* 3. *de Octavo modo terminandi. process. n.* 188. Decian. *l.* 5. *tract. crim. c.* 45. *n.* 47. & adductis his rationibus: Quòd jure Canonico hæc pœna illis non statuatur, quin & Berengarius, aliique, de quibus constat fuisse Hæresiarchas, volentes converti, recepti sint ad gremium Ecclesiæ, quòd leges civiles non habeant in hoc crimine locum, utpotè merè Ecclesiastico, nisi quando in foro Ecclesiæ puniuntur, & judicio sæculari committuntur judicandi. Limitat nihilominus hanc suam sententiam Castrop. *l. c.* cum Penia, *l. c.* ita, ut Hæresiarchæ admittendi non sint ad reconciliationem, sit post longum tempus pluresque admonitiones jamjam tradendi Curiæ sæculari pœnitentiæ signa edunt, quia videntur id agere, non amore veritatis & conversionis, sed timore mortis instantis. Item, si comminationibus, promissis, præmiis, vel aliis exquisitis mediis conati pluribus falsam doctrinam persuadere. Item si Regem, Principem aliásque personas principales conati sunt pervertere.

Quæst. 181. *Num Hæretici quoque in Germania & Romano Imperio subjecti pœnis temporalibus & corporalibus hucusque enumeratis?*

Resp. Hæretici laici Lutherani Augustanæ confessionis in foro civili dictis pœnis non subjacent, utpote qui, etsi ab Ecclesia recesserint, vi tamen pacis & fœderis publici, nuncupati religiosi, à Pontifice non rejecti, sed eo permittente & tacitè consentiente cunctis privilegiis, juribus, immunitatibus civilibus, non tamen Ecclesiasticis, unà cum Catholicis pacificè gaudent, praxi continua comprobante, Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 16. *num.* 6. Pirh. *h.* 2. *n.* 83. Wiestn. *h.* 2. *n.* 62. Reiffenst. *n.* 340. Dicitur autem primò: *Hæretici laici:* Quia Clerici, si quidem in hæresin quamcunque etiam Lutheranam lapsi, pœnis temporalibus & corporalibus, v. g. carceris perpetui (non item ultimi supplicii) omnino subjacent, eisque Judice ab Ecclesiastico executivè affici possunt, tum quia quòad personas Ecclesiasticas Principes Laici per illum publicum tractatum nihil validè statuere potuerunt. arg. *c. quam Ecclesiarum. de constit.* cùm leges, statuta, dispositiones Laicorum de Ecclesiis vel Ecclesiasticis Personis, etiam in favorem earum factæ, omni valore careant. Tum quia Ecclesia quòad personas Ecclesiasticas nec tacitè nec expressè fœdus illud religiosum apptobavit eximendo clericos à pœnis juris, imò contrarium hucusque approbavit, & hodiedum practicat; ita Reiffenst. n. 341. Dixi secundò: *Hæreticos Augustanæ Confessionis*; num etiam alterius Confessionis & Sectæ Hæretici, v. g. Calvinistæ, Zvvingliani, Hugonotæ, &c. sint immunes à pœnis temporalibus & corporalibus, bene dicit dubitari posse Reiffenst. *n.* 42. eò quòd per pacem illam publicam Passavii conditam, & postmodum Augustæ confirmatam, soli Hæretici Augustanæ, & non alterius Sectæ, immunes à pœnis & participes jurium & Privilegiorum Catholicorum redditi & declarati sint. Neque Hæreticos alterius Sectæ per patem Osnabrugensem & Monasterienſem participes redditos esse dictorum privilegiorum, sufficienter ex eo argui videtur, quòd pax illa nullo modo approbata, sed positivè reprobata, annullata & irrita declarata fuerit per bullam Innocentii X. hujus nom. Pontific. 19. incipientem *ex zelo domus Dei*, relatam verbotenus à Reiffenst. *h. t. n.* 154. quidquid sit de eo, quòd pax illa in foro civili observetur, an verò vi consuetudinis legitimè proscriptæ alterius Sectæ Hæretici à dictis pœnis immunes Catholicorum privilegiis gaudeant, resolvere non audet Reiffenst. *n.* 344. illud tamen tanquam certum asserit, non expedire, ut Judex Ecclesiast. istiusmodi Hæreticum laicum ob hæresin puniat, eò quod sine publica perturbatione id fieri vix possit.

CAPUT

CAPUT III.

De Judice in causa Hæresis modóque procedendi in ea.

Quæst. 182. *An & qualiter nullus Laicus, sed solus Ecclesiasticus esse possit Judex in causis fidei?*

1. RESP. Primo: In causis fidei nullus Laicus seu sæcularis esse potest Judex, neque incidenter neque principaliter, etiam dum est sola quæstio facti, ita cum communi & hodiedum certâ juxta textum clarum *C. ut inquisitionis. §. prohibemus. h. t. in* 6. Gloss. *ibidem. v. prohibemus.* Barbos. *ibidem. n.* 7. Farin. *tract. de Hæres. q.* 186. *à n.* 152. Delben. *de immunitate & jurisd. Ecclesiast. c.* 16. *du.* 22. Pirh. *h. t. n.* 126. de Ecclesiasticis enim negotiis (quale est causa fidei) sola potestas Ecclesiastica cognoscit, & judicat, juxta *C. decernimus & C. quanto de judiciis. C. si Judex de Sentent. excomm. in* 6. cúmque Quæstio facti Hæresis à Quæstione juris vix separari possit (ut dum v. g. quis ob verba & signa externa Hæresis arguitur, necessariò investigandum, an scienter vel ignoranter, an ex joco, simplicitate, vel num seriò & ex malitia, an relativè vel ex proprio sensu ea protulerit, & consequenter num pœnas Hæreticis statutas incurrerit) judicium & cognitionem ecclesiasticam effugere non poterit. unde

2. Resp. Secundo: Principes, aliæve Potestatates & Judices Sæculares nullatenus de crimine Hæresis cognoscere & judicare, multóque minùs Judicibus de eo tractantibus resistere possunt. Sed solùm requisiti ab iis possunt, ac tenentur sub excommunicatione habere se auxiliariter & executivè, assistendo Episcopis Inquisitoribus, dum hi contra Hæreticos inquirunt & procedunt, pœnámque etiam mortis ab iis impositam statim, id est, saltem intra sex dies, juxta rescriptum Innocentii VIII. incipiens: *Dilectus Filius*, ut referunt Farin. Penia, Castrop. mox citandi, sine ulla recusatione & cunctatione exequendo, sed neque differendo sub prætextu, quod debeant priùs videre processum à Judice Ecclesiastico factum, an sit ritè formatus, vel an sententia sit justa, cùm nulla ratione prætendere possint videre & lustrare processum; quin et, si id petant, debeat Judex Ecclesiasticus negare. Castrop. *tr.* 4. *d.* 8. *p.* 14. *n.* 5. Farin. *l. c. q.* 186. *à n.* 165. dicens sententiam contrariam communi peritorum consensu & usu explosam & rejectam. arg. *cap. inquisitionis. §. utque. de Hæres*; quibus tamen non obstantibus, si Judex Laicus Hæreticum sibi traditum evidenter sine ulla tergiversatione alióve processûs examine cognoscat innocentem, utpote falsis testibus condemnatum à Judice Ecclesiastico, vel sententiam nulliter, nimirùm à Judice incompetente, vel non servato juris ordine latam, poterit ac debet Judex sæcularis ab executione abstinere, eámque differre, secus, si malitia vel nullitas commissa non sit clara & aperta, sed altiore examine egeat, tunc enim absque dubio tenetur sententiam latam exequi, cùm ipse examinare processum, aut prætextu injustæ condemnationis executionem differre non possit, sed neque dictis obstat, quò minùs potestates sæculares, etiam non requisitæ, suspectos de Hæresi, capere & detinere possint, adhoc, ut competenti Judici Ecclesiastico tradant. Farin. *l. c. num.* 158. Clar. *de Hæres. n.* 4. cùm hac ratione non intromittant se in judicaturam, neque impediant, sed potiùs debitè juvent ad coercendos & puniendos Hæreticos. Uti nec, quòd statuta & leges ferant, quibus processus contra Hæreticos promoveantur, & pœnæ contra eos à SS. Canonibus statutæ firmentur, quamvis statuta, quibus negotium inquisitionis contra Hæreticos impediatur aut retardetur, condere nequeant.

Quæst. 183. *Quinam in specie sint Judices in causa Hæresis?*

1. RESP. Primò: Papam esse supremum in causis fidei cognoscendis, dijudicandis & puniendis Judicem, à quo omnis aliorum Judicum ordinariorum potestas & jurisdictio originatur & dependet, certa fides est. Farin. *cit. q.* 186. § 1. *n.* 1. Castrop. *tr.* 4. *s.* 7. *p.* 12. §. 1. *n.* 1. Solúsque judicare & dignoscere infallibiliter potest, an dogma aliquod sit Hæreticum, an non, Pirh. *h. t. n.* 123. Legatus verò illius à latere seu Cardinalis, etsi de jure communi sit quoque Judex competens cognitionis in causa hæresis (intellige non quidem, num tale dogma, quod quis sectatur, sit Hæreticum, sed num sectetur dogma, quod habetur Hæreticum) possitque illud punire, quia in hoc plenissimè vices Pontificis gerit, ex consuetudine tamen, sine speciali commissione Papæ, vel supremi tribunalis inquisitionis id potest. Farin. *l. c. n.* 4. Castrop. Pirh. *ll. cit.*

2. Resp. Secundò: Episcopus est Judex competens & ordinarius ratione officii sui omnium Hæreticorum suæ diœcesis sibi subditorum, sive clerici, sive laici sint. *Clem.* 1. *h. t. §. propter quod.* Host. *in C. ad abolendam. h. t. v. singuli Episcopi, Abbates. ibid. n.* 3. Jo-And. *num.* 3. Farin. *l. c. n.* 1. Azor. *p.* 1. *l.* 8. *C. c.* 7. *q.* 8. Castrop. *l. c. num.* 2. Pirh. *h. t. n.* 124. ex ea ratione, quia propriè spectat ad Episcopum, exstirpare Hæreses & arcere lupos ab ovili suo. Respectu tamen exemptorum à jurisdictione sua probabilius est, non esse ordinarium, sed delegatum, ut expressè decisum videtur in *C. ad abolendam. h. t. §. si qui verò*, prout cum Gloss. *ibidem* notant Abb. Farin. Jo-And. aliique communiter & absolutè tenent, Farin. *l. c. num.* 7. Sanch. *tract. de Hæret. c.* 8. *n.* 3. Simanc. *Cathol. inst. tit.* 25. *rub. de Episcopis. n.* 6. Decian. *tract. crim l.* 5. *c.* 21. *n.* 4. *& alii.* quos citat & sequitur Castrop. *l. c.* contra Host. *in C. ad abolendam. n.* 13. quia tamen hæc delegatio respectu exemptorum facta jure communi Episcopis, non ratione personæ, sed ratione dignitatis Episcopalis, adeóque & successoribus illorum in ea, ideo æquiparatur jurisdictioni ordinariæ, ut potiùs ordinaria, quàm delegata censenda sit, quamvis quòad appellationem sortiatur naturam jurisdictionis delegatæ, ita ut à sententia Episcopi lata in causa Hæresis in exemptos appellari debeat, non ad Metropolitanum, sed ad Papam delegantem, ita Castrop. *l. c.* Pirh. *num.* 124. Modus verò procedendi, quem in crimine Hæresis observare debet Episcopus, idem est cum eo, quem servant Inqui-

Inquisitores; juxta *C. per hoc. §. fin. h. t. in 6*, Idque, sive ordinaria, sive delegata Episcopi potestate procedant. Farin. *l. c.* Castrop. *num. 3.* & quantum quidem de rigore juris est, non sine consensu capituli, secus, attenta consuetudine, Farin. *l. c. n. 14. & 15.* Castrop. *l. c.* de cœtero. Vicarius Generalis Episcopi in causis Hæresis cognoscendi & judicandi caret potestate, nisi ad id speciale habeat mandatum à suo Episcopo, saltem sub clausula generali, v. g. hac: *Committimus & concedimus tibi omnia, quæ nos possumus, etiam illa, quæ speciale nostrum mandatum requirunt.* Imol. *in Clem. 1. h. t. n. 19.* Farin. *n. 13.* Pirh. *h. t. n. 24. in fine.*

3. Resp. Tertiò: Capitulum quoque Sede vacante, intelligendo hic nomine Sedis vacantis non solùm, quando Sedes absolutè vacat, seu nullus existit Episcopus, sed quando Diœcesis ab Episcopo gubernari nequit, eo quod is sit captivus vel provisus de Episcopatu, non administraret ob non expeditas literas confirmationis, ut cum Gloss. *in cit. Clem. 1. v. vacante.* Decian. *l. c. n. 13.* Farin. *l. c. q. 179.* Castrop. *l. c. n. 5.* est Judex Ordinarius in causis Hæresis; quia tota Jurisdictio ordinaria Episcopatûs penes illud residet, constat ex *cap. ad abolendam. h. t.* Gloss. *ibid. v. Clerici.* & Abb. *num. 4.* Farin. *n. 177.* Simanc. Castrop. Pirh. *ll. cit.* Non tamen est Judex Ordinarius, neque etiam delegatus in exemptos, quia non succedit Episcopo in iis, quæ Episcopo competunt solo jure delegato: ita probabilius *in cit. C. ad abolendam.* Abb. *num. 17.* Anchor. *num. 10.* Card. & alii, item Farin. *n. 182.* Castrop. *n. 6.* Pirh *num. 125.* Decian. *num. 14.* contra Socin. *in idem c. num. 44.* & alios, quorum sententiam satis quoque probabilem dicit Castrop. exercere autem Jurisdictionem suam ordinariam circa non exemptos debet Capitulum Sede vacante, non per se ipsum, sed per Vicarium suum, arg. *cit. Clem. 1. §. propter.* de Vitalin. *ibidem num. 48. & 50.* Farin. *l. c. q. 86. num. 180.* Castrop. *num. 7.* Ne alias causa non ita brevi tempore decidi possent & servari secretum. An autem Vicarius Capituli ab eo ad exercendam illius Jurisdictionem ordinariam generaliter deputatum, egeat in causis Hæresis speciali commissione capituli, cum sit causa ardua & gravis, non ita certum. Affirmare idipsum videtur Castrop. *l. c.* dum inquit: *Modus, quem servat capitulum in exercenda hac Jurisdictione in causis Hæreticalibus, non est per se, sed per Vicarium ad id specialiter deputatum.*

4. Resp. Quartò: Posse quoque Prælatos quosdam Jurisdictionem quasi Episcopalem habentes esse Judices Ordinarios in causis fidei, cum Molin. *de just. tract. 5. d. 28. num. 11.* tradit Castrop. *n. 6. in fine.* Et in genere ex præscripta consuetudine posse Prælatos regulares in Germania suos subditos in causa Hæresis judicare, & pœnis juris afficere, dum regulares Apostatæ Hæresim amplexi reverturtur aut capiuntur citra intraventum Episcoporum, testatur Reiffenst. *h. t. n. 438.*

Quæst. 184. Inquisitores fidei an, unde & qualiter, in quibus causis, & respectu quorum, & an vices suas committere possunt alii & adjungere alios in consilium, sint Judices?

1. RESP. Primo: Dum tempore Innocent. III. Albigensium potissimùm errores, hæresesque aliæ multum ingravescerent & grassarentur, neque ad eas opprimendas & extirpandas labor & vigilantia specialiter ad hoc ab eodem Pontifice ex ordine potissimum Cistercienstum delectorum Abbatum scientia & virtute insignium necdum sufficere videretur, Dominicus Ordinis Prædicatorum Fundator pro suo erga Hæreses odio & fidei Catholicæ zelo ab eodem Pontifice obtinuit, ut contra quoscunque de Hæresi suspectos singularis fieret inquisitio, institueretúrque processus judiciarius, in quo judicialiter confessi vel convicti gravissimè punirentur, unde initium sumsit S. Inquisitionis officium contra Hæreticam pravitatem, in quo S. Dominicus primus constitutus Inquisitor generalis, & post illum alii ejusdem Ordinis Alumni, quibus dein substituti & subordinati fuere alii Inquisitores inferiores & locales in diversis provinciis & Diœcesibus, præsertim Italiæ & Hispaniæ, ita ut ibidem in singulis ferè diœcesibus adsit officium S. Inquisitionis, & Inquisitores contra Hæreticam prævitatem, qui hodiedum sunt S. Congregationi Cardinalium universalis Inquisitionis, vel S. Officii, subjecti, quam, dum Papa cerneret invalescere noviter Hæreses Lutheranam & Calvinisticam, ad officium S. Inquisitionis ubique majori cum fructu & exactiùs exercendam instituit anno 1542. de qua vide Card. de Luca *in Relat. Curiæ Rom. discursu 14. à n. 2.*

2. Resp. Secundò: Inquisitores omnes tam inferiores & locales quàm generalis & supremus sunt veri Judices Hæreticorum in suo districtu, provincia aut diœcesi, ut habet communis & certa, arg. *C. ut officium. h. t. in 6.* eorum quoque munus præstant Episcopi in Provinciis, in quibus Inquisitores Apostolici speciali Authoritate Rom. Pontificis non sunt constituti, ut in Gallia, Germania, Polonia, ut notant Azor. *p. 1. l. 8. c. 18. q. 2.* Pirh.

3. Resp. Tertio: Inquisitorum potestas & Jurisdictio non est ordinaria, sed delegata à Sede Apostolica, pro ut dicitur *c. 10. h. t. in 6. Officium Inquisitionis Hæreticæ pravitatis à Sede Apostolica commissum. ibidem.* Franc. Sylv. *v. Hæresis. 2. q. 1.* Azor. *l. c.* Farin. *de Hæresi. q. 186. n. 39.* Eymer. *p. 3. director. quæst. 4. comm. 53.* Scacc. *de Judic. c. 67. n. 5.* Molin. *de just. tr. 5. d. 28. n. 4.* Castrop. *tract. 4. d. 7. p. 12. § 2. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 130.* Quia, esto deputatus sit ad universitatem personarum, non tamen est constitutus ad universitatem causarum (quod requiritur, ut quis sit & dicatur Judex Ordinarius, sed tantùm ad unam speciem causarum, nempe fidei, & quæ illi connexæ sunt, non est nisi Judex delegatus. His tamen non obstantibus gaudent multis Privilegiis Jurisdictionis Ordinariæ; dum v. g. vices suas committere possunt aliis officium illorum non expiret in vita illius, qui eos deputavit. Propter quod agit Castrop. Officium Inquisitionis habere perfectiones jurisdictionis delegatæ & ordinariæ, sublatis utriusque imperfectionibus. Porrò licèt Inquisitores non semper à Sede Apostolica immediatè eligantur & constituantur, sed etiam ab aliis ad id authoritatem à Sede Apostolica habentibus, v. g. à Cardinalibus S. Congregationis, S. Officii Inquisitionis, Generalibus & Provincialibus Ordinum, qualiter hoc Privilegium eligendi & constituendi aliquos ex suis Ordinibus Inquisitores impetrarunt Dominicani & Franciscani à tempore Innoc. IV. & Clem. IV. vel à generali Inquisitore, semper tamen censeri debent delegati Sedis, & ab ea habere immediatè authoritatem, ita ut non sint subdelegati Sedis Apostolicæ, & quamvis tales particulares Inquisitores à generali Inquisitore dependeant, non tamen sint illius subdelegati. Ita Molin.

lin. *l.c.n.*7. Eymer. *l.c. q.*3. *comment.*52. Farin. *q.*168. *n.*41. Castrop. *l.c. n.* 4. Pirh. *h.t. n.* 31. Neque etiam, etsi ab alio, aut à dictis Cardinalibus S. Officii præsidibus de loco in locum mutari ac deponi possint Inquisitores particulares, non nomine Inquisitoris generalis, sed proprio & Authoritate Apostolica sententiam adversùs reos pronunciant, nec arctantur ad eam per se ipsos publicandam & denunciandam in theatro, sed possunt id facere per alios. Castrop. *l.c. n.*4.

4. Resp. Quartò: Inquisitores regulariter inquirere & procedere possunt contra omnes Hæreticos, eorúmque credentes, receptatores, fautores, defensores, nec non contra Infamatos vel suspectos de Hæresi, existentes in Provincia, Diœcesi, Civitate, alióve loco, in quo ipsis officium inquisitionis est commissum. Sic itaque exercere possunt hanc suam potestatem, tam circa personas laicas, quam Ecclesiasticas, tam sæculares quàm religiosas, hasque etiam exemptas quò ad alia à Jurisdictione Ordinariorum. *C. accusatus. C. ad abolendam. h.t.* & specialiter *C. ut officium. h.t. in* 6. Item, etiamsi religiosi jam præventi essent à suis Prælatis regularibus, adhuc per Inquisitores judicandi, iisque subditorum Hæreses denunciandæ; ut juxta rescriptum Pii IV incipiens: *Pastoris etenim est.* & Pauli III. incipiens: *Apostoli culminis.* notant Farin *cit. q.* 186. *n.* 126. Azor. *p.*1. *L.*8. *c.*18. *q.*12. Castrop. *l. c. num.* 5. Quin & hodiedum omnibus Prælatis religiosis sublatam esse potestatem cognoscendi de Hæresi suorum subditorum, judiciúmque hoc Episcopis & Inquisitoribus remissum per Constitutionem Pauli V. testatur Farin. *de Hæresi q.*128. *in fine.* apud Castrop. *l.c.*

5. De cætero regula hæc, quòd Hæretici omnes inquiri & cognosci possint ab Inquisitoribus, suas patitur limitationes & exceptiones. Ac Primo quidem contra Reges supremósque Principes, qui nullum alium Superiorem in temporalibus agnoscunt ob Hæresim vel ejus suspicionem procedere non debent Inquisitores sine speciali Pontificis mandato. Azor. *l.c. q.* 13. Pirh. *h.t. n.*133. *in fine.*

6. Secundò contra Episcopos de crimine Hæresis inquirere & procedere ne quidem Inquisitor generalis sine Sedis Apostolicæ speciali, aut in literis commissionis expressæ facultate potest; sed ubi Inquisitores ipsi Episcopos aut Prælatos superiores noverint in Hæresim lapsos, aut de ea suspectos, tenentur idipsum Sedi Apostolicæ denunciare eique judicium remittere. Pro ut statuitur, *C. Inquisitores. h. t. in* 6. & à Trident. *sess.* 24. *c.* 5. *de reform.* Quibus tamen non obstantibus, possunt Inquisitores dicta testium contra Episcopum recipere, ut ea ad Pontificem transmittant; cùm aliâ viâ scire non possint, Episcopos de Hæresi suspectos esse, ut teneantur eos Pontifici denunciare, Molin. *de Just. tract.* 5. *d.* 28. *n.* 19. Pegna *in addit. ad* Eymer. *p.* 3. *director. q.* 27. *comment.* 76. Decian. *tract. crim. L.*5. *c.*23. *n.*2. Zech. *in sum. p.* 1. *tit. de fide. rub. de Hæres. c.*11. *n.*13. Castrop. *l.c. n.*5. Pirh. *h.t. num.*135. Quin etiam possunt Episcopum clarè cognitum Hæreticum, de fuga suspectum comprehendere & custodire, ad submittendum illum Pontifici, donec ille reddatur certior, præsertim, dum aliàs est, & certò cognoscitur periculum seductionis plurium; quia tales casus à generali prohibitione procedendi contra Episcopos videntur excepti. ita AA. jam citati. *ll.cit.* Potest quoque Episcopus contra alium Episcopum Hæreticum, aut de Hæresi suspectum in sua Diœcesi subsistentem, Hæresim committentem (etsi id nequeat Inquisitor) inquirere & procedere ex potestate ei delegata per *C. ad abolendam.* Farin. *l.c. n.* 122. Decian. *l. c. c.*21. *n.*5. Castrop. *num.*6. Pirh. *l.c.* Porrò nomine Episcoporum, contra quos prohibetur inquiri, veniunt etiam Episcopi titulares; quia verò sunt Episcopi. Item electi & confirmati à Papa, etsi nondum consecrati; quia jurisdictionem habent episcopalem. Non tamen Episcopi electi, nondum tamen confirmati; Simanc. *Cathol. inst. tit.*25. *n.*11. & 12. Mol. Castrop. Pirh. *ll.cit.*

7. Tertiò Inquisitores nulli aut Ordinarii procedere possunt aut sententiam excommunicationis, suspensionis vel quamvis aliam promulgare contra Sedis Apostolicæ Legatos, Nuncios, Officiales ejusdem Sedis sine speciali illius licentia in scriptis concedenda, faciente plenam de præsente decreto mentionem; ita ut, si quid contra illud factum fuerit, sit irritum & inane, & si indebitè quid attentarent in his, quæ negotium fidei tangunt, diœcesani vel Inquisitores, alii verò Judices ordinarii, vel delegati in aliis causis ad ipsos pertinentibus plenam informationem capiant, & Papæ studeant significare, ut is de remedio opportunè valeat providere, expressè statuitur *in Extrav. Matthæus. h.t. inter comm.* Porrò nomine Nunciorum intelliguntur Legati Sedis Apostolicæ, juxta *C. nobilissimus. dist.* 97. nomine Officialium designati ad causas aliquas Sedem Apostolicam ejúsve honorem, non verò ad causas particulares inter partes decidendas spectantes. Mol. *l. c. n.* 20. Castrop. Pirh. *ll. cit.*

8. Quartò: Inquisitores contra alios Inquisitores Hæreticos, aut de Hæresi suspectos, durante Inquisitionis officio; secus eo finito; vel ab eo remotos (sicut in Hispania ab Inquisitore generali facilè removeri possunt) procedere nequeunt; tum quia sunt Sedis Apostolicæ delegati (unde, si non essent à Papa delegati, sed à supremo Inquisitore subdelegati, possent ab eodem inquiri, incarcerari, puniri, ut Simanc. apud Castrop.) tum quia par in parem non habet Imperium; quamvis possint contra eos secretò recipere informationes super Hæresi, easque Papæ transmittere, ita Azor. *l.c. n.*14. Farin. *l. c. q.* 186. *n.*124. Molin. *l.c.* Eymer. *l.c. q.*30. *comm.*79. Castrop. *l.c. n.*8. Pirh. *l.c.* Sed neque Episcopos (qui Inquisitores nati dicuntur) tanquam Ordinarios aliter, quam capiendo dictas Informationes posse procedere contra Inquisitores, nisi in casu speciali per Epiikeiam, dum nimirum Inquisitor Hæreses seminasset, aut seminari permitteret, & delinquentes Hæreticos impunitos dimitteret, aliáque horrenda committeret; quia durante officio Inquisitoris est Sedis Apostolicæ officialis, contra quos in crimine Hæresis Ordinarii, ut dictum, procedere nequeunt. *cit. Extrav. Joan. XXII. Matthæus.* ita expressè Azor. Farin. Mol. Castrop. *ll. cit.*

9. Quintò: Inquisitores, etsi alias regulariter contra Judæos aliósque infideles procedere nequeunt, sed contra eos, dum ob delicta alia puniendi sunt, regulariter recurrendum ad Judices Sæculares, possunt tamen procedere contra eos, illósque punire, dum Christianum ad ritum suum inducunt, vel Judæum baptizatum ad Judaismum redeuntem rebaptizant, ac denuò lavant, & veluti inquinatum purificant. Farin. *l.c. q.* 179. *n.*143. & 145. Pirh. *h.t. n.*138. *in fine.* Possunt item procedere contra Judæos tanquam Hæreticos, qui, dum essent septennio minores, baptizati Christiani facti sunt, & postmodum ad Judaismum redierunt; quia etsi

ignoranter baptizati, per Baptismum tamen obligantur ad legem Christianam observandam. Idem est de Judæis baptizatis in amentia, nisi ante amentiam habuerint voluntatem repugnantem susceptioni Baptismi. Item qui medio mortis baptizati seu facti Christiani postea redierunt ad Judaismum (nisi fortè vi absoluta omnino inviti baptizati sunt) hi enim ut hæretici condemnari possunt. Farin. *q.* 178. *à n.* 176. Pirh. *l. c.*

10. Resp. Quintò : regulariter Inquisitores fidei non possunt cognoscere de causis aliis criminalibus aut civilibus, præterquam de causis hæresis & hanc concernentibus (quales sunt rebaptizare pueros, consulere & invocare dæmones animo sciendi futura &c. de his enim cognoscere spectat, ad Inquisitores, ut Clar. §. *hæresis. à n.* 24. Azor. *p.* 1. *l.* 9. *c.* 26. *q.* 4 Pirh. *n.* 139.) sumitur ex *C. accusatus.* §. *sanè. h. t. in* 6. ubi etiam additur ratio : cùm negotium fidei, quod summè privilegiatum est, per alias occupationes non debeat impediri. Nihilominus jurisdictionem habent Inquisitores in causis quoque aliis suorum familiarium & officialium, & quidem privativè, ita ut nulli alii Judices in iis judicandis se possint intromittere, sed solùm delinquentes capere tenentur, & captos remittere Inquisitorum judicio. Simanc. *l. c. tit.* 41. *rub. de minist. n.* 16. Paramo *de orig. inquisit. l.* 5. *q.* 6. *n.* 17. Farin. *q.* 186. *n.* 38. Castrop. *l. c. n.* 9. Quamvis & ab hac eorum potestate excipiantur eorum officiales, committentes crimen læsæ Majestatis, rebellionis publicæ, proditionis, effractionis seu violationis Ecclesiæ, committentes crimen nefandum &c. cùm expediat hæc à Judice sæculari, qui pœnam mortis imponere possit, judicari, ne prætextu exemptionis faciliùs hæc audeant patrare, ita AA. immediatè ante citati, è quibus Castrop. ait, se credere, Inquisitores habere jurisdictionem in causis civilibus respectu suorum officialium, qui iis sunt à secretis, ut ii solùm conveniri & convenire possint debitores coram Inquisitoribus, non autem alii eorum officiales eorum extranei. Quid verò possint Inquisitores in causis reconciliatorum Criminalibus & Civilibus, dum habitum pœnitentiæ gestant, & generaliter in causis pœnitentiæ, dum pœnitentiam exequuntur, vide apud Castrop. *l. c. n.* 10.

11. Resp. Sexto : Inquisitores etiam particulares, utpote à Sede Apostolica delegati, ob adversam valetudinem, vel absentiam aliámque legitimam causam possunt constituere Vicarios, etiam Generales, qui ad tempus vel beneplacitum eorum hoc munus exerceant, vel plenè etiam cum potestate proferendi sententiam definitivam; vel cum restrictione aliqua, illósque iterum pro libitu deponere. Idque speciale est in his Inquisitoribus ob favorem fidei. Ita sumitur, vel potiùs supponitur ex *C. ne aliq. c. ut commissi. tr.* 2. *in* 6. *Clem.* 1. *eod.* §. *porro.* & ita tenent Azor. *l. c. c.* 8. *q.* 10. Farin. *q.* 186. *n.* 29. Mol. *cit. d.* 28. *n.* 8. Castrop. *n.* 12. aliique apud illum, qui tamen addit, Inquisitores nunquam debere talibus suis Vicariis seu Commissariis pro sententiis ferendis, præsertim contra relapsos & impœnitentes, committere vices suas; eò quòd, dum de vita hominis agitur, altiore examine, quàm quod per Vicarium peragitur, opus sit. De cætero hi commissarii seu subdelegati etiam universales, & cum potestate proferendi sententiam definitivam, non possunt vices suas, neque in totum, neque in partem subdelegare, ne detur processus in infinitum; cùm non sit ratio, cur, si subdelegatus subdelegare possit, hic secundus subdelegatus denuo non possit alium subdelegare, & ita gl. *in c. cum causam. de delegat. v. delegatus.* & communi Abb. Alex. Jo. And. Pegna *l. c. q.* 15. *comment.* 64. Mol. Azor. *ll. cit.* Castrop. *n.* 13.

12. Resp. Septimò : conceditur Inquisitoribus per *c. commissi. h. t. in* 6. potestas advocandi quos libet peritos, ut eis assistant in consilio præbendo & ferendis sententiis.

Quæst. 185. *An, qualiter & quando, dum in diœcesi constituti sunt Inquisitores, hi in causis hæresis simul cum Episcopis Diœcesanis, vel separatim ab iis, procedere possint aut debeant, vel etiam, dum plures in provincia Inquisitores, quilibet eorum sine alio procedere possit?*

1. Resp. Ad primum : de hoc statui plura in diversis textibus juris, & primò quidem *c. per hoc. h. t. in* 6. ita statuitur : *Per hoc, quòd negotium hæreticæ pravitatis alicui vel aliquibus ab Apostolica Sede generaliter in aliqua provincia, civitate vel diœcesi delegetur, nihil diœcesanis Episcopis derogatur, quin & ipsi authoritate ordinaria vel delegata, si eam habeant, procedere valeant. Verùm, ut dictum inquisitionis officium efficacius, melius utiliusque procedat, possunt Episcopi ipsi & Inquisitores de eodem facto inquirere, & cognoscere conjunctim vel divisim, & si divisim processerunt, tenentur sibi invicem communicare processus, ut veritas melius inveniri possit, & nisi in hoc casu Inquisitores in sententiæ prolatione diœcesanis, vel contra hi illis judicaverint deferendum per utrosque sententia proferatur, in qua proferenda si non conveniant, per utrosque negotium sufficienter instructum ad Sedem Apostolicam deferatur, sive autem ordinaria, sive delegata potestate procedatur ab Episcopis, illum in procedendo modum observare debent, quem Inquisitores per jura communia, vel per speciales commissiones seu ordinationes Sedis Apostolicæ* (etsi corpori Juris Canonici non sint insertæ, dummodò constitutionibus canonicis non sint contrariæ, ut gl. *fin. hic*) *possunt ac debent observare.* Ex quibus jam infertur, quòd jurisdictio generalitet delegata Inquisitoribus ideo non præjudicet jurisdictioni Episcopi, quia censetur concessa illis cumulativè non privativè, ac ita Episcopus adhuc procedere possit contra hæreticos subditos potestate ordinaria, & ex delegata contra exemptos. Franc. *in cit. c. per hoc. n.* 2. Farin. *l. c. n.* 58. secus verò sit, si delegatio Inquisitori sit specialiter & restrictè ad certas personas certasque causas facta; per talem enim specialem commissionem derogatum censetur jurisdictioni ordinariæ Episcoporum quò ad illas personas & causas; quin & generaliter delegatæ potestati aliorum Inquisitorum. Franc. *n.* 3. Farin. *n.* 59. Pirh. *h. t. n.* 145. Notandum præterea, quò ad communicationem processûs, pro ut rescribitur pro declaratione *cit. c. per hoc. in Extrav. ex eo.* 1. *h. t. inter commun.* quò hi processus etsi communicandi, dum Episcopus & Inquisitor procedunt seorsim, non tamen, communicandi, quando Episcopus vel Inquisitor tantùm procedit, dum autem uterque procedit, processus utriusque communicandi in fine, quando nihil restat quàm sententia proferenda, nisi fortè alter eorum procedere nequit, nisi visis actis alterius, notandum ulteriùs ex *Clem. multorum.* 1. §. *propter quod. h. t.* quò ad prolationem sententiæ contra hæreticos, quòd, dum Episcopus & Inquisitor, sive divisim,

visim, sive conjunctim procedunt, etsi unus sine altero procedere nequeat ad sententiam definitivam condemnatoriam hæretici, possit tamen unus sine altero procedere ad sententiam definitivam, per quam reus omnino absolvatur, quia delictum non probatur; vel ad interlocutoriam, habentem vim definitivæ per quam reus absolvatur à tortura vel alia pœna; Arg. *cit. Clem.* 1. ubi cùm solùm dicatur, unum eorum sine alio non posse ferre sententiam condemnatoriam contra hæreticos, videtur permitti, ut unus sine alio ferre possit sententiam absolutoriam seu pro hæreticis, ita tenent gl. *in cit. Clem. §. propter quod. v. contra eos.* Clar. §. *hæresis. n.* 5. Mol. *cit. d.* 28. *n.* 15. Farin. *cit. q.* 186. *n.* 60. Azor. *cit. c.* 28. *q.* 16. apud Pirh. *n.* 150. dicentes, hanc sententiam stando juri communi esse communiorem & probabiliorem. Pirh. tamen ipse oppositam sententiam justiorem, æquiorem & magis receptam pronunciat; eò quòd licèt textus *cit. Clem.* loquatur solùm expresè de sententia condemnatoria, eo ipso tamen, quòd communicatio processuum inter utrosque præcedat sententiam, ut examinetur, utrum reus absolvendus, an condemnandus sit, tacitè etiam requiritur, ut reus non absolvatur ab uno solùm Judice sine alio, sicut non potest condemnari ab uno solo, similiter juxta *cit. Clem. §. propter quod*, tametsi, dum Episcopus & Inquisitor simul procedunt, unus sine alio hæreticum inquirere, citare, capere, incarcerare, vincire possit; non tamen unus sine alio illum in durum arctumque carcerem, qui magis pro pœna quàm custodia sit, compingere potest. gl. *ibid. v. ipso jure.* Farin. *n.* 62. *&* 67. Pirh. *h. l. c.* Notandum item quò ad citationem, quòd si citetur idem eodem tempore ab Inquisitore & Episcopo, procedente ex delegatione Papæ, quia citatus exemptus est ab ejus jurisdictione ordinaria, citatus comparere possit, coram quo maluerit. Farin. *n.* 95. si tamen citatus tanquam subditus Episcopi potestate illius ordinaria, comparere potiùs debet coram Inquisitore; quia jurisdictio delegata à Papa Inquisitori major est potestate ordinaria Episcopi. Azor. *l. c. q.* 8. Farin. *l. c. n.* 87. *& seq.* Pirh. *n.* 152.

2. Resp. Ad secundum: idem de pluribus Inquisitoribus in eadem provincia dicendum, quod dictum de Episcopo & Inquisitore in eadem diœcesi, juxta *c. ut officium. h. t. in* 6. Unde, ut jam dictum, si Papa contra aliquem vel aliquos specialiter & expresè designasset Inquisitorem, reliqui Inquisitores generaliter designati nullatenus de tali causa cognoscere possent, etiamsi cognoscere incepissent; quia illa delegatione facta censetur Pontifex illam causam sibi & illi specialiter delegato advocare, & consequenter aliis potestatem de ea cognoscendi interdicere. Pegna. *l. c. q.* 46. *comm.* 45. *vers. sed obiter.* Molin. *l. c. n.* 9. Farin. *n.* 25. Castrop. *l. c. n.* 15. Arg. *c. ut nostrum. de appell. & C. sinduisti. de off. delegat.* Unde ut Castrop. cum Mol. *l. c.* si Inquisitor ille specialiter deputatus obeat, aut aliâ causâ ista illius jurisdictio deficeret, non poterunt Inquisitores generaliter deputari, neque Episcopus de ista causa cognoscere, quia jam fuit Pontifici advocata, & ab eorum jurisdictione sublata, & si hic Inquisitor specialis ad illius cognitionem indigeat informationibus & depositionibus factis apud alios Inquisitores, à quibus dicta causa cæpta cognosci, poterit illos compellere ad eas sibi exhibendas, juxta *C. ut commissi. h. t. in* 6. *vers. nec non.* Farin. Mol. Castrop. *ll. cit.* Scacc. *de jud. c.* 67. *num.* 10. modestè tamen & amicabiliter primò expetendæ, aliàs inconsultò Papâ non extorquendæ.

Quæst. 186. *Qualiter exspiret officium Inquisitoris hæreticæ pravitatis, & qualiter Inquisitor revocari possit?*

1. Resp. Ad primum: officium Inquisitoris absolutè commissum non exspirat morte committentis, etiam re integra; pro ut expresè statuitur in *c. ne aliquis. h. t. in* 6. dum ibi dicitur: *præsenti declaramus edicto, ipsum officium inquisitionis, non solùm quò ad negotia vivente mandatore incepta, sed etiam quò ad integra, & non capta, & quod plus est, quantùm quò ad ea, quæ tunc non emerserant, in favorem fidei post committentis obitum perdurare &c.* quemadmodum officium Legati non exspirat re integra, mortuo Papâ juxta *c.* 2. *de off. Legat. in* 6. dum aliàs potestas delegatorum ad causas cognoscendas re adhuc integra morte mandantis exspiret, juxta *c. relatum. c. gratum, c. licèt. de off. Jud. deleg.* Intelligendumque hoc ipsum, non tantùm de officio Inquisitorum immediatè à Papa deputatorum, sed etiam constitutorum à Congregatione Cardinalium S. Officii, aliisque potestatem constituendi Inquisitores inferiores habentibus; cùm hi omnes à Pontifice denominati censeantur Azor. *p.* 1. *inst. mor. t.* 28. *q.* 7. Farin. *l. c. q.* 186. *n.* 20. Pegna *p.* 3. *director. q.* 7. *&* 8. *comment.* 38. *&* 57. Castrop. *l. c. n.* 16. Pirh. *h. t. n.* 153. quod ipsum etsi limitent Jo. And. *in cit. C. ne aliquis. gl.* 1. Gemin. *n.* 4. Franc. *n.* 2. Sylv. *v. hæresis. §.* 2. *n.* 3. Decian. *pract. crim. l.* 5. *c.* 20. *n.* 8. quos sequi videtur Farin. *q.* 185. *n.* 22. Arg. *c. si gratiosè. de rescrip. in* 6. ubi *delegati ad beneplacitum Sedis non finiuntur morte delegantis*; secus si ad beneplacitum Romani Pontificis &c. ut procedat, si talis Inquisitor datus sit simpliciter, vel etiam ad beneplacitum Sedis Apostolicæ; non verò, si datus cum clausula: *Ad beneplacitum Pontificis*, in quo posteriore casu re adhuc integra exspirare volunt officium Inquisitoris per mortem Pontificis. Verùs tamen sentire videntur Penia *l. c. commen.* 56. Vers. *sed ut Azor.* Castrop. *n.* 17. Azor. Pirh. *ll. cit.* officium Inquisitoris per mortem Papæ delegantis non exspirare, quomodocunque is sit constitutus, sive simpliciter, sive cum clausula: ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, vel etiam Romani Pontificis, nisi in literis delegationis contrarium expressum fuerit; cum ob singularem fidei favorem, pro quo semper concessa censeatur Inquisitoribus jurisdictio contra hæreticos, ne casus eveniat, in quo vel non possit inquiri in eos, vel ne eorum punitio diutiùs impediatur, aut omnino omittatur. Azor. Castrop. Pirh. *ll. cit.*

2. Resp. Ad secundum: officium seu jurisdictionem quorumcunque Inquisitorum revocari posse à Pontifice extra dubium est. Sed & olim, dum à Generalibus Provincialibus aliis Ministris Ordinum S. Dominici & S. Francisci eligebantur, ab iisdem quoque, dum videbatur, removeri poterant, potestate etiam ad hoc, sicut ad eligendum iis à Pontifice concessa, ut constat ex privilegiis illis Ordinibus concessis, & ex constitutionibus Innoc. & Clem. IV. utraque incipiente: *Licet ex omnibus*, hodiedum tamen non eliguntur ampliùs ab iis, sed à Cardinalibus universali Inquisitori præsidentibus, aut alicubi ab Inquisitore generali; & hi soli à se electos poterunt de loco in locum transferre, aut ab officio prorsus amovere, pro ut visum fuerit expedire, ita cum Penia *q.* 9. *comment.*

comment. 58. Farin. *num.* 32. Azor. *q.* 9. Castrop. *num.* 18. Inquisitorem tamen à se electum invitum, nec à loco, nec ab officio amovere possunt sine legitima causa solo arbitrio suo; cùm in Decretis & Constitutionibus, quibus conceditur illis potestas electos à se Inquisitores mutandi & removendi, adduntur verba illa: *Si ita visum fuerit*, vel *si ita vobis videbitur*. Quæ, ut juxta *C. non solum. de regular. in* 6. Menoch. *L.* 1. *de arb. q.* 8. *num.* 5. non indicant plenum arbitrium, sed arbitrium regulatum jure & æquitate. Quibus non obstat, quòd talis Inquisitor aliquis in delegatione dicat, se vices suas committere, dum ipse non revocarit, seu ad beneplacitum suum; quia ad beneplacitum facta concessio perpetua esse dicitur, ut probat Menoch. *num.* 6. & beneplacitum significat arbitrium boni viri, ut idem *q.* 6. *num.* 10. ita Castrop *à num.* 19. Porrò causæ ad removendum Inquisitorem ab officio in genere tres sunt, impotentia, negligentia, iniquitas. Ad impotentiam spectant infirmitas, non quidem temporalis, utpote quæ admittit substitui tantisper vicarium, sicut absentia, sed perpetua aut quasi perpetua. Senectus, si rectum judicium tollat. Ignorantia, si tanta est, ut ignorentur ea, quæ ad hoc officium spectant; non enim fas est, Inquisitores omnia committere judicio & consilio consultorum. Secunda causa est negligentia, qualis committitur etiam, quando contra Hæreticos non proceditur debito tempore, & hinc Hæreticus, aut de Hæresi suspectus, capiendus aufugit, vel interim, Hæresim disseminat. Et si hæc negligentia procedit ex odio vel amore lucri, ultra remotionem ab officio, si Inquisitor negligens fuerit Episcopus, suspenditur ipso facto ab officio episcopali per triennium, si fuerit alius, excommunicationem reservatam Pontifici incurrit, per *Clem.* 1. §. *verùm h. t. in fine*. Quin & si negligentia Inquisitorum fuerit gravis, incurrunt fautoriam Hæresis per *c. quanta. de Sent. excommun. & C. qui potest obviare.* 23. *q.* 3. ut Farin. *q.* 182. *n.* 24. relatis aliis. Tertia causa est iniquitas, præcipuè prætextu officii, v. g. si illicita pecunia (vel quidcunque pretio æstimabile, ut Glos. *in cit. Clem. v. pecuniam.* Farin. *q.* 186. *n.* 134. Sanch. & alii) extorqueatur prætextu ipsius officii. Tametsi hìc nomine iniquitatis quoque veniat quodcunque aliud, ac præsertim scandalosum crimen; cùm Inquisitionis officium expostulet viros doctrinâ & omni virtute conspicuos juxta Constitutionem Urbani IV. incipientem: *Præcunctis.* De cætero ad removendum Inquisitorem ab uno loco in alium non requiritur culpa removendi seu mutandi, sed sufficit, ita conveniens esse, & videri illi, qui hanc potestatem mutandi habet, cùm sic fieri expediat potestati gubernativæ etiam absque eo, quòd opus sit illi, convenientiam hujus mutationis juridicè probare.

Quæst. 187. *Inquisitores delinquentes à quo puniendi?*

Resp. Inquisitores hi, si sint Clerici Sæculares electi à Cardinalibus S. Officii, ab iis quorumcunque delictorum rei puniri debent; quia illis subjecti. Idem est de Electis ab Inquisitore aliquo generali propter eandem rationem. Castrop. *l. c. num.* 23. Si verò sint religiosi, & delinquant extra suum contra regularem observantiam, puniri eos posse à suis superioribus regularibus; non tamen si delinquant in officio Inquisitionis; quia quò ad ea delicta exempti sunt à propriis Prælatis vi Constitutionum Alex. IV. & Clem. IV. tenent Eymer. *p.* 3. *director. q.* 12. *n.* 1. Locatus *in judicial. Inquisit. v. Inquisitor. n.* 40. Econtra cum Farin. credit Castrop. *l. c.* non posse eos puniri à suis Prælatis, sive delinquant in officio, sive extra illud pœnâ, quæ aliquo modo retardare posset exercitium officii Inquisitionis; quia in memoratis Constitutionibus eximuntur Inquisitores religiosi in officio suo exercendo à Prælatorum suorum obedientia, ita ut Prælatis graviter injungatur, ne dictos Inquisitores ab executione sui officii directè vel indirectè impediant. Posse nihilominus Prælatos religiosos contra Inquisitores sibi alias subditos delinquentes sumere informationes, easque ad supremum tribunal inquisitiones submittere, expectantes, quid sibi ab eodem tribunali desuper mandetur. Pro quo citat Farinacium.

Quæst. 188. *Qualiter procedendum in causa Hæresis?*

1. Resp. Primò in genere: In ea procedi potest summariè simpliciter & de plano sine strepitu & figura judicii, ut expressè deciditur in *C. statuta. h. t. in* 6. & constat desuper à Penia *p.* 3. *director. q.* 54. *comm.* 193. relatis Constitutionibus Alex. V. quæ incipit: *Cupientes.* & Urban. IV. incipiente: *Licet ex omnibus*; ac ita conformiter textui sine ulla limitatione tradunt Repertor. Inquisit. *v. ordo. vers. sed quò ad talem.* Roias. *singul.* 145. *num.* 13. Scacc. *de jud. c.* 52. *n.* 2. Castrop. *tract.* 4. *d.* 8. *p.* 1. *n.* 1. contra Decian. *tr. crim. l.* 4. *c.* 34. *num.* 9. Quatenus is asserit, privilegium sic procedendi summariè concessum Inquisitoribus in non multum præjudicialibus; crimen autem Hæresis gravissimum sit, multúmque infamet, adeóque quò ad modum procedendi non relinquendum arbitrio Inquisitoris. Procedi autem summariè & de plano in eo dicitur juxta declarationem Clem. V. *in Clem. sæpe contingit. de V. S.* quia non exigitur libelli oblatio in scriptis facta; nec litis contestatio, & judicium desuper agitari possit, etiam tempore feriarum, item quòd amputandæ dilationes, exceptiones, & appellationes frustratoriæ; partium, Procuratorum, & Advocatorum contentiones & jurgia, testium superfluorum multitudo, & loquendo universim omitti possunt solennitates Juris Civilis & positivi; non tamen omittendæ citatio, probationes & defensiones necessariæ, & solennitates, quæ sunt juris naturæ ac gentium, sine quibus nec justè nec valide causæ tractari possunt, Castrop. *l. c.* à quo singula declarata vide *num.* 3. 5. *& seq.* Pith. *n.* 61. Tametsi autem hoc procedendi modo in causis fidei uti possint Episcopi & Inquisitores, non tamen ad sic procedendum obligantur; cùm *cit. C. statutum.* dicatur: *Concedimus*, quod verbum non obligationem, sed licentiam significat, Locat. *l. c. n.* 18. Farin. *q.* 185. *n.* 19. Castrop. *l. c. num.* 2. Scacc. Pith. *ll. cit.*

2. Resp. Secundò in specie: Primò modus procedendi in crimine Hæresis viâ accusationis consuetudine abrogatus; cùm in hoc tribunali constitutus sit minister publicus, vulgo dictus fiscalis, qui personam accusatoris subit, se tamen ad pœnam talionis non subscribit; quia ex necessitate officii ad bonum publicum accusat, & non nisi habeat testes. Penia. *l. c. q.* 14. *comm.* 67. *vers. sed cum.* Farin. *q.* 165. *num.* 40. Scacc. *l. c. à num.* 6. Param. *de orig. Inquis. L.* 3. *q.* 9. *n.* 15. Castrop. *l. c. p.* 2. *n.* 1. Si tamen quis personam accusatoris subire velit, admittendus est, accusatione proposita

ſita in ſcriptis absque eo, quòd cogatur ſe ſubſcribere ad pœnam talionis, quia ea ipſa neceſſitas per hoc ſublata, quod permittatur procedi ſummariè. Farin. *q.* 185. *num.* 33. Param. *de ord. inquiſit. L.* 3. *q.* 4. *rub. de Ord. Jud. S. Officii. n.* 16. Caſtrop. *num.* 2. Quamvis accuſator etiam ſe non ſubſcripſerit ad pœnam talionis, ac proinde eam ſubire non debeat, ſi tamen in probatione defecerit, graviter ſit puniendus arbitrio Inquiſitoris tanquam calumniator. Farin. *num.* 37. quin & ut idem, *num.* 39. non careat probabilitate, eum puniendum eſſe pœnâ talionis juxta conſtitutionem Pii V. in Bulla 5. ſi probetur, eum ex malitia accuſaſſe innocentem, quâ aliàs adhuc puniendus non eſſet, ſi ſe ad eam ſubſcripſiſſet, ſed mitiùs, non quia eâ dignus non eſſet, ſed quia Eccleſia vult cum eo exercere miſericordiam, juxta textum *C. ſuper his. de accuſat.* Farin. *cit. num.* 37. Caſtrop. *num.* 3. De cætero accuſatio de Hæreſi competit omnibus indifferenter; quia juxta *L. Manichæos.* §. 1. *c. h. t.* Hæreſis eſt crimen publicum, & omnium fert injuriam, eò quòd in religionem divinam committitur. Ac proinde de eo accuſare poſſunt clericum laici infames, pupilli & minores cum authoritate tutoris & curatoris. Farin. *n.* 23. Caſtrop. *n.* 5. & 6. non tamen excommunicati excommunicatione majore, denunciati, vel publici percuſſores clerici in excommunicatione exiſtentes, quia in judicio ſtare non poſſunt. *C. intelleximus. de judic. C. decernimus. de ſent. excomm.* Clarus *pract. q.* 14. *verſ. quæro.* Caſtrop. *num.* 6. qui tamen credit, eos admitti poſſe in defectum. arg. *C. in fidei favorem. h. t. in* 6. Inimicum quoque capitalem admitti ad accuſandum de Hæreſi, ſed cautè & ut ſuſpectum, credit Caſtrop. *n.* 7. citans Clar. *cit. q.* 14. *verſ. ulteriùs.* Gigas *de Crim. Læſæ Majeſt. L.* 2. *rub. qui accuſar. poſſ.* Decian. *tract. crim. L.* 3. *c.* 25. *n.* 7. Farin. *num.* 29. Paris. *L.* 4. *conſ.* 2. *n.* 54. & 75. Eò quòd, ut dictum ex *L. Manichæos*, cedat in injuriam omnium, adeòque proſequens illius vindictam, cenſeri debeat proſequi injuriam omnium. Contrarium tamen tenentibus Carrerio, Campeg. Eymer. Penia. apud Caſtrop. quem quoque vide *num.* 4. de modo inſtituendi hanc accuſationem.

3. Secundò: uſitatus modus in hoc crimine procedendi eſt per denunciationem; cum denuncianti non ſit ita periculoſus, utpote qui ex recepta conſuetudine non ſubit onus probandi, ſed Judici hanc obligationem procurandi probationem remittit. Eymer. *p.* 3. *direct. rub. de ſecund. mod. proced. n.* 68. Param. *l. c. L.* 3. *q.* 8. *n.* 21. & 22. Scacc. *l. c. c.* 72. Farin. *q.* 185. *n.* 71. Caſtrop. *l. c. p.* 3. *n.* 1. Si tamen denunciator deprehendatur falsò denunciaſſe, arbitrio Inquiſitoris puniendus eſt tanquam calumniator & falſus teſtis (in quem ex generali conſuetudine Inquiſitionis aſſumitur, ut repertor. Inquiſit. *v. accuſatio. & v. teſtis.* Simanc. *Cathol. inſtit. tit.* 19. *rub. de denunc. n.* 17. Caſtrop. *l. c.*) & qui graviſſimè lædit falsò denunciatum, aperiendo Judici viam inquirendi ſpecialiter adverſus eundem. Facienda hæc denunciatio in ſcriptis, vel ſaltem verbis, quæ ſtatim à Notario in ſcriptum redigantur, & denunciator jurare debet, eam eſſe à ſe factam. Conveniens quoque eſt, ut recipiatur præſentibus honeſtis perſonis, juxta *C. ut officium. h. t. in* 6. Caſtrop. *num.* 2. Eâ factâ Inquiſitor procedit, non ad inſtantiam partis, ſed ex officio examinando teſtes, quos denunciator allegavit, & ſi nullos allegavit, ſed ipſe ſolus de viſu deponat, non debet Inquiſitor ſtatim procedere ad inquirendum ſpecialiter, ſi denunciatus ſit nobilis, religioſus, aut aliàs non ſuſpectus ob gravem infamiam inde orituram, ſed dictum denunciantis deliberatione matura expendere. Caſtrop. *l. c. num.* 3. Porrò ad denunciandum de hoc crimine admittuntur omnes, etiamſi abſentes, modò proprio nomine & juramento denunciationem ſervent; aliàs non ſubſcripta proprio nomine omnino repellenda, & nihili facienda, quia præſumitur falſa. Farin. *l. c. n.* 66. & 68. Caſtrop. *num.* 4. Idque, ut iidem, etiamſi in ea expreſſi teſtes; quia illa nominatio teſtium non eſſet authentica, ſed potiùs ſuſpecta.

4. Tertiò: Modus procedendi eſt inquiſitio, eaque duplex: Generalis nemini injurioſa, nullamque infamationem prærequirens, in qua adversùs nullum proceditur delinquentem, ſed ſolùm in genere proponitur, ut ſi fortè aliqui ſint occulti Hæretici, aut de Hæreſi ſuſpecti, ii manifeſtentur. Et hæc ab Inquiſitore facienda aliquoties in anno, juxta *C. excommunicamus.* §. *adjicimus. h. t.* ſpecialis altera, quâ Inquiſitor contra aliquem ſpeciatim & nominatim procedit, interrogando tum ipſum, tum examinando teſtes. Hæc inſtitui nequit, niſi præcedente infamiâ, juxta *C. qualiter & quando. de accuſat.* & quidem ex gravibus judiciis, cum ex levibus Judex moveri non debeat ad ſuſpicandum tam grave crimen de homine Chriſtiano. Et quamvis aperiant Judici viam ad faciendam Inquiſitionem, ex illis tamen moveri non debet ad capturam rei, quippe quæ delinquenti valde damnoſa & infamatoria, neceſſariò expoſtulat, delictum eſſe plenè probatum, aut ſaltem adeſſe indicia depoſitionesque vehementes probatas; & ſi ſit perſona nobilis, religioſa, honeſtæ vitæ, Inquiſitores, absque conſilio ſupremi Senatûs ad capturam procedere non debent, niſi fortè fuga timeatur, ut Caſtrop. *l. c. p.* 4. *num.* 2. & 3. citatis quam plurimis.

5. Quartò: Sive procedatur accuſando, ſive denunciando, ſive inquirendo, ſemper citandus eſt reus verbaliter ab Inquiſitoribus, ut habeat poteſtatem ſe defendendi, quia agitur de ejus bonis, honore & vita. Brunus *de Hæret. L.* 4. *c.* 6. Pegna ad Eymer. *l. c. comment.* 17. *verſ. rurſus.* Farin. *l. c. n.* 154. Decian. *L.* 5. *c.* 32. *n.* 1. Caſtrop. *l. c. p.* 5. *n.* 1. juxta *C. quisquis Epiſcop.* 4. *q.* 5. Citandus autem eſt, ſi non timetur de fuga, ſine cauſæ expreſſione, ſignificando ſolùm in genere, velle Inquiſitores ſcire ab eo aliquid. Brunus *l. c.* Pegna *l. c. comment.* 33. *n.* 131. Param. *de orig. Inquiſit. L.* 3. *q.* 4. *rub. de ord. jud. n.* 34. Caſtrop. *num.* 2. & ſi prudenter timeatur fuga ex tali generali citatione, eâ omiſsâ capiendus eſt per *L. nullus. C. de exhiben. reis. L. fin. C. de Cuſtod. reor.* Capiendus etiam eſt, ſi citatus ſic generaliter non comparet. Si capi nequit, citandus cum expreſſione cauſæ, nimirum ut de fide reſpondeat. Scacc. *l. c. c.* 43. *num.* 9. Farin. *num.* 114. Caſtrop. *num.* 3. In rigore ſufficit una citatio tribus æquivalens, aſſignato termino competente peremptorio ad comparendum, quamvis ex conſuetudine contra abſentes trina citatio expediri ſoleat, aſſignato cuilibet earum competente termino. Simanc. *l. c. tit.* 14. *rub. de contumac. num.* 6. Param. *l. c. num.* 65. Eſtque hæc citatio neceſſaria ad conteſtandum proceſſum, & multò magis ad pronunciandam ſententiam, utpote invalidam, niſi priùs citato reo ad audiendam illam. Arg. *Clem. ſæpe. de V. S.*

Quæst. 189. *An & qualiter probatio hæresis ad condemnandum de ea aliquem requiratur?*

1. Resp. Primò: Ad condemnandum aliquem, ut hæreticum requiritur plena & concludens probatio, ut decisum videtur *c. literas vestras. de præsumpt.* ac ita tenent Roias *tr. de hæret. 2. assert. 6. n. 150.* Farin. *q. 187. n. 2. & 5.* aliique apud Castrop. *tr. 4. d. 8. p. 10. n. 1.* & si quidem est delictum gravissimum gravissimisque pœnis punitur, nullus ex sola præsumptione dici potest illud commisisse; quin & non secus ac in aliis delictis, ut, (ceu tenent omnes juxta *c. sciant. cuncti. 10. q. ult.* & *L. fin. C. de probat.*) ad condemnationem requiruntur probationes luce meridiana clariores, ita & quidem à fortiore requiruntur eæ in hoc crimine, Castrop. *l. c.* unde mirum, quod asserit Carrerius *in pract. de hæret. n. 132.* apud Clar. *l. 5. §. hæresis. n. 20.* non solùm ad inquirendum (de quo idem admittere videtur Clar. *l. 5. §. fin. pract. crim. q. 6. n. 7.*) in causa hæresis sufficiunt minores probationes quàm in aliis, sed & ad faciendam plenam fidem. De cætero duas imperfectas seu semiplenas probationes ad constituendam plenam probationem non sufficere, cùm singulæ in suo ordine diversæ sint, probabilius existimat Castrop. *l. c. n. 7.* citatis pro hoc gl. *in c. veniens. de testibus.* Gomez. *Tom. 3. var. c. 12. n. 25.* Farin. *de reo confesso & convic. q. 86. n. 22.*

2. Resp. Secundò: cùm hæresis externa non nisi tribus modis committi possit, nempe scriptura, verbis, & factis, primò probatur commissa scripturâ, probando scripturam hæresim continentem propriâ manu Titii scriptam vel subscriptam seriò & accuratè (qualis non censetur, si scripta in chartulis seu memorialibus, quibus ultima manus non est imposita) vel ab eodem dictatam; ita cum Nav. *l. 5. cons. 6. à n. 1.* Farin. *de hæres. q. 187. n. 11.* Castrop. *l. c. n. 2.* Secundò probatur commissa verbis probando verba hæresim clarè significantia affectivè seu ex animo & seriò prolata; secus si sint dubia; tunc enim interpretanda, ut potiùs delictum excludant, quàm includant, nisi ea proferens esset aliàs suspectus, vel generis aut nationis infectæ. Roias. *l. c. p. 1. à n. 200.* Penia. *direct. p. 3. q. 62. comment. 111. vers. sed cum.* Farin. *l. c. n. 14.* Castrop. *l. c.* Tertiò probatur commissa factis, probando aliquem ea fecisse, quæ errorem manifestè continent, neque in bonam partem accipi possunt, V. G. circumcidisse se, purificationem Judæorum facere, communionem more hæreticorum suscipere, Mahometo & Alcorano reverentiam exhibere &c. Param. *l. c. l. 3. q. 9. n. 17.* Farin. *n. 16.* Castrop. *l. c.* Adversùs quæ in contrarium probatio afferri nequit, nisi probando, te non ex animo & voluntate assentiendi talibus erroribus, sed ex ignorantia, simplicitate ob amorem lucri, vel timorem mali alióve respectu humano ea dixisse vel fecisse, quod probatu difficillimum, cùm intentio soli Deo nota sit. An verò talis confitens verba & facta hæreticalia, & intentionem negans citra probationem hujus negationis condemnandus & puniendus sit tanquam hæreticus negativus, aut saltem torquendus, si citatus vel sponte compareat, vide fusè tractatum à Castrop. *l. c. à n. 4.*

Quæst. 190. *An, qui, ad quid, quando & qualiter adhiberi possint testes ad probandum in causa hæresis?*

Resp. Ad primum primò in genere: cùm hæresis sit crimen summè detestabile, cedens in gravissimam reipublicæ Christianæ perniciem, ad exstirpandum illud faciliùs, omnes admittuntur in testes, etiam ad testandum aliàs jure inhabiles, ut habet communis & certa; & quidem non solùm in defectum aliarum probationum, sed etiam dum non deest copia illarum. Farin. *l. c. q. 188. n. 74.* Pirh. *h. t. n. 156.* Castrop. *tr. 4. d 8. p. 15. § 2. n. 7.* citatis pluribus aliis. Arg. *c. in fidei. h. t. in 6.* dum ibi dicitur: præsertim in defectum aliarum probationum, id est, *maximè*, quæ non est particula restrictiva sed ampliativa, ut Jo. And. *ibidem. n. 3.* & licèt Arg. *cit. L.* & Franc. *ibidem. n. 3.* & gl. *v. in negotio inquisitionis*; admittantur, dum proceditur per viam inquisitionis, & non, dum proceditur per viam accusationis, hoc tamen ipsum quoque est probabile, ut Masc. *de prob. concl. 87. n. 31.* Farin. *n. 79.* Castrop. *l. c. n. 4.* Pirh. *l. c.* eò quòd tam in accusatione quàm in inquisitione eadem sit ratio, scilicet favor fidei & odium hæresis, vide dicenda *resp. 3. seq.* Non tamen etiam istiusmodi inhabiles censentur testes integri, ideóque licèt sufficiant ad inquirendum, & fortè etiam ad torquendum, vel ad pœnam extraordinariam, non tamen ad condemnandum sufficere, ait Pirh. *l. c. not. 5.* Arg. *cit. c. in fidei* & citato Farin. *n. 83. & 84.* nisi eorum plures fuerint quàm duo, & cum eorum depositionibus verisimiles concurrant conjecturæ & circumstantiæ. Quin & licèt contrà eos excipi nequeat, quòd non sint idonei, potest tamen in crimine hæresis excipi contra eorum dicta, quòd sint contrarii, varii, vacillantes, ut Farin. *n. 82.* apud Pirh. Illud denique hic notandum pro limitatione præcedentium, non omnes inhabiles in hoc crimine admittendos in testes, sed illos solos inhabiles, quos jura permittunt adhiberi, ne aliàs, si indifferenter omnes inhabiles admitti possent ac deberent, fideles innocentes exponerentur periculo calumniæ, ita ex Deciano, *tr. crim. l. 5. c. 35. n. 14.* Farin. *q. 188. n. 77. & n. 92.* dicens videri sibi hanc limitationem verissimam. Castrop. *tr. 4. d. 8. p. 15. §. 1. n. 3.* Pirh. *h. t. n. 158.*

2. Resp. Ad primum secundò in specie: admittuntur in testes excommunicati (quod tamen videtur non intelligendum de excommunicatis excommunicatione majore, denunciatis & publicis percussoribus Clericorum existentibus in excommunicatione secundum dicta *quæst. ante hanc. 2. in resp. 2.*) criminosi, infames, socii criminum, per textum *c. infidei, h. t. in 6.* Secundò perjuri, etsi de perjurio pœnitentiam non egerint, modò ex circumstantiis & indiciis colligatur vera dicere, ut Gundisal. *tr. de hæresi. q. 13. n. 12.* Gigas *de crim. læsæ Majest. l. 2. tit. quom. & per quos prob. q. 2.* Farin. *n. 82. & 91.* Castrop. Pirh. *ll. cit. &c.* juxta *c. accusatus. §. licèt, h. t. in 6.* ubi tamen non nisi ille perjurus admittitur, qui postquam veritatem celavit vel negavit, dein zelo fidei eandem manifestare intendit, ita ut si in alio casu fuerit perjurus, aut de falsò damnatus, ejus testimonium non admittatur, etiam in causa hæresis. Tertiò admittuntur Judæi aliique infideles contra Christianos judaizantes, vel à fide quomodocunque apostatantes, ne tam grave crimen defectu probationum maneat impunitum. Gundisal. *l. c. n. 10.* Gigas *q. 10.* Farin. *q. 184. n. 124.* Castrop. *n. 4.* juxta textum *c. contra Christianos. h. t. in 6.* & *ibidem* gl. Archid. Gemin. &c. Idem est de hæreticis, ob eandem rationem, quorum quidem testimonium nullatenus admittitur contra fidelem

ortho

orthodoxum juxta *leg. quoniam c. h. t.* & licèt iis etiam contra fidelem seu Christianum, qui à fide Catholica ad hæresim defecit, credendum non sit integrè, plenè ac perfectè (quod solùm vult textus *c. dubius. h. t.* dum ibi dicitur, iis omnino credendum non esse) aliqualem tamen probationem, nempe non plenam, sed imperfectam eorum testimonium facit juxta praxin inquisitionis, ac ita tradunt Simanc. *Cathol. instit. tit.* 64. *rub. de testib. à n.* 43. Zecch *in sum. p.* 1. *tit. de fide. rub. de hæres. c.* 11. *n.* 14. Masc. *de prob. concl.* 857. *n.* 9. quos citat ac sequitur Castrop. *l. c. n.* 5. Quarto mulieres, etsi aliàs ob fragilitatem sexûs juxta clarum textum *c. forum. d. V. S.* & *c. mulierem.* 33. *q.* 5. repellantur à testando, saltem, si ad instantiam accusatoris productæ in testes (secus, si ex officio à Judice examinatæ, ut cùm gl. *in c. quoniam. de V. S.* Farin. *de hæres. q.* 59. *n.* 9. Masc. *l.* 2. *concl.* 762. *n.* 22.) nihilominus in causa hæresis in testes admittuntur. Farin. *n.* 20. Castrop. *n.* 7. per *c. tanta.* & *c. per tuas. de Simonia.* Quintò domestici, familiares, consanguinei, servi adversùs Dominum, Pater adversus filium, & contra, maritus adversus uxorem & contra, in criminibus exceptis, adeóque & hæresis, admittuntur per *l. ult. c. ad Leg. Jul. Majest.* ex ea etiam ratione, quòd meliùs mores suorum, quàm externi cognoscere possint, & remotiores præsumantur à dicendo falsum contra personas sibi conjunctas, quin & ad testandum cogi possunt in defectu aliarum probationum, Farin. *l. c. n.* 145. Et plenam fidem faciunt, ut Idem. *n.* 164. non tamen admitti eos testes in favorem illius, contra quem inquiritur de hæresi ad defendendam ejus innocentiam, tenent Farin. *l. c. q.* 188. *n.* 81. Roias. *tr. de hæres. p.* 2. *n.* 177. *assert.* 49. Boss. *tit. de hæret. n.* 3. Gundisal. *tr. de hæret. q.* 13. *n.* 14. *Repertor. inquisit. v. testes. vers. an illi testes.* & alii apud Castrop. *l. c. p.* 15. §. 2. *n.* 8. qui tamen ipse citatis pro hoc Farin. sibi contrario *de hæres. q.* 62. *n.* 97. & Gomez. *Tom.* 3. *var. c.* 12. *rub. de probat. delictor. n.* 23. credit, admitti illos posse pro defensione hæretici, præsertim, dum defensio aliter haberi nequit; eò quòd si in favorem fisci & actoris admittantur ad probationem criminis, non sit ratio, cur non etiam in favorem delinquentis ad defendendam ejus innocentiam. Sextò minores 14. annis & cujuscunque ætatis, modò doli capaces sint, non secus in crimine hæresis, quàm læsæ Maj. testari possunt; quia ad hoc cogi, imò torqueri possunt per *L. de minor. ff. de quæst.* Farin. *q.* 188. *n.* 75. Ad quam testificationem, ut valida sit, requiri authoritatem tutoris vel curatoris, juxta *l. clarum c. de authoritate præstand.* asserit Masc. *concl.* 62. *n.* 5. quod tamen in praxi non servari, testatur Farin. *q.* 54. *n.* 4. Septimò quid in hoc puncto testificandi in causa hæresis dicendum de inimico capitali, infer ex dictis supra *q. ante hanc* 2. *resp.* 2. si enim ab accusando, multò magis à testificando repellendus, & siquidem admittendus, ejus testimonium tanquam infirmum respiciendum, ut Decian. *l. c. n.* 10. Paris. *l.* 4. *cons.* 2. *n.* 46. *in fine.* Penia, Campeg. Locat, &c. quos sequitur Castrop. *n.* 9. qui etiam *n.* 10. probabilius censet, quòd, quod in hoc puncto dicitur de inimico vero, idem dicendum de eo, qui cum illo amicitiam strictam seu confœderationem & affinitatem contraxit. Idem quoque dicendum de inimico reconciliato recenter ob timorem, ne in animo residentibus adhuc reliquiis inimicitiæ, vindictam sumat deponendo falsum. Secus de reconciliato à longo tempore, qui proinde repellendus non est à testificando. Masc. *de probat. l.* 2. *concl.* 857. *à n.* 47. Rojas *sing.* 299. *n.* 4. & *de hæret. p.* 2. *n.* 233. Farin. *q.* 188. *n.* 105. Castrop. *l. c. n.* 11. Quando autem reconciliatio recens, quando antiqua, & bene fundata, relinquendum Judicis arbitrio. Clar. §. *fin. pract. q.* 24. *vers. sed quid.* Farin. *q.* 94. *n.* 10. Castrop. *l. c.* nunquam tamen præsumitur; quia simul probatus inimicus perseverare in inimicitia præsumitur juxta *L. in ipsius. C. familiæ erciscundæ.* adeóque alleganti cessationem incumbit onus probandi. Menoch. *l.* 5. *præsumpt.* 42. *n.* 7. Farin. *q.* 64. *n.* 62. Castrop. *l. c.* Porrò ut ratione inimicitiæ repelli quis possit à testificando, ea non debet esse procurata à parte ad eum repellendum, qui crimen manifestaturus erat; cùm nemo ex iniquitate commodum reportare debeat. Gomez. *Tom.* 3. *var. c.* 12. *n.* 14. Masc. *de prob. l.* 2. *concl.* 848. *n.* 54. Farin. *q.* 54. *n.* 64.

4. Resp. Ad secundum: dicti testes aliàs inhabiles admittendi ad probandum delictum & circumstantias illius intrinsecas, seu ex quibus delictum infertur, non verò ad probandas circumstantias eidem extrinsecas, tametsi delicto præsupponantur, V. G. hæresis ab Ecclesia punienda committi non potest, nisi à baptizato; testes autem criminosi, aut aliàs inhabiles, etsi ad probandum admittantur, non videntur tamen admittendi ad probandum Baptismum; quia Baptismus cum hæresi nihil commune habet; cùm ex Baptismo non inferatur hæresis, neque ex hac Baptismus, bene tamen admittuntur ad probanda indicia, ex quibus hæresis infertur, V. G. ad probandam familiaritatem cum hæreticis conventicula secreta; quia hæc delictum inferunt, & sunt de intrinseca ejus substantia, qualia dici non possunt, quæ in alio genere delicto præsupponuntur, sed solùm illa, quæ præsupponuntur delicto tanquam illativa illius; ita Castrop. *l. c.* §. 2. *n.* 1.

5. Resp. Ad tertium: admittendi sunt inhabiles, non solùm dum proceditur viâ inquisitionis, ut gl. *in c. in fidei. v. inquisit.* Jo. And. *ibidem. n.* 3. Gemin. *n.* 7. Franc. *n.* 3. Masc. *l. c. n.* 3. *Repertor. inquisitor. v. testes vers. nota distinctionem.* Farin. *q.* 188. *n.* 78. sed etiam dum proceditur viâ accusationis, ut probabilius censet Castrop. *l. c. p.* 15. §. 2. *n.* 3. citatis Farin. *de testibus.* q. 72. *n.* 89. Masc. *de prob. concl.* 857. *n.* 31. Carrer. *tr. de hæret. n.* 120. & aliis, sic interpretantibus verba *cit. c. in fidei. In fidei favorem concedimus, ut in negotio inquisitionis hæreticæ pravitatis excommunicati vel socii criminum ad testimonium admittantur &c.* ut noluerit Papa per illa hoc privilegium admittendi inhabiles testes in causa hæresis coarctare ad casum procedendi viâ inquisitionis; sed commune quid intellexerit, cùm, quocunque modo Inquisitor procedit, hæreticam pravitatem inquirat, adeóque in inquisitionis negotio versetur.

6. Resp. Ad quartum: probabilius est, istiusmodi testes aliàs inhabiles posse, & regulariter admitti debere sine tortura, quoties ex officio Judicis examinantur, ipsi ex propria conscientia deponunt; cùm non videatur justùm, torqueri testem, cujus multa interest testari, & cujus testimonium favet Reipublicæ ac bono communi, in cujus grave detrimentum cederet, si averterentur à testificando, dum nimirum scirent, testimonium suum non admittendum, nisi priùs tormentis firmaretur. Ita Castrop. *cit.* §. 2. *n.* 6. citatis aliis, qui tamen secus asserit de teste producto in sui favorem, vel ab accusatore pro sua intentione fundanda, quem Judex admittere cogeretur. De cætero compelli posse quoscunque (exceptis inimicis capitalibus) ad comparendum testi-

monii ferendi gratiâ, etiam fratrem adversùs fratrem, filium adversùs patrem in causa Hæresis, quoties ad cognitionem veritatis id expedire videbitur Inquisitori, sentire omnes, testatur cum Farin. *q.* 188. *n.* 2. Castrop. *l. c.* §. 3. *num.* 1. non obstante, quod compellendus existat extra Inquisitoris jurisdictionem ad duas diætas, sed etiam quantumcunque absens citandus, ut iidem & alii juxta *c. officium.* §. *denique. h. t. in* 6. Cautè tamen quò ad hoc agendum, præsertim cum viris illustribus, ita ut hi rogandi potiùs sint ad comparendum; quin & sæpe convenientiùs adeundi ab Inquisitore, vel alio vices illius supplente, citatio verò hæc testis extra territorium Inquisitoris existentis fieri debet datis Requisitoriis ad Episcopum vel Inquisitorem istius loci, qui tenetur citatum transmittere, ne aliàs censeatur Officium Inquisitionis impedire. Farin. *l. c. n* 4. Castrop. *num.* 2.

Quæst. 191. *Quando & qualiter hi testes examinandi eorumque testimonium publicandum, & si falsum dixerint, puniendi?*

1. RESP. ad Primum: In hoc crimine testes examinari possunt lite non contestata, & parte non citata; quia in hac causa non tenetur Inquisitor formam judicialem servare, sed potest procedere simpliciter & de plano juxta dicta supra. Simanc. *Cath. instit. tit.* 64. *rub. de testib. num.* 15. Farin. *q.* 138. *n.* 15. Pegna *p.* 2. *direct. comm.* 19. *in c. veritatis. de Dolo & contum.* Castrop. *cit.* §. 3. *num.* 3. Et sic examinati non tantùm juvant ad inquirendum, ita ut dein citata parte repeti non debeant, sed etiam probant contra reum, valétque eorum testimonium, absque eo, quòd repetatur parte citata, saltem, ubi inquisitus eorum examini non contradicit, nec eos repeti postulat. Masc. *de prob. L.* 1. *in præfat. q.* 5. *n.* 41. Simanc. *l. c. n.* 16. & 28. Farin. *l. c. n.* 14. Decian. *l. c. L.* 3. *c.* 10. *num.* 14. Castrop. *l. c.* Sed neque (etiam dum ob potentiam inquisiti non timetur testibus, si repetantur, & eorum nomina publicentur) requiri citationem rei ad depositionis antea factæ valorem, ut is opponat, si quid habet in contrarium, probabilius censet Castrop. *num.* 4. citatis Calderin. *tract. de Hæretic. rub. de mat. proces. inquisit. n.* 2. Simanc. *L.* 1. *commen. in lucern. inquisit. v. tortura. n.* 51. Repertor. Inquisit. *v. testes. vers. item non. &c.* Neque sequitur exinde, posse reum sine citatione condemnari; cùm ad condemnationem non solùm requiratur probatio delicti, sed probatio delicti ab inquisito non infirmata, ad cujus effectum necessaria est citatio.

2. Resp. ad Secundum: testes lite non contestata, & parte non citata examinati, dum citatus & Inquisitus reus aliquid opposuit, vel interrogatoria dedit, quibus veritas ampliùs investiganda, testes repeti debent, & si desuper examinati dictis oppositionibus & interrogationibus non satisfecerint (cùm vel sic depositio antea ab eis facta multùm infirmetur) debent iterum examinari, ut depositiones priùs factæ firmæ permaneant. Secus, seu examen repeti non debet, si citatus & Inquisitus nihil opposuit. Pegna. *l. c.* Scacc. *l. c. c.* 98. *n.* 7. Farin. *de testib. num.* 22. & 27. Castrop. *num.* 5. Quin & dicti testes post citationem rei, dum is nihil opposuit, repeti possunt, & examinari denuò, præsertim in criminalibus, quoties de gravissimo præjudicio inquisiti agitur, ut Farin. & Castrop. *ll. cit.* Porrò testes examinati si denuo examinantur, debent summariè primam suam depositionem referre, quin ea illis legatur vel ostendatur, ita ut non satisfaciant se generaliter ad eam referendo; eò quòd licèt talis generalis relatio in aliis depositionibus fieri possit ob evitandum variationis periculum, ut Bart. *in L. eos qui diversa. ff. de falsi num.* 6. in crimine tamen Hæresis, ubi ex testium depositione tam grave periculum imminet inquisito, quodque vitare tam facilè non potest, cùm nomine testium non publicentur, nec copia prioris depositionis detur inquisito, necesse est in secundo examine testem deponere, ac si tunc primò examinaretur, ut veritas meliùs cognoscatur, ita ferè Castrop. *l. c.* cum Farin. *l. c. num.* 35. Roias & aliis. Limitantibus tamen hoc ipsum ita; ut si inter primam & secundam depositionem longum tempus interfluxisset, testis possit deponere, pro ut recordatur, addens, se ex integro ad primam depositionem sese remittere, & se hanc secundam velle corrigere per primam, si fortè fueritilli contraria. Debent autem hi testes ex prima instantia examinandi examinari secundo coram Notario & duabus personis discretis & religiosis, id est, honestis, sive clerici, sive laici sint. *c. ut officium. h. t. in* 6. Quas tamen duas personas rarò adhiberi, & ex usu hanc examinationem fieri coram Notario & Fiscali, ait Castrop. *num.* 6. & adhibendas solùm ex consilio, non ex præcepto asserit apud eundem Pegna. Quòd si tamen Notarius defecerit, hunc defectum supplendum duobus viris honestis, quorum unus dicta scribere, & alter ea subscribere debet, ita, ut opus non sit, utrumque dicta testium scriptis mandare. Pegna, Farin. Castrop. *ll. cit.*

3. Resp. ad tertium: Facta depositione testium, ea reo publicanda est, suppressis nominibus delatorum & testium, ne hi à testificando arceantur, adeóque nec copia reo danda aliquarum circumstantiarum depositionis, ex quibus devenire posset in notitiam adversùs se testantis seu deponentis. Ita Eymer. *p.* 3. *director. n.* 119. & *ibidem* Pegna *comment.* 29. Farin. *de Hæres. q.* 188. *n.* 7. & 8. Castrop. *num.* 7. Arg. *c. fin. h. t. in* 6. juxta quod tamen publicanda hæc nomine res, si exinde nihil timendum testibus. Quamvis, quia hodiedum semper præsumitur vindicta aliqua contra testes, si non à delato seu reo, dum hic potens non est, saltem ab ejus consanguineis, sociis, complicibus potentibus, hæc publicatio non fit in usu, sicut in aliis judiciis; præsertim accedente Constit. Pii IV. incipiente: *Cùm sicut.* Quâ Sancitum, Inquisitores nunquam obligatos publicare reo nomina testium. Ita Repertor. *v. nomina. vers. nunc videndum.* Farin. *l. c. num.* 12. Param. *de orig. Inquisit. L.* 3. *q.* 4. *rub. de expedit. proces. num.* 48. Pegna. *p.* 3. *Director. q.* 75. *comment.* 124. *vers. tametsi verò.* Castrop. *l. c.* Atque ex his à fortiore infertur, testes in hoc judicio de Hæresi non esse confrontandos, uti id sæpe in aliis judiciis fieri expedit, ut reus faciliùs convincatur, juxta *L. si postulaverit.* §. *si quæstioni. ff. ad Leg. Jul. de adulterio.* Farin. *l. c. num.* 28. Castrop. *num.* 8. alii, qui ab eo citati. Quamvis & hæc confrontatio in duplici casu in hoc judicio locum habeat, dum nimirum testis simul est socius criminis; cùm tunc non ratione testimonii dandi, sed ratione societatis in delicto compelleretur ad subeundam confrontationem. ita Farin. *num.* 30. Delrio *de Inquisit. Magar. L.* 5. *in* 2. *append. q.* 39. Vel quando dubium est de testium falsitate, nec apparet, quâ

viâ dubium tollatur; quando tamen maxima cautela adhibenda, ad impediendum omnino periculum testium. Unde etiam talem confrontationem non faciendam ab Episcopo sine Inquisitore & contra; quin & in generali totius orbis Inquisitionis tribunali eam non fieri, nisi ex decreto Cardinalium illi præsidentium, observant Pegna & Farin. apud Castrop.

4. Resp. Ad quartum: Posse testem falsum in causa Hæresis torqueri, & puniri ab Inquisitore, extra dubium esse videtur; nam præterquam, quòd juxta communiorem etiam delegatus à Principe, præsertim supremo, & quidem ad plures causas, qualis est Inquisitor delegatus à Papa, possit punire aliàs non subditum delinquentem in suo tribunali, v. g. testem deponentem falsum, sitque receptum de consuetudine hac potestate pollere hos Inquisitores, Leo X. constitutione sua incipiente: *intelleximus*, hanc illis potestatem pro majore securitate contulit; cujus tenorem recitat Pegna *in fine directorii*, inter literas Apostolicas. Certum quoque est, torqueri eum posse pro depositionis factæ firmitate, tam ab Episcopo, quàm Inquisitore, cùm quilibet eorum habeat potestatem inquirendi, & procurandi veritatem, ad quem effectum sæpe necessaria est tortura testis, & posse etiam spectato juris rigore, dum puniendus est ut reus, ob depositum falsum coram se puniri pœnâ aliquâ, quia hæc potestas cuilibet delegato Principis in causa criminali conceditur, tradunt Clar. *L.* 5. §. *fin. q.* 38. *vers. sed quæ.* Farin. *de testib. q.* 67. *n* 48. Covar. *pract. c.* 18. *num.* 8. Castrop. *n.* 3. De cætero, etsi deponentem falsò alicui Hæresim damnandum esse pœnâ mortis, & curiæ sæculari relinquendum, saltem, ubi is, cui falsò impositum hoc crimen, pœnâ mortis afficiendus fuisset, si verè illi impositum, teneant plures apud Castrop. *l. c. n.* 4. ex ea ratione, quòd talis falsò deponens incurrat pœnam talionis, seu illam, quam incursurus fuisset, si, quod illi objectum crimen, verum fuisset. Rectiùs tamen docere videtur ipse *n.* 5. cum Farin. *l. c. n.* 29. & *de Hæres. q.* 188. *n.* 39. de consuetudine recepta testem falsum in crimine Hæresis pœnâ arbitrariâ puniri, quæ rarò vel nunquam extendatur ad pœnam mortis, ex ea ratione, quòd is, cui falsò imponitur Hæresis, etiamsi verum impositum fuisset, non necessario mortem subiret, sed pœnitens eam evitare posset, nisi esset relapsus. Ad hæc pœna talionis in foro saltem ecclesiastico non sit recepta, ut Castrop. *n.* 7. nec textus sit in jure, qui cogat illam imponere, cum textus relatus in *c. satis hinc.* 33. *q.* 5. pro opposito, præterquam, quòd non sit Pontificis, sed Augustini, non probet, eadem pœnâ plectendum esse testem, quâ plectendus erat testificatus, si de facto plexus non est; imò potiùs contrarium insinuat, dum dicitur: *eò, qui testimonio falsò cuiquam nocuerit*: quæ nocumentum non attentatum, sed reipsa, seu cum effectu illatum important. Quòd tamen is, contra quem testis falsò deposuit, vi illius, tanquam Hæreticus negativus, fuit damnatus, & morte affectus, testis falsus curiæ sæculari tradendus, & morte afficiendus, absque eo, quòd ob pœnitentiam & reconciliationem sit admittendus; quia non solùm ut testis falsus, sed ut verè homicida puniendus; ita Abb. & alii in *c. excommunicamus. h. t.* Pegna *p.* 3. *director. comment.* 122. *circa finem. vers. quæsitum est.* Farin. *q.* 188. *n.* 43. Castrop. *n.* 6. qui etiam idem credendum censet, de eo, contra quem falsum depositum, si propterea carceri inclusus ibidem obiit, quia testem falsum illius mortis causam fuisse, credendum est. Item morte puniendus, qui seipsum detulit, & complices aliquos manifestavit, si illi, vi hujus manifestationis, mortem subierunt; secus, si illi aliâ pœnâ puniti; tunc enim mitiùs cum tali delatore agendum, & nullatenus morti tradendus, sed v. g. ad carcerem, exilium aut triremes damnandus, Farin. *q.* 188. *n.* 43. Castrop. *n.* 12. & alii apud illum. E contra testis falsò deponens pro defensione alicujus, quem scit commisisse Hæresim, quem revelare obligatus est, pœnâ arbitrariâ, non tamen mortis, puniendus est, nisi fortè in casu aliquo extraordinario, dum v. g. ex falsa depositione tali, & occultatione veritatis grave damnum Reipublicæ illatum, Simanc. *Cath. Inst. tit.* 64. *rub. de testib. n.* 90. Castrop. *n.* 9. qui tamen *n.* 11. tradit, posse contra talem occultantem Hæresim procedi, tanquam fautorem Hæresis, non quidem condemnando illum præcisè ob falsitatem, sed ob favorem & auxilium præstitum Hæretico.

5. Resp. Denique: quod dictum de testibus falsis quò ad pœnam, dicendum de corrumpentibus eos prece vel pretio, ut falsum dicant; Item de mendacibus, aut suadentibus ad falsum testimonium, aut etiam de mandantibus aliquibus, ut testes corrumpant; quia ii omnes efficaciores & principaliores causæ falsitatis esse videntur, ita Castrop. *n.* 14. Farin. *l. c. n.* 44. Zechus *p.* 1. *sum. tit. de fide. rub. de Hæres. c.* 1. *n.* 14. Penia. Simanc. & alii. Filii verò & nepotes testis falsi in crimine Hæresis etiam condemnati ad mortem, non redduntur infames, nec aliis pœnis obnoxii sicut Hæreticorum filii; quia id nullibi cautum, Simanc. *l. c. n.* 92. Castrop. *n.* 15.

Quæst. 192. *An & qualiter tortura adhiberi possit in crimine Hæresis, & qualiter eâ peractâ procedendum cum reo.*

1. Resp. Primò: In defectum aliorum mediorum, seu dum adhibitis mediis aliis omnibus, veritas in hoc crimine haberi non potest, ad illam obtinendam adhiberi posse torturam, extra dubium est, juxta *L. edict. L. D. Pius. & L. ult. c. de quæst.*

2. Resp. Secundò: In crimine Hæresis, uti nec in alio crimine adhiberi potest tortura, nisi præcedant legitima & sufficientia indicia delicti objecti sufficienter probata, Marsil. *in L.* 1. *ff. de quæst.* Menoch. *de arb. L.* 1. *q.* 84. *à n.* 1. Castrop. *tr.* 4. *d.* 8. *p.* 9. *n.* 1. cum communi. Tortura siquidem assumitur in subsidium aliorum probationum deficientium, ad eliciendam veritatem. Porrò quodlibet indicium, ut plenè probatum censeatur, & de se sufficiens, ad inferendam torturam, probandum est duobus vel pluribus testibus, Gomez. *Tom.* 3. *var. c.* 3. *rub. de tortura reor. n.* 18. Clar. *pract. q.* 22. *in princ.* Farin. *L.* 1. *de test. q.* 37. *à n.* 13. Menoch. *l. c. L.* 2. *cas.* 270. *n.* 23. Castrop. *l. c. n.* 2. Unde unus testis deponens, non de delicto, sed de indiciis delicti, v. g. de confessione extrajudiciali, de fama, de fuga, aliove simili, insufficiens est ad inferendam ob tale indicium torturam; ita præter citatos AA. Masc. *de prob. L.* 1. *concl.* 462. *n.* 18. & 19. Pegna *ad Eymer. p.* 3. *direct. q* 61. *comment.* 100. *vers. jam indicia.* Delrio *disquisit. mag. L.* 5. *in* 2. *append. q.* 10. Rojas *de Hæres. p.* 2. *n.* 289. Idque, ut Castrop. *n.* 3. etiamsi adesset & alius testis, deponens de alio indicio, ita, ut essent duo testes singulares, quilibet de suo indicio deponens, non sufficerent ad torturam; quia utraque illa depositio non æquivalet probationi concludenti, factæ

à duobus conteſtibus, ut Farin. *n.* 18. Quòd ſi tamen teſtes ſingulares plures, quàm duo concurrerent ad probationem indiciorum diverſorum, ipſique eſſent probatæ vitæ, omnique exceptione majores, ex eorum depoſitione reum, ſeu ſuſpectum de crimine poſſe ſubjici torturæ, tenent Carrer. *pract. tr.* 2. *de indic. & tort.* §. *quæ autem.* Clar. *pract. q.* 21. *verſ. ſed pone.* Farin. *l. c.* Caſtrop. *n.* 4. Quin & ad torturam regulariter ſufficere proximum, & illativum delicti, & bene probatum, tradunt Gomez. *l. c. c.* 13. *n.* 8. Gigas *de crim. læſæ Majeſt. q.* 1. *num.* 16. Menoch. *de arb. L.* 2. *caſ.* 331. & *de præſump. L.* 1. *q.* 89. *num.* 14. Farin. *l. c. num.* 74. Caſtrop. *l. c.*

3. Reſp. Tertiò: Depoſitio unius teſtis omni exceptione majoris deponentis de corpore delicti, eſt indicium ſufficiens ad inferendam torturam; quia tam in criminalibus, quàm civilibus ſemiplenè probat, Menoch. *de præſump. l. c. n.* 7. Farin. *q.* 36. *n.* 229. & in terminis propriis Hæreſis, Eymer. *p.* 3. *direct. q.* 61. *n.* 3. & 8. Farin. & alii apud Caſtrop. *n.* 5. Secus eſt, ſi teſtis non ſit omni exceptione major, ſed patiatur aliquem defectum ſeu exceptionem, cùm tunc non probet ſemiplenè, Farin. *n.* 131. Carrer. *l. c. n.* 100. *&c.* Quin & teſtem omni exceptione majorem non ſufficere ad torquendum reum, ſi denunciatus ſit bonæ famæ & virtutis apud omnes; cùm bona fama infirmet dictum teſtis, & conſtituat præſumptionem in contrarium; ita Pegna. *p.* 3. *director. q.* 61. *comment.* 110. *verſ. non dubio.* Decian. *tr. crim. L.* 5. *c.* 36. Farin. *de Hæreſ. q.* 185. *n.* 131. Caſtrop. *l. c.*

4. Reſp. Quartò: Socius delicti deponens de eo non facit indicium, ſeu probationem ſufficientem ad torturam; quia eſto, in hoc crimine admittantur teſtes aliàs inhabiles ad teſtandum, non tamen admittuntur, ut integrè probent, ut Marſil. *vol.* 2. *conſ.* 199. *n.* 15. Riminal. *conſ. crim. diverſor. conſ.* 84. *n.* 9. Gomez. *Tom.* 3. *rub. de prob. delict. num.* 23. Caſtrop. *l. c. n.* 6. adeóque ex eo procedi nequit ad torturam, quæ plenam probationem requirit, Farin. *l. c. n.* 151. & *de teſtib. q.* 43. *n.* 75. Delrio *l. c. L.* 5. *in* 2. *append. q.* 1. Pegna. Caſtrop. *ll. cit.* Qui tamen AA. tenent, dictum ſocii præſtare indicium ſufficiens ad torturam, ſi adjuvetur adminiculo aliquo, quale autem illud eſſe debeat, ut ex illo & depoſitione teſtis defectuoſi reſultet integrum indicium adversùs denunciatum, certâ regulâ definiri nequit, ſed prudentis Judicis arbitrio doctorum ſententiâ, & dictis regulato relinquendum. Inter qualia adminicula, quæ concurrentia cum depoſitione ſocii, eam conſtituant indicium ſufficiens ad torquendum, refert Farin. *de teſt. q.* 43. *num.* 62. teſtes de auditu, qui, etſi per ſe non faciant indicium ad torturam, *L. teſtium. ff. de teſtib. L. ſi arbiter. ff. de probat.* faciunt tamen aliquam præſumptionem, quæ juncta cum depoſitione ſocii criminis, æquivalet depoſitioni teſtis, omni exceptione majoris, ut ex eodem Farin. Caſtrop. *n.* 7. Item famam concurrentem cum dicto ſocii: Item fugam denominati: Item ſtrictam amicitiam, & familiaritatem denominati cum ſocio denominante; cùm in crimine Hæreſis etiam ſpeciale delictum conſtituat, habere cum Hæreticis familiaritatem; quibus addit Caſtrop. *l. c.* citatis pro eo Pegna. Delrio *ll. cit.* Farin. *de Hæreſ. q.* 185. *n.* 152. ſi depoſitioni unius ſocii addatur altera alterius ſocii; cùm tunc duplex illa depoſitio integri teſtis depoſitioni videatur æquivalere.

5. Reſp. Quintò: Fama etiam orta à fide dignis, & rite probata ſe ſolâ non conſtituit indicium ſufficiens ad torturam, ſed ad hoc eget adjuvari aliis adminiculis, cùm de ſe ſit indicium remotum & fallax, adeóque ſemiplenam probationem non conſtituens, niſi ita ſit vehemens, & ex tali fundamento & ratione orta, ut meritò ipſum fundamentum & cauſa reddat famam veriſimilem, vel coadjuvatam alio adminiculo, ſemiplenè probat, Clar. *pract.* §. *fin. q.* 11. *verſ. fama ſola.* Pegna. *l. c. verſ. tertia reg.* Delrio *l. c. q.* 7. Scacc. *de ind. c.* 95. *num.* 1. Caſtrop. *l. c. n.* 9.

6. Reſp. Sextò: Confeſſionem extrajudicialem eſſe indicium ſufficiens ad torturam; quia eſt indicium ſatis proximum & illativum delicti, cùm nemo præſumatur ſibi falsò crimen imponere, cum communi cenſet Caſtrop. *num.* 10. & abſolutè docent Gomez. *var. Tom.* 3. *c.* 13. *n.* 8. & 9. Carrer. *tr. crim.* Clar. *pract.* §. *fin. q.* 21. *verſ. confeſſio extrajudicialis.* Pegna. *l. c. comment.* 110. *circa finem.* Menoch. *de præſump. L.* 1. *q.* 89. *à n.* 14. Variationem tamen & vacillationem in confeſſione ſeu reſponſione judiciali ſe ſolâ non eſſe indicium ſufficiens ad torturam; quia variatio talis, & mendacium in confeſſione eſt ſignum ſolùm remotum delicti, ſecus, ſi adjuvetur alio indicio, probabiliùs cenſet Caſtrop. *n.* 11. His non obſtante, quòd reus in tormentis crimen confeſſus, ductus dein ad locum, ubi confeſſionem ſuam ratificare debet, eandem revocet, iterum torqueri debet, ut cum communi Marſil. *in L. repeti. ff. de quæſt. n.* 11. & *ſeq.* quia in hoc caſu non tam ob variationem, quàm ut primò dicto valorem & firmitatem tribuat, torquetur, cùm dicta in tormentis non valeant, niſi ratificata. Item non propter variationem, ſed propter novum indicium ex confeſſione in tormentis ortum torquetur.

7. Reſp. Septimò: Perſonæ ratione officii, dignitatis, ætatis, valetudinis corporis aliàs exemptæ à tortura, ſi in Hæreſim incidant, torqueri poſſunt, Gomez. *Tom.* 3. *var. c.* 18. *rub. de tort. reor. n.* 3. *in fine.* Boſſ. *tit. de ind. & conſid. ante tort. n.* 115. Farin. *de Hæreſ. q.* 185. *n.* 125. Decian. *tr. crim. L.* 5. *c.* 20. *n.* 22. Caſtrop *l. c. n.* 12. & alii; & quamvis eos leviùs torquendos eſſe velint, Delrio *l. c. q.* 23. Clar. *l. c. q.* 64. *verſ. ſed an Clerici.* Salzed. *pract. c.* 125. *n.* 6. Gigas *de crim. læſæ Majeſt. L.* 2. *q.* 28. *n.* 5. loquens de Clericis, arg. *c. illi quatenus.* 5. *q.* 5. parum tamen in jure fundatam hanc ſententiam, aſſerit Caſtrop. eò, quòd textus *c.* 5. *q.* 5. ſolùm indicet, religioſum à religioſo torquendum eſſe; quod ipſum abrogatum jam uſu & conſuetudine aſſerunt, Clar. *l. c. verſ. ſed hic.* Scacc. *l. c. c.* 10. *n.* 41. Farin. *de jud. & tort. q.* 41. *n.* 15. non verò ex eo aut alio textu probetur, Clericos, Nobiles, & quoslibet alios ratione officii, dignitatis aliàs exemptos eſſe mitiùs torquendos in crimine Hæreſis, ſed potiùs graviùs, utpote digniores de Eccleſia magis meritos, & hinc graviùs delinquentes, dum tortura gravitati delicti commenſuranda, ut tradunt Farin. *l. c. q.* 41. *num.* 12. & 13. Foller. *pract. crim. c.* 31. *n.* 7. Caſſon. *de torment. c.* 11. *rub. de non torquend. cler. n.* 5. Caſtrop. *num.* 13. Sed neque perſonæ exemptæ ob periculum vitæ propriæ vel alienæ, quod ob torturam incurrunt, ut ſunt minores 14. annis, ſenes, valetudinarii, mulieres prægnantes exemptæ ſunt à tortura, ſi tortura câ cautelâ, & moderatione adhibeatur, ut ex conſilio Medicorum periculum mortis propriæ vel alienæ, v. g. prolis, quæ in utero à prægnante geritur, non immineat, Simanc. *de Hæret. tit.* 65. *num.* 45.

Placha

Placha *in epitome delictor. L. 1. c. 32. n. 12.* Carrer. *l. c. §. circa tertium. n. 37.* Farin. *q. 185. n. 125.* Castrop. *n. 14.* De cætero in impuberibus usu observatur, ut non torqueantur, sed solùm ferulâ terreantur & feriantur, qui terror & cæsio tortura non reputatur. Mulieres etiam prægnantes propter partûs periculum, non solùm à tortura, sed & à terrore illius excusantur, cùm ex terrore non secus, quàm ex ipsa tortura abortus sequi possit: unde prohibitâ torturâ, & hic terror prohibetur, ut cum Gomez. Pegna. Farin. Castrop. *l. c.*

8. Octavò: Ex confessione facta in tormentis reus condemnari nequit, nisi priùs eam ratificaverit, ut ex communi, Eymer. *p. 3. direct. rub. de tertio mod. torminand. proceſſ. n. 157.* Farin. *de Hæres. q. 186. n. 150.* Ad ratificationem autem ut inducatur, cautè procedere debet Inquisitor, interrogando primò in genere, num eam approbet, dein in particulari proponendo, & per extensum legendo, perquirendóque, an, quæ lecta sunt, sint, quæ confessus sit, Castrop. *n. 15.* Post ratificationem suo tempore, nimirum post 24. horas à tortura, reus pœnitens, absolutionémque petens, abjurare debet errores suos, & pœnitentiâ injunctâ ab excommunicatione incursa publicè absolvendus, nisi fuerit relapsus, tunc enim curiæ sæculari tradendus. Si verò ratificans confessionem suam in errore suo persiterit, varii adhibendi sunt modi eum convincendi, adducendo Doctores, qui cum eo disputent, ejúsque rationes dissolvant, & si pertinax se victum non protestetur, curiæ sæculari puniendus tradi debet. Si verò accedente tempore ratificationis confessionem à se factam revocaverit, reus iterum torturæ subjiciendus, non tantùm, quia revocavit, sed quia confessione facta, novum indicium commissi criminis dedit; nunquam tamen ultra tertiam vicem torquendus, præsertim si prima vice tormenta sustinuit, in quantum indicia postulabant, ut Farin. *tit. q. 39. n. 67.* At si reus in tortura negavit, torturæ denuo subjici nequit, nisi indicia nova urgentia, à primis diversa fuerint adducta, juxta *L. unius. §. 1. ff. de quæst.* quia tunc non tam prior tortura repetitur, quàm nova suscipitur, cùm quolibet ex his indiciis seu causis existente torqueri possit; nullis autem aliis indiciis adductis à tortura nova abstinendum, ut cum Menoch. *de arbit. L. 2. cas. 272. à n. 5.* & Farin. *de indiciis. q. 38. à num. 71.* Castrop. *n. 17.* De cætero, si reus insufficienter tortus ob debilitatem, vel aliam causam, & indicia sint urgentia, reus negans Hæresim abjurare debet, quia aliquâ viâ indicia illa purgari debent, & cum torturâ purgata non sint, justum est, ut abjuratione purgentur. At quando tortura indiciis correspondet, plenè purgati, purgatis autem indiciis, reus remanet absolvendus, Simanc. *Cathol. Inst. tit. 56. rub. de can. purgat. n. 17.* Pegna. *l. c. comment. 39. num. 156. circa fin.* Farin. *de Hæres. q. 185. n. 128.* Castrop. *n. 18.* qui etiam *n. 20.* pro complemento hujus materiæ de tortura, *ex repertor. inquisit. v. advocatus. §. sed an advocatus.* & Pegna. *l. c. comment. 110.* adjicit, quòd quoties disputatur, num reus sit torquendus, reo adsistere debeat ejus Advocatus, & eum defendere, si videat, indicia insufficientia esse, eò, quòd cum tortura præjudicium grave inferat, sit contra rationem & æquitatem, si cogatur, eam indefensus subire.

Quæst. 193. *An & qualiter Inquisitores, aliique Judices ecclesiastici tradentes Hæreticum Judici sæculari incurrant irregularitatem.*

Resp. Tametsi traditus morte afficiatur, nullam incurrunt irregularitatem, Simanc. *l. c. c. 34. num. 38.* Felician. *de censur. tit. de irregular. c. de secund. spec. irregul. quæ contrah. extra bell. vers. Inquisit. tradens.* Maiol. *de irregular. L. 5. c. 48. §. 2. n. 9.* Covar. *in Clem. si furiosus. p. 2. §. 5. n. 6.* Penia *l. c. p. 2. comment. 20.* Avila *de censur. p. 7. d. 5. s. 2. du. 2.* Zerol. *in pr. Episcop. p. 1. v. Hæretici. §. 12.* Sanctarel. *de Hæres. c. 26. n. 7.* & alii, quos citat & sequitur Barb. *in c. 13. h. t. num. 5.* Idque, etiamsi Judices non præmittant protestationem, & instent pro sententiæ executione, si Judex eam differat, Penia. Avil. Barb. *ll. cit.*

Quæst. 194. *Qualiter ab Hæretico fieri debeat abjuratio Hæresis.*

Resp. Ab Hæretico manifesto fieri ea debet publicè, & in loco publico, Butr. *in c. 9. h. t. n. 11.* Socin. *n. 8. direct. inquisit. p. 2. n. 126. &* 127. Penia *l. c. comment. 42.* Menoch. *de arb. cas. 372. n. 1.* Barb. *in c. 9. h. t. n. 1.* Is tamen, qui antequam accusatus, vel inquisitus, sponte adiens Inquisitorem, confiteatur errores suos, paratus sentire cum Ecclesia, non tenetur eam abjurare in loco publico, ut Locatus *in Jud. Inquis. v. Ordinarios. n. 2.* Roias. *tr. de Hæret. p. 2. n. 272.* uti nec leviter suspectus de Hæresi, Director. Inquisit. *p. 3. num. 161.* Penia *l. c. comment. 40.* Genuens. *in pr. Archiepisc. c. 84. n. 9.* Barb. *l. c. n. 12.* Quamvis leviter suspectus abjurare eam debeat secretè coram paucis, ut Scacc. *de jud c. 59. n. 10.* Sanctarel. *l. c. n. 41.* Simanc. & alii apud Barbos.

Quæst. 195. *An & qualiter procedendum contra Hæreticum defunctum.*

1. Resp. Primò: Tametsi crimina omnia morte committentis extinguantur, juxta *L. defuncto. ff. de publ. jud. L. pupillum. §. in Hæredem. ff. de reg. juris. L. ex judiciorum. ff. de accusat.* crimen tamen Hæresis, uti & crimen læsæ Majestatis humanæ morte non extinguitur, *L. ut. c. ad Leg. Jul. Majest. L. Manichæos. §. 2. c. h. t.* Ut autem Hæreticus defunctus damnetur Hæresis, requiruntur claræ ac dilucidæ probationes, illum in Hæresi decessisse; si enim vivens damnari nequit, nisi confessus vel convictus legitimè à fortiore damnari nequit, qui jure & potestate se defendendi caret. E contra, qui decessit suspectus, & infamatus tantùm de Hæresi damnari nequit; quia suspiciones de Hæresi morte suspecti extinguuntur, juxta *c. accusatus. §. si verò. h. t. in 6.* ita Simanc. *l. c. tit. 18. de defunctis. n. 13.* Farin. *q. 197. n. 103.* Castrop. *tr. 4. d. 8 p. 16. §. 4. n. 2.* & alii apud illum. Sufficienter autem Hæresis defuncti probatur, si vivens illam confessus, non pœnituisse, probatur. Ad quam probationem reducitur, si ob Hæresim existens, in carcere seipsum interemit, cùm hæc interemptio, quia præsumitur, processisse ex conscientia criminis, sit quædam illius confessio, Farin. *q. 190. n. 90.* Simanc. *l. c. num. 31.* Penia *l. c. comment. 42. vers. quod ipsum.* Castrop. *l. c. n. 3.* Probatur quoque testibus, si sint omni exceptione majores: unde, si pendente processu mortuus fuerit inquisitus, damnari non poterit, nisi jam ejus Hæresis aliunde plenè & concludenter probata fuerit. Ex eo quoque, quòd quis probetur, exstitisse per annum in excommunicatione ob causam fidei, & sic decessisse, probari sufficienter, probabiliùs censet Castrop. *n. 5.* citatis Farin. *l. c. num. 93.* Claro *pract. §. Hæresis. vers. item de crimine.* Decian. *tr. crim. L. 5. c. 57. num. 6.* eò quòd, si talis probatio facta delinquente

vivente

vivente sufficiat ad declarandum & condemnandum tanquam hæreticum, non sit ratio, cur eo mortuo facta non sufficiat; cùm jam à jure illa contumacia admissa sit tanquam legitima probatio non solùm suspicionis, sed & ipsius hæresis. Sed neque defunctus condemnari potest, nisi priùs citentur ejus filii & hæredes, ut concessa eis copia indiciorum & accusationum contra defunctum, dum viveret factarum, ut, si velint, possint defendere, idque ob gravissimum damnum iis ex tali condemnatione imminens, tum in bonis, quæ ab iis afferuntur; tum in fama, quia redduntur infames. Farin. *n.* 106. Decian. *l. c. n.* 8. Castrop. *n.* 7. Audiendi autem sunt hi filii & hæredes etiam comparendo per procuratorem, Simanc. *in enchirid. tit.* 43. *rub. de procurat. n.* 3. Farin. *n.* 3. Castrop. *n.* 8. solùm excluduntur filii & domestici à defensione defuncti hæretici, qui consolationem ab hæreticis in extremis expetiit, nisi probare velint, id eum non sanæ mentis fecisse, juxta *c. filii. h. t. in* 6. Farin. *cit. q.* 197. *n.* 111. deficientibus autem filiis hæredibus, consanguineis, posse quemlibet de populo hæreticum defunctum defendere, cùm hac ratione utiliter agat negotium Ecclesiæ & Religionis, exerceátque officium magnæ caritatis, subveniendo hac in parte filiis & hæredibus versantibus in periculo gravissimi damni, & quidem absque eo, quòd propterea censeantur fautores hæreticorum, cùm usque dum defunctus condemnatus est, non constet esse hæreticum, tradunt, Farin. *n.* 108. Gondisal. *de hæret. q.* 22. *n.* 9. Decian. *n.* 31. Castrop. *n.* 9.

2. Resp. Secundò: formato processu contra defunctum ea, quâ fieri potest, brevitate, reus vel absolvendus vel condemnandus est, cùm in suspenso hærere non possit ob gravissimum præjudicium filiorum & hæredum, quorum matrimonia aliique contractus per hoc impedirentur. Interim tamen, quò hic processus formatur, & sententia profertur, non sunt bona illius à possessoribus sequestranda, ut potè qui, cum non deliquerint & rite processerint, non sunt in casu dubio illorum usu privandi. Farin. *l. c. n.* 102. Castrop. *n.* 12. Ejus hæresi plenè probata condemnandus est, bona illius, etiamsi ad tertium possessorem devenerint, fisco applicanda, ossa illius, si à Catholicis distingui possint, exhumanda, & effigies seu statua comburenda, sic Farin. *q.* 167. *n.* 92. relatis pluribus. Castrop. *n.* 13. qui etiam ait, formam sententiæ ferendæ contra tales defunctos optimam deduci ex ea, quæ lata est in Concilio Constantiensi. *Sess.* 8. contra Wiclef. quam refert Penia *cit. comment.* 92. *circa finem.*

3. Resp. Tertiò: si defuncti hæresis plenè probata non est, nec brevissimo tempore probata speretur, absolvendus est, ne ejus fama patiatur, néve ejus filii & hæredes graventur, quia neque Ecclesia, neque fiscus exinde patiuntur detrimentum; cùm supervenientibus novis probationibus junctis prioribus possit talis absolutus condemnari. Castrop. *n.* 14. cum Penia *cit. comment.* 92. *circa medium.* multóque magis absolvendus, si hæreticus in extremis signa contritionis dedit, & ob angustias temporis absolvi non potuit. Farin. *q.* 193. *n.* 20. Castrop. *n.* 15. juxta *c. à nobis. il.* 2. *de sent. excomm.* & Arg. ducto à contrario ex *c. filii. h. t. in* 6.

4. Resp. Quartò: inter varias sententias de tempore præscribendi processum contra hæreticum defunctum, quarum aliquæ volunt præscribi quinquennio, aliæ decennio, aliæ tricennio, aliæ nullo unquam tempore, illa videtur probabilior, quâ Roias. *tr. de hæret. p.* 2. *n.* 193. Masc. *de probat. l.* 1. *concl. n.* 112. *n.* 29. Castrop. *n.* 16. & alii volunt, præscribi solo quadriennio, quò elapso processus contra hæreticum ampliùs institui nequit, eò quòd jus confiscandi bona hæreticorum, quod est accessorium damnationi illorum, præscribatur solo quadriennio.

Quæst. 196. *Qualiter sententia ferenda in crimine hæresis?*

1. Resp. Primò; sententia tam absolutoria quàm condemnatoria hæresis pronunciandæ ex consilio peritorum, juxta *c. ut commissi. h. t. in* 6. Penia. *p.* 3. *direct. comm.* 126. *circa finem.* Castrop. *tr.* 4. *d.* 8. *p.* 11. *n.* 2. ita ut, sine requisito illo consilio procedatur ad sententiam, ea sit nulla, cùm *cit. c.* videatur præscribi forma. Castrop. *n.* 4. quid. quid sit de eo, num Inquisitores teneantur sequi datum Consilium, quod affirmant Decien. *l.* 4. *c.* 24. *n.* 16. Farin. *q.* 185. *n.* 192. Arg. *c. statuta. h. t. in* 6. dum ibi dicitur: *& ex eorum consilio ad sententiam procedi volumus.* Contrarium, seu necessarium non esse sequi eorum consilium, sed posse pronunciare contra illud, si visum fuerit æquius, tradunt apud Castrop. *n.* 5. Simanc. Roias. Penia. Zech. Bursat. Locat. &c. Si tamen Inquisitori & Ordinario non occurreret ratio urgentior, tutiùs ac veriùs acquiescendum consilio peritorum, præsertim si hi concordes, ait Castrop. Hi periti esse possunt tam Theologi quàm Canonistæ & Legistæ, qui Consilium præstare tenentur Inquisitoris mandato, etiam sine ullo assignato illis salario aut data pecuniâ, Arg. *c. commissi.* & quia omnes fidei negotium adjuvare & defendere tenentur; quamvis, si sponte offeratur salarium vel pecunia, id pro Labore acceptare possint. Zachin. *tr. de hæret. c.* 15. *n.* 3. Decian. *l. c.* 24. *n.* 10. Farin. *q.* 185. *n.* 190. Castrop. *l. c.* Debet autem illis manifestari totus processus; quia sine hac manifestatione consilium præstare non possunt juxta merita causæ, ut dicitur *c. fin.* §. *jubemus. h. t. in* 6. potéstque ac debet hæc manifestatio fieri absque eo, quòd manifestentur nomina testium & declaratorum; non tamen absque eo, quòd manifestari debeant qualitates testium, nimirum, an sint graves, docti, probatæ vitæ; vel è contra, num sint plebei, infames, socii criminis, quin & intercedere potest causa legitima, cur Inquisitor teneatur viris illis peritis ac probis manifestare nomina reorum, testium, nimirum dum dubium est de inimicitia inter eos, impósito tamen illis sub juramento, vel etiam excommunicatione, si opùs sit, secreto, juxta *c. statuta. h. t. in* 6.

2. Resp. Secundò: sententia tam absolutoria quàm condemnatoria proferenda est in scriptis, aliàs nullius est momenti, juxta *Clem. sæpe. de V. S.* & *ibi* Gl. *v. in scriptis.* Farin. *q.* 185. *n.* 166. Decian. *l. c. l.* 5. *c.* 38. *n.* 20. Pegna. *l. c. comment.* 40. *n.* 165. Castrop. *n.* 6. *&c.* Item ex convenientia, & non ex necessitate ferenda potiùs de die, quàm de nocte, Abb. & Felin. *in c. consuluit. de off. deleg.* Pegna. Castrop. *ll. cit.* Farin. *n.* 165. Publicatio hujus sententiæ fieri potest ac solet per alios, quàm ipsum Inquisitorem, & ordinariè per Notarium. Farin. *l. c. n.* 171. Roias. *sing* 94. *à n.* 1. juxta quod decisum ab Urban. IV. in Const. incipiente: *licèt ex omnibus.* quam refert Penia in *fin. director. inter lit. Apostol.*

3. Resp. Tertiò: & quidem, quod attinet sententiâ absolutoriam, eò quòd nihil adversùs delatum probatum fuerit, errores, de quibus accusatus fuit, exprimendi non sunt inspecie seu particulati; quia

ista

ista expressio inutilis est, & audientibus ingenerare potest suspicionem, nec reus pronuntiari innocens seu vacare culpa, sed solùm ab instantia illius judicii absolvi debet, declarando, nihil contra illum probatum esse; cùm contingere posset, ut, quod modò probatum non est, probetur postea, & qui absolutus est, condemnetur postmodum. Penia. *p. 3. director. comment. 37. rub. de form. absol.* Farin. *l. c. n. 173.* Scacc. *de jud. c. 59. n. 1.* Castrop. *l. c. n. 9.* qui tamen cum Farin. *n. 173.* Delrio. *l. c. l. 5. s. 14. ad finem* ait, in uno casu delatum posse ut innocentem absolvi, dum nimirum manifestè probatum fuit, delatorem & testes falsum dixisse, cùm tunc videatur, non esse probabile periculum retractandi sententiam absolutivam, dum innocentia delati constat ex iniquitate testium & delatorum. Quod si tamen reo absoluto, quin & declarato innocente, superveniant novæ delicti probationes, poterit non obstante primâ sententiâ absolutoriâ, de novò inquiri, examinari, condemnari, quia in hoc crimine sententia nunquam favore fidei transit in judicatum, prout Pius V. definit in Constit. sua, quæ incipit: *inter multiplices curas*, ac tenent Simanc. *Cathol. instit. tit. 60. n. 13.* Farin. *n. 197.* Scacc. *l. c. c. 95.* Castrop. *n. 10.* atque ita hæ probationes supervenientes præcedentibus insufficientibus, ob quarum insufficientiam reus absolutus erat ab instantia judicii, conjungi possunt, etsi enim citatio & litis contestatio prius facta pereant, cùm peremptâ instantiâ pereant acta ordinaria, quæ instantiam illam sequuntur, juxta *L. properandum. §. etsi quidem. c. de jud. & L. cum lite mortua. ff. judicium solvi*, non tamen pereunt, quæ ad litis decisionem spectant, ut sunt confessiones, probationes, declarationes testium &c. per *cit. L. ad properandum. §. ult.* & *L. jubemus, c. de liberal. caus.* Alex. *l. 1. cons. 58.* Farin. *l. c. n. 200.* Simanc. *tit. 18. rub. de defunct. n. 21.*

4. Resp. Quartò, quod attinet sententiam condemnatoriam, declarata hæresi simul declarantur omnes pœnæ ipso jure annexæ tali delicto, absque eo, quòd opus sit eas exprimere, secus de iis, quæ specialem requirunt expressionem & condemnationem. Farin. *n. 164. & 168.* Decian. *l. c. c. 38. n. 15.* Condemnatus pœnâ arbitrariâ, eò quòd non existerent probationes sufficientes ad pœnam ordinariam, superveniente legitima probatione, dum pœna arbitraria jam data executioni, non potest puniri pœnâ ordinariâ, sed tantum huic detrahendum, quantum arbitraria importat; si verò arbitraria necdum data executioni, pœnâ ordinariâ puniri potest, superveniente nova probatione; quia est novum indicium, & pœna non excedit delictum, sicut illud excederet, si, postquam punitur pœnâ arbitrariâ puniretur insuper pœnâ ordinariâ. Castrop. *n. 11.* cum Farin. *n. 199.* De cætero sententia condemnatoria hæretici impœnitentis ferenda & pronuntianda non est necessariò in præsentia Judicis sæcularis, ut fortè indicari videtur. *c. ad abolendam. & c. excommunicamus. h. t.* ita Castrop. *l. c. n. 12.* cum Penia, *p. 3. director. comment. 48. n. 210.* ex ea ratione, quòd, cùm in hoc crimine judicando, utpote Ecclesiastico Judex sæcularis nulla ratione se intromittere possit, ejus præsentia in prolatione sententiæ solùm requiratur, ut & statim executioni mandetur sine dilatione, citra illius præsentiam validè proferri possit; etsi, ut credit Castrop. non liceat Inquisitori præsentiam Judicis sæcularis in prolatione sententiæ condemnatoriæ subterfugere, si is facilè condemnationi interesse posset, dum id minimùm evincere videantur citati textus. *c. ad abolendam. & c. excommunicamus. h. t.*

Quæst. 197. *An, quando, & ad quem in crimine hæresis interponi, & admitti possit interpellatio?*

1. Resp. Primò: beneficium appellationis hæreticis eorúmque fautoribus, ut talibus ab Ecclesia reputatis (quales non sunt, quousque sententia declaratoria succedat) omnino denegatur, juxta clarum textum *c. ut inquisitionis. h. t. in 6.* Unde pronuntiatâ sententiâ definitivâ adversùs hæreticum, ea statim executioni mandari potest absque eo, quòd opus sit expectare terminum decem dierum à jure statutum ad appellandum. Roias *singul. 179. 2.* Decian. *l. c. c. 20. n. 26.* Param. *de orig. inquisit. l. 3. q. 4. rub. de exped. proces. in caus. fidei. n. 58.* Castrop. *tr. 4. d. 8. p. 7. n. 1.* Dum tamen declaratur quis hæreticus ex præsumptione juris tantùm, v. g. quia damnatus in contumaciam, vel quia seipsum occidit ante causam finitam; vel aliâ viâ, quâ jus præsumit delictum, interponi posse appellationem, & superior illi deferre debere, quia est aliqua dubitatio, an sit hæreticus, & locus est defensioni, tradunt Simanc. *l. c. tit. 6. n. 7. & 8.* Farin. *n. 230.* Castrop. *n. 2.* quin etiam damnato ut hæretico licere adire Principem superiorem viâ querelæ & supplicationis, ut sententia lata, quam injustam esse prætendit, revocetur & annulletur, contra Simanc. & Carrer. probabilius censet Castrop. *l. c. n. 3.* ex ea ratione, quòd interdicta appellatione, non censeatur interdictus recursus ad Principem in causis gravis præjudicii, ut Roland. *l. 1. cons. 94.* Menoch. *de arb. q. 70. n. 18.* & superior Judex non prohibeatur de prætensa injustitia cognoscere, & eam revocare, cùm id rectæ gubernationi conveniat. Ipséque superior Judex supplicare potest à sententia à se lata, ut iterum eam recognoscat, & si invenerit injustam, revocet & annullet, ita Felin. *inc. ad abolendam. h. t. n. 3.* Farin. *n. 233.* Castrop. *n. 3.* Item etsi non concedatur appellatio à sententia declaratoria hæresis, conceditur tamen à sententiis & actibus interlocutoriis, cùm hujusmodi sententia & actus procedant ad investigandam veritatem, num reus commiserit hæresim, quod, cùm certum non sit, & aliqua tergiversatione celerari possit, denegari quò ad hoc non debet appellatio; ita tamen, ut, si in illa non assignetur causa illius, sit nulla, juxta *c. ut debitus. c. cum remissam. de appell.* ita Farin. *n. 232.* Paramo. *l. c. q. 4. n. 60.* Castrop. *n. 4.* Unde jam à sententia seu decreto torturæ appellari potest; quia est actus interlocutorius ad eruendam veritatem. Penia *l. c. rub. de appell. comment. 31.* Farin. *l. c. n. 139.* Clar. *pract. §. fin. q. 64. vers. sed quid agendum.* Castrop. *n. 5. &c.* juxta clarum textum *l. 2. c. de appell.* Et licèt per appellationem à sententia interlocutoria regulariter non ligentur manus Judicis, sed hic possit procedere, quousque à Superiore inhibeatur, id fallit in decreto torturæ, utpote continente damnum irreparabile. Farin. *prax. tit. 5. q. 38. n. 12.* Castrop. *l. c.* cum Lancell. *tr. de attent. c. 12. limit. 1. n. 1.* nisi tamen constet evidenter, causam allegari frivolam appellationis. *c. cum appellationibus. de appell. in 6.* & *l. 2 ff. de appel. recip.* in quo casu Judex à quo cognoscit, dum aliàs in dubio, num legitimè appellatum, Judex ad quem cognoscere debeat, &, sive dubium de legitima appellatione sit juris sive facti, Judex à quo supersedere debet & exspectare, quid Judex ad quem pronunciet, ne periculo exponatur gravandi

vandi injustè innocentem in iis, quæ irreparabilia sunt, Farin. *cit. q.* 38. *n.* 30.

2. Resp. Secundò: in causis fidei, V. G. in sententiis interlocutoriis admittitur appellatio, in Hispania quidem ad Inquisitorem Generalem appellandum; in aliis verò partibus ad Pontificem. Quod certum credit Castrop. *n.* 6. dum sententia lata à solo Inquisitore; quin &, si lata ab Episcopo & Inquisitore simul; quia appellatio semper fit ad delegantem. *c. super quæst. §. porrò. de off. delegat.* Inquisitor autem, sive solus, sive cum Episcopo sunt delegati Apostolici. Idem est, dum Episcopus solus procedit contra exemptos; dum verò Episcopus ratione officii & ex jure ordinario procedit contra non exemptos in causa hæresis, etsi quoque appellandum ad Pontificem, utpote cujus sit causas graves terminare, probabilius esse sentiunt Farin. *n.* 240. Pegna &c. probabilitate tamen non carere, censet Castrop. *cit. n.* 6. posse appellari tam ad Metropolitanum, quàm eo præterito ad Pontificem; sicut in aliis causis, juxta *c. si duobus. de appell. c. quoties. c. ad Romanam. 2. q.* 6. non obstante *c. majores. de Baptismo*; cùm judicare de legitimitate appellationis in causis fidei non sit ita grave, ut præcisè authoritatem Pontificis requirat, sicut, licèt eam requirit, dum quæritur, num hoc vel illud sit de fide, utpote cujus decisio summè necessaria Ecclesiæ, non tamen illam requirit, dum controversia est, num quis deliquerit contra fidem, quæ est quæstio potiùs facti quàm juris, quæ ab aliis quoque, quàm Pontifice decidi posset. Interposita tamen appellatione, quin & admissa in hac vel illa causa interlocutoria, poterit procedere contra appellantem Inquisitor, si ex alia causa appellans fuerit denuntiatus; cùm appellatio solùm suspendat jurisdictionem in illa causa, in qua contingit appellatio, non in aliis, nisi fortè causa appellationis fuerit suspicio Judicis; tunc enim, quia ea procedit in aliis causis omnibus æqualiter, non potest Judex à quo compellere reum ad respondendum etiam in aliis causis, nisi fuerit causa aliqua adeò gravis, ut gravitate & manifestatione reus condemnatus existat, Castrop. *l. c. n.* 7. juxta. *c. proposuit. de appell. in fine.*

Quæst. 198. *Hæreticus absolutus pro foro conscientiæ an & qualiter adhuc puniri possit pro foro externo?*

Resp. Hæreticus absolutus pro foro conscientiæ seu pœnitentiali ab Episcopo vel alio confessario, privilegium speciale ad hoc habente, si postea accusetur de hæresi in foro externo, non evadit pœnas fori illius, etiamsi ei pœnitentia publica aliqua injuncta fuerit in foro conscientiæ; quia utrumque judicium tendit ad diversos fines, pœnitentia nempe imposita in foro interno ad hoc, ut satisfiat Deo, & ut medicina propriæ salutis pœna fori externi ad vindictam publicam, ut satisfiat reipublicæ, quam reus malo exemplo offendit. Sanch. *l. 2. inst. c.* 12. *n.* 7. Barbos. *p. 2. de off. Episc. alleg.* 40. *n.* 29. Pirh. *h. t. n.* 44. *in fine.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c.* 7.

Quæst. 199. *Ab hæresi annexaque ei excommunicatione an & qualiter absolvere possint Episcopi?*

1. Resp. Primò: ab hæresi occulta (per quam hic non intelligitur ea, quæ per testes probari nequit, sed ea, quæ non est publica seu notoria, qualis est, quæ etsi ab aliquibus sciatur, & probari possit, non tamen scitur à majore parte parochiæ, communitatis, in qua sunt saltem decem personæ. Sanch. *l. c. n.* 19. Azor. *p. 1. l. 8. c.* 10. *q.* 9.) annexâque ei excommunicatione, uti & in casibus Papæ reservatis subditos suos (quo nomine veniunt, sive in ejus diœcesi domicilium habeant, sive majore anni parte resideant, sive transeunter existant, cùm etsi tam ampla subjectio non probetur in materia dispensationis, tamen in materia absolutionis à censuris & casibus sententia est receptissima. Castrop. *n.* 8. citatis pluribus aliis) in foro interno absolvere possunt Episcopi per se ipsos tantùm, aut Vicarium ab ipsis specialiter ad hoc deputatum, ut constat ex Trid. *Sess.* 24. *c.* 6. *de reformat.* Per Episcopos autem intelliguntur Episcopi, qui subditos habent in propria diœcesi, si electi sint & confirmati, etsi non consecrati, & quo ad absolutionem ab excommunicatione, etsi Sacerdotes non sint; cùm absolutio ab excommunicatione non sit absolutio Sacramentalis, etiamsi fiat in foro conscientiæ tantùm, sed actus jurisdictionis. Sanch. *l. c. c.* 11. *n.* 3. Barb. *l. c. allegat.* 39. *n.* 2. Gutt. *de matr. c.* 49. *a n.* 16. Pirh. *h. t. n.* 38. Castrop. *tr.* 4. *d.* 4. *p.* 3. *§.* 1. *n.* 2. qui tamen cum Sanch. *n.* 2. Barb. *n.* 3. Suar. *de censur. d.* 41. *s.* 2. *n.* 6. Garc. *de benef. p.* 7. *c.* 11. *n.* 23. addit, requiri necessariò ad hanc potestatem, ut sint Episcopi illarum regionum, in quibus Tridentinum receptum est; cùm media hâc receptione concedatur illis hæc potestas. Restringitur etiam hæc Episcoporum potestas per particulas illas decreto Trid. insertas: *in diœcesi sua*: ita ut ab hæresi absolvere nequeant, nisi in sua diœcesi existant, non quidem ex eo, quòd Episcopus existens extra suam diœcesim absolvere nequeat suum subditum, cùm absolutio sit actus jurisdictionis voluntariæ, quæ extra proprium territorium erga subditos exerceri potest; sed quia Papa potuit ac voluit conditiones quasdam apponere in concessione hujus potestatis absolvendi ab hæresi sine correctione & abrogatione juris communis, vi cujus non habent Episcopi potestatem absolvendi à delictis Pontifici reservatis; ut nimirum absolutionem ab hæresi darent, non nisi in sua diœcesi existentes. Ita Henriq. *l.* 14. *de irregul. c.* 20. *n.* 2. Rodriq. *Tom.* 2. *c.* 69. *n.* 1. Barb. *cit. alleg.* 39. *n.* 1. Castrop. *l. c. n.* 13. Pirh. *h. t. n.* 39. Probabilius quoque videtur potestatem hanc competere Capitulo Sede vacante, exercenti jurisdictionem Episcopalem ordinariam per Vicarium à se deputatum, ut tenent Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 11. *n.* 4. Garc. *l. c. n.* 22. Ventrigl. *Tom.* 2. *annot.* 15. *§.* 2. *n.* 15. citatique ab eo Barb. *de Can. & dignit. c.* 42. *n.* 82. (qui etiam *n.* 62. testetur, pro hac opinione stetisse S. Congregat. Conc. 3. Decemb. 1633.) Dian. *resol. mor. p.* 7. *tr.* 2. *resol.* 3. Merolt. *Tom.* 2. *c.* 6. *& Tom.* 3. *c.* 7. *n.* 51. Pirh. *h. t. n.* 38. quos secutus fui *in meo Vicario Episc. q.* 477. Contrarium sentientibus Suar. *Tom.* 4. *de pœnit. d.* 30. *s.* 2. *n.* 4. Bonac. *d.* 7. *q.* 5. *p.* 1. Ledesma *Tom.* 2. *sum. tr.* 1. *c.* 6. *post* 20. *concl. diffic.* 5. Castrop. *l. c. n.* 3. ex ea ratione, quod Trid. *l. c.* specialiter hanc potestatem absolvendi ab hæresi tribuat Episcopis, & expressis verbis neget eam eorum Vicariis, quam rationem à me satis dilutam vide *l. c.* nimirum quia Capitulum sede vacante non sit propriè Vicarius Episcopi, quia solùm eandem, quam Episcopus defunctus habuit potestatem, habeat, exerceatque per Vicarium aliquem à se constitutum; ac ita Vicarius hic loco Episcopi per seipsum absolvat, quod non potest Capitulum. Quin & sicut Episcopus, etsi suo modo dependenter à Capitulo, quatenus nimirum institutus est ab eo in talem sui Vicarium, potest eam potestatem concedere alteri, ut Dian.

p. 8.

p. 8. *tract.* 4. *resol.* 47. ex Molin. *de just. tract.* 5. *d.* 11. *num.* 5. cùm etiam Episcopus hanc potestatem committere possit non suo Vicario Generali, sed & cuilibet alteri personæ privatæ, ut Sanch. *l. c. num.* 23. Azor. *p.* 1. *L.* 8. *c.* 10. *q.* 11. Nav. *L.* 1. *cons.* 1. *de const.* Henriq. Roderiq. & alii apud Castrop. *num.* 19. qui tamen ipse *num.* 20. citatis Mol. *de just. tract.* 5. *d.* 18. *num.* 2. Suar. *l. c. n.* 9. Gutt. *qq. Can. L.* 1. *c.* 13. *n.* 29. & aliis docet, probátque contrarium tanquam longè probabilius, nimirum facultatem absolvendi ab Hæresi nulli alteri Vicario committi posse.

2. Resp. Secundò: In ordine ad absolvendum ab Hæresi venire quoque nomine Episcoporum Prælatos quosdam inferiores, jurisdictionem Ordinariam & quasi Episcopalem, & quasi diœcesim habentes, tenent Sayr. *in clavi reg. L.* 6. *c.* 12. *n* 83. Avila *de censur. p.* 7. *d.* 10. *du.* 6. Henriq. *L.* 6. *c.* 6. §. 1. Flores. *de Mena. var. L.* 3. *q.* 24. *num.* 18. Sanch. *l. c. num.* 3. Rodriq. *tom.* 2. *sum. c.* 10. *n.* 9. *concl.* 6. Castrop. *l. c. n.* 4. Pirh. *l. c.* contra Suar. *l. c. n.* 6. Bonac. *l. c. n.* 6. Garc. *l. c. n.* 13. & 17. Barb. *de potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 39. *n.* 17. & alios relatos à Castrop. ex ea ratione, quòd hæc potestas absolvendi ab Hæresi concessa à Trid. spectet ad jurisdictionem Episcopalem ordinariam, etsi jure speciali, non tamen gratioso & privilegiato, quâ gaudent dicti Prælati ab Episcopis differentes solùm in consecratione; neque ea potestas derogat juri communi antiquo, quò nulla erat reservatio Hæresis quò ad absolutionem, sed potiùs constituat illud, adeóque latiùs interpretanda, quod verò attinet Prælatos regulares exemptarum religionum, hos quoque gaudere hac potestate absolvendi ab Hæresi subditos suos, non tantùm regulares, sed & subditos sæculares, si territorium quoque seu quasi diœcesim habent, conformiter ad præcedentem responsionem videtur dici, illos gaudere hac potestate etiam quò ad externos sui territorii, gaudere tamen illa quò ad Religiosos suos, utpote respectu quorum Jurisdictionem quasi episcopalem habent. Si verò Jurisdictionem nullam extra monasterium habent, non competere illis hanc potestatem respectu Sæcularium illis non subjectorum in spiritualibus, saltem ex decreto Trid. satis certum videtur, ut Sanch. *l. c. n.* 7. Garc. *l. c.* ubi sic decisum à S. Congr. refert. Barb. *l. c. n.* 18. Nihilominùs tamen hæc potestas quoque iis competit ex speciali concessione Pii V. facta iis in motu quodam proprio relato à Rodriq. *Tom.* 1. *qq. regul. q.* 61. *a.* 9. *in fine.* & recitato à Castrop. *l. c. n.* 5. in qua concessione & privilegio etsi absolutio ab Hæresi verbis expressis non comprehendatur, comprehenditur tamen æquivalentibus, dum dicitur posse istiusmodi Prælatos in sibi subditos, quod possunt Episcopi. Item deterioris conditionis non esse subditos horum Prælatorum, quàm Clericos & Sæculares Episcopis subjectos. Ita Castrop. *l. c. num.* 6. qui tamen addit, quòd quidquid sit de hac concessione, certissimum sit & indubitatum, præcipuè in Hispania, nullo modo posse in foro conscientiæ Religiosos sibi subditos absolvere ab Hæresi, sed debere illos remittere ad Inquisitores, ex Constit. Pauli V. cujus meminit Barb. *de potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 40. *num.* 39. Archi-Episcopus quoque potest absolvere ab Hæresi subditos suorum suffraganeorum, quando ei subduntur, subduntur autem illi, quando diœcesim sui suffraganei visitat, nimirum dum est legitima causa, probata in concilio Provinciali visitandi, & suam diœcesim visitavit, ut ex Concil. Trid. *sess.* 24. *c.* 3. Sanch. *L.* 2. *mor. c.* 11. *num.* 6. cùm tunc habeat Jurisdictionem ordinariam in illos, ut Suar. *l. c. num.* 8. Bonac. *de censur. d.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *num.* 3. Barb. *l. c. alleg.* 39. *num.* 19. Castrop. *num.* 7. vel quando subditi suffraganei appellarunt ad Metropolitanum; vel quando suffraganeus malitiosè differt absolutionem; tunc enim Archi-Episcopus subditos suffraganei absolvere potest à censuris & casibus reservatis. Potest etiam Episcopus in Hæresim lapsus, cùm seipsum absolvere nequeat, committere suo modo vices suas confessario electo à se, ut illum ab Hæresi absolvat; cùm Confessarius respectu Episcopi habeat tunc illam Facultatem dispensandi & absolvendi, quam habet Episcopus respectu suorum subditorum, ne Episcopus deterioris conditionis existeret omnibus suis subditis. Ita Castrop. *num.* 9. citatis Sanch. *ubi ante. n.* 11. Barb. *in remiss. concilii super hoc decreto. v. in diœcesi sua.*

Quæst. 200. *Num potestas à Trid. concessa Episcopis aliisque nomine illorum venientibus absolvendi à casibus reservatis Pontifici, ac specialiter ab Hæresi occulta, sit revocata per Bullam Cœnæ in Clausula ultima?*

1. Resp. Per dictam Clausulam, quæ sic habet: *Cæterum à prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, neque etiam tunc, nisi de stando mandatis Ecclesiæ & satisfaciendo cautione præstita absolvi possit, etiam prætextu quarumvis Facultatum & indultorum, quibuscunque Personis Ecclesiasticis Sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam mendicantium ac militarium regularibus, etiam Episcopali vel alia dignitate majore præditis, ipsisque Ordinibus & eorum monasteriis, conventibus & domibus ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus & locis piis; nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, & aliâ mundanâ excellentiâ fulgentibus, per nos & dictam Sedem. ac cujusvis Concilii decreta, verbo, literis aut alia quacunque scriptura in genere vel in specie concessorum & innovatorum aut concedendorum & innovandorum &c.* Per illam dictæ Bullæ clausulam num derogatum sit memoratæ Facultati Episcoporum, controvertitur satis acriter, nec minùs utrimque probabiliter inter AA. Negativam, seu Facultatem à Trid. concessam Episcopis absolvendi ab Hæresi aliisque casibus occultis pro foro conscientiæ sublatam non esse per Bullam Cœnæ, tenent Bann. 2. 2. *q.* 11. *a.* 4. *du.* 2. *post* 2. *Concl.* Nav. *L.* 5. *cons. tit. de Privileg. cons.* 11. *n.* 1. Gut. *qq. can. L.* 1. *c.* 13. *ad fin.* Lorca. 2. 2. *d.* 45. *num.* 10. Henriq. *L.* 6. *de pœnis. c.* 14. *n.* 7. & plures alii, quorum 24. recenset Barb. paulò post citand. ex eo potissimùm fundamento, quòd correctio juris, quò ad fieri potest, vitanda, arg. *C. cùm expediat. de elect. in* 6. Absque correctione autem juris Trid. servari potest dispositio Bullæ cœnæ; quia Bulla solùm dicit, quòd nullus absolvi possit prætextu quorumcunque Privilegiorum concessorum Episcopis, Conventibus, Ordinibus & aliis per Sedem Apostolicam ab Hæresi, nihil specificando de Hæresi occulta, de qua præcisè loquitur Trident. Lex autem generalis posterior non tollit legem priorem specialiter loquentem, sed potiùs distinguitur & limitatur per antiquam, ne videatur illam corrigere. arg. *C. generi. de reg. jur. in* 6. generi per speciem derogatur. Atque ita dici possit, Bullam

Cœnæ loqui de crimine Hæresis publico, à quo Episcopus vi Trid. absolvere nequit, déque absolutione, quæ non solùm pro foro conscientiæ, sed etiam externo prosit.

2. E contra affirmativam, seu facultatem absolvendi à delictis, & in specie ab Hæresi etiam occultis, concessam per Trident. Episcopis omnino revocatam per Bullam Cœnæ, probabilius & communius tenent Pegna *p. 3. directorii. comm. 131. post q. 92. vers. penult.* testans, sic sæpe in supremo generalis Inquisitionis tribunali Romano decisum. Pignatel. *tom. 1. consult. 291.* dicens id hodie certum esse ob plures declarationes Cardinalium S. Congr. Concil. interpretum, de quibus quoque testatur Fagn. *in C. quoniam. de const. n. 29. & in c. dilectus de temp. ordinat. num. 3.* ubi subjungit: Unde frustra nonnulli ex recentioribus Theologis hunc articulum in controversiam adducunt, cùm habeamus claram determinationem S. Congregationis Piacef. *in pr. p. 2. c. 1. a. 3. n. 6. & seq.* Genuens. *in pr. curiæ. Archiep. Neapol.* Tusch. *de Visitat. L. 2. c. 31. n. 5.* Suar. *de pœnit. d. 30. c. 2. n. 11. & de censur. d. 22. s. 3. n. 5.* Garc. *de benef. p. 11. c. 10. num. 122.* Farin. *de Hæres. q. 192. num. 61.* Sanch. *L. 2. in decalog. c. 11. in fin.* Bonac. *de cens. d. 1. q. 3. p. 2. n. 1.* Barb. *de potest. Episc. p. 2. alleg. 40. num. 25.* Unà cum aliis à se citatis attestans sic declarasse Gregor. XIII. & Clem. VIII. Castrop. *l. c. num. 22.* Pirh. *h. t. n. 41.* Gobath. *Theol. experim. tract. 7. num. 370.* ex vita S. Francisc. Salesii referens, quòd dum is ad propositam sibi à Clem. VIII. in examine hanc quæstionem: possentne Episcopi absolvere ab Hæresi? respondisset: quod possunt, ex Concilio Trid. Papaq; reposuisset: non esse eam mentem suam, antiquatum enim esse illum articulum, mox sententiam suam retractans, dixerit: *Quandoquidem non est mens vestra Sanctitatis, à me discedo, & prorsus Pontificiæ acquiesco.* Præter tot tantorum virorum, nec non relatarum ab eis Declarationum Pontificiarum & S. Congregationis Anthoritatem (quæ si absolutè authenticæ essent, nullus superesset super veritate hujus sententiæ ambigendi locus) fundamentum præcipuum est, quòd negari nequeat, dicto privilegio absolvendi ab Hæresi occulta Pontificem derogare posse; illum autem ei derogasse, satis colligatur ex ipsis Bullæ verbis, dum Pontifex in ea prohibet, ne detur absolutio ab Hæresi & reliquis casibus in Bulla contentis prætextu privilegiorum, quæ Episcopis, Religiosis, Conventibus &c. concessa sunt à Sede Apostolica, etiam decreto alicujus concilii; nullum autem concilium, nisi Trident. hanc Facultatem absolvendi ab Hæresi cæterisque casibus reservatis concesserit Episcopis, adeóque, si concedatur in Tridentino facultas absolvendi ab Hæresi, hanc revocare intenderit Pontifex dictâ Bullâ. Neque dici potest, per eam revocari potestatem absolvendi tantum à casibus publicis & pro foro externo, quia hanc Trident. non concessit; ita ferè Castrop. *cit. num. 22.* Pro quo evidenter facit decretum Alexand. de anno 1665. quo tanquam scandalosam damnavit *Quæst. seq. sententia Bullæ asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem Hæresis & aliorum criminum, quando publica, & id non derogare Facultati Trid. in qua de occultis sermo est. Anno 1629. 18. Julii in Congregatione Eminentissimorum Cardinalium visa & tolerata est.* Unde hoc unicum decretum Alex. VII. sententiæ contrariæ opponit Gobath. *l. c.*

Quæst. 201. Utrum Episcopi in regionibus ab Urbe remotioribus ob difficultatem adeundi Pontificem, tuto se tenere possint sententiam priorem, & absolvere Lutheranos & Calvinistas ab Hæresi occulta in foro conscientiæ per se vel Legatos suos Jure Ordinario, & seclusa omni Privilegio?

Resp. Non esse idipsum extra controversiam. Affirmant Laym. *L. 1. tract. 5. p. 2. c. 6. n. 6.* ponens hanc regulam ex communi DD. Casus papalis superveniente impedimento adeundi Papam fit Episcopalis. Item Pirh. *h. t. num. 42.* Reiffenst. *h. t. num. 372.* citans pro hac sententia Abb. *in c. de cætero. de sent. excom. n. 1.* Nav. *in sum. c. 27. num. 89.* Sylv. *v. absolutio. 4. num. 7.* Felin. *in c. quamvis. de sent. excom.* Covar. *in c. alma mater, p. 1. §. 11. num. 15.* Saltem ubi impedimentum adeundi Pontificem pro absolutione est perpetuum, vel ad longum tempus; quia tale impedimentum reputatur tanquam articulus seu periculum mortis, pro quo competit Episcopis ea potestas. Quæ autem sint impedimenta adeundi pro absolutione ab Hæresi occulta Papam, vide apud Reiffenst. *an. 378.* Verùm negant idipsum alii apud Dian. *p. 2. tract. de conclav. resol. 25.* Convenientius loqui videntur, qui asserunt, sententiam de non absolvendo illos servandam ubique, etiam in Germania, non obstante remotione ab Urbe, & frequentioribus ibidem casibus occurrentibus, cùm adhuc Episcopi utantur speciali venia, quam petere solent majoris securitatis gratiâ, ut ipse testatur Laym. *de jurisdict. ordinar. concl. 72.* Quin & dentur illis singulis quinquenniis renovandæ Facultates absolvendi ab Hæresi & casibus Bullæ, ut testatur Reiffenst. exemplo Episcopi Frisingensis. Atque ita non absolvunt Jure Ordinario & sine speciali privilegio.

Quæst. 202. Quid possint Episcopi quòad absolutionem ab Hæresi pro foro externo?

Resp. Potest Episcopus de jure communi tanquam delegatus Apostolicus pro foro externo, seu quòad excommunicationem Hæreticum notorium (modo non sit Hæresiarcha, seu novæ Hæresis author, vel etiam relapsus in Hæresim) dum is prius Hæresim abjurat, absolvere, & Ecclesiæ reconciliare injunctâ ei pœnitentiâ, ut constat ex *c. ut officium. de Hæret. in 6.* & ita tenent Archid. *in cit. c. n. 1. v. impendatis.* Jo-And. *ibid. n. 1.* Gemin. *num. 2.* Felin. *num. 3.* Repertor. Inquisit. *v. absolutio. vers. nec non.* Eymer. *direct. p. 3. q. 92.* Bonac. *de censur. d. 1. q. 3. p. 2. num. 11.* Farin. *de Hæres. q. 191. §. 4. num. 52.* & alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c. num. 23.* non obstante, quòd Zechus *in sum. p. 1. tit. de fide. rub. de Hæres. c. 11. num. 18. vers. 4.* dicat, in supremo Inquisitionis Senatu pronunciatum esse, solis Inquisitoribus licere pœnitentes Hæreticos in foro externo absolvere, & non Episcopis. Prodestque hæc eorum absolutio in foro interno, quatenùs ea excommunicatione sublata per Episcopum, à quovis confessario approbato absolvi possunt pro foro interno à peccato Hæresis, ita AA. citati; addit tamen Laym. *cit. c. 6. num. 6.* quòd in Germania Lutherani & Calvinistæ volentes fieri Catholici non adducantur

ad

ad forum externum seu judicium Episcopi, sed mox instituantur in fide Catholica, & post abjurationem Hæresis ad sacramentalem confessionem & susceptionem Eucharistiæ admittantur; & ita ibidem habet praxis.

Quæst. 203. *Quid possint Inquisitores quò ad absolvendum ab Hæresi?*

1. Resp. Primò: Posse illos Hæreticos pœnitentes ejurata Hæresi ab ea absolvere pro foro externo, constat ex *cit. c. ut officium. h. t. in* 6. & ex pluribus Bullis, quarum meminit præter Pegnam Farin. *de Hæresi. q.* 192. *n.* 54. An verò absolvere possint eos in foro interno conscientiæ, controvertitur inter AA. Posse id illos vi Constit. Clem. VII. editæ anno 1530. incipientis: *Cùm sicut.* tenent vel potiùs supponunt Nav. *L.* 5. *consil. tit. de privileg. conf.* 11. Bannes 2. 2. *q.* 11. *a.* 4. *du.* 2. *post* 3. *arg. contra* 2. *concl.* Gutt. *qq. can. L.* 1. *c.* 13. *num.* 7. Vivald. *Candelab. p.* 1. *tit.* 11. *num.* 15. Rodriq. *in Bulla Cruciat.* §. 9. *num.* 70. pluresque apud Sanch. *L.* 2. *mor. c.* 12. *num.* 1. qui etiam *num.* 3. eam probabilem reputat. Ratio hujus sententiæ est summa congruentia, quâ ad Ecclesiam pertinet, providere fidelibus delinquentibus remedium facile & suave, ut à peccato liberentur. Dum autem apud Inquisitores non est potestas absolvendi ab Hæresi occulta in foro conscientiæ, Hæretici carent tali remedio; nam remedium suave non est, sed nimis rigorosum, cogere Hæreticum occultum, ut præsentibus testibus vel etiam Notario, Hæresim suam occultam & soli Deo notam Inquisitori manifestet, ad quod cogitur, si neque Inquisitores, neque Episcopi habeant hanc facultatem absolvendi ab Hæresi occulta. Atque ita hac sententiâ subsistente, poterit Inquisitor uti hac potestate; cùm ea non coarctetur ad forum sacramentale, sed ad forum secretum, poteritque etiam vices suas delegare alteri, quia potestas ei competit ex officio. Ita ferè Castrop. *l. c.*

2. Resp. Secundò: Probabilior nihilominus sententia opposita videtur: nimirum nulli Inquisitori quà tali, neque tribunali competere Facultatem absolvendi in foro conscientiæ ab Hæresi & excommunicatione reservatis, sed necessariò ab eo fieri debere in foro externo & judiciali. Ita Sanch. *l. c. num.* 3. Farin. *cit. q.* 192. *num.* 54. Suar. *de fide. d.* 21. *s.* 4. *n.* 15. Garc. *de benef. p.* 11. *c.* 10. *n.* 121. Barb. *de potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 40. *n.* 28. quos citat & sequitur Castrop. *l. c.* §. 2. *num.* 3. ex ea ratione, quòd ea facultas non competat vi officii; hoc enim consistit præcisè in Inquisitione delictorum, & punitione delinquentium, cùm sit Judex pro foro externo constitutus. Neque ex privilegio, quale nullum exstat, nisi fortè contentum in Bulla Clem. VII. sed illud non loquitur de omnibus Inquisitoribus, sed solùm de Inquisitoribus Ordinis Prædicatorum in Lombardia, tum temporis ibi existentibus; & posito, extendi ad omnes, non loquitur de absolutione fori conscientiæ, sed externi; cùm non concedat facultatem absolvendi, nisi præstito juramento, & abjurata Hæresi, quæ conditiones pro foro interiore non videbantur necessariæ. Verbum quoque *extrajudicialiter*, quô utitur Bulla, non urget; quia illud, pro ut teste Barb. *l. c. num.* 27. sæpe declaratum in supremo Inquisitionis Romanæ tribunali, non tollit formam judicii, scilicet depositionem coram Notario & testibus, vel coram solo Notario, sed solennitatem judicii, quæ consistit in eo, quòd plures adsint judicio, pluribúsque judicium innotescat. Unde facultas data Inquisitoribus, per dictam Bullam absolvendi extrajudicialiter Hæreticos pœnitentes, à nullo Judice inquisitos, in eo consistit, quòd eos possint ad secretam abjurationem, & secretam pœnitentiam admittere, non verò, quod possint pro solo conscientiæ foro absolvere; quod si illis concessum, bene dicit Castrop. se non videre, qua ratione facultas hæc concessa Inquisitoribus revocata non sit per Bullam Cœnæ, sicut per eam concessa Episcopis revocata. Neque denique competere eam facultatem Inquisitoribus ex consuetudine, patet ex eo, quòd Inquisitores nunquam Hæreticum audiant, aut audire volunt, nisi coram Secretario, teste Eymer. Ita ferè Castrop. *cit. n.* 3. diluendo præcipuum sententiæ contrariæ fundamentum, desumptum ex Bulla illa Clem. VII. uti & *n.* 4. ostendendo, non esse nimium rigorem in tali absolutione pro foro externo.

Quæst. 204. *Quid vi Privilegii Apostolici circa absolutionem ab Hæresi possint Religiosi, & in specie Societatis Jesu; & vi concessi Jubilæi alii quicunque Confessarii approbati.*

1. Resp. Ad primum: Posse Præpositum Generalem Societatis Jesu per se, vel alios quoscunque absolvere à casibus Hæresis, & aliis contra fidem & consequentibus censuris quibuscunque, constat tum ex vivæ vocis oraculo, (quod habetur in *vivæ vocis oraculis pag.* 9.) tum ex Brevi Julii III. concesso Anno 1552. 22. Octobris; quod Privilegium confirmavit, & concessit denuò vivæ vocis oraculo Gregor. XIII. Anno 1584. 8. Martii, quæ facultas communicatur Provincialibus cum potestate, ut, re maturè considerata, in casibus particularibus eam communicare possint aliis, pro ut habentur in *compend. privilegior. Societatis, v. absolutio.* §. 7. Respectu autem eorum, qui sub obedientia Societatis vivunt, habet Præpositus Generalis, & quibus ipse commiserit, facultatem eos absolvendi in foro conscientiæ ab Hæresi, & relapsu in eam; quam facultatem concessit Gregor. XIII. vivo vocis oraculo, citato anno & die, ut habetur *in vivæ vocis oraculis pag.* 133. & *in compend. privileg. Societatis, v. absolutio.* §. 7. 8. 10. *& seq.* Reservatur hæc facultas in Societate Præposito Generali, communicatur tamen Provincialibus, sub onere monendi pœnitentem, manere illum sub pœna peccati mortalis obligatum, vel se Generali sistendi, vel rem eidem manifestandi eo modo, qui servata sigilli integritate videbitur; vide de his Castrop. *l. c.* §. 3. *n.* 1. *&* 2.

2. Resp. Ad secundum: In hoc non convenire AA. sub facultate generali per Bullam Cruciatæ, vel Jubilæum concessa absolvendi à reservatis Pontifici, comprehendi reservata in Bulla Cœnæ, & in facultate concessa absolvendi à reservatis in Bulla Cœnæ, comprehendi Hæresim, docent Soto *in* 4. *dist.* 22. *q.* 2. *a.* 3. *concl.* 5. Penia *p.* 3. *director. comm.* 25. *vers. quòd si quis.* Farin. *q.* 192. *n.* 63. Reginald. *in pr. L.* 8. *n.* 53. & alii plures relati à Garc. *de benef. L.* 11. *c.* 10. *n.* 110. quorum sententiam probabilem reputat Suar. *de censur. d.* 7. *s.* 5. *n.* 12. ex ea ratione, quòd beneficium Principis sit latè interpretandum, præcipuè dum ejus interpretatio non excedit proprietatem verborum, qualiter sub reservatis à Pontifice comprehendere contenta in Bulla Cœnæ, & sub contentis in Bulla Cœnæ comprehendere Hæresim, non est excedere pro-

prietatem verborum, sed potiùs verborum proprietati se conformare. Contrarium nempe per Bullam Cruciatæ, & Jubilæum non concedi potestatem absolvendi à reservatis in Bulla Cœnæ, neque potestatem absolvendi à reservatis, comprehendere potestatem absolvendi ab Hæresi, probabiliùs tenere videntur Sanch. *l. c. c.* 12. *n.* 10. dicens certissimum, Garc. *l. c. n.* 109. Barbos. *de potest. Episc. p.* 1. *alleg.* 40. *n.* 31. Azor. *p.* 1. *L.* 8. *c.* 10. *q.* 12. Suar. *de fide. d.* 21. *s.* 4. *n.* 21. Covar. *in c. Alma mater. p.* 1. §. 11. *n.* 15. Roias *de Hæret. p.* 2. *assert.* 2. *n.* 321. Ugol. *de cens. tab.* 1. *p.* 10. §. 4. *num.* 8. Rodriq. *addit. ad Bullam.* §. 9. *n.* 99. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *cit.* §. 3. *num.* 2. ratione præcipuâ desumptâ ex stylo & usu Curiæ Romanæ, qui in hac parte vim legis habet, de quo testantur Azor. Suar. Barb. quòd vi illius sub generali facultate illa absolvendi à reservatis non comprehendantur contenta in Bulla Cœnæ, neque sub contentis in Bulla Cœnæ Hæresis; adeóque licitum non sit, concessionem ad illa extendere, utpote quæ extendi nequit ultra voluntatem & intentionem manifestam concedentis.

Quæst. 205. *Quinam & quibus conditionibus absolvere possint ab Hæresi pro articulo mortis.*

Resp. Cùm quæstio hæc communis sit tam Hæresi, quàm reliquis peccatis reservatis, quæ tractari solet *in tract. de pœnit. & censur.* ejus resolutionem fusiùs deductam hic consultò prætermittimus, illudque compendio dixisse sufficiat; certum esse juxta *c. de his & seq.* 26. *q.* 6. & Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *de Sacrament. punit.* affirmans, sic semper in Ecclesia observatum, quemlibet Sacerdotem verum in articulo mortis absolvere posse quemcunque Hæreticum pœnitentem, uti & quemcunque alium peccatorem à censuris & peccatis quantumcunque reservatis. Articulum autem mortis reputari non solùm verum articulum instantis mortis, sed quodlibet morale periculum, moriendi sine Sacramento pœnitentiæ, Mol. *de Just. Tom.* 4. *d.* 63. *n.* 6. Suar. *de fide. d.* 21. *s.* 4. *n.* 23. specialiter loquens de Hæresi, Sanch. *in decal. L.* 2. *c.* 13. *n.* 1. Zambian. *de casib. art. mort. prælud.* 2. *n.* 7. Castrop. *tr.* 4. *d.* 4. *p.* 3. §. 5. *n.* 2. Deberque illud periculum esse moraliter inevitabile; quale est, si sine gravi jactura honoris, vitæ vel fortunarum evitari nequit, Sanch. *l. c. n.* 3. Suar. Zambian. *ll. cit.* Castrop. *n.* 3. referens in specie plura istiusmodi pericula, & *n.* 4. unà cum Nav. Covar. Henriq. Suar. Sanch. sub articulo seu periculo mortis in ordine ad impetrandam absolutionem ab alio, quàm à legitimo superiore, potente absolvere, etiam extra talem casum comprehendens quodlibet aliud impedimentum perpetuum, adeundi talem superiorem. Et quamvis hic quidam cum Sanch. *n.* 37. & Suar. *s.* 4. in fine excipiant Hæresim ob singularem ejus gravitatem, & rigorosam reservationem, velintque sic impedito non esse viam liberandi se ab hæreticali excommunicatione, quàm accessum ad Inquisitores, vel Pontificem per literas, vel Procuratorem tacito nomine, cùm Episcopis sublata sit per Bullam Cœnæ potestas absolvendi concessa per Trident. Attamen probabilius censet Castrop. *n.* 5. æquè ab Hæresi, quàm ab aliis criminibus dicto modo impeditum, à quolibet confessario absolvi posse; eò, quòd potestas utendi hoc privilegio fundetur in necessitate pœnitentis, quæ, quò delictum graviùs, gravior est. Ad hæc, ut ipse Sanch. *n.* 14. affirmat, nemo constitutus in articulo seu periculo mortis teneatur medio Procuratore, aut literis procurare absolutionem, quia non tenetur assumere medium, quò illius delictum manifesterur alteri, uti adhuc esse articulum necessitatis, & reputari absolutionem ab eo receptu impossibilem, quoties superior adiri non potest, etsi is vocari possit; ac ita non esse obligationem obtinendi eam medio procuratore aut literis, tradit & probat Castrop. *n.* 7. cum Azor. *p.* 1. *L.* 8. *c.* 19. *q.* 5. Valent. *Tom.* 4. *p.* 2. *d.* 8. *q.* 10. Sanch. *l. c. c.* 13. *n.* 14. Henriq. & aliis. Porrò, quod attinet ad Sacerdotem potentem, pro articulo mortis absolvere à reservatis, etsi id possit quilibet, probabilius tamen est, non posse absolvere Sacerdotem simplicem, cui aliàs nulla est potestas absolvendi à reservatis, & in specie ab Hæresi, ubi adest illo tempore superior, qui id potest & vult, tenent Sanch. *l. c. n.* 7. Suar. *l. c. s.* 4. *n.* 4. & *de pœnit. d.* 26. *s.* 4. *n.* 4. Bonac. *de cens. d.* 1. *q.* 3. *p.* 3. *n.* 3. Mol. *de Just. Tom.* 3. *d.* 65. *n.* 2. affirmans sic declarasse Gregor. XIII. in declarationibus Concilii relatis à Barb. cujus declarationis verba vide apud Castrop. *l. c. n.* 9. qui & *n.* 10. *& seq.* diluit, quæ opponi possunt. De cætero, qui Sacerdotes non sunt, juxta probabiliorem potestatem non habent pro articulo mortis absolvendi à censuris, ex ea ratione, quòd finis, ob quem facultas absolvendi à censuris conceditur, pro articulo mortis est, ut pœnitens absolutionem à peccatis, reliquáque Sacramenta percipiat; unde solùm illarum censurarum, quæ Sacramentorum receptionem impediunt, absolutio illis conceditur, ut Zambian. *l. c. c.* 4. *n.* 17. Sanch. *n.* 12. Bonac. *n.* 8. sed absolutionem à peccatis, Eucharistiam & Unctionem extremam ministrare non potest non-Sacerdos, ergo nec concedere absolutionem à censuris; ac ita tenent Suar. *de censur. d.* 7. §. 7. *n.* 3. & 6. Sanch. *l. c. n.* 13. Mol. *l. c. n.* 3. &c. tenente nihilominus contrarium Castrop. *num.* 14. cum Henriq. *L.* 6. *de pœnit. c.* 9. *n.* 3. nimirum Clericum deficiente Sacerdote pro illo articulo id posse ac debere. Denique conditiones servandæ in absolutione ab Hæresi, alióve crimine reservato pro hoc articulo sunt satisfactio, si quæ facienda parti læsæ; Juramentum de obediendo Ecclesiæ; obligatio de comparendo coram reservante, de quarum singulis vide Castrop. *à n.* 15.

TITULUS VIII.

De Schismaticis & Ordinatis ab eis.

Quæst. 206. *Schisma quid sit & quotuplex?*

1. Resp. Ad primum: Schisma nomen Græcum, quod genericè acceptum, scissuram seu disruptionem Communionis alicujus significat, juxta *C. Schisma.* 24. *q.* 1. specificè, prout sumitur in præsenti, est & definitur: Separatio seu disjunctio, quâ quis se separat à Communione & unitate Ecclesiæ, quatenus ea una ac indivisa quò ad fidem, religionem, seu cultum divinum, subjectionem & subordinationem, respectu unius capitis Supremi, constans fidelibus tanquam membris, & Pontifice Romano legi-

legitimo veluti capiti visibili, corpus quoddam mysticum constituit, ut D. D. communiter cum D. Thom. 2. 2. *q.* 39. *a.* 1.

2. Resp. Ad Secundum: Schisma sic definitum complectitur adhuc Hæresim, ita, ut omnis Hæreticus sit Schismaticus, quatenus nimirum deserendo fidem, etiam quò ad unum articulum, utpote, quæ quò ad omne una est, separat se à præcipua Ecclesiæ unitate consistente in fide. Verùm non est purè Schismaticus, utpote qualis esse potest absque eo, quòd nullum fidei articulum neget, ut ex sequentibus constabit. Ac proinde Schisma dividitur in purum, & non purum, seu propriè tale, de quo in præsenti agitur, est, seu committitur, dum quis omnes fidei articulos, & inter hos supremam Pontificis potestatem & primatum in Ecclesia credens, ex malitia tamen Pontifici, quà tali, seu quà capiti Ecclesiæ & Christi, in terris Vicario subesse, ejusque mandatis & constitutionibus obedire detrectat, ac ita ipso facto non agnoscens illum, à communione cæterorum fidelium se segregat, & contra eundem, Ecclesiámque universalem cum eo conjunctam rebellat, uti contingit, evadítque Regnum, vel Provincia aliqua Schismatica, dum spretis Mandatis & Ordinationibus Pontificiis, proprium sibi Episcopum, seu Patriarcham communionem cum Apostolica Sede non habentem, cui in spiritualibus obediat, assumit; ita Suar. *de caritate. c.* 12. *s.* 1. *n.* 1. *& seq.* Valent. *d.* 3. *q.* 15. *p.* 1. *præcipuè propos.* 3. Sanch. *L.* 2. *in decal. c.* 36. *à n.* 1. Bonac. *d.* 3. *q.* 4. *de caritat. p. ult. §.* 1. *propos.* 5. Farin. &c. *de Hæresi. q.* 184. §. 1. *n.* 2. *&* 3. quos refert & sequitur Castrop. *tr.* 6. *d.* 4. *p.* 5. *n.* 2. Schisma non purum est, & committitur, quando quis præter sui à Pontifice & Ecclesia factam separationem jam descriptam negat articulum aliquem fidei, qualiter ordinariè & practicè loquendo, vix aliud hodiedum contingit, juxta illud *Can. Hæresim.* 24. *q.* 3. *cæterùm nullum Schisma non aliquam sibi confingit Hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur.*

3. De cætero ex dictis deducitur primò, Schisma purum propriè tale non esse, aut committi ab eo, qui primò Episcopi sui aliàs proprii spretâ authoritate, ab aliis ejusdem Diœcesis membris, eidem communicantibus & adhærentibus, separat se, modò Episcopus ille cum suis Diœcesanis à Pontifice & Ecclesia universali reliqua separatus non existat, in quo casu talis simpliciter quoque & propriè Schismaticus existeret, Sanch. *l. c. n.* 36. *n.* 6. Azor. *p.* 1. *l.* 8. *c.* 20. *q.* 4. Farinac. *l. c. n.* 27. *&* 30. Castrop. *l. c. n.* 6. Pirh. *h. t. num.* 3. *vers. colligitur.* 3. Secundò ab eo, qui huic personæ subesse & obedire recusat, quia eam probabiliter existimat, non esse Papam legitimum, nisi tamen Ecclesia communiter illum agnoscat pro legitimo, cùm non teneatur quis obedire Superiori, de quo non constat, moraliter certò esse legitimum Superiorem, unde etiam, dum aliquis in Pontificem electus, de cujus legitima electione non satis constat, sed prudenter dubitatur, Ecclesia universalis eum agnoscere, eique obedire non tenetur, quod dubium prudens, quia de privatis, vel etiam uno, alteróve Episcopo, cæterisque omnibus rectè non præsumitur, Schisma committere non videtur; ita Suar. Azor. Sanch. *ll. cit.* Castrop. *l. c. n.* 9. Tertiò, qui præcepto Pontificis non obedit, quia præceptum arduum, difficile, vel quia tale quid præcipere extra Pontificis potestatem videtur, vel in odium & vindictam illius, v. g. arma deponere, ablata restituere, cùm talis inobedientia consistat cum recognitione supremæ potestatis Papæ, tanquam capitis Ecclesiæ, ad obligandum ad similia, ne aliàs inobediens alicui præcepto Ecclesiæ censendus esset Schismaticus, Valent. *l. c. propos.* 3. Sanch. *l. c. n.* 3. Farin. *l. c. n.* 11. Azor. *l. c.* Cöninck. *d.* 3. *d.* 5. *n.* 42. Castrop. *l. c. n.* 7. Pirh. *l. c. vers. colligitur.* 2. cum D. Thom. *l. c.* multóque minus Schismaticus est, qui, eò quòd Dominium temporale illius in aliquam civitatem non recognoscat, mandatis ejus spectantibus ad hoc Dominium non obedit, quia per hoc non est separatus à capite Ecclesiæ, quà tali, Sanch. *cit. n.* 4. Castrop. *n.* 8. Quartò, Schismaticus propriè non est excommunicatus, quia non separat se ipsum ab unitate Ecclesiæ, sed separatur à communitate fidelium per Superiorem, seu authoritate Ecclesiæ. Bonac. Reginal. Farin. apud Castrop. *n.* 10. An verò constituatur quis propriè Schismaticus, quem Pontifex, citra quòd illum propriè excommunicaret, separaret ab unitate Ecclesiæ, notando illum in Sacramentis, reliquóque cultu divino communicare cum fidelibus, uti id Papam posse, sentit Castrop. *l. c. n.* 4. de eo, inquam, meritò dubitari potest, dum hoc ipso talis adhuc non separaretur à Pontifice, tanquam fidelium capite, ejusdémque obedientiæ volens subduceretur, quod ad Schisma requiritur, quamvis alii talem, qui volens se segregat solùm ab aliis Ecclesiæ membris, spirituales Ecclesiæ actiones exercendo, v. g. orando, Sacramenta recipiendo, non ut pars Ecclesiæ Catholicæ, sed seorsim ab illis, quasi esset totum quoddam separatum, pro verè Schismatico habere videantur, ut Pirh. *h. t. n.* 3. citatis Farin. & Sanch. cum etiam Castrop. *l. c. n.* 5. citatis pro hoc Valent. *d.* 3. *q.* 13. *p.* 1. *propos.* 5. Cöninck. *d.* 30. *n.* 4. dicat, de essentia Schismatis non esse separationem à Papa, sed sufficere separationem ab unitate, quam fideles inter se habent, cùm Schisma etiam committi possit, Sede Papali vacante.

Quæst. 207. *Quænam sint pœnæ Schismaticorum.*

1. Resp. Eas esse ferè sequentes: Prima excommunicatio; & quidem latæ sententiæ, seu ipso jure citra sententiam ferendam incurrenda, etsi enim olim de hoc postremo dubitatum fuerit, ut videre est apud Azor. *p.* 1. *L.* 8. *c.* 2. *q.* 6. Farina. *de Hæresi. q.* 184. *n.* 37. *&* 38. hodiedum de hoc constat ex Bulla Cœnæ. *clausul.* 1. *in fine.* ubi Pontifex: *Excommunicamus & anathematizamus Schismaticos, & eos, qui se à nostra & à Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt & recedunt &c.* ex quibus patet, illos vi Bullæ Cœnæ ipso jure excommunicatos esse, etsi Hæretici non sint, cujus contrarium erat olim vi juris communis, ac ita tenent Azor. *l. c. num.* 5. Sanch. *L.* 2. *mor. c.* 36. *n.* 11. *juncto n.* 14. Suar. *Tom.* 5. *de cens. d.* 21. *s.* 2. *n.* 18. *& de carit. d.* 12. *s.* 2. *in princ.* Castrop. *l. c. n.* 5. Verùm hanc excommunicationem non incurrunt, qui propriè Schismatici non sunt, v. g. qui ab obedientia Pontificis, quatenus est Christi Vicarius, supremúmque Ecclesiæ caput, pertinaciter, absolutè & generaliter non recedunt, etsi hìc & nunc ob causam aliquam ejus mandato non obediant, Azor. *l. c. q.* 5. Suar. *de cens. l. c. n.* 12. Sanch. *l. c. num.* 12. Bonac. *d.* 3. *q.* 4. *de carit. p. ult. §.* 5. *n.* 9. Castrop. *l. c. num.* 6. Pirh. *tr.* 5. *n.* 4. contra Tolet. *l.* 1. *c.* 19. *num.* 10. *&* 11. & Farin. apud Castrop. Sed neque excommunicationem hanc vi Bullæ Cœnæ incurrunt fautores, defensores, receptores Schismaticorum, sicut illam incurrunt fautores Hæreticorum, quia id in

dicta

dicta Bulla non exprimitur, in odiosis autem ultra proprietatem verborum non est facienda extensio, quo ad pœnas, Suar. *l. c. n.* 14. Sanch. *l. c. num.* 16. Pirh. *cit. n.* 4. *not.* 2. Castrop. *l. c. n.* 8. incurrunt tamen excommunicationem non reservatam Pontifici fautores Schismaticorum, per *c. licet. de elect. & C. Schismaticus. h. t. in* 6. & manifestiùs per *Constit.* Pauli IV. incipientem: *cum ex Apostolorum officio*; ita Decian. *tr. crim. L.* 5. *c.* 65. *n.* 6. Farin. *l. c. n.* 17. & 18. Castrop. *cit. n.* 8. De cætero ad hanc excommunicationem incurrendam sufficit, si quis opere externo ita se gerit, ac si Papæ non esset subjectus, nec Ecclesiæ pars, quamvis mente fidem retineat, & Papam ut Christi Vicarium, & Ecclesiæ caput agnoscat; licet aliud sit de Hæresi; cum Schisma solùm per actum externum perficiatur, Hæresis verò non nisi per actum internum, nempe intellectûs, Pirh. *cit. n.* 4. *not.* 2. Unde Catholicos in Anglia exteriùs profitentes, Regem esse caput Ecclesiæ, in spiritualibus esse verè Schismaticos, & incurrere hanc excommunicationem, credit idem citato Sanch. *l. c. n.* 14. quamvis addat, eam non incurrere illos, si Schisma mente solùm retineant; verùm si errorem illum mente concipiant, verèque sentiant, Regem esse tale caput, non sunt purè Schismatici, sed verè Hæretici, adeóque excommunicationem incurrunt.

2. Secunda Schismaticorum etiam purè talium pœna, tametsi esse nequeat privatio potestatis ordinis, si quem habeant, quippe quæ provenit à charactere, quo impresso nemo privari potest, & consequenter nec potestate, quæ est effectus illius, ac ita non impediri, quo minùs valide eâ utantur administrando Sacramenta, in pœnam tamen privantur licito ejus usu, cùm existentibus in Schismate licitum non sit, eâ potestate uti, ita juxta *c. ordinationes. 9. q.* 1. & cum communi Catholicorum S. Tho. 2. 2. *q.* 39. *a.* 3. Turrecrem. *L.* 4. *sum. p.* 1. *c.* 7. Valent. 2. 2. *d.* 3. *q.* 15. *p.* 3. Farin. *de Hæres. q.* 184. *n.* 43. Castrop. *tr.* 6. *d.* 4. *p.* 6. *n.* 1.

3. Tertia eorum pœna est privatio jurisdictionis ipso facto incursa, cùm is, qui se segregat ab Ecclesia, indignus sit retinere, uti & frui potestate jurisdictionis ecclesiasticæ; unde nec excommunicare, absolvere, indulgentias concedere, beneficia conferre, electos confirmare possunt, utpote quæ jurisdictionem requirunt, nisi aliunde ex communi errore ob titulum præsumptum jurisdictio illis concedatur. D. Thom. Valent. Castrop. Farin. *ll. cit.* Azor. *p.* 1. *L.* 8. *c.* 20. *q.* 9. & 12. Decian. *tr. crim. L.* 5. *c.* 67. *n.* 8. & *seq.* Porrò ut dicta privatio jurisdictionis locum habeat, Schismaticum debere esse manifestum, sive per sententiam, sive ex facto proprio, ita, ut non sufficiat, esse occultum, tenet Valent. *l. c. vers. tertia sententia.* tum quia textus hanc privationem imponentes, loquuntur de Hæreticis & Schismaticis publicis, & non de occultis; tum quia, quamdiu quis occultè Schismaticus est, cum Ecclesia communionem retinet, ac proinde ab ea jurisdictionem recipere potest, ita Valent. quin & post Concilium Constantiense nullum Schismaticum, nisi denuntiatum, privari jurisdictione, astruit Bonac. *d.* 3. *q.* 4. *de carit. p. ult.* § 6. *n.* 8. nihilominus potestate jurisdictionis ipso facto privari quemlibet Schismaticum (intellige purè talem, etiam occultum) cum D. Thom. *l. c.* tenent Turrecrem. *L.* 4. *Sum. p.* 2. *c.* 20. Castrop. *L.* 2. *de justa Hæret. punit. c.* 23. & 24. Azor. *l. c.* quam sententiam sibi magis placere, ait Castrop. *l. c. num.* 3. arg. *c.* 1. *h. t.* item *c. Novatianus.* 7. *q.* 1. *c. didicimus*, & *c. audivimus*, dum ibi expressè dicitur, ordinationes illorum esse irritas, & conferentem nihil habere juris & potestatis, extensâ etiam in *C. didicimus.* hac privatione ad omnes absolutè Schismaticos, quamvis addat Castrop. necessariam esse saltem declaratoriam sententiam criminis, ut istiusmodi privatio effectum habeat, ut aliàs dictum de Hæreticis, pro quo citat Suar. *l. c. d.* 12. *s.* 2. *n.* 2.

4. Quarta pœna illorum est inhabilitas eorum ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas, præsertim Episcopalem, obtinendas, prout constat ex *C. quia diligentia. de elect.* idque etiam post peractam pœnitentiam, & postquam abjurato Schismate ad unitatem Ecclesiæ reversi, nisi tunc supervenerit abjuranti dispensatio Pontificis, alteriúsve vices illius gerentis, prout quoque sumitur ex *cit. c. quia diligentia.* ubi expressè dicit Gl. aliquem ejurato Schismate in Episcopum electum fuisse, & nihilominus dispensatione eguisse, quod signum, absque hac remansisse inhabilem, ac ita docent Azor. *l. c. q.* 80. testans communi sensu receptam, Sanch. *L.* 2. *C.* 36. *n.* 18. Bonac. *l. c. p. ult.* §. 5. *n.* 20. Suar. *de censur. d.* 43. *s.* 2. *n.* 7. Farin. *q.* 164. *n.* 36. contra Decian. *l. c. L.* 5. *c.* 54. *n.* 15. Mandos. *in addit. ad repertor. inquisit. v. abjuratio. Lit. A.* talis autem vices Pontificis gerens, est Episcopus, ex Decreto Trid. *Sess.* 24. *C.* 6. concedente potestatem dispensandi in quacunque inhabilitate ad beneficia ex occulto delicto proveniente, Sanch. Bonac. *ll. cit.* Castrop. *l. c. n.* 13. quin & posse Episcopum cum Schismatico publico dispensare ad beneficia omnia præter Episcopatum & dignitatem exemptam, si dispensandus scienter non receperit à Schismatico, tenent Abb. *in c.* 2. *de Schism. n.* 7. Decian. *in c. quia diligentia. de electione.* & alii apud Castrop. *n.* 13. qui tamen hujus potestatis nullum exstare in jure fundamentum, sed talem dispensationem reservatam Papæ, ait cum Sanch. Bonac. Garc. sed & hac tamen dispensatione non egere Schismaticum occultum Ecclesiæ reconciliatum, cùm hæc pœna inhabilitatis non cuilibet Schismatico, sed publico & manifesto, non emendato & converso sit imposita, cum Garc. *de benef. p.* 11. *c.* 10. *n.* 162. idem dicente de Hæretico *num.* 83. probabilius censet Castrop. *num.* 14. De cætero, etsi Schismaticum privari quoque beneficiis ante Schisma habitis, censeant Rebuff. *in pr. beneficiorum. tit. de mod. amitt. benef.* Paris. *L.* 3. *de resign. q.* 1. *num.* 36. Farin. *de Hæresi. q.* 184. *n.* 42. arg. *c. nos consuetudinem.* 12. *dist.* & *c. unic. de Schism. in* 6. ubi *omnibus beneficiis perpetuò privantes, & inhabiles reddendo ad habenda*; probabilius tamen docere videntur Garc. *de benef. p.* 11. *c.* 10. *num.* 151. Sanch. *L.* 2. *C.* 36. *n.* 19. Bonac. *d.* 3. *q.* 4. *de caritate part. ult.* §. 5. *n.* 10. quos citat & sequitur Castrop. *l. c. num.* 15. Schisma non inducere privationem beneficiorum præhabitorum, si Schisma conjunctum non sit cum Hæresi, cùm citati textus loquantur de Hæreticis, & *c. unic. de Schismaticis* loquatur in casu speciali, quo postpositâ canonicâ electione alicujus Pontificis alius eligatur, quin & dicta constitutio *hujus cap.* & processûs ac sententiæ in eo latæ per Bonif. VIII. revocata per Benedict. XI. in *Extravag. dudum. unic. h. t. inter comm.* exceptis bonis Schismatici confiscatis, & jam aliis applicatis.

5. Quinta pœna illorum juxta Azor. *L.* 8. *c.* 20. *q.* 8. Pegna. *p.* 2. *director. inquisit. q.* 84. *comm.* 78. & alios est infamia & irregularitas. Verùm id probabiliùs negant Sanch. *L.* 2. *mor. C.* 36. *n.* 10. *in fine.* Suar. *de cens. d.* 43. *s.* 2. *n.* 7. Bonac. *l. c. n.* 12.

Castrop.

Castrop. *l. c. n.* 16. saltem de irregularitate speciali irrogata Schismatico in jure, quamvis admittant, Schismaticum notorium durante Schismate irregularem esse, irregularitate generali, proveniente ex crimine quocunque enormi notorio, quæ etiam irregularitas & infamia per pœnitentiam aboletur; ut iidem.

6. Sexta quasi pœna Schismatici est suspicio illius de Hæresi, & quidem, ut ait Castrop. *l. c. n.* 19. vehemens, eò quòd, licèt Schismaticus quis esse possit sine errore intellectûs, adeóque Hæresi, quia tamen id rarò contingit, omnis Schismaticus non solùm abjurare tenetur Schisma, sed etiam suspicionem Hæresis, Pegna. *l. c. comm.* 73. Ugol. *tr. de cens. Pontif. reserv. q.* 184. *in gloss. nec non Schismaticos.* Farin. *q.* 184. *n.* 35. Menoch. *de præsump. L.* 5. *præsump.* 6. *n.* 24. Castrop. *l. c.*

7. Sunt & aliæ pœnæ, quæ Schismaticis à Judice Ecclesiastico irrogari possunt, pro qualitate criminis, ut confiscatio bonorum, privatio officiorum, honorum &c. item pœna pecuniaria, exilium, carcer, triremes, imò & remissio brachii sæcularis, si sint pertinaces, ut colligitur ex *C. de Ligurib.* 23. *q.* 5. *C. non. vot.* 23. *q.* 5. *C. in unione Domini. dist.* 23. *cit. C. unic. h. t. in* 6. & tradunt Diaz. *in pract. c.* 112. *à n.* 1. Farin. *q.* 184. *n.* 51. Valent. *d.* 3. *p.* 15. *q.* 3. *vers. quintò, certum est.* Castrop. *l. c. n.* 20. ac denique irritatio actuum quorundam ab iis exercitorum, de quibus sit

Quæst. 208. *Num ordinationes à Schismaticis factæ, aliique actus & gesta per eos sint valida, & quam pœnam juris incurrant, qui Ordines ab iis receperunt.*

1. RESP. Primò: Juxta dicta *num.* 2. ordinationes seu collationes Ordinum, aliorúmque Sacramentorum, utpote dependentes à potestate sacramentali Ordinis, quam non amittunt, validè ab iis conferuntur, ita, ut verè characterem recipiant ab iis confirmati & ordinati, item templa, altaria, vasa sacra, ad usum divinum deputata, validè consecrant Episcopi Schismatici, ita, ut factam ab iis consecrationem repeti non sit necesse; item validè conficiunt Eucharistiam: non tamen licitè ea exercent, cùm ipso jure ab usu dictæ potestatis sacramentalis sint suspensi.

2. Resp. Secundò: Potestatem jurisdictionis spiritualis nec validè nec licitè exercere possunt, quia eâ privati ipso jure sic absolvere nequeunt ob hunc defectum jurisdictionis in pœnitentem à peccatis, nec leges ferre, indulgentias concedere, excommunicare, eligere, bona ecclesiastica alienare, Ecclesias unire, beneficia conferre, ita, ut hæc ab ipsis facta, ipso jure sint irrita, arg. *C. Novatianus.* 7. *q.* 1. *can. didicimus.* 24. *q.* 1. modò Schismatici sint notorii, aut etiam saltem nominatim denuntiati, juxta dicta *cit. num.* 2.

3. Resp. Tertiò: Recipientes scienter Ordines à Schismatico ipso jure sunt suspensi, & hinc repellendi, vi *c.* 2. *h. t.* ab exercitio seu usu acceptorum Ordinum, sicut & ipsi ordinantes, qui proinde hoc exercitium, quo ipsi carent, ipsis concedere non potuerunt vi collationis Ordinum. Porrò ad hunc effectum in recipiente Ordines producendum, requiritur quoque, ut Ordinans sit notoriè Schismaticus, publicéque ac nominatim, ut talis denuntiatus secundùm partem admodum probabilem, Azor. *l. c. q.* 11. Bonac. *n.* 13. Castrop. *n.* 18. Pirh. *h. t. n.* 10. De cætero cum eo, qui scienter, vel ex crassa & supina negligentia ordinatus est ab Episcopo Schismatico, solus Pontifex dispensare potest quò ad usum Ordinum, juxta dicta *n.* 4. arg. *C. quia diligentia. de elect.* & ibi Layman. *num.* 3. Pirh. *l. c.* cum eo verò, qui ex ignorantia inculpabili, quia probabiliter nescivit, Ordinantem fuisse Schismaticum, etiam Episcopus dispensare potest, Gl. *in c.* 2. *h. t. v. potestatem.* Abb. *ibidem. n.* 7.

TITULUS IX.

De Apostatis & Reiterantibus Baptisma.

Quæst. 209. *Apostasia quid & quotuplex?*

1. RESP. Primò: In genere vi nominis defectionem seu recessum à statu suscepto significans, hic aliquando contractiùs cum D. Thom. 2. 2. *q.* 12. *a.* 1. sumitur pro recessu à Deo, quod, quia fit tripliciter, nimirum recedendo vel à fide Christiana, vel à sacro Ordine, vel à Religione, seu Ordine religioso, quem quis professus; tres sunt Apostasiæ species: prima seu recessus à fide, (quæ propriissimè Apostasia est, dicta quoque à Gl. *in c.* 1. *h. t. v. Apostasia,* & communiter Apostasia perfidiæ est, quâ quis à fide Christiana penitus recedit, eámque totaliter deserit, transeundo ad Paganismum, vel Judæismum, vel Turcismum &c. efficitur Paganus, Judæus, vel Turca, *L.* 1. *& 2. c. de Apost. c. non potest.* 2. *q.* 7. Sylv. *v. Apostata. n.* 1. Farin. *tr. de Hæresi. q.* 183. §. 2. *n.* 13. cum communi. Differe proinde Apostata ab Hæretico non essentialiter, sed nominaliter & accidentaliter, quatenus Hæreticus deficit à fide solùm ex parte negando unum vel aliquos articulos fidei tantùm, qui recessus minor à fide speciem non mutat, neque enim Apostata desinit esse Hæreticus, unde etiam à fide vera Catholica transiens ad sectam aliquam Hæreticam, v. g. Lutheranam vel Calvinisticam, vulgo tantùm, & non propriè dicitur Apostata, nec pœnis contra Apostatas specialiter statutis subjacet, ut AA. communiter; est itaque proprium & essentiale Apostasiæ totalis recessus à vera fide semel suscepta, terminus verò, ad quem fit recessus, seu transitus, habet se in ea ut materiale & accidentale, etsi ratione illius constituatur triplex, vel etiam quadruplex infidelitas, nempe Atheismus, Paganismus seu Gentilismus, Judæismus, Turcismus, Sanch. *L.* 2. *mor. c.* 7. *n.* 16. *&* 17. Laym. *th. mor. L.* 2. *tr.* 2. *c.* 16. *n.* 1. *&* 2. Pirh. *h. t. num.* 2.

2. Secunda est Apostasia ab Ordine Clericali, qualis dicitur, dum quis in sacris Ordinibus (puta Subdiaconatu, Diaconatu, Sacerdotio) constitutus ad statum laicalem, vel etiam conjugalem, dimisso habitu clericali propriâ temeritate transit, Hostiens. *in sum. h. t. n.* 2. Sylv. *v. Apostasia. q.* 2. *n.* 5. Farin. *tr. de Hæres. q.* 183. §. 9. *n.* 115. Pirh. *h. t. num.* 4. cum communi. Dixi: *Constitutus in Ordinibus sacris*: siquidem recedendo à statu clericali suscepto

per receptionem ordinum minorum ad ſtatum laicalem non peccatur ſaltem graviter. Arg. *c. 1. de Cleric. conjug.* nec cogi poſſunt, ut ad ſtatum illum redeant, nec pœnis verorum Apoſtatarum ſubjacent, ut conſtat praxi & conſuetudine, & ita docent longè probabiliùs cum gl. in *c. tua. h. t. v. tolerandi.* Covar. *de ſponſ. p. 2. c. 9. §. 3. n. 2.* contra Gonz. *inc. 1. h. t. n. 5.* & alios, quin & licèt conſtitutus in minoribus beneficium eccleſiaſticum, vi cujus tonſuram & habitum clericalem deferre tenetur, habeat, dimiſſo beneficio, & conſequenter habitu clericali ſe etiam authoritate propriâ ad ſtatum ſæcularem ſeu laicalem conferat, apoſtaſiam propriè committere non videtur; Secus, ſi id faceret beneficio retento, ut Farin. *l. c. n.* 127. Sylv. Pirh. *ll. cit.*

3. Tertia eſt à religione, dum quis ſine licentia Superioris regularis, alteriúsque, qui eam concedere poteſt, ab ordine religioſo, quem profeſſus fuit, receſſit, ſine propoſito redeundi, ſive cum propoſito nunquam redeundi, Sylv. *v. Apoſtata. 9. q. 4.* Rodriq. *Tom. 1. q. 4. regul. q. 30. a. 1.* Laym. *l. 2. tr. 1. c. 16. n. 1.* Pirh. *h. t. n. 8.* dicitur primò: *Receſſit ſine licentia ſuperioris*, ſi enim receſſit à religione, ſeu liberatus à regulari obſervantia de ejuſdem licentia, V. G. legitimè translatus ad Epiſcopatum, non eſt apoſtata; dicitur ſecundò: *Ab ordine Religioſo*, intellige verè tali ſeu à religione approbata. Diſcedentes ſiquidem à pia aliqua communitate, quæ vera per Sedem Apoſtolicam approbata religio non eſt, & ſi juxta ſtatuta ſua novitiatum habeant, & tria vota ex devotione emittant, Apoſtatæ non ſunt, Sanch. *l. 6. c. 8. n. 7.* Tambur. *de jure Abb. Tom. 3. d. 8. q. 1. n. 4.* Reiffenſt. *h. t. n. 11.* Comprehenditur quoque ſinè ordine religioſo omnis ordo religioſus, ſiquidem deſerens ſuum ordinem, quem profeſſus & ipſo facto vel animo ingrediendi ad alium ordinem etiam laxiorem transgreditur, non eſt Apoſtata: etſi illicitè id fiat propter defectum licentiæ ſuperioris ad hoc, eò quòd à ſtatu religioſo ut ſic non deficiat, etſi deficiat ab hoc particulari, ſibique per ingreſſum reddito proprio ſtatu, habet enim voluntatem non relinquendi abſolutè ſtatum religioſum (quod ad Apoſtaſiam à religione requiritur) ſed commutandi ſtatum unius religionis in ſtatum alterius religionis, idque etiamſi talis commutatio non ſortiatur effectum, ſeu invalidè fiat talis transitus, cum id non impediat, quò minùs talis habuerit voluntatem vovendi in tali ſtatu, ac ita docent Sylv. *v. religio. 4. q. 4.* & *v. Apoſtaſia. q. 4. n. 9. & ibidem* ferè omnes Summiſtæ, item Cajet. *2. 2. q. 12. a. 1.* Roderiq. *l. c.* Azor. *p. 1. l. 12. c. 17. q. 7.* Leſſ. *l. 2. de reſtit. c. 41. diſ. 13. n. 102.* Sanch. *l. 6. ſum. c. 8. n. 8.* Reiffenſt. *h. t. n. 12.* aliique apud Caſtrop. *tr. 16. n. 6.* quorum ſententiam etſi ipſe communem dicat & probabiliſſimam, oppoſitam tamen ſatis probabilem & fortè veriorem aſſerit *n. 7.* citatque pro ea Suar. *Tom. 5. de cenſ. d. 31. ſ. 6. n. 4. & Tom. 4. de relig. tr. 8. l. 3. c. 12. à n. 17.* ex ea potiſſimùm ratione, quòd in eo caſu recedit omnino à ſtatu religioſo, dum à religione, in qua verè profeſſus, quantum eſt ex parte illius, recedit in perpetuum & aliam verè & propriè non aſſumit, quin & animum eam aſſumendi habere non poteſt, quia illa aſſumptio & commutatio eſt impoſſibilis, niſi fortè erroneè cenſeat illam eſſe poſſibilem, ſeu ad illam ſe validè transire poſſe; ad hæc talis tanquam verus apoſtata puniri poſſit, & non excuſetur ab apoſtaſia ob habitum alterius religionis invalidè aſſumptum, ut conſtat ex variorum Pontificum Bullis, nimirum Pauli III. incipiente: *licet debitum paſtoralis officii.* Pii V. editâ Anno 1565. incipiente: *æquum reputamus.* Gregor. XIII. incipiente: *dilecte fili &c.*

4. Dicitur tertiò, ſine animo ad ullam amplius religionem redeundi; ſi enim religionem ſuam etiam ſine licentia ſuperioris deſerat, animo & cauſâ ſolùm vagandi ad tempus extra religionem, cum propoſito redeundi aliquando ad illam, cenſendus quidem eſt fugitivus (de quo ut præciſè tali vide tractata à me ex profeſſo plures per quæſtiones, *l. 3. Decretal. tit. 31.*) non autem apoſtata, qualis tamen erit, ſi recedat ab omni ordine, cum propoſito nunquam redeundi ad ullum ordinem, ſive habitum religioſum retineat, ſive abjiciat, rerentio enim & objectio habitûs ſicut ſe habent tanquam quid accidentale ad ſubſtantiam religionis, ita etiam ad ſubſtantiam criminis apoſtaſiæ à religione, ut Sanch. *l. 2. mor. c. 8. n. 4.* Azor. *p. 1. l. 14. c. 17. q. 6.* Farin. *tr. de hæreſ. q. 183. §. 1. n. 62.* Pirh. *h. t. n. 8.*

Quæſt. 210. *Quænam ſint pœnæ Apoſtatarum?*

1. Reſp. Primò Apoſtatæ à fide incurrunt pœnas omnes, quas hæretici; cum omnes ſint verè hæretici, etſi non omnes hæretici ſint apoſtatæ. Abb. *in c. 1. h. t. n. 3.* Sanch. *l. 2. c. 7. n. 18.* Farin. *l. c. n. 19.* Azor. *p. 1. l. 7. c. 22. q. 2.* Reiffenſt. *h. t. n. 4.* cum communi & certa; juxta *c. contra. de hæret. in 6.* uti etiam juxta *idem c.* & communem, apoſtatarum fautores, receptores, defenſores, easdem pœnas incurrunt, quas fautores, receptores hæreticorum, quin & graviùs punitur apoſtaſia quàm ſimplex hæreſis, cùm eam malitiâ excedat, dum nimirum, quamdiu vivunt, ſemper & poſt mortem ad quinquennium accuſari & in ſuis puniri poſſunt, juxta *L. ſiquis. & l. Apoſtatarum c. de Apoſtat.* non ſuffragante eis pœnitentiâ uti hæreticis, juxta *Ci cum. C. eod.* ad hæc privantur impunitatis & libertatis privilegio conceſſo hæreticis in Tractatu pacis Oſnabrugenſis & Monaſterienſis, ita ut, ſive Catholicus, ſive hæreticus à fide Chriſtianâ totaliter deficiens tranſeat ad Judaiſmum, Mahometiſmum, Paganiſmum, omnibus pœnis contra apoſtatas & hæreticos ſtatutis ſubjaceret.

2. Reſp. Secundò pœnæ apoſtatarum ab ordine ſacro ſunt ferè ſequentes, prima, excommunicatio, non quidem latæ ſententiæ, ſed ferendæ, niſi Clericus in ſacris conſtitutus matrimonium contrahere præſumpſerit. Abb. *in c. 1. h. t. n. 3.* Menoch. *de arb. caſ. 14. n. 48.* Sanch. *de matrim. l. 7. d. 48. n. 1.* Pirh. *h. t. n. 5.* Arg. *c. 1. h. t. Clem. unic. de conſanguinit. & affinit.* Secunda eſt infamia, non quidem juris, ſed ipſo facto incurſa. Arg. *c. alieni. 2. q. 7. can. beatus. 3. q. 4.* Theſaur. *p. 2. de pœn. Eccleſ. v. Apoſtaſia. c. 4. n. 3.* vi cujus durante apoſtaſiâ repelluntur à quibuscunque dignitatibus, honoribus, officiis, ab accuſando, ferendo teſtimonio, aliisque actibus, à quibus infames arcentur. Menoch. *l. c.* Diaz. *in pract. crim. c. 115. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 5.* Tertia eſt irregularitas impropriè tamen dicta & orta ex infamia, quæ per pœnitentiam tollitur, niſi apoſtata contraxerit matrimonium; hoc enim inito & conſummato contrahit irregularitatem ortam ex bigamia ſimilitudinaria tollendam per diſpenſationem etiam ab Epiſcopo Clerico pœnitenti & emendato concedendam. Wieſtn. *h. t. n. 15.* juxta dici ſolita *l. 1. Decret. tit. 21.* Quarta apoſtatarum à Sacro ordine pœna eſt, amiſſio privilegii canonis, ita ut talem percutiens non incurrat excommunicationem latam. *Can. ſiquis ſuadente. 17. q. 4.*

in

in percussores Clericorum, pro ut sumitur ex *c. 1. h. t. & c. perpendimus. de sent. excomm.* ac præcipuè si ab Episcopo ter admoniti non resipiscant. Arg. *c. audientia. eod.* non tamen amittunt privilegium fori, ut Pirh. *h. t. n. 5.* Arg. *cit. c. 1.* Eadem est pœna apostatarum minùs propriè talium, nimirum deficientium ab Ordine Clericali non sacro, dum dimisso, ad quem tenentur, habitu Clericali moniti in hac sua Apostasia persistentes tanquam Laici conversantur. Pirh. Farin. *ll. cit.* possunt quoque Episcopi tales Apostatas, qui nec minis nec blanditiis induci volunt ad resumendum habitum clericalem, duro mancipare carceri, ita ut solùm misera illis vita reservetur, donec à sua nequitia resipiscant, juxta expressum textum *c. à nobis. h. t.* undè sequitur, quòd Jure Canonico carcer deservire possit & ad custodiam & ad pœnam. *c. quamvis. de pœnis in 6.* Abb. *incit. c. à nobis. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 7.* Porrò ut pœnæ hæ locum habeant, constare debet de Apostasia hac, si enim graviter solùm de ea infamati & suspecti sunt, deficiente probatione per censuram ecclesiasticam compellendi sunt ad Canonicè purgandum, juxta *c. tuæ. h. t.* quod si non fecerint, habentur pro confessis, & compellendi ad reassumendum habitum. Intelligendum id proinde de iis Apostatis, qui in ordine sacro constituti ad sæculum redire nequeunt, sicut possunt in minoribus constituti. Pirh. *h. t. n. 6.* cum gl. *in cit. c. tuæ. h. 2. v. tolerandi.*

3. Resp. Tertiò, tametsi pœnæ multæ aut censuræ apostasiæ ab ordine religioso veræ præcisè quà tali statutæ sint jure communi, ut rectè docent Navar. *comm. de regul.* Suar. *Tom. 4. de relig. tr. 8. l. 3. c. 1. n. 10.* Castrop. *tr. 16. d. 4. p. 16. n. 10.* Arg. Trid. *sess. 25. c. 4. de regular.* dum ibi loquens de temerè recedentibus à suis conventibus religiosis nullius pœnæ mentionem fecit, sed arbitrio superioris puniendos reliquit, jure tamen communi statutæ sunt ei pœnæ sequentes, si committatur apostasia dimisso habitu religioso, prima excommunicatio, & quidem ipso jure seu facto incurrenda in casu dimissi habitûs, aliàs eò retento non infligenda, ut docent cum gl. *in c. 2. ne Clerici vel monachi. in 6. v. ipso facto.* Azor. *l. c. c. 17. q. 6.* Menoch. *de Arb. cas. 546. n. 30.* Farin. *l. c. n. 107.* Wiestn. *h. t. n. 11.* Reiffenst. *n. 14.* qui etsi pro eadem sententia citet Sanch. *l. c. c. 8. n. 20.* is tamen cum gl. *in c. 1. de tempor. ordinat. in 6. v. Apostata.* in oppositum, nempe ipso jure, nunquam incurri ab apostata hanc excommunicationem tanquam probabiliùs citatur à Pirh. *n. 9.* idem tenente. Secunda pœna est suspensio ab usu Sacrorum Ordinum (non verò minorum) quos apostata durante apostasiâ suscepit. *C. fin. h. t.* durátque hæc suspensio post reditum ad Ordinem actámque pœnitentiam, ut ministrare nequeat in dictis ordinibus, donec Papa dispenset. *cit. c. fin.* Sed neque stante apostasiâ, & consequenter prohibitione executionis ordinis in ea suscepti, ad alium altiorem ascendere nequit. Sanch. *l. 6. sum. c. 8. n. 22.* Suar. *Tom. 5. de cens. d. 33. s. 6. n. 3.* Castrop. *l. c. n. 12.* juxta regulam desumptam ex *c. cùm illorum. de sent. excom.* majora intelliguntur prohibita, cui vetita minora, quam tamen suspensionem ab ascensu ad altiorem ordinem non esse impositam tanquam pœnam ob crimen Apostasiæ, sed ut impediatur crimen, quòd committitur recipiendo sacros Ordines in illo pravo & infami statu, notat Castrop. *l. c.* neque etiam imponitur suscipienti Ordines minores, quia *cit. c. fin.* expressè solùm loquitur de Ordinibus sacris, unde si in apostasia nullus susceptus est Ordo sacer, & hinc nulla contrahitur suspensio, apostatam redientem ad Ordinem citra dispensationem esse habilem ad suscipiendos quoscunque Ordines, & etiam ad exercendos susceptos extra Simoniam, tradunt Sanch. *l. c. n. 26.* Suar. *l. c.* & Tom. *4. de relig. l. 3. c. 1. n. 28.* apud Castrop. *l. c.* iis inhærentem. Quibus obstare non videtur *Extrav. seu Bulla* Pauli IV. quæ incipit: *Postquam divina bonitas &c.* in qua Apostatas à religione (credo persistentes in apostasia) suspendit Pontifex in perpetuum ab omni ecclesiastici Ordinis executione & ab omni gradu, omnibúsque beneficiis obtentis & eorum fructibus, inhabilésque reddit ad quoscunque gradus & beneficia imposterum obtinenda, eò quòd teste Sanch. *l. c. n. 30.* apud Castrop. *n. 13.* non careat probabilitate, eam Bullam non esse receptam.

4. Quarta pœna est, quòd apostata durante apostasia privatus existat privilegiis suæ religionis, juxta quod ait Trident. *sess. 25. de regul. c. 19.* ubi: *interim verò nullo privilegio suæ religionis juvetur*, de cætero certum, posse Prælatos religionis dictos apostatas, uti & fugitivos capere & incarcerare, aliísque desuper pœnis afficere, ut resipiscant, sintque aliis in exemplum, juxta *c. à nobis. hoc tit.* fierique posse hanc capturam etiam extra proprium territorium, cùm servum fugientem possit Dominus ubicunque capere & in carcere detinere, & tanquam rem propriam usurpatam recuperare, ut latè Navar. *comm. 3. de regul. n. 50.* Et hæc de pœnis jure communi statutis aut infligendis apostatis verè talibus, quales sunt, quicunque post edita religionis vota subsilantialia, etsi non solennia, ut in aliis religionibus, sed simplicia (ut sunt, quæ in Societate Jesu post expletum novitiatum emittuntur) temerè à religione recedunt animo ad eam non redeundi, ut constat ex constit. Gregor. XIII. edita Anno 1558. & incipiente: *Ascendente.* non verò, qui post vota pauperatis, castitatis, obedientiæ, ex devotione in novitiatu edita à novitiatu recedunt, cùm per talia non constituantur religiosi, ut Tamb. *de jure. Abb. Tom. 3. d. 8. q. 1. n. 3.* Sanch. *l. c. n. 6.* cum communi, neque qui post edita religionis vota ob culpam à superiore à religione ejecti sine animo redeundi vitam sæcularem ducunt. Less. *de Just. c. 4. n. 109.* Pirh. *h. t. n. 8.* neque sine venia cum animo, diu, v. g. ad tres annos vel quatuor, absque animo tamen non redeundi, recedentes, etsi propter diuturnam talem evagationem hunc animum redeundi amisisse censeantur, perindeque habeantur, ac si nunquam eum habuissent. Arg. *L. qui cum uno. §. 13. ff. de re milit.* juncta gl. *v. remansores*, non solùm pro foro interno, sed & externo, si animum redeundi probare possunt, apostatæ verè non sunt, nec tales habendi, adeóque nec pœnis eorum subjecti, sed solùm fugitivi. Less. *l. c.* Clar. *§. fin. q. 78. n. 4.* Farin. *cit. q. 183. n. 63.* Castrop. *l. c. n. 4.* si verò spectentur speciales religionum constitutiones & privilegia, sicut plures habentur in iis pro veris apostatis, ut videre est apud Reiffenst. *h. t. à n. 17.* ita etiam speciales iis statutæ pœnæ, aliáque circa capturam & incarcerationem eorum, de quo vide Rodriq. *Tom. 1. regul. 99. q. 30. a. 6.* & sic in specie pro Societate Jesu concessit Pius V. ut Præpositus Generalis aliíque Superiores possint recedentes post vota biennii summariè sine figura judicii capere & incarcerare, debitísque pœnis afficere, ubicunque sint, sive in sæculo, sive in alia religione, invocato etiam brachio sæculari, de quo vide *compend. privileg. Societ. v. Apostasia. §. 5.*

Quæst. 211. *Quinam intelligantur hic per rebaptizantes seu iterantes baptismum?*

Resp. Intelliguntur, qui ritè semel baptizatos absolutè & scienter sæpiùs quàm semel baptizant, & hinc anabaptistæ dicuntur, & gravissimum Sacrilegium, immanissimum scelus & inexpiabile faciunt & committunt, ut dicitur *Can. rebaptizare* 108. & *Can.* 112. *de consecrat.* quia rite collatus baptismus indelebilem characterem imprimit, & hinc iterabilis, juxta quod definivit Florent. in *Decret. unionis.* §. 5. & Trid. *sess.* 6. *c.* 9. & *sess.* 14. *c.* 2. *de Sacrament. in gen.* & *can.* 11. *de baptismo.*

Quæst. 212. *Quæ poena rebaptizantium & scienter rebaptizatorum?*

1. Resp. Primò, Jure Civili afficiuntur ultimo supplicio. *l.* 1. & 2. *c. ne sanctum Baptisma iter.*

2. Resp. Secundò, qui Jure Canonico scienter vel etiam per ignorantiam crassam & moraliter culpabiliter rebaptizat absolutè aliquem semel baptizatum, irregularitatem incurrit. *C. confirmandum. dist.* 50. *C. Afror. d.* 78. *can. qui in qualibet.* 1. 4. 7. *c. ex literarum, h. t.* Barbos. *ibid. n.* 2. Navar. *in man. c.* 27. *n.* 246. ita ut ad ordines saltem majores promoveri nequeat. Diaz. *pract. crim. v. rebaptizati. c.* 15. 1. & *v. ordinandi Lit. B.* Pirh. *h. t. n.* 13. idque, ut idem cum Navar. *l. c.* & aliis communiter apud Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *c.* 2. *n.* 1. indubitatum, si delictum publicum & notorium; secus tamen, seu non incurritur irregularitas hæc à rebaptizante sub conditione, si baptizatus non est, licèt temerè & sine sufficiente inquisitione hujus conditionis rebaptizet, quia conditio appositа de præsente vel præterito, si subsit, impedit actum rebaptizandi, neque talis habet intentionem iterandi baptismum, si jam baptizatus, & quòd si fuit baptizatus, non iteratur baptismus, sed primò confertur, ita Navar. Laym. Pirh. *ll. cit.* de cætero extenditur irregularitas hæc ad eos, qui rebaptizanti ministrant, ut Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, juxta citatum *c. ex literarum*, ita ut ad Ordines superiores ascendere nequeant, & ipsi, si crimen est notorium; quin & extenditur ad alios ministrantes, quia non respectu solius Acolythi quà talis, sed ratione ministerii ex officio præstiti incurritur hæc irregularitas. Reiffenst. *h. t. n.* 36. secus tamen hic iterum est de ministrantibus rebaptizanti ex ignorantia, baptizandum esse baptizatum, modò ignorantia non sit crassa; quia irregularitas hæc incurritur propter delictum, adeoque ubi id propter ignorantiam abest, non incurritur. Scot. *in* 4. *dist.* 6. *q.* 8. Laym. *l. c.* & alii, quos refert Reiffenst. *n.* 38. his non obstante *can. qui bis dist.* 4. *de consecrat.* dum ibi dicitur; qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quod secundum Canones ordinari non possunt, nisi magna necessitas cogat, nam *can. is.* vim legis non habet, cùm nec à Papa, nec ab aliquo Concilio proveniat, sed sumptus ex pœnitentiali Theodori, ut notant Pirh. *n.* 16. Reiffenst. *n.* 39. ex Covar. quem posterior malè citat, citandum rectiùs in *Clem. furiosus. in relect. p.* 1. *n.* 8. neque *Can. qui in quacunque.* 1. *q.* 2. ubi, qui *in quacunque ætate* (adeoque etiam infantes) *alibi quam in Ecclesia Catholica baptizati aut rebaptizati sunt, ad ecclesiasticam militiam prorsus non permittantur accedere*: nam ibi sermo est de ætate discreta & doli capace, ut cum gl. *ibid. v. ætate*, Pirh. Reiffenst. *ll. cit.* & pro ut constat ex *c.* 3. & *seq. caus.* 1. *q.* 4. ubi expressè, quòd parvuli ab hæreticis baptizati, si postea conversi fuerint ad Ecclesiam, ad ordines promoveri possint, additâ etiam ratione, quia suo id non fecerunt judicio. Sed neque ignoranter rebaptizatus, dum postea scienter id ratum habeat, fit irregularis, cùm ratihabitio comparetur mandato, quò ad culpam, non quò ad pœnas juris, nisi id exprimatur, Pirh. *l. c.* cum Avila *de cens. p.* 7. *d.* 7. *dis.* 2. *concl.* 3. Porro in irregularitate hac verè contracta solus Papa dispensat, si delictum est publicum *c.* 2. *h. t.* & *ibi.* Barbos. *n.* 7. Diaz. *l. c. lit. B.* Pirh. *l. c.* Reiffenst. *n.* 40. si verò delictum occultum, dispensare potest Episcopus, vigore Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 6.

Quæst. 213. *Num dictam irregularitatem incurrat iterato scienter conferens alicui Sacramentum confirmationis, aut illud suscipiens?*

Resp. Negativè; cùm irregularitas nunquam incurratur, nisi in jure expressa reperiatur, *C. si qui. de sent. excom. in* 6. in jure autem nullibi statuta iteranti Sacramentum confirmationis. Covar. Diaz. *ll. cit.* Pirh. *n.* 17. contra Navar. *in man. c.* 27. *n.* 146. Quatenus dicit contrarium consuetudine observari. His non obstante, quòd *c. dictum. dist.* 5. *de consecrat.* æqualiter prohibeatur iteratio tam confirmationis quàm baptismi, siquidem pœnæ extendendæ non sunt à casu ad casum, etsi uterque prohibitus sit.

TITULUS X.

De his, qui Filios occiderunt.

Quæst. 214. *Quinam veniant hoc titulo?*

Resp. tametsi hujus tit. rubrica exprimat solùm, qui filios occidunt, veniunt tamen parricidæ omnes, tam propriè, quàm minùs propriè tales. Parricidæ propriè tales dicuntur & sunt, primò, si etymon nominis spectes, qui proprium patrem vel matrem occidunt. *l.* 1. *ff. ad leg. Pompeiam de parricid.* ubi, quod sit patris excidium vel cædes, idque, etiamsi occidatur pater naturalis tantùm, & non legitimus, consideratur enim substantia filiationis, & non qualitas. Clar. *l.* 5. *sent.* §. *parricidium. n.* 2. Farin. *pr. crim. p.* 5. *q.* 120. *sect.* 5. *n.* 105. Alex. *in L. ex facto.* §. *si quis rogat. ff. ad S. C. Trebell.* Pirh. *h. t. n.* 1. Extenditur hoc nomen etiam propriè ad eos, qui avum vel aviam aliósque quoscunque ascendentes in infinitum occiderunt; quia veniunt parentum nomine, quin & postea nomen & pœna parricidii propriè applicata iis, qui filios aut nepotes ex filio aut filia descendentésque ex linea recta occiderunt. *cit. l.* 1. & *ibi* gl. *v. filium.* Farin. *l. c. n.* 108. & 109. quo etiam reducit cum citato à se Farin. *n.* 111. Pirh. vitricum & novercam occidentes, privignum vel privignam, quamvis hi ab aliis ad parricidas minùs propriè reducantur. Parricidium verò minùs propriè & largiùs loquendo, est & dicitur quodvis homicidium cujusvis consanguinei, etiam collateralis, vel

vel etiam affinis, puta, fratris, sororis, patruelis, patrui, avunculi, amitæ, consobrini, generi, soceri, uxoris, mariti, pro ut hi enumerantur *cit. L. 1. ff. ad Leg. Pompejam de parricid.* item Sponsæ & Sponsi, *L. 3. ff. ad Leg. Pomp.* Gl. *ibid. v. in part.* Farin. *l. c. n. 132.* Pirh. *l. c.* Reiffenst. *h. t. num. 4.* Item Patroni vel Patronæ. *cit. L. 1.* & *ibid.* Gl. *v. Patronum.* Farin. *num. 113.* Pirh. *l. c.* Item extenditur nomen & pœna parricidii, ad eos, quorum mandato commissum. Farin. *num. 136.* item cujus dolo id factum. *cit. L. 1.* Item qui ad illud consilium & auxilium præstitit, omnesque consci & participes hujus criminis. Host. *in sum. h. t. n. 1.* Farin. *num. 139.*

Quæst. 215. Quænam Pœna parricidii?

1. REsp. Primò: Pœna Parricidii propriè talis, nimirum eorum, qui parentem vel prolem, avum vel aviam (vel etiam, ut extendit Gl. *in L. penult. ff. ad Leg. Pomp. v. & aviam.* personas ascendentes & descendentes lineæ rectæ) occiderunt, Jure Civili scilicet, *cit. Leg. penult. L. unica. c. de his, qui parent. v. fil. occid.* & expressa §. 6. *Instit. de publ. jud.* erat ut culeo, id est, Sacco coriacio vivi unà cum cane, gallo gallinaceo, vipera & Simia insuti in mare vel flumen vicinum conjicerentur. Verùm ob periculum desperationis sublatâ hodiedum crudeli hac pœnâ (exceptâ Hispaniâ, in qua teste Gomez. *L. 3. var. resol. c. 3. n. 4.* adhuc vigere dicitur) eidem successit juxta *constit. crim.* Caroli V. *a. 131.* pœna, ut mater (idem est de aliis similibus Parricidis, v. g. patre, ut Reiffenst. *h. t. num. 6.*) viva in terram defoderetur, perque ejus corpus stipes seu palus transfigeretur, aut ad evitandam desperationem aquis suffocaretur. Verùm & hæc pœna usu & consuetudine sublata, pœnæ aliæ præter ultimum supplicium pro diversitate circumstantiarum arbitrio Judicis, consuetudine locorum, vel legum municipalium exasperandæ vel mitigandæ sunt subrogatæ. Sic alicubi ad caudam equi alligati trahuntur, rotæ affiguntur confractis etiam per totum corpus eorundem membris, de quibus vid. Clar. *l. c. n. 5.* Farin. *cit. q. 120. s. 1. n. 12.* quod idem etiam in Parricidio impropriè tali servatur, dùm circumstantiæ atrociores sic exigunt, v. g. ut prius forcipibus candentibus aduratur, qui conjugem aut consanguineum proximiorem occidit, dum aliàs simplici homicidio simplex & ordinarium supplicium statuitur.

2. Resp. Secundò: Jure Canonico, quo nulla pœna corporalis parricidii statuitur, ii qui parentes occidunt, per annum Ecclesiam ingredi non debent, nec per tres annos Sacramenta percipere, nec carnes comedere, nec vinum bibere, & singulis Hebdomadis ter jejunare, per pedes itinera conficere, aliàque præstare, & ab aliis abstinere debent. per C. *laborem. 33. q. 2.* & *c. 1. h. t.* cujus textum per extensum inducit Reiffenst. *num. 8.* Verùm constitutiones illæ solùm locum habebant in foro animæ seu interno conscientiæ, ut satisfieret Deo, non verò in foro contentioso seu externo, ut Abb. *in cit. c. laborem. num. 30.* Sed neque modò ampliùs sunt in usu. Unde Judex Ecclesiasticus parricidam Laicum jurisdictioni suæ temporali subjectum illicò remittere debet Judici Sæculari ab eo pœnis legum civilium puniendum, Clericum verò priùs depositum & degradatum, nullâ expectatâ corrigibilitate, Curiæ seu Magistratui Sæculari tradere. Farin. *cit. q. 120. n. 21.* Pirh. *h. t. num. 5.*

Quæst. 216. Quid sit circa infantes, qui mortui reperiuntur, cum patre & matre cubantes in eodem lecto?

REsp. imprimis de Jure Canonico juxta, *c. consuluisti. 2. q. 5.* monendi & protestandi sunt parentes, ne tenellos infantes secum in eodem lecto collocent, ne qualibet negligentia proveniente suffocentur aut opprimantur, unde ipsi rei homicidii inveniantur, dein si mortui reperiantur, & aliquis parentum ex istiusmodi simul cubatione culpabiliter reus probetur, aut talem se fateatur, utique pœnâ Homicidarum puniendus, cum, ut dicitur *cit. c. consuluisti.* si ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est, quantò magis, qui unius saltem diei pueruluum peremerit, Homicidam se esse excusare nequibit. Si autem nesciatur, cujus culpâ, matris vel patris, mors infantis contigerit, citra tamen utriusque intentionem, sine pœna tamen esse non debent, sed trium annorum, quorum unus in pane & aqua transigendus, pœnitentia illis imponenda, juxta *c. ult. h. t.* eo quòd, etsi mortem infantis non intenderint aut prævideriint, mortis tamen periculo illum exposuerint, contra prohibitionem & monitionem collocando illum secum in eodem lecto, verùm hanc etiam pœnitentiam non ampliùs in usu esse, sed pœnitentiam etiam arbitrio Judicis vel discreti Sacerdotis (intellige Confessarii) injungendam testantur & tenent Abb. *in c. fin. h. t. in fine.* Decian. *pr. Crim. L. 9. c. 8. num. 20.* Menoch. *de Arb. L. 2. q. 356. num. 61.* Pirh. *h. t. num. 8.* si etiam talis recubatio & exinde secuta oppressio infantis caret omni culpâ, ut contingere potest, juxta Barbos. *in c. fin. h. t. num. 2.* quem refert Reiffenst. *h. t. n. 11.* si lectus latus est, & puer implacabilis, aut fortè à frigore defendi nequit, &c. cessat omnis pœna.

Quæst. 217. Quæ specialiter statutæ pœnæ procurantibus abortum?

1. REsp. Primò: Mater procurans abortum fœtûs animati; eumque vel in utero necat, vel vivum expellens perimit, verum parricidium committit, pœnarumque jure civili parricidis statutarum est rea, *L. Cicero. ff. de pœnit.* Constit. Caroli V. *q. 133.* ubi specialiter ei pœna capitalis irrogatur, si verò fœtus nondum animatus fuit, Jure Civili non infligitur pœna ultimi supplicii, sed arbitraria Judicis, v. g. exilii, fustigationis. Menoch. *de arb. cas. 357.* Clar. §. 5. *q. 68. n. 2.* Arg. *L. mulierem ff. ad Leg. Cornel.* & *vit. L. Cicero.* & *cit.* Constitut. Carolina.

2. Resp. Secundò: Jure Ecclesiastico gravissimæ pœnæ statutæ contra quoscunque, sive directè, sive indirectè procurantes abortum, præcipuè per Constit. Sixti V. *ad effrænatam.* dicti Pontificis 87. quam, quia digna lectu, per extensum hic inducit Reiffenst. *à num. 16.* eandemque, etsi moderaverit Gregor. XIV. in sua Bulla, incipiente: *Sedes Apostolica*, non nisi circa absolutionem ab excommunicatione, & circa procurantes directè vel indirectè abortum nondum animatum, in cæteris tamen reliquisse in suo vigore, tenere omnes testatur Sporer. *in Theolog. Sacram. p. 4. c. 4. s. 2. num. 714.* apud Reiffenst. *h. t. num. 19.* eandem Bullam Gregor. verbotenus fusè inducentem. Sic itaque directè vel indirectè per se vel per alium quocunque modo, etiam præstando consilium, auxilium, favorem incurrunt pœnas utroque jure statutas contra homicidas & in specie Jure Ecclesiastico contrahunt irregularitatem, excommunica-

tionem ipso facto, privationem privilegii clericalis, inhabilitatem ad omnia officia & beneficia, tam simplicia quàm curata, & privationem ipso facto habitorum, &, si Clerici sunt, depositionem, degradationem, & traditionem curiæ sæcularis. Et quidem pœnas irregularitatis, excommunicationis, inhabilitatis ad beneficia obligare in foro conscientiæ ante omnem Judicis sententiam, etsi crimen sit occultum, astruit Reiffenst *num.* 20. pœna verò privationis beneficii priùs habiti, quia executionem externam requirit, sententiam Judicis saltem declaratoriam criminis exposcit; ut Idem. & pœnæ degradationis & traditionis Curiæ Sæculari locum non habet, quamdiu delictum est occultum. Quodque spectat excommunicationem, quæ vi Bullæ Sixti V. strictissimè reservata, ab ea vi Bulla Gregor. absolvere potest Episcopus, & quilibet ab eo specialiter deputatus. Ab irregularitate verò, inhabilitate ad beneficia & privatione beneficiorum dispensare nequit Episcopus. Reiffenst. *num.* 22. contra Sporer. *l. c. n.* 722. *ad finem.* non suffragante in hoc Episcopis Tridentino. *sess.* 24. *de reformat. c.* 6. cum ibi solùm concedatur illis facultas dispensandi in irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus (excepto proveniente ex homicidio) non autem in aliis pœnis statutis Lege Pontificia, dum delictum est publicum. ita Reiffenst. *num.* 24.

TITULUS XI.

De Infantibus & Languidis expositis.

Quæst. 218. *Quinam hic intelligantur per infantes & languidos expositos?*

Resp. Per infantes intelligitur proles recens nata vel septennio minor, quæ à parentibus vel ab aliis, ipsis scientibus, & non contradicentibus, vel postea ratum habentibus, exponitur & derelinquitur ad hoc, ut vel omni alimento & auxilio carens pereat, vel ab aliis alenda & educanda assumatur. Per languidos intelliguntur omnes, qui gravi & diuturnâ, præsertim perpetuâ & incurabili detinentur infirmitate, per quam ad labores, quæcunque negotia, res gerendas, & alimenta quærenda inhabiles sunt, cujuscunque sint ætatis. Barb. *in c. unicum. h. t. num.* 3. Arg. *L. morbus. ff de V. S.* & ex illo *Joan. c.* 5. *respondit ei languidus: hominem non habeo.*

Quæst 219. *An & quando peccent, aut non peccent, qui infantes exponunt?*

1. Resp. Primò: Gravissimè ordinariè peccant parentes exponendo filios, dum eos commodè alere possunt, cùm eos necare censeantur, ut dicitur *L. necare. ff de agnoscend. & alend. liber.* & *c. ult. dist.* 87. idque non tantùm, si fiat, ut pereant, quia talis expositio vero homicidio æquiparatur, Arg. *cit. L. necare, junct. L.* 2. *C. h. t.* sed etiam, si fiat, ut ab aliis educandi assumantur, *C. unic. h. t. cit. L. necare. L.* 2. *& 3. c. h. t. juncta Novell* 153. ubi expositio infantum universaliter vocatur crimen à sensu humano alienum, ex ea ratione, quòd licèt mortem prolis non intendant, videantur tamen, quantùm in ipsis est, eam occidere, hoc ipso, quòd alimentis destitutam periculo mortis exponant, ignari, num aliquis futurus, qui prolem, antequam moriatur, assumat & alat. Reiffenst. *h. t. n.* 4. juxta jura cit. & *can. pascc. dist.* 86. & *can. fin. d.* 87. His non obstantibus, quòd expositio fiat ad declinandam infamiam, ad quam declinandam non tantùm prolis, sed & propriam vitam periculo exponere licet. Arg. *L. isti quidem. ff quod metûs caus.* Nam licèt ad declinandam propriam infamiam liceat, propriam vel alterius vitam contra injustum violatorem illius periculo exponere, non tamen illius, cujus occasione & intuitu, dum is innocens est, justa fama læditur, uti in præsenti casu, quia nemo injustè lædit matris illicitè imprægnatæ famam, sed ipsa unà cùm corpore famam & honorem suum prostituit, dum prolem naturaliter nascituram & inde orituram suam infamiam prævidere debuisset. Unde non magis ad illam tuendam licebit innocentem infantem periculo vitæ exponere, quàm liceat ad infamiam declinandam abortum animatum procurare, aut etiam infantem natum occidere, sive propriis manibus, sive subtractione alimentorum per dictam expositionem.

2. Resp. Secundò: Dantur nihilominus casus, in quibus infantum expositio vacat culpâ & pœnâ, dum v. g. parentes ob summam egestatem aliámve justam causam alere non valentes prolem, eam exponant tali tempore & loco, ubi certum est, illam ab aliis assumendam & educandam, nullúmque interea mortis periculum subituram, uti contingit in civitatibus & locis, ubi pro hujusmodi expositis specialiter erecta habentur Xenodochia aut Orphanotrophia. Barb. *de off. & potest. Episc. allegat.* § 1. *num.* 147. Gonz. *in c. unic. h. t. num.* 10. *in fine.* Reiffenst. *h. t. n.* 6.

Quæst. 220. *Quæ pœna exponentium infantes?*

1. Resp. Primò: Exponentes eos in loco deserto, aut tali loco vel modo, ut mortem eorum prudenter prævidere debuissent, etsi eam non intenderint, ipsáque mors sequatur, Jure Civili puniuntur ultimo supplicio Arg. *cit. L. necare,* Bartol. *ibidem.* & *constit. crimin. Carolin. a.* 132. & *ibidem.* Blumbacher. *num.* 1. citatus à Reiffenst. *num.* 7. Si tamen infans tali loco depositus (citra tamen intentionem mortis) repertus fuerit adhuc vivus, pœnâ non quidem ultimi supplicii, sed aliâ quadam corporali afficiendus parens directè aut indirectè exponens, prout sumitur ex *cit. constit. Carolin. l. c.* & tradit Carpzov. *in pract. crimin. p.* 1. *q.* 10. *num.* 11. Idem dicens de expósito in via frequentata prætereuntium misericordiæ & charitati in circumstantiis carentibus periculo mortis, si nihilominus ibi mortuus reperiatur. Item de expósito in via communi & publica, aut Ecclesia frequentata citra periculum mortis, etiam, si vivus repertus.

2. Resp. Secundò: Altera pœna parentis infantem exponentis aut in expositionem consentientis, eandémve ratihabentis est, quòd ipso facto amittat patriam potestatem, nec nomen patris vel matris ampliùs retineat, nisi in quantum infanti favorabile est, ita ut hic semper alimenta à parentibus exponentibus petere possit, & iis succedere, non item hi vicissim ab eo. *c. unic. h. t. L.* 2. 3. 4. *c. eod.* ex ea ratione, quòd parens censeatur habere illum

illum pro derelicto. *L. fin. ff. pro derelicto.* Idem de servis languidis, dum his expositis, cujuscunque sint ætatis, impiè alimenta negantur. Ita ut & hi ipso facto in libertatem & ingenuitatem asserti sui juris efficiantur, nec ampliùs à Domino dici possint sui, *cit. c. unic. h. t.* Gl. *ibidem. v. languidis.* Porrò dicta constitutio de parentibus negantibus alimenta filiis (intellige de cætero in infantia non expositis) intelligenda, non de filiis etiam valentibus & sanis, sed solùm de languentibus & infirmis cujuscunque ætatis, quia gravius delictum est negare iis languidis quàm sanis alimenta, adeóque pœna ab uno delicto ad levius aliud extendenda non est, & pœnæ mitiùs interpretandæ. Pirh. *in c. unic. h. t. n.* 3. citans Abb. *ibidem. num.* 2. Azor. *p.* 2. *L.* 2. *c.* 26. *q.* 1.

Quæst. 221. *A quo alimentandi & educandi infantes expositi, quorum parentes ignorantur? & quid juris aut oneris accrescat ex Obligatione vel Charitate expositum assumentibus & educantibus?*

1. RESp. ad Primum: Si in loco, ubi repertus expositus, existant Hospitalia vel Orphanotrophia pro hujusmodi expositis specialiter erecta, in iis recipi, eorúmque reditibus ali & educari debent, usque dum idonei ad panem lucrandum evadant. Ubi verò talia loca non exstant, nullûsque de populo gratis infantem talem educandum susscipere vult, Ecclesia aut Rector illius, vel si ea ad id sufficientes reditus non habet, communitas, in qua expositi reperiuntur, eos alimentare & educare debet; cùm reditus Ecclesiastici sint patrimonium Christi & pauperum, Rectores Ecclesiarum tali expositò pauperculo aliis mediis destituto præ aliis de dictis reditibus succurrere tenentur; ita Abb. *in c. unic. h. t. num.* 3. Barb. *ibidem. num.* 4. Surdus *de alim. tit.* 1. *q.* 9. Reiffenst. *h. t. num.* 12. cum communi. Communitatem quoque deficientibus reditibus Ecclesiæ ad hoc teneri, patet ex eo, quòd omnes & singuli in extrema necessitate constituto teneantur succurrere, adeóque & proportionaliter singula communitatis membra, quin &, si communitas id negligat, quilibet adhuc in solidum subvenire tenetur, pro ut Theologi. Porrò susceptionem & alimentationem infantis expositi subit locus, in quo constat eum natum & baptizatum, si is est Originarius & Domiciliaris, in quo parentes stabilem Sedem habuerunt, proinde illuc infantem remitti posse existimat Zypæus *consult. can. ad h. t. num.* 7. apud Wiestn. *h. t. num.* 7. Si verò locus ille non est originarius, sed proles ex matre vagabunda illac transeunte nata & baptizata, verius existimat Wiestn. *num.* 8. ad illum locum non remittendam prolem, sed in loco expositionis alendam. Vide eundem de hoc pluribus.

2. Resp. ad Secundùm, qui infantem vel languidum suscipit, aut sustentat, nihil propterea juris in ejus personam acquirit. Gonz. *in cit. c. unicum. n.* 8. Tholosan. *L.* 11. *Syntag. c.* 13. *n.* 3. Wiestn. *h. t. num.* 5. juxta clarum textum *cit. c. unic. L. Sancimus, c. eod. L. nemini. de Episcopal. aud.* & ex ea ratione, ne infans innocens alienâ impietate fortè amittat libertatem. AA. iidem. Id tamen juris acquirit susspiciens & educans expositum, ut eidem (exclusis etiam Fisco, parentibus, consanguineis tanquam indignis) ab intestato succedat, si absque descendentibus decedens bona temporalia reliquit quandoque expositus, Surdus *de alim. tit.* 16. *q.* 18. *num.* 19. & quem pro hoc citat Reiffenst. *n.* 18. Engel. *h. t. num.* 4. Arg. *Novell.* 115. *c.* 3.

3. Resp. ad Tertium: Sed neque gravanda sunt refusione expensarum factarum in alimentationem expositi Xenodochia, Orphanotrophia similiáque loca misericordiæ & pietatis causâ in hunc finem exstructa & fundata. Azor. *p.* 2. *Instit. mor. L.* 2. *c.* 26. *q.* 1. Pirh. *h. t. n.* 2. Idque etiamsi istiusmodi ibidem sustentati ad statum divitem postmodum devenerint, non secus ac ii, quibus, dum egerent, datâ eleemosynâ, illam facti divites non tenentur refundere, quia sustentatio illa fuit opus misericordiæ illis tum egentibus absolutè impensum. Quòd si tamen loca talia cum ea restitutione & intentione fundata, ut non nisi re ipsâ tunc egentes v.g. deficientibus eorum parentibus, aliisque ad hoc obligatis ibidem alerentur, tenebuntur parentes expensas factas ad eos alendos compensare. Pirh. *l. c.* Sic quoque Ecclesia ejúsque Rector aliique ad eos alendos obligati expensas repetere non possunt. Pirh. *l. c.* Arg. *c. Sacrorum.* 12. *q.* 2. Quin &, si infanti expositò alimenta suppeditata ab aliquo consanguinitate ipsi conjuncto, etsi iis ad hoc strictè non obligetur, de quo tamen verisimiliter præsumitur, præstita fuisse pietatis causâ, repeti ea ab illo non possunt, nisi ab initio protestatus fuerit se ea repetiturum. Si verò extraneus ea præstitit, etiamsi protestatus desuper ab initio non fuerit, expensas repetere potest. Gratian. *desup. for. c.* 267. *n.* 41. Barb. *in c. unic. h. t. n.* 8. Pirh. *l. c.* Reiffenst. *h. t. n.* 16. Arg. *L.* 1. *c. h. t.* & *L. patrem. C. de nuptiis.* Et ex ea ratione, quòd licèt talis actum misericordiæ erga expositum exercere intenderit, non tamen præsumitur nefariò patri exponenti filium velle præstare beneficium educando in ejus gratiam filium, quamvis etiam contrarium præsumi possit ex circumstantiis & conjecturis, saltem extraneum non voluisse expensas factas refundi sibi, ut si dives, liberalis, & pius sit, Pirh. *l. c.* Reiffenst. *n.* 17.

Quæst. 222. *Utrum infantes expositi, quorum parentes non agnoscuntur, habendi sint pro legitimis?*

RESp. In hoc non convenire AA. Habendos pro illegitimis, censent Covar. *in Clem. si furiosus. p.* 1. *pr. n.* 9. Garc. *de benef. p.* 7. *c.* 2. *à n.* 9. Suar. *de cens. d.* 50. *s.* 4. *num.* 4. Vasq. 1. 2. *d.* 66. *c.* 8. *num.* 48. ex ea ratione, tum quòd præsumptione fieri debeat ex his, quæ frequentiùs contingunt, expositi autem frequentiùs sunt illegitimi, cùm etiam, ut Garc. ex centum expositis plures quàm nonaginta ex illicito concubitu procreati. Tum quòd nuptiæ consistant in facto, ac proinde nuptias prolemque natam ex his, non præsumendum, sed probandum asserenti. Ad hæc, qui certum patrem denominare nequeunt (uti nequeunt expositi) spurii dicuntur. *L. vulgo concepti. ff. de statu homin.* Econtra æquiùs & juris principiis conformiùs contrarium sentiunt, Salas. 1. 2. *tr.* 8. *d. unic. s.* 14. *num.* 246. Palæst. *de nothis & spur. t.* 63. *n.* 3. & 7. Menoch. *de præsump. L.* 6. *q.* 54. *num.* 20. Gratian. *l. c. c.* 35. *à num.* 31. Pont. *de matrim. L.* 11. *c.* 6. *num.* 4. Barb. *h. t. num.* 3. Gonza. *ibid. num.* 8. Castrop. *tr.* 13. *d.* 4. *p.* 1. § 1. *n.* 9. Wiestn. *h. t. num.* 10. Reiffenst. *num.* 20. Ex ea ratione quòd quandoque legitimi exponantur, ut patet in Moyse, Cyro, Paride, quibus ne præjudicium fiat, omnibus à Jure conceditur. Castrop. *l. c.* Sed neque præsumendi illegitimi, esto, expositos frequentiùs

tiùs ex solutis nasci, cùm talis præsumptio ex frequentiùs contingentibus filiis infamiam irroget, & in parentibus culpam supponat, adeóque cedere debeat præsumptioni, quòd nati sint ex legitimo matrimonio, siquidem, dum duæ præsumptiones in uno actu concurrunt, semper prævalere debet ea, quæ delictum excludit, & favorem continet, Castrop. cum Menoch. *de arb. cas.* 89. *n.* 23. Unde jam Ordinum, beneficiorum, officiorum, dignitatum capaces sunt citra dispensationem. Gonza. Barb. Wiestn. Reiffenst. *ll. cit.* non tamen Canonicatuum, dignitatum, officiorum, quæ ex fundatione vel statuto nobilitatem exigunt; licèt enim præsumantur qualitates, quæ communiter insunt, vel necessariæ sunt ad excludendum Peccatum, non tamen eæ, quæ communiter non insunt, præsertim ex fundatione vel statuto requisitæ; hæ enim probandæ sunt, nec sufficit earum præsumptio. AA. citati.

TITULUS XII.
De Homicidio, Voluntario & Casuali.
CAPUT I.
De Homicidio in genere, & in specie de Pœnis Homicidii injusti.

Quæst. 223. *Homicidium quid sit?*

RESp. Homicidium corporale sic dictum, quasi cædes hominis *Can. Homicidium. 23. q. 5.* & *L. Vulneratus. ff. ad Leg. Aquil.* est violenta exanimatio hominis, seu separatio animæ à corpore facta ab homine. Farin. *prax. crim. q.* 119. *n.* 3. Harprecht. *in §. item Lex Cornelia. Inst. de pub. jud. num.* 6. Pirh. *h. t. num.* 1. Dicitur exanimatio hominis, sub quo intelligitur interemptio fœtûs animati necdum in lucem editi. *L. necare. ff. de agnosc. lib.* dicitur: *Ab homine*; quia, si homo à fera seu bruto occidatur, non dicitur propriè homicidium, sed pauperies, juxta *rub.* & textum *Inst. & ff. si quadrupes pauper. fecerit.*

Quæst. 224. *Quotuplex sit Homicidium?*

RESp. Homicidium principaliter præsertim à Canonistis, ut patet ex rubrica præsentis tituli, dividitur, in Voluntarium & Casuale. Voluntarium est, quod vel per se ac directè & expressè intenditur, vel quod citra intentionem quidem, positâ tamen causâ, directè volitâ, ex qua moraliter certò mors alterius secutura providetur, committitur, v. g. mulier prægnans conculcatur pedibus, vel ita graviter percutitur, ut inde mors fœtus, qui jam animatus cognoscitur, sequatur, unde Homicidium aliud directè in se, aliud indirectè seu in sua causa voluntarium dicitur. Homicidium casuale, & quidem propriissimè tale est, quod citra hoc, quòd directè vel indirectè intendatur, citráque omnem culpam ex aliqua actione licita merè, fortuitò & casu, accidit. Quamvis etiam tunc censeatur culpabile seu dicatur culposum, dum quis rei illicitæ dat operam, ex qua mors alterius sequatur præter omnem intentionem & prævisionem agentis, etiam dum is omnem diligentiam adhibuerit ad eam evitandam, vel dum quis dat operam rei licitæ, cum tamen tali negligentia & imperitia, ut inde mors alterius etiam non prævisa ex illa negligentia oritura proveniat, unde homicidium casuale in culposum & inculposum dividi solet, ita ferè Reiffenst. *h. t. num.* 15. remittens ad Carpz. *prax. crim. q.* 27. *num.* 8. de quo paulò post plura. Homicidium voluntarium subdividitur in licitum seu justum, & illicitum seu injustum. Licitum seu justum (quod etiam à Legistis vocari solet necessarium) illud est, quod vel pro necessaria sui aliorúmve justa defensione servato moderamine inculpatæ tutelæ, vel ex voluntate & præcepto superioris habentis jus gladii, vel jubente lege & hinc justè fit. Injustum, quod contra divinam vel naturalem humanámve legem prohibentem ex intentione committitur. Ita AA. communiter. Homicidium voluntarium injustum iterum subdividitur in simplex, quod absque adjuncta aliqua qualitate & circumstantia augente ejus malitiam committitur; aliud qualificatum, quod quò ad occidendi modum, locum, personam, specialem aliquam qualitatem vel circumstantiam malam habet. Unde aliud est parricidium, dum quis parentes, liberos, sanguine junctos occidit, de quo suprà *tit.* 10. Aliud sacrilegum seu sacrilegium, dum quis occidit personam sacram, puta Sacerdotem, Religiosum, vel profanam in loco sacro. Aliud assasinum seu assasinium, dum quis pecuniâ conductus alium occidit; Aliud proditorium, dum quis nullâ præcedente inimicitiâ vel rixâ fingens se amicum à tergo percutit & occidit aliquem. Aliud insidiosum seu ex insidiis, dum quis inimicum suum tale prævidentem occultè certo loco exspectans prætereuntem aut accedentem occidit. Aliud veneficum seu veneficium, dum quis propinato inscienti alteri veneno, animo occidendi illum perimit. Ad Homicidium quoque qualificatum reduci solet omne Homicidium deliberatum seu præmeditatum, quod nimirum sedato jam iracundiæ calore præviâ plenâ animi deliberatione committitur, de quo videfusiùs Clarum *L. 5. §. Homicidium, n.* 8. ubi etiam ait, quòd talis juxta opinionem magis communem non sit tutus immunitate Ecclesiæ.

Quæst. 225. *Quænam pœna statuta Homicidio injusto?*

1. RESp. Primò: Omni Homicidio statuta est pœna, mortis, tam Lege divina; *Genes. c. 9. v. 6. Quicunque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis illius. Levit. c. 24. v. 17. Qui percusserit & occiderit hominem, morte moriatur. Apocal. c. 13. v. 10. Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi*; quàm lege humanâ civili, *§. item Lex Cornelia. Instit. de publ. jud.* nam etsi Homicidis nobilibus statuta olim deportatio in Insulam, seu proscriptio, seu exilium, *L. ejusdem. §. 5. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* correcta tamen est lex hæc per *L. quoniam. ff. de vi publica*, & *Const. crim.* Carol. *à* 37. & 137.

& 137. ubi omnes indistinctè Homicidæ subjiciuntur ultimo supplicio. Clarus *L. 5. v. Homicidio num.* 18. citatò Boss. *tit. de Homicid. n.* 109. dicens communem & praxi receptam. Et quidem si Homicidium est simplex inferendo Gladio. *cit. §. item Lex Cornelia.* Si verò est qualificatum, pœna ultimi supplicii exasperatur, commutando gladium in furcam, rotam, rogum vel addendo Gladio adustionem ferri & forcipum candentium, truncationem membrorum, juxta *Constit. Carolinam.* Carpz. *l. c. q.* 24. *n.* 16.

2. Resp. Secundò: Jure Canonico Homicidæ injusto laico statuta excommunicatio, non quidem ipso facto, sed per Judicis sententiam infligenda, nisi pœnitentiæ satisfactionem crimen diluerit. *c.* 24. *q.* 3. nequaquam verò morte naturali, dum enim *c. omnis. dist.* 3. dicitur: *Qui cædem fecerit, capite plectatur*; id non intelligendum de morte naturali, sed de excommunicatione, quæ mortem animæ infert seu supponit. Unde Abb. Arg. *c. per venerabilem, qui filii sunt legit. propè finem* ait, quòd, ubicunque Jure Canonico reperitur imposita pœna mortis, id intelligi debeat de excommunicatione, quæ mors est civilis, per quam separatur anima à gratia Dei, quæ est animæ vita, ut Pirh. *h. t. num.* 6. citato Farin. *pr. crim. p.* 4. *L.* 4. *de Homicid. q.* 119. *num.* 57. non quidem verè per se & immediatè privando animam gratiâ, sed quia hanc supponit, cùm nunquam infligi possit excommunicatio major, nisi propter peccatum mortale. Ad Clericum verò injustum Homicidam non extenditur dicta excommunicatio. Pirh. *num.* 7. Reiffenst. *num.* 19. juxta *c. Presbyter. dist.* 81. sed statuitur ei imprimis depositio ab Ordine & Officio. *cit. c. Presbyter. Can. si Episcopus. dist.* 30. *c. inquisitio de accusat. c. sicut. §. fin. h. t. c. tuæ. de pœnis.* Per quam quoque depositionem intelligi nequit mors naturalis. Arg. *c. sicut. h. t.* desumpti ex *Lib. Exod. c.* 21. dum ibi dicitur: Si quis per injustitiam occiderit proximum suum & per insidias, ab Altari meo avelles eum, ut moriatur, cùm sit solùm mors quædam civilis, ut Abb. *in cit. c. n.* 2. & Jo-And. *n* 1. Pirh. *h. t. n.* 8. nisi tamen committat Homicidium qualificatum, propter quod tradi debet Curiæ Sæculari, & morte affici. Qualiter degradari & tradi potestati Sæculari nequit propter Homicidium simplex. Pirh. *num.* 9. cum Suar. *Tom.* 1. *de relig. L.* 3. *c.* 11. *num.* 10. Arg. *c. cum non ab homine. de judic.* Præter hanc depositionem ab Altaris ministerio etiam propter Homicidium simplex detrudendus erat in arctum monasterium ad agendam pœnitentiam. *cit. c. tuæ.* & quidem in perpetuum, juxta *cit. c. si Episcopus.* vel saltem ad septennium vel quinquennium, juxta *c. sicuti.* quæ tamen detrusio in monasterium hodie per consuetudinem sublata est, eique successit pœna carceris, vel condemnatio ad triremes in perpetuum vel ad tempus, prout qualitas delicti exigit. Farin. *pr. crim. q.* 119. *n.* 149. & 155. Pirh. *n.* 7. Reiffenst. *n.* 21. Secundò tali Clerico deliberatè occidenti etiam statuta est pœna privationis beneficiorum obtentorum. *c. Clerici, ne Clerici vel Monachi. c. ex literis. de excess. Prælat.* non quidem ipso jure seu facto, sed per sententiam Judicis. Covar. *in Clem. si furiosus. p.* 2. §. 3. *n.* 6. *in fine.* Diaz. *pr. Can. c.* 98. *n.* 2. Farin. *cit. q.* 119. *n.* 53. Suar. *de cens. d.* 44. *s.* 4. *n.* 33. Pirh. *h. t. n.* 10. Garc. *de benef. p.* 11. *c.* 10. *n.* 39. Alciat. *in c. cùm non ab homine. de jud. post. n.* 16. Foller. *in prax. crim. Can. fol.* 276. *n.* 37. Clar. *L.* 5. *v. Homicidium. n.* 21. citans plures alios, qui de communi testantur, inter quos Igneus *in L. necessarios. §. non aliàs ff. ad Syll.* dicat, omnem penè Canonistarum & Legistarum Scholam in hanc sententiam declinare, tum quia in pœnis benignior facienda interpretatio. *c. odia. & c. in pœnis. de reg. jur. in* 6. Tum quia nullum crimen infert privationem ipso jure aut facto, nisi de quo idipsum in jure exprimitur, ut Farin. *l. c. n.* 64. Pirh. *l. c.* & alii passim. Unde jam talis clericus occultus Homicida suo beneficio priùs ritè obtento licitè & validè uti & frui poterit, usque ad dictam sententiam, nisi id præter recitationem horarum requirat personale exercitium Ordinis Sacri, quem quia exercere nequit propter irregularitatem ipso facto incursam juxta paulò pòst dicenda, adeóque obligationi suæ satisfacere non potest, tenebitur beneficium dimittere, ubi dispensationem super irregularitate obtinere non vult aut non potest. Reiffenst. *h. t. n.* 25. citatis Abb. *in c. nisi jam pridem. de renunc. n.* 1. Covar. *l. c. n.* 3. Pari modo perpetuò inhabilis est ad omnia beneficia & officia ecclesiastica citra dispensationem obtinenda. Diaz. *l. c. Lit. Q. in fine.* Farin. *l. c. n.* 58. quem citat & sequitur Pirh. *l. c.* juxta expressum textum Trid. *sess.* 14. *de reform. c.* 7. ubi: *qui suâ voluntate Homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec Ordine Judiciario probatum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua beneficia Ecclesiastica, etiamsi curam non habeant animarum, conferre liceat, sed omni Ordine ac beneficio & officio ecclesiastico perpetuo careat.* Quod tamen ita non intelligendum, ait Pirh. *l. c.* ut ipso jure sit incapax de novo obtinere beneficia, & collatio ei facta sit ipso jure irrita, sed solùm prohibita, dum in Trid. dicitur: *Non liceat conferre*; pro quo citat Suar. *ubi ante s.* 4. *n.* 34. unde sequitur talem collationem prohibitam, adeóque illicitè factam, fore validam, collatáque beneficia ab eo retineri posse usque ad sententiam privationis eorundem.

3. Tertia pœna, (quæ quoque spectat Laicum, & locum habet, dum homicida supersites, & morte non afficitur) quòd privetur successione ejus, quem interfecit, sive ex testamento, sive ab intestato ad eum deferatur, Pirh. *l. c.* Clarus *l. c. n.* 22. qui illud ita intelligendum asserunt, ut homicida à successione non excludatur tanquam incapax, sed ut admittatur ad succedendum, & dein Fiscus illam auferat tanquam ab indigno, juxta *L. cùm ratio. §. fin. ff. de bonis damnat.* & hoc de Homicidio voluntario simplici intelligendum videtur. De filio quidem occidente patrem id esse sententiam absolutè communem, cum Butrio *cons.* 63. *in pr.* asserunt AA. In eo, an, dum filius occidit patrem, nepotes seu filii homicidæ possint succedere avo occiso, non ita consentiunt AA. admittit Bald. *in L. si quis incesti. c. de incest. nupt. n.* 4. Contrariam magis esse communem opinionem, teste Boer. *decis* 258. & 17. & Aufrer. *p.* 4. *de Arresto. q.* 130. testiante sic judicatum à Parlam. Paris. affirmat Clar. *l. c.* Idem ex Alberico dicens de filiis fratris occidentis fratrem; dum verò maritus occidit uxorem, lucrum dotis transire indistinctè non ad maritum aut Fiscum, sed ad hæredes uxoris, tenet, & in facti contingentia consuluit, Ruin. *L.* 5. *cons.* 11. *in fine.* Decius *cons.* 525. & uti communem sequi videtur Roland. *in tr. de lucro dotis. q.* 61. sibique magis placere, ait Clar. *l. c.* & locum habere, quando maritus uxorem occidit, jure vel consuetudine id permittente, v. g. deprehensam in adulterio.

4. Quarta pœna jure canonico homicidæ voluntario, etiam Laico ſtatuta eſt irregularitas, ita ut, etiamſi homicidium ſit occultum, Ordines ſuſcipere, aut in ſuſceptis miniſtrare nequeat, etiam poſt peractam pœnitentiam, ſine diſpenſatione ſummi Pontificis, juxta *c. inquiſitionis. de accuſat.* juncta Gl. *ibi. v. ſi homicidium. C. miror. c. Clericus. diſt. 50. c. ſicut. c. de cætero. h. t. Clem. unic. eodem.* Trid. *ſeſſ. 14. c. 7. & ſeſſ. 24. c. 6. de reformat.* de qua pœna pluribus in ſequent.

Quæſt. 226. An injuſtè mandans aliquem occidi incurrat irregularitatem, aliásque pœnas ſtatutas homicidis?

1. REſp. Primò: Mandans homicidium injuſtum, ſi mors ſequatur, incurrit irregularitatem, omnésque pœnas ſtatutas per ſe injuſtè occidentibus, adeóque pœnâ ordinariâ homicidis veris affici poteſt. Navar. *in man. c. 27. n. 233.* Suar. *de cenſ. d. 44. ſ. 3. n. 6.* Avila *de cenſ. d. 6. ſ. 2. du. 2.* Pirh. *h. t. n. 20.* cum communi & certa, arg. *L. nil intereſt. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. c. ſi quis viduam. diſt. 50.* ex ea ratione, quòd mandans actum aliquem fieri, eſt cauſa moralis, & quidem principalis ipſius actûs, & executor ſolùm cauſa minùs principalis, & quaſi inſtrumentalis in genere moris; Et quod quis per alium facit, perinde eſt, ac ſi per ſe ipſum faciat, *Reg. 72. Juris in 6.*

2. Reſp. Secundò: Variè extenditur hæc irregularitas ad eum, qui mandat aliquem verberari, licèt expreſsè primò intendat & inhibeat, ne occidatur, vel membro aliquo mutiletur, ſi tamen mandatarius excedens fines mandati eundem mutilet vel occidat, cùm mandando in culpa fuit, & hoc evenire poſſe, cogitare debuiſſet, prout decernitur & dicitur *c. ult. h. t. in 6.* & mandando illicitum dans operam rei illicitæ cenſetur mandare ea, quæ veriſimiliter concomitari poſſunt, adeóque dicta inhibitio nil prodeſt, nec relevat proteſtatio facto contraria, eáque in dictis nihil operatur, Pirh. *h. t. n. 21.* citatis Jo-And. *in cit. c. ult.* & Franc. *ibidem. v. 3. not. ult.* Secundò, ut mandans adhuc fiat irregularis, etſi mandatum revocaverit, ſi revocatio illa ante mortem non innoteſcat mandatario; quia, quamdiu hoc non innoteſcat mandatario, is agit nomine mandantis, cujus contrarium eſſet, ſi mandatarius nomine proprio ageret, & revocationem ante occaſionem ſufficienter inſinuaverit mandatario, Navar. *man. c. 27. num. 237.* Dian. *p. 2. Miſcellan. reſolut. 17.* Reiffenſt. *h. t. n. 28.* Tertiò, ſi non ipſe mandatus occidi, ſed ipſe mandatarius occaſione executionis hujus mandati fuit occiſus; cùm enim exponens ſe injuſtè & temerariè propinquo periculo mortis (ut ſæpe facit mandatarius intendens ac volens exequi injuſtum tale mandatum, v. g. occidendo, ſe defendendo, vel ſuſcipiendo iter valde periculoſum) cenſetur homicida ſui ipſe mandans directè vel indirectè talem expoſitionem, ex qua mortem mandatarii ſequi poſſe, prævidere debebat, etſi eam directè non intendebat, eſt cauſa mortis mandatarii, adeóque ratione ejus ſecutæ fit irregularis; ita Sylv. *v. homicidium. L. 4. dicto 7.* Avila *l. c. du. 5. concl. 4.* Suar. *l. c. n. 18. & 19.* Barb. *in c. ult. h. t. num. 6.* Pirh. *h. t. n. 22.* Reiffenſt. *h. t. n. 29.* Quòd tamen non videtur carere difficultate; dum mandatarius occaſione quidem exequendi mandatum iniquum occidendo alium ſubit mortem, v. g. dum mero caſu, ceſpitante in itinere equo excutitur, & frangit cervicem, vel trajiciens flumen ſubmergitur; cùm talia pericula & infortunia à mandante nullatenus prævideri poterant aut debebant, adeóque nec expoſitio talibus facta, ne indirectè quidem mandari, niſi fortè extraordinariè & inſolitè mandaſſet, ut non curato ullo periculo aut infortunio, properaret ad occidendum.

3. Reſp. Tertiò: Limitari è contra reſponſionem primò, ut mandans non incurrat irregularitatem, aut etiam pœnam ordinariam, ſi homicidium re ipſâ non ſit ſecutum, quamvis à mandatario attentatum, Avil. *l. c. du. 3. in princ.* Barb. *l. c. n. 7.* Pirh. *n. 23.* arg. *L. ſæpe. ff. de V. S.* quod ipſum tamen ſublimitatur, ut etiam morte ſecutâ irregularitatem, aliásque graviſſimas pœnas juris incurrat, qui mandavit Chriſtianum interfici per aſſaſſinos, juxta expreſſum textum, *c. 1. h. t. in 6.* intelligendo hìc per aſſaſſinos non tantùm mandantes, ſed & mandatarios, etſi ſint Chriſtiani, qui pecuniâ datâ vel promiſſâ, alióve pretio conducti, ad occidendum aliquem incautum & inſontem, uti de conſuetudine & communi praxi teſtatur Farin. *pr. crim. p. 5. q. 123. n. 19. & 22.* apud Pirh. *h. t. n. 25.* licèt aliàs magis propriè & conformiùs ipſi juri hoc *c. 1.* juxta Gl. *ibidem. v. formidantes.* Covar. *L. 2. reſol. a. 20. n. 9.* Suar. *de cenſ. d. 23. ſ. 4. n. 46.* Pirh. *l. c.* intelligantur per Aſſaſſinos infideles quidam ſubjecti Principi infideli, à quo inſtructi & edocti, ut, ſi quos ille occidi juſſiſſet, nullam pœnam, etiam poſt obitum timendam haberent, facillimè præſertim oblatâ pecunia exequebantur hanc juſſionem, de quo alibi plura. Unde jam excommunicatio *cit. c.* aliæque pœnæ ſtatutæ ab Eccleſia comprehendere nequeunt mandatarios illos Aſſaſſinos propriè tales, utpote infideles, locum tamen habent in fidelibus, dum hi Chriſtianum occidi mandant operâ & miniſterio illorum Aſſaſſinorum infidelium; uti nec locum habere cenſentur à Covar. *l. c. n. 10. §. 5.* Suar. & Pirh. *ll. cit.* ſi infidelis ſeu non Chriſtianus per alios quoscunque pecuniâ conductos occidatur. De cætero easdem pœnas ipſo facto incurrunt tanquam authores criminis, qui Aſſaſſinos recipiunt, defendunt, occultant, ut cum Gl. *in cit. c. 1. v. receptaverit.* Pirh. *cit. n. 5. in fine.* ipſos quoque mandantes operâ infidelium Aſſaſſinorum occidi fidelem perpetuò diffidari à populo Chriſtiano, tanquam Religionis Chriſtianæ inimicum, ita, ut à quolibet privato Chriſtiano poſſit offendi & occidi, & bona illius primò occupantibus cedere, præſertim illis, ad quos temporalis ſucceſſio ſpectat, multóque magis à Fiſco occupari, tradit Farin. *cit. q. 123. n. 8. & 12.* Pirh. *n. 26.* qui tamen hanc pœnam ſpectare ſæculares, aſſerit idem, arg. *cit. c. 1.* cum Barb. *ibid. n. 13.* Clericos verò committentes crimen Aſſaſſinii pœnam depoſitionis ab Ordine incurrere ipſo facto, & privilegium clericale omne amittere, ita, ut capi & puniri per Judicem ſæcularem non præcedente degradatione reali poſſit, eò, quòd videantur ipſo jure degradati, etſi doceant Covar. *l. c. §. ſexto.* Diaz. *l. c. n. 4.* Farin. *l. c. n. 12.* Clar. *§. fin. q. 36. n. 30. & 31.* citatis inſuper plurimis aliis, ac dicens communem, quamvis addat, requiri nihilominus ſententiam declaratoriam, per quam Judex (intellige eccleſiaſticus) pronuntiet, eſſe reum aſſaſſinii. Contrarium tamen, nimirum Clericos non amittere privilegium clericale ante actualem & realem degradationem, per quam Curiæ ſæculari tradantur; & licet *cit. c. 1.* ſolùm dicatur, quòd depoſitio à lege ipſo facto ſit impoſita, requiri tamen actualem degradationem, antequam Clericus à Judice ſæculari corporaliter puniatur, probabilius ſentiunt Suar. *de*

cenſ.

tens. l. c. n. 46. in fine. Barb. *in cit. c. 1. h. t. in 6. n. 13.* quos citat & sequitur Pirh. *h. t. n. 26.* Secundò limitatur, ita ut mandans non fiat irregularis, si mandatarius sine ejus mandato erat occisurus, eò, quòd licèt mandans habuerit voluntatem influendi in effectum, de facto tamen non influxerit, Avila *l. c. s. 2. du. 3. concl. 6.* contrarium tenente Covar. *in Clem. si furiosus. p. 2. §. 2. n. 1. vers. si quis.* quod verum esse, si mandatarius occisurus etiam sine mandato, ob mandatum citiùs occidat, quia tunc mandatum & mandans est causa propinqua accelerationis, secus, si ob mandatum non occidit citiùs; cùm tunc in hoc casu mandans nullo modo in occisionem influit, Barb. *in cit. c. ult. num. 8.* ex Laym. Pirh. *n. 23.*

Quæst. 227. An & qualiter consulens seu suadens homicidium injustum, consentiens in illud, vel approbans illud, aut ratihabens, incurrat irregularitatem, aliásque pœnas homicidii?

1. Resp. Ad Primum: Consulens homicidium, vel etiam mutilationem, incurrit quoque irregularitatem, aliásque pœnas homicidii, si efficaciter in illud influit, id est, alter vi hujus consilii homicidium injustum re ipsa committit, illud aliàs non commissurus, quia est vera causa moralis illius, Suar. *cit. d. 44. s. 3. n. 10.* Pirh. *h. t. num. 30.* cum communi & certa, arg. *c. sicut. §. qui verò. & §. fin. h. t. c. perniciosè. dist. 1. de pœnit. c. si quis viduam. dist. 50. L. 1. pr. & L. 3. §. 4. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* Ampliatur responsio primò, ita, ut procedat, & fiat irregularis, etiamsi alter citra tale consilium fuisset occisurus, si consulendo voluntatem illam determinatam ad occidendum confirmavit, auxit ac impulit ad promptiùs, citiùs aut crudeliùs occidendum, arg. *c. sicut dignum. §. qui verò. h. t.* ubi etiam, quòd incitans ad occidendum non ita severè, ac pœnâ ordinariâ, sed extraordinariâ, arbitrio Judicis, secus, ac qui provocat & inducit aliàs non occisurum, utpotè pœnâ ordinariâ juris, tanquam verus homicida, & causa moralis principalis homicidii, arg. *L. non solùm. §. Atticilinus. ff. de injuriis.* Contrarium est, sive non incurrit irregularitatem, aliásve pœnas, si consulens non augeat voluntatem occisuri, & is æquè promptè occisurus fuisset, Covar. Suar. *ll. cit.* Avila *l. c. d. 6. s. 2. du. 3. concl. 3. & 4.* qui etiam ait, idem esse, si consilium non nisi exiguè moveret. Porrò in dubio, num is, cui consilium datum, commissurus fuisset delictum sine eo, præsumendum esse, quod non, quia in dubio non præsumitur quis commissurus delictum, *L. meritò ff. pro socio.* adeóque consulentem in tali dubio fore irregularem, docent Covar. *l. c. num. 1.* Avila *l. c. concl. 5.* Pirh. *n. 31.* Ampliatur secundò, ita, ut consulens adhuc incurrat irregularitatem, etiamsi ante executionem revocaverit consilium, secus ac est in mandante revocante suum mandatum, Suar. *l. c. s. 3. n. 10.* Farin. *q. 129. à n. 23.* Pirh. *h. t. n. 32.* ex ea ratione, quòd rationes, quibus consuluit & suasit, imbuitque intellectum alterius per puram talem revocationem non dilutæ pergant influere in occisionem. Quòd, si consulens conando illas rationes diluere & persuadere contrarium, uti tenetur, nihil proficiat, debet monere occidendum, ut sibi caveat; an verò hac ratione evadat irregularitatem, dubitari potest, quam illum evadere, si is, cui datum consilium, depositis illis rationibus, quibus motus fuerat, propter alias causas voluerit, & exequatur homicidium, etiamsi non monuerit occidendum, quia consulens cessat concurrere ad homicidium, quod tunc non tam ex consilio illius, quàm ex propria malitia occisoris consequitur, docent Suar. *l. c. s. 3. n. 11.* Avila *l. c. du. 4. concl. 3.* qui etiam *du. 3.* apud Pirh. *h. t. n. 32.* quòd irregularitatem evadat, qui determinatò occidere, quem aliâ viâ non potest à cæde avertere, consulit minus malum, v. g. percussionem vel mutilationem alicujus membri, quia consilium non est causa mutilationis, utpote consulenti non voluntaria, sed potiùs causa evitandi homicidium.

2. Resp. Ad secundum: Consentiens purè sine ulla cooperatione in homicidium nullo modo perpetrandum, nomine consentientis non fit irregularis, nec ullam pœnam incurrit, etiamsi consensum exprimat, quia est solùm homicidium mentale, talísque consensus, etsi verbis expressus, efficaciter non influit in cædem, Pirh. *n. 27.* cum Suar. *l. c. s. 3. n. 21.* secus est de præbente consensum in homicidium, quod suo nomine fit, seu propter ipsum ad vindicandum consentientem; quia talis non merè consentit, sed censetur etiam moraliter cooperari homicidio, nisi exteriùs contradicat, Suar. *num. 22.* Pirh. *l. c.*

3. Resp. Ad tertium: Homicidium, etsi suo nomine factum, approbans & ratum habens, cui, antequam fieret, nec consilium, nec favorem, nec auxilium præstitit, non incurrit irregularitatem, nec aliam pœnam jure statutam in homicidas, Host. *in sum. h. t. num. 4. §. quid ergo.* Covar. *l. c. p. 2. §. 1. n. 4.* Suar. *cit. s. 3. n. 24.* Avila. *de cens. d. 6. s. 2. du. 6.* Pirh. *h. t. 28.* Laym. *L. 3. tr. 3. p. 3. c. 4. n. 6.* Wiestn. *h. t. n. 62.* Reiffenst. *n. 48.* cum Gl. communiter recepta in *c. si quis viduam. dist. 50. v. aut consilio,* contra Felin. *in c. sicut. h. t. n. 12.* Navar. *man. 27. n. 233.* Mol. *de J. & J. tr. 3. d. 33. memb. 4. n. 3.* tenentes contrarium, ex ea ratione, quòd ratihabitio retrotrahatur, & mandato comparetur, juxta *regul. juris. 10. in 6.* idque etiam in delictis juxta *L. 1. §. 14. ff. de vi armata.* & quidem gravissimis, v. g. Simonia. *c. sicut. de Simon.* ubi nisi postea consenseris, percussio Clerici, quam suo nomine factam ratam habens incurrit excommunicationem Canonis, *c. cum quis. de sent. excom. in 6.* Verùm responsio rectiùs probatur ex eo, quòd irregularitas illa non contrahatur, nisi per concursum ad cædem, vel mutilationem liberè factam, ratihabitio autem homicidii hoc ipso, quòd eo jam perpetrato fit posterior, ad illud concurrere non potuit. Ad hæc non contrahitur irregularitas, præterquam in casibus jure expressis, ut juxta *regulam c. is, qui. de sent. excom. in 6.* Barb. *ibidem. num. 6.* Navar. *l. c. n. 192.* Covar. *l. c. p. 1. à n. 3.* Suar. *de cens. d. 40. s. 4. à n. 8.* nullum autem jus exstet, quo istiusmodi ratihabitioni irregularitas imponatur. Unde jam etiam non fit irregularis, qui homicidam post cædem jam factam recipit, occultat, defendit, eique quid donat, Pirh. *n. 29.* Wiestn. Reiffenst. *ll. cit.* cum Zœs. *ad hanc rub. n. 2.* Ad objecta & jura adducta ab adversariis respondetur, ratihabitionem æquiparari quidem mandato quò ad culpam, non quò ad pœnam, præsertim quæ specialem expressionem in jure requirit, qualis est irregularitas, dum autem quædam jura æquiparant illam etiam quò ad pœnam, speciale est, quorum dispositio utpote pœnalis & odiosa ad casus alios non expressos extendenda non est.

Quæst. 228. *An & qualiter cooperantes ad homicidium præstando opem occisori incurrant irregularitatem, ordinariasque pœnas homicidii?*

Resp. Qui auxilium præstando est causa propinqua homicidii, ita, ut eo non præstito non fuisset homicidium patratum, sive directè cooperetur, v. g. percutiendo, vulnerando, sive indirectè, v. g. detinendo aliquem, ne fugiat, vel comitando occisorem, eúmque suâ præsentiâ tuendo & animando, irregularis sit, licèt ipse homicidium directè non intendat, Pirh. *n.* 33. cum Covar. *l. c. p.* 2. §. 2. *n.* 2. Sic etiam, si auxilium ferens sit causa proxima & immediata, saltem partialis, seu inadæquata, ita, ut sine tali auxilio mors non fuisset secuta, is pœnâ ordinariâ homicidii est puniendus, *L. unic. c. de rapt. virgin.* arg. *L. nihil ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. c. ult. de pœnis in 6.* si verò fuit causa solùm remota, pœnâ extraordinariâ & mitiore puniendus, *cit. L. unic.* & *c. ult. de pœnis.* Covar. *l. c.* Pirh. *h. t. n.* 34. quando plures præmisso consilio, & ex proposito aggrediuntur aliquem ad occidendum, tunc omnes fiunt irregulares, & plectendi pœnâ homicidii, etsi ex vulnere ab uno tantum inflicto mortuus sit, sive sciatur, quis illud inflixerit, sive ignoretur, quia omnes illi sunt veluti causa una moralis talis homicidii, & talis associatio auget animum occidentis, Sylv. *v. homicidium.* 1. *q.* 11. *num.* 15. *dicto* 1. Bart. *ad L. ult. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. num.* 1. Covar. *l. c. p.* 2. §. 2. *n.* 3. *in princ.* Avilà *l. c. f.* 3. *concl.* 1. quos citat, sequiturque Pirh. *h. t. num.* 40. sumentes id ex *cit. c. sicut.* §. *illi autem. h. t.* similiter, si plures non consultò, seu ex proposito, sed in rixa ex repentina occasione orta ad cædem unius conveniunt, omnésque vulnus infligunt, etsi singuli non lethale, ex quibus tamen vulneribus moritur, omnes fiunt irregulares; quia omnia illa vulnera mortem inferunt, adeóque omnes infligentes illa ad mortem cooperantur. Et quia non constat, num ex vulnere ab hoc, vel ab alio inflicto obierit, omnes incurrunt pœnam ordinariam homicidii directè voluntarii, si omnes illud intenderint, aliàs casualis, si præter directam intentionem mors acciderit, Covar. *l. c. n.* 4. Suar. *de censur. d.* 45. *s.* 3. *num.* 9. Pirh. *l. c.* prout constat ex *c. ult. caus.* 23. *q.* 8. si tamen constaret, quinam vulnera non lethalia inflixissent, tametsi illa vulnera quoque juvent ad mortem, vel hoc ipso, quòd vulneratum reddant debiliorem, ad resistendum vulneri lethali, & ad minimum accelerant mortem, tanquam una causa totalis, jure civili puniuntur ut homicidæ, non quidem pœnâ ordinariâ, sed pœnâ extraordinariâ & arbitrariâ, Pirh. *n.* 41. cum Covar. *l. c. n.* 10. quali etiam arbitrariâ pœnâ præter irregularitatem jure civili puniuntur istiusmodi cooperatores, etsi nullum vulnus occiso inflixerint, quin, etsi manus ei non injecerint, dum v. g. comitati sunt occisorem ad patrandam cædem, aut armati ei astiterunt, ad cooperandum ulteriùs, si necesse, eò, quòd satis præstent ei auxilium, dum hac ratione invasor redditur audacior, & invasus timidior, Pirh. *h. t. n.* 34. & 41. cum Farin. *pr. crim. p.* 5. *q.* 131. *n.* 78. De cæterò, ubi constat, quis ex pluribus, vel etiam, dum unus solus invadens aliquem inflixit vulnus, pœnas omnes tam à jure civili, quàm canonico impositas incurrit, sive brevi, sive longo temporis intervallo exinde mors subsequatur, nullâ habitâ ratione malæ curæ, vel aliarum circumstantiarum, quibus minùs debitè tractatus fuit vulneratus, quia verè est causa mortis, Gail. *L. 2. obser.* 111. *a. n.* 7. Socinus *vol.* 2. *cons.* 178. arg. *c. significasti. h. t.* & *L. aut Lex. ff. ad Leg. Aquil.* Si verò constet liquidò, vulnus non fuisse lethale, sed vulneratum, vel impetitiâ vel negligentiâ Medici aut Chirurgi, vel propriâ culpâ, vel accidente aliquo extrinseco obiisse, vulnerantem neque irregularitatem, neque excommunicationem, neque pœnas ordinarias juris civilis incurrere, tradit Socin. *l. c.* cum Baldo *in L. qui occidit.* §. 4. *ff. ad Leg. Aquil.* in dubio autem, an vulnus fuerit lethale, nec ne, Medicis & Chirurgis ad manum non existentibus, vel iis non interrogatis, aut etiam ipsis dubitantibus, vulnerantem esse reum, etiam pœnarum ordinariarum illius, volunt aliqui, eò, quòd in delictis præsumptio sit contra delinquentem, per *L. si ex plaga. ff. ad Leg. Aquil.* Carpz. tamen probabiliùs defendente esse immunem à pœna ordinaria jure civili statuta, ultimò nimirum suppliciò, eò, quòd probationes dubiæ ad pœnam mortis inferendam sint insufficientes, & requirantur certæ lucéque meridianâ clariores, juxta *L. fin. c. de probat.* jure tamen canonico in dubio incurritur irregularitas, arg. *c. significasti.* §. *quod si. h. t.*

Quæst. 229. *Utrum non impediens homicidium, dum potest, ac debet, incurrat irregularitatem?*

1. Resp. Primò: Si non impediens tenebatur solùm impedire ex charitate, non fit irregularis, Sylv. *v. homicidium.* 3. 4. 5. Nav. *in man. c.* 27. *n.* 232. & *c.* 24. *n.* 22. Barb. *in c. sicut. h. t. n.* 18. & 19. Pirh. *h. t. n.* 42. Wiestn. *h. t. n.* 66. cum communi. Arg. *cit. c. sicut.* §. *illi etiam.* idque, ut addit Pirh. etiamsi omittat impedire ex odio interno occidendi, quin & ex desiderio mortis illius. Ratio responsionis est, quòd homicidium sit delictum contra Justitiam, per quod ad mortem proximi cooperatur vel physicè vel moraliter, quod non facit non impediens mortem, si ad eam impediendam tenebatur ex sola charitate. His non obstante *cit. c. sicut.* §. *illi etiam*, ubi dicitur, quòd, qui potuit hominem liberare à morte, & non liberat, eum occidat, adeóque est irregularis; cùm ibi sermo sit non de purè non impedientibus, sed de auxiliantibus, ut patet ex illis verbis: *Sed ut percussoribus opem ferrent, si fortè per aliorum violentiam impedirentur*: & seq. vel etiam, ut colligitur ex *cit.* §. *illi etiam*, quòd non impediens in foro externo reputetur irregularis, quia præsinitur cum occisore occultam societatem habere, ut Pirh. Neque obstante *c. quanta. de sent. excom.* ubi excommunicatio fertur in illum, qui percussionem, cum potuisset, non impedivit, adeóque multò magis irregularitatem, utpote pœnam mitiorem incurrit, qui mortem alterius non impedivit, quia in pœnalibus præsertim irregularitatibus non valet argumentum à casu expresso ad casum non expressum, neque à majore ad minus & contrà. Pirh. *l. c.* Reiffenst. *n.* 47. neque obstant alia jura & canones, dum homicidam illum esse dicunt, qui non subvenit proximo in periculo mortis constituto, quia latè loquuntur vel de iis, qui ad hoc tenentur ex officio & Justitia, de quibus

2. Resp. Secundò: Qui tenentur ex justitia ad impediendum homicidium & liberandum à mortè (ut sunt Domini respectu servorum, parentes respectu liberorum, & contrà, milites, quibus aliorum custodia commissa, medici ratione stipendii, quod accipiunt obligati ad curandos infirmos, Judices aliíque officiales & ministri justitiæ) si sine gravi

suo

suo damno possint impedire homicidium, & non impediunt, incurrunt irregularitatem, & Jure Civili puniuntur ut homicidæ; quia sunt causa moralis homicidii, & moraliter habentur pro faciente homicidium, Avil. *l. c. du. 7. Concl.* 2. Suar. *l. c. s.* 4. *n.* 5. Pirh. *n.* 43. cœteríque AA. citati pro *resp. præced.*

CAPUT II.

De Homicidio casuali & deliberato injusto & necessario ad sui defensionem.

Quæst. 230. *An & quando ex homicidio casuali incurrantur irregularitas aliæque pœnæ?*

1. RESp. Primò: Ob homicidium minùs propriè casuale (nimirum quod nullo modo est voluntarium, sive nec directè, nec indirectè, nec in se, nec in causa, adeóque omnino inculpabile, quale est commissum ab amente, infante, dormiente, planè ebrio) nulla, sive nec Civilis nec Canonica incurritur, ut patet; quia pœna imposita supponit culpam, hæc autem usum rationis. Castrop. *tr.* 29. *d.* 6. *p.* 15. §. 4. *n.* 1. Gobat. *tr.* 5. *c.* 20. *n.* 5. quod tamen attinet ebrium, quamvis eum, qui in plena ebrietate occidit alium, saltem extraordinariâ pœnâ plectendum, & ab irregularitate non excusandum, teneant Gail. *l.* 2. *obser.* 110. *n.* 27. & 28. Sylv. *l. c. q.* 4. *n.* 5. & Cardin. meliúsque sic statuant Fagund. *in præcep. Eccles.* 4. *L.* 1. *c.* 1. *à n.* 16. si antequam usu rationis privatus occisionis vel mutilationis periculum prævidit ex eo, quòd novisset se temulentum arma corripere & obvios invadere solere, quod tamen negant Nav. *man. c.* 27. & 28. Covar. *in clem. si furiosus p.* 3. *n.* 3. si cædes & mutilatio accidit præter omnem suspicionem, eò quòd ejus periculum non fuerit prævisum, nec prævideri potuerit, dum nimirum ebrietas accidit præter opinionem ex Vino multò, quàm æstimatur, generosiore. De cætero eum, qui, cum sciret se in plena ebrietate proximum quemvis solere periculose invadere & animo cædis perpetrandæ se inebriasse probaretur, homicidio secuto pœna illius ordinariâ plectendum, docent Tiraq. *de pœn. tempor. cas.* 6. *n.* 10. Harprecht *ad* §. *item lex Cornel. Instit. de publ. jud. n.* 287. Hounold. *de Inst. Tom.* 6. *tr.* 2. *n.* 298. quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. n.* 71. eò quòd tale homicidium sit verè dolosum. Secus, si conscius suæ consuetudinis absque tali animo se inebriasset, ut juxta *L.* & §. *cit. v. virum.* Tiraq. *l. c. n.* 11. Covar. *cit. n.* 4. Clarus §. *fin. q.* 60. *n.* 12. Menoch. *de arb. cas.* 325. *n.* 5. Wiestn. *n.* 72. ex ea ratione, quòd ordinariâ *legis Cornel.* seu pœna mortis plectatur solum homicidium proposito & dolo malo perpetratum.

2. Resp. Secundò: Ob homicidium propriè casuale, seu secutum ex opere voluntario licito sine omni culpa & dolo, nimirum ad quod cavendum debita diligentia adhibita, non contrahitur irregularitas aut ulla alia pœna, etiam Juris Civilis; quia tale homicidium nec directè nec indirectè voluntarium imputari nequit ad culpam operanti, adeóque nec ad pœnam, utpote quæ essentialiter culpam supponit; ita communis tam Theologorum, quàm Canonistarum. D. Thomas 2. 2. *q.* 64. *a. ult. in Corp.* juxta *L. item Mela.* §. 4. *l. si putatur in fine. ff. ad leg. Aquil. l.* 1. & 5. *C. ad leg. Cornel. de Sicar. c. lator. c. dilectus. c. ex litteris.* 14. *c. ex literis.* 15. *c. significasti. c. exhibita. c. Joannes. c. quidam. h. t.* quibus juribus concordat *Constit. Carolin. a.* 146. & quibus variis hujusmodi casus inducuntur. Sic v. g. dictas pœnas non incurrit, qui debitâ cautelâ adhibitâ ex charitate aut officio levat ægrotum, ísque ex isto motu moriatur, item qui ex præscripto medici præbet pharmacum, quod mortem asserit, item dum plures loco & tempore debito pilâ, conis, jaculatione; alióve honesto & non periculoso lusu se distrahunt unus eorum fortuitò percutitur aut traijcitur, item dum aliquo campanam debito modo pulsante pistillum decidens prætereuntem interemit, item dum equitans equum, qui de se ferox non erat, vel cujus ferociam ignoravit, fortè terrefactum cohibere non valens prætereuntem obtrivit, item qui ex alto trabem projicit priùs prospiciens, nemine viso, fortuitò transeuntem occidit, quos casus & alios citatis Canonibus, in quibus continentur singuli, declaratos vide apud Pirh. *h. t. à n.* 47.

3. Resp. Tertiò: Dum verò in actione vel opere licito adhibita non fuit debita diligentia præcavendi periculum mortis, adeóque admissa culpa lata theologica, ob homicidium inde secutum incurritur irregularitas & aliæ pœnæ juris saltem extraordinariæ, quia tunc homicidium est aliquo modo voluntarium, etsi actio sit licita. D. Thom. *l. c.* aliíque communiter. Arg. *c. presbyterum. h. t.* ubi refertur quendam presbyterum causâ disciplinæ seu correctionis percussisse puerum in capite, qui post dies paucos mortuus fuerit, super quo consultus Alex. Papa III. respondit, eum removendum perpetuò ab altaris ministerio & ab officio Sacerdotali deponendum, si puer inde interiit vel in aliam infirmitatem incidit, ex qua deinde mortuus; ratio hujus responsi est, quòd, licèt percussio illa bonâ intentione, nimirum correctionis causa, facta, quia tamen percutiens in illa excessit debitum modum & moderationem, nec percutiendo periculosam partem corporis debitam diligentiam cavendi periculum mortis in castigando adhibuit, culpabilis & imprudens fuit, quin & ipsa actio seu percussio illicita, unde hic casus non ita propriè firmat responsionem, quippe quæ supponit actionem de se licitam, qualis quidem in genere est correctio, non tamen talis quidem in genere est correctio, quæ fit percussione baculi in capite; quare etiam monent DD. Magistros in discipulis castigandis nimiùm excedentes semper reputandos irregulares, si mors vel mutilatio inde sequatur, præsertim cùm levis tantùm castigatio magistris sit permissa, per *L. sed etsi.* §. *ult. ff. ad leg. Aquil.* & *L. seq.* præceptoris nimia sævitia culpæ assignetur. Dixi: *ob culpam latam theologicam*, hoc est, mortaliter peccaminosam, ita ut non sufficiat culpa juridica, admissam in omissione adhibendæ diligentiæ ad præcavendum periculum mortis incurri dictas pœnas, hanc enim ad hoc requiri, probabiliùs & cum communiore docent Navar. *man. c.* 27. *n.* 251. Suar. *de cens. d.* 47. *s.* 5. *n.* 8. Gonz. *in c. de cætero. h. t. à n.* 1. Castrop. *tr.* 29. *d.* 16. *p.* 15. §. 4. *n.* 1. Pirh. *h. t. n.* 63. Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 21. Gobat. *tr.* 5. *c.* 20. *n.* 1. Wiestn. *h. t. n.* 82.

Reiffenst. *h.t. n.* 187. Arg. *c. quæsitum. de pœnis. & remiss.* ex ea ratione, quòd, dum jura nihil statuunt expressè circa qualitatem culpæ, benignior pars est amplectenda, ac ideo in materia præsertim irregularitatis, quæ est pœna gravissima, exigitur culpa lata pœnæ proportionata, Arg. *L. semper. ff. & c. in pœnis. de reg. juris in 6.* contrarium, nimirum sufficere etiam levem, tenentibus cum gl. *in c. significasti. h. t. v. scivisset.* Cajetano *v. irregularitas.* Covar. *l. c.* §. 4. *n.* 9. & aliis, Arg. *c.* 7. & 8. ubi tamen incurri irregularitatem & excommunicationem ex textu deducunt A. A. alii, culpam fuisse gravem.

Quæst. 231. *Num ob homicidium casuale secutum ex opere illicito inducantur irregularitas aliæque pœnæ juris, dum debita diligentia non omissa?*

Resp. Non convenire in hoc AA. affirmant absolutè cum D. Thom. 2. 2. *q.* 64. *a.* 8. Cajet. *ibid.* Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *c.* 10. *n.* 4. Fagn. *ad C. ad audientiam. h. t. n.* 9. & alii Canonistæ, præsertim veteres. Arg. *c. dilectus. h. t.* ubi, dum ab irregularitate excusantur, qui operi licito dant operam, si adhibitâ diligentiâ ex eo sequatur homicidium, ex quo à contrario inferre licet, non liberari ab ea, dum ex opere illicito etiam adhibitâ diligentiâ sequitur homicidium, & *c. tua nos.* & *c. sententiam, ne Clerici & Monachi*, ubi Clerici in sacris constituti & Monachi fiunt irregulares, si medicinam vel chirurgiam exercentibus etiam omni diligentiâ adhibitâ mors sequatur, quòd istiusmodi exercitium ipsis illicitum sit extra casum necessitatis, juxta gl. *in c. tua nos. v. congruebat.* & Abb. *ibid. n.* 2. & ea ratione moti, quòd per homicidium secutum tam ex opere illicito quàm licito faciliùs inducatur irregularitas, Arg. *c. dilectus & c. Joannes h. t.* Alii è contra apud Suar. *l. c. s.* 6. *n.* 4. absolutè docent contrarium; eò quòd velint tale homicidium non esse voluntarium, alii, ut Covar. *l. c. p.* 2. §. 4. *n.* 10. Nav. *l. c. n.* 121. Avil. *de cens. p.* 7. *d.* 6. *s.* 1. *du.* 1. Castrop. *l. c. d.* 6. *p.* 15. §. 4. *n.* 4. Suar. *l. c. s.* 6. *n.* 9. Sanch. *de matrim. l.* 9. *d.* 32. *n.* 5. Pirh. *h. t. n.* 65. Wiestn. *n.* 80. *&c.* meliùs distinguunt, ita ut affirment, si opus, ex quo sequitur homicidium, ex natura sua periculosum est, & mortis vel mutilationis inductivum, & præsertim si ideo prohibitum, v. g. chirurgiæ, balistariæ &c. respectu imperitorum, cùm tale opus exercenti censeatur aliquo modo in causa voluntarium; ita ut, qui hoc voluit, voluisse videatur ipsum homicidium ex juris interpretatione & præsumptione. Secus, si opus illicitum ex se non est ita periculosum, neque ob homicidii periculum prohibitum. Quare irregularis non erit Clericus venationi Clericis prohibitæ insistens, si hominem, quem adhibitâ diligentiâ putavit feram, occidat; adulter, dum ex adulterio sequitur inopinatò cædes adulteræ in adulterio deprehensæ, ita A. A. citati, qui etiam ad argumenta ab adversariis adducta bene respondent, primò, non rectè formari argumentum in pœnalibus præsertim irregularitatibus, cùm illæ non contrahantur præterquam in casibus jure expressis. Secundò: quòd casus relatus in *c. tua nos.* specialis sit, quo jus Clericis in sacris constitutis etiam chirurgiæ peritis prohibet illius exercitium ob periculum mortis non rarò cum illo conjunctum, illiùsque prohibitionis transgressores ab irregularitate non esse immunes, quoties ex chirurgia extra necessitatem exercita etiam adhibitâ omni diligentiâ sequitur mors aut mutilatio, ut Suar. *l. c. n.* 12. cujus contrarium est in Laicis, qui, etsi iis in pœnam alicujus criminis vel ob aliam causam extrinsecam prohibitum sit exercere medicinam vel chirurgiam, non incurrunt irregularitatem, si periti artis adhibuerint in curando diligentiam, etiamsi mors sequatur, quia exercitium hoc iis prohibitum non est ob periculum mortis, sed solùm Clericis, Pirh *h. t. n.* 69. citatis Suar. *l. c.* Avil. *l. c. l.* 1. *du.* 2. *in fine.* Tertiò irregularitatem non obstante adhibitâ debitâ diligentiâ ex opere illicito quàm licito faciliùs adhuc contrahi, quia dans operam rei licitæ præsumitur adhibuisse potiùs debitam diligentiam, quàm dans operam rei illicitæ, tradit Castrop. *l. c.* §. 4. 6.

Quæst. 232. *An & qualiter in dubio commissi homicidii quis censendus irregularis?*

1. Resp. Primò: Dum dubium est juris, seu dubitatur, num actui seu in hoc vel illo casu statuta irregularitas, in neutro foro incurritur irregularitas, seu censendus quis non est irregularis. Siquidem, ut jàm aliquoties dictum, irregularitas non incurritur, nisi in casibus jure expressis. *c. is, qui. de sent. excom. in* 6. jure autem expressum dici nequit, de quo dubitatur, num de eo lex vel canon aliquis exstet, ac ita cum communi tenent Suar. *l. c. d.* 40. *s.* 5. *n.* 4. Sanch. *l.* 1. *mor. c.* 10. *n.* 42. Pirh. *h. t. n.* 59. nec obstant textus *c. ad audientiam. c. significasti. c. penult. h. t.* loquuntur enim de dubio commissi homicidii, ac proinde de dubio facti, unde extendi non debent ad dubium juris, quorum dubiorum dispar est ratio in inducenda irregularitate; cùm, etsi ea procedat ex facto tanquam ex radice vel occasione, per se autem oritur ex jure, quod eam statuit tanquam ex causa efficiente, & hinc, si jus sit dubium, vel incertum, non posset inducere irregularitatem. Pirh. *l. c. vers. altera pars.*

2. Resp. Secundò: In dubio facti nimirum homicidii commissi, dum dubitatur, num illud, cui certum est, jure indictam & decretam esse irregularitatem, hìc & nunc commissum à Titio, seu is illius causa exstiterit, in utroque foro externo & interno censendus est irregularis, & is pro tali se gerere tenetur. Covar. *l. c. p.* 1. *n.* 3. Azor. *instit. mor. l.* 2. *c.* 19. *q.* 10. *&* 11. Suar. *de cens. l. c. s.* 5. *n.* 12. *& s.* 6. *n.* 1. 10. *&* 11. Sanch. *l.* 1. *mor. c.* 10. *n.* 42. Sayr. *in Clav. Reg. l.* 1. *c.* 13. *n.* 23. Pirh. *cit. n.* 59. juxta *c. ad audientiam. h. t.* ubi dum dubitabatur, num vulneratus ex occisione seu causa vulneris decessisset, atque ita dubium facti esset, num nimirum presbyter ille vulnerans commisisset homicidium, Pontifex tamen judicavit illum irregularem; loqui autem illum de utroque foro, ex eo probatur, quòd ubi non proceditur ex sola præsumptione, forum internum non discrepat ab externo, in dubio autem facti forum externum non fundatur in præsumptione, sed eodem modo supponit rem esse dubiam, sicut supponit forum conscientiæ, ideóque, qui judicatur irregularis in foro conscientiæ, debet etiam judicari in foro externo; ad hæc *cit. c.* apertè loquitur de re deducta ad forum externum, ut constat ex principio illius, *ad audientiam Apostolatûs nostri pervenit*, hujus igitur irregularitates incursæ ob dubium facti homicidii sunt, si quis fœminæ dedit causam ad abortum, sed dubitabat, an fœtus esset animatus, censendus est irregularis, quia est dubium facti. Sanch. *l. c. n.* 43. apud Pirh. *n.* 60. item qui consuluit homicidium, dum adhibitâ diligentiâ dubitat, an suo consilio induxerit ad homicidium, gerere se debet, ut irregularem, cùm hoc sit dubium facti,

quia

quia dubitat, num suum consilium influxerit in homicidium. Porrò regulam illam, quòd in dubio pars tutior sit eligenda (uti in præsenti casu facit, qui se pro irregulari habet, & hinc abstinet &c. susceptione & ministerio ordinum ad evitandam irreverentiam, cui se exponit non habens se pro irregulari) habere specialiter locum in dubio commissi homicidii, & non universaliter in dubiis juris aut etiam facti aut respectu aliarum irregularitatum, docent Sanch. *l. c. n.* 48. Suar. *cit. s. 6. n.* 8. Avil. *l. c. d.* 2. *du.* 5. *concl.* 2. quos citat & sequitur Pirh. *n.* 60. quia in dubio delicto aliàs reus est absolvendus, etiamsi nihil egerit, cùm favorabiliores sint rei quàm Actores. *Reg.* 125. *ff. de Reg. juris. & leg.* 11. *eod. in* 6. Notandum insuper, dicta de homicidio non habere locum in dubio de mutilatione. Sanch. *l. c. n.* 49. quia, quamvis quò ad irregularitatem æquiparentur homicidium & mutilatio, solùm tamen in dubio facti homicidii jure statuta & expressa est hæc irregularitas, adeóque non extendenda ad dubium facti de mutilatione, quæ non est propriè homicidium. Notandum item, quòd, quamvis in dubio facti homicidii censeri quis debeat irregularis quò ad inhabilitatem suscipiendi ordines & ministrandi in illis, non tamen quò ad alias pœnas censendus est irregularis, v. g. ut privetur beneficiis habitis, vel aliâ pœnâ ordinariâ homicidii puniatur, cùm pœna ordinaria imposita certò delicto non debeat imponi propter delictum dubium, sed ad summum extraordinaria pro qualitate dubii, ita Pirh. *cit. n.* 60. cum Sayro *l. c. c.* 13. *n.* 25. Sanch. *l. c. c.* 10. *n.* 45.

Quæst. 233. *Num liceat interficere iniquum accusatorem, falsos testes, à quibus imminet falsa accusatio & testificatio, & judicem, à quo pronuntianda injusta sententia?*

REsp. negativè juxta damnatam ab Alex. VII. hanc propositionem: *licèt interficere falsum accusatorem, falsos testes & falsum judicem, à quo iniqua certè imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare*, cujus propositionis justa damnatio vel ex hoc satis à posteriore probatur, quòd, si hoc liceret, innumera sequerentur absurda, & mala, dum amore proprio excæcati se reputarent, & dicerent innocentes, etsi tales non essent, & occidere niterentur præfatas personas, quin & ipsi judices, accusatores & testes, ut securos se redderent, reum vel judicialiter vel privatim occiderent, etiam non exigente justitia, aut occidi facerent, ita Reiffenst. *h. t. n.* 140.

Quæst. 234. *Num occidens aggressorem, quem priùs iniquè ad aggrediendum incitavit, fiat irregularis?*

REsp. Eum, qui contumeliosis verbis, alapâ, adulteriò uxoris, similíve injuriâ alium injustè affecit, indéque eum ita irritavit, ut injuriantem occidere nitatur, illum, inquam, aggredientem se injurians, servato moderamine inculpatæ tutelæ occidere posse absque eo, quòd incurrat irregularitatem, tenent Sylv. *v. homicidium.* 8. *q.* 8. Sotus *L.* 1. *de just. q.* 1. arg. quos sequuntur Reiffenst. *h. t. n.* 151. ex ea ratione, quòd licèt injurians culpabilis sit, dederitque causam ad talem aggressionem sui, per hoc tamen nullum triburum jus injuriato, ad vindicandum se lethaliter authoritate propriâ, & mortem intentandi injurianti, ideóque, si nihilominus eam intentet, injustus invasor est, & consequenter ab injuriante servato moderamine inculpatæ tutelæ occidi potest, quod tamen moderamen non servabit is, dum fugiendo vitam servare potest, cùm ei tam ignominiosum non sit, fugere & declinare iram illius, quem injustè priùs irritavit. Fore tamen etiam in tali casu occidentem irregularem, si ex præcedente injuria sua inferenda hujusmodi homicidii periculum prævidisset; notant Gutt. *q.* 4. *can. L.* 2. *c.* 6. *n.* 43. Mol. *de just. tr.* 3. *d.* 72. *n.* 2. ex ea ratione, quòd licèt tale homicidium injustum non sit directè ratione defensionis, sit tamen injustum indirectè & in causa, ac propterea subjectum irregularitati.

Quæst. 235. *Quodnam propriè & specialiter hic dicatur deliberatum homicidium.*

REsp. Non quodvis homicidium voluntarium, etiam directè intentum, dicitur deliberatum propriè, prout hìc terminus is accipitur, sed illud, quod prævià animi deliberatione, concepto proposito alteri inferendi necem, ex intervallo commissum est, qualis deliberatio & animi propositum, num ex intervallo præcesserit illationem necis, arbitrio Judicis facti qualitatem, & circumstantiis accuratè ponderantis relinquendum, dicit Wiestn. *h. t. n.* 86. cum Menoch. *de arb. cas.* 361. *n.* 1. Farin. *pr. crim. q.* 125. *n.* 9. quíque tale, seu pro præmeditato habendum esse ajunt, quod nullâ præcedente irâ vel rixâ aut iustus aliquis dolus similísve passio præcessit, quod ab inimico capitali ex insidiis vel proditoriè seu amicitiæ simulatione post necis inferendæ jactationem, comminationémve, prævio de ea inferenda tractatu & consultatione, congregando Socios, aliáque ad aggressionem necessaria comparando, præter morem armis se accingendo, cædis locum frequentando, ad fugam tutúmque receptum omnia præparando &c. patratum est, ita Wiestn. *l. c.* quæ omnia indicant requiri ad tale homicidium deliberationem ex intervallo præcedentem, ita ut, si quis casu obviam habens inimicum irâ commotus eum interficiat, non dicatur homicidium deliberatum, nisi appareat aliunde illum jam antè deliberasse occidere. Clar. §. *homicidium. n.* 8. súntque hæc & similia conjecturæ, ex quibus necessariò formanda probatio commissi homicidii deliberati, dum ea, quæ in animo consistunt, soli Deo nota, aliter probari nequeunt. Clar. *l. c.* ubi etiam, quòd aliud sit præsumere animum occidendi (quæ præsumptio fieri potest ex loco corporis, in quo inflictum vulnus, ex genere armorum, ex multitudine vulnerum) aliud præsumere homicidium factum præmeditatò.

Quæst. 236. *An & qualiter specialiter puniantur rei homicidii deliberati, & num excludantur ab asylo locorum sacrorum?*

1. REsp. Primò in genere: Sicut delictum homicidii præmeditati multò gravius est delicto homicidii simplicis, v. g. commissi in rixa subitò orta, aut vehementiore passione animi, ita gravior animadversio in homicidas deliberatos utroque jure constitutarum pœnarum certior executio, difficilióque remissio, & quidem difficillima relaxatio irregularitatis ei statutæ, ut constat ex praxi Curiarum utriusque fori, teste Wiestn. *h. t. n.* 82. Reiffenst. *n.* 60. loquens in genere de homicidiis qualificatis, inter quæ est homicidium præmeditatum.

2. Resp. Secundò: homicidas deliberatos sacrorum locorum asylo non defendi, sed inde extractis

promerita supplicia inferenda, statuunt Jura Civilia. *Novell. 17. c. 7.* Quæ tamen eorum dispositio secundùm se insufficiens foret ad privandum eos hac immunitate, nisi à Jure Canonico. *Can. id constituimus. 17. q. 4. &c. inter alia. de immunit. Eccles.* expresè approbata; quippe cujus solius est statuere de negotiis concernentibus religionem, qualis est materia hæc immunitatis Ecclesiasticæ. Ab eo itaque illis denegatum quoque asylum in loco sacro & religioso, tradunt. Clar. *L. 5. §. fin. q. 30. n. 12.* aliis citatis, qui etiam communem vocant, dicens ab ea in practica non recedendum. item Decian. *tr. crim. L. 6. c. 28. n. 15.* Fachin. *controvers. L. 9. c. 3. §. ego.* Mol. *de I. & I. tr. 3. d. 23.* quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. num. 89.* adducentes illud *Exod. c. 21. vers. 14. Si quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab Altari meo avelles eum, ut moriatur.* Quod præceptum judiciale legis veteris etsi extinctum morte Christi, Gregor. IX. tamen transferendo illud in Decretales, *c. 1. h. t.* fecit esse juris Ecclesiastici. Quod ipsum non solùm ad occidentes ex insidiis strictè loquendo (quæ occisio est quasi species quædam Homicidii deliberati) sed indiscriminatim ad omnes deliberatos Homicidas, tanquam insidiarum vitæ proximi structarum ipso nocendi proposito reos, extendunt aliqui, & quòd illis præcluso Asyli perfugio statutum sit capitale supplicium, confirmant illo *Exod. c. 21. vers. 12. & 13. qui percusserit Hominem, volens occidere, morte moriatur, qui autem non est insidiatus, sed Deus tradidit eum in manus illius, constituam ei locum, in quem fugere debeat.* Cujus textûs pars prior statuens pro pœna mortem, loquitur de volente, hoc est, intendente præmeditatò occidere, pars altera de occidente sine proposito, cui tanquam magis commiseratione digno statuitur locus refugii & immunitatis.

3. Resp. Tertiò: Num verò indiscriminatim quicunque deliberatè Homicidii rei Jure Canonico puniantur privatione privilegii immunitatis seu Asyli, in eo, inquam, non conveniunt AA. idque ob diversas *cit. c. 1. h. t.* desumpti ex *c. 21. Exodi* interpretationes, quam diversitatem tantam esse ait Wiestn. *n. 93.* ut *cit. c. 4.* tanquam sensus ambigui juxta Bart. & Felin. ad decisionem causarum, præsertim ad Homicidarum deliberatorum indiscriminatim omnium exclusionem juris instar allegari nequeat. Sic primò volunt aliqui, hoc textu venire Clericos criminis hujus reos, quòd non nisi morte civili per dignitatis, beneficii, officii Ecclesiastici privationem aut degradationem à Ministerio Altaris amoti damnentur morte naturali, absque eo, quòd gaudeant privilegio Asyli. Quod idem dicendum de Laicis, dum ab Altaris participatione & ipsa fidelium communione remoti. Secundò alii præter nocturnos agrorum depopulatores, de quibus *c. sicut antiquitus. 6. q. 4.* & eos, qui Homicidia vel mutilationes membrorum (intellige etiam non præmeditatò) in ipsis Ecclesiis vel earum cæmiteriis committunt, à Sacro Asylo cum Innoc. & But. excludi volunt solùm latrones, qui in publicis viis viatores ex insidiis occidunt. Tertiò alii *cit. c. 1.* ab Asylo excludi volunt solùm homicidas proditorios, ut Archid. *in cit. c. 1. v. etsi fortè.* Host. *ibid. n. 2.* Anchoran. *n. 2.* Fagn. *n. 4.* Farin. *L. 1. cons. 76. num. 18.* de Franchis. *decis. 713.* Sperell. *decis. 23. n. 18.* juxta quod colligitur ex verbis *Exodi l. c. v. 14. Si per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab Altari meo avelles eum, ut moriatur.* Utpote quæ de Homicidio propriè proditorio & doloso, amicitiæ vel reconciliationis simulatione commisso, ut patet exemplo Joabi occidentis Abner & Amasam specie amicitiæ deceptos. *reg. L. 1. c. 3. v. 16. & c. 20. v. 7. & 10.* Verùm de utraque hac specie Homicidii deliberati ex insidiis, & proditorii in particulari, in sequentibus.

Quæst. 237. Ex insidiis patratum Homicidium quod sit, quas pœnas incurrat, & num defendatur asylo?

1. Resp. Ad Primum: Homicidium hoc, quod Homicidio deliberato superaddit qualitatem insidiarum structarum, dicitur illud, quod viæ lateri insidens, ibique absconditus exspectansque illac transeuntem nihil tale prævidentem improvisò adoritur & occidit. Clar. *L. 5. §. Homicidium, n. 9.* Wiestn. *h. t. n. 98.*

2. Resp. Ad Secundum: Homicidium ex insidiis perpetratum, uti longè atrocius eo, quod apertâ vi commissum, ita semper graviore pœnâ puniri consuevit, unde & ipse conatus, si ad actum proximum processisset, capite plectendus, etiamsi is, cui ex insidiis inflictum vulnus lethale animo occidendi illum, præter spem convaluisset, adhuc pœnâ ordinariâ Sicariis statutâ puniendum tradit. Ant. Matth. *in L. 48. ff. de Sicar. n. 4.*

3. Resp. Ad Tertium: In eo non satis convenire AA. jure veteri decretalium ex insidiis Homicidium committentes non defendi asylo satis certum videtur, ac ita asserit Wiestner. *h. t. 101.* citatis quamplurimis, & inter cæteros Claro. *§. Homicidium. n. 9. & §. fin. q. 30. n. 13.* qui tamen absque eo, quòd signatè meminisset juris veteris, absolutè ita pronunciat, & tanquam sententiam communem & in practica servandam defendit Covar. *L. 2. ver. c. 20. n. 7.* qui tamen Homicidium insidiosum cum proditorio confundit. Sanch. *cons. L. 6. c. 1. du. 8. n. 26.* ubi tantùm de Homicidio proditorio. Suar. *tr. 2. de relig. L. 3. c. 11. n. 12.* Decian. *tr. crim. L. 6. c. 28.* Placha *in epitome delictorum. L. 1. c. 21. n. 6.* qui ferè omnes scripserunt ante Gregor. XIV. cujus constitutio, de qua mox, in contrarium citatur. Idem esse seu non defendi illos asylo locisacri, adhuc hodiedum non obstante *cit. constit.* illâ Gregorianâ sustinent Gambacurt. *L. 5. de immunit. c. 28. n. 3.* Marius Italus *L. 1. de immunit. c. 5. §. 4. n. 3.* Matth. *de re crim. controv. 30.* Gresset. *Anatom. necis prodit. §. 9.* ipsa illa *constit.* Gregorianâ nixi tanquam fundamento suæ opinionis, utpote quâ expresè asylo excluduntur Homicidæ proditorii, Homicidium autem proditorium & insidiosum sunt ejusdem significationis seu nomina Synonyma. Quod si verum, uti variis rationibus quàm fusissimè evincere conantur AA. apud Wiestn. *à n. 105.* usque ad *n. 111.* Idem perperam diceret sentire illos contra TT. & JC. plerosque, dum ii juxta *cit. constit.* tuentur, Homicidas proditorios non defendi Asylo Sacro. De cætero tantùm non certum hodiedum esse contrarium, nimirum interfectionem inimici purè ex insidiis, nullâ amicitiæ simulatione interveniente seu absque proditione propriè tali factam, jure constitutionis Gregorianæ nulli Homicidæ, nisi sit latro publicus vel Homicidium in Ecclesia aut cæmiterio vel proditoriè aut per assassinium committens, denegantis perfugium ad Asylum Sacrum, non excludendam Asylo, maximo consensu tradunt tam TT. quàm Canonistæ, quotquot immunitatem Ecclesiasticam

ex

ex instituto plenè tractarunt & dictam constitutionem præ oculis habuerunt, ut inquit Wiestn. *l.c.* unicam & solidam hujus sententiæ rationem dans, quòd ex insidiis occidens propriè & in sensu constitutionis Gregorianæ reus non sit necis proditoriæ, uti idipsum probare quàm fusissimè nititur *à n.* 112. *ad n.* 119. inclusivè. Ac primò quidem Authoritate Clem. VIII. & Pauli V. Successorum Gregorii XIV. relatorum à Sperell. *decis.* 175. *à n.* 44. quorum verba recitat. Secundò ex declaratione *S. Cong. super negot. Episcop. & regular.* Tertiò ex praxi variorum tribunalium, & in specie curiæ Neapolitanæ teste Genuen. *pr. Neapolit. c.* 94. *num.* 2. Haunol. *Tom.* 6. *de l. & l. tr.* 1. *num.* 219. Quin & in Romanæ urbis cæterisque Italiæ & Christiani orbis Tribunalibus inimicum ex insidiis, non tamen amicitiæ similive specie deceptum occidentem pro proditoriè occidente non habent, teste Covar. *L. c. num.* 7. Sperel. *cit. decis.* 175. *num.* 57. Quartò ratione: cùm in dubio sacris & religiosis locis, ac ad ea confugientibus favorabili & benigniori interpretationi (qualis est illa, quod Homicidæ insidiarii non sunt confundendi cum proditoriis in ordine ad excludendos illos ab Asylo) locus sit, ut etiam ex ipsis adversariis docent Italus & Decian. etsi hoc in puncto sibi contrarii, atque ita C. de Luca *Miscellan. de immunit. disc.* 9. *n.* 6. licèt in criminosorum ad asyla se recipientium odium eorúmque ex iis exclusionem jura, cum possunt, latè accipi velit, proditionis tamen nomine quasvis insidias in proximi necem structas comprehendentem significationem apertè rejicit.

Quæst. 238. *Homicidium Proditorium quid & quotuplex, & num privet immunitate Asyli?*

1. Resp. Ad Primum: Homicidium proditorium aliud largè & impropriè tale, dum quicunque proximi sive amici sive inimici vitæ clandestinâ circumventione seu occulta machinatione qualicunque insidiatur, eúmque nihil tale prævidentem, adeóque hìc & nunc ad defensionem impotentem aggreditur & necat. Aliud propriè & strictè tale, dum quis proximum amicum aut etiam inimicum non quibuscunque, sed sub specie amicitiæ, societatis, fidelitatis seu obsequii exhibendi dolosâ simulatione, nullâ intercedente rixâ aut inimicitiâ antecedente, vel saltem per sinceram reconciliationem sublata, datáve promissione & fide de non offendendo occidit, qualiter Joab Amasam & Abner officiosè amplexando occidit, dicens: *Salve mi frater!*

2. Resp. Ad Secundum: Etiam si Homicidium proditorium utroque modo sumptum, sicut est atrocissimum, ita & severissimis suppliciis & pœnis dignum & obnoxium, solum tamen Homicidium proditorium propriè & strictè tale punitur privatione immunitatis Ecclesiasticæ. Pignat. *Tom.* 1. *consult.* 175. *num.* 3. *& consul.* 37. *num.* 8. *&* 20. Farin. *in append. de immunit. c.* 9. *n.* 143. quos citans Wiestn. *h.t. n.* 122. ait, hanc sententiam hodiedum ita certam & tot DD. suffragiis roboratam, ut in dubium amplius revocari nequeat; probatur præcipuè ex ipsa constitutione Gregoriana, ubi Papa ad tollendam omnem dubitationem ex variis interpretationibus. *cit. c.* 1. occasione verborum illorum: *Per industriam vel per insidias* natam omissis illis expressè ait: qui proditoriè proximum suum occiderit, privandum immunitate Ecclesiastica, ex qua intentione Papæ hac constitutionis suæ dilucida declaratione omnem dubitandi & perperam interpretandi occasionem submovere intendentis patet, dicta verba in proprio & communi usu recepta significatione accipienda; cùm instar regulæ sit, legum humanarum verba, cùm possunt, secundum propriam & communi usu comprobatam significationem exaudienda. *L. non aliter. ff. de Legat. L. librorum.* §. 4. *ff. eodem.* & Bartol. *ibid. num.* 1. Confirmatur ex eo, quod Ss. Congregationum ad sensum Constitutionis Gregorianæ quò ad privationem immunitatis dictis Homicidis proditoriis propriè talibus statutam emanatæ decisiones & responsa semper eodem modo, nempe uniformitas rescriptorum & responsorum super eodem articulo redditorum faciat stylum seu praxin Curiæ Romanæ, Bart. *in L.* 2. *c. quæ sit longa consuet. n.* 9. Cynus *in L.* 1. *c. eodem.* stylus autem Curiæ faciat jus, Suar. *de LL. L.* 7. *c.* 5. *n.* 5. Castrop. *tr.* 3. *d.* 3. *p.* 1. *n.* 3. arg. *c. quàm gravi. de crim. falsi.* Semper verò & constanter in dictis congregationum decisionibus per veros homicidas proditorios non intelligi, nisi, qui præcedente amicitia, societate &c. sub specie illius, officii, aut datæ fidei occidunt, nihil tale cogitantem, patet ex earum aliquibus adductis, pro exemplo à Wiestn. *n.* 124. nimirum congregationis *super negot, Episc. & regul. in una Consentina.* 8. *April.* 1603. in alia 16. *April.* 1611. in una *Rhegiens.* 12. *Octob.* 1602. in *Boianens.* 6. *April.* 1622. in alia *congregat. immunit.* 8. *Aug.* 1637. quâ expressè asseritur, ad probationem homicidii proditorii requiri amicitiam præcedentem, saltem simulatam, ita, ut odium & inimicitia lateat alterum, subintelligendo etiam sub specie illius commissum homicidium, uti proditionis crimen non nisi simulatione amicitiæ, similive figmento committi, patet quoque ex S. Scriptura, dum Judam proditorem nequissimum Christi non aliter repræsentat per Psalmistam, *Psal.* 40. *v.* 10. *Psal.* 54. *v.* 14. uti hæc loca de Juda passim interpretantur interpretes, Blanck. *in Psal.* 40. *à n.* 27. *& in Psal.* 54. *à n.* 6. *S.* Antonin. *in sum. p.* 2. *c.* 22. Gerson. *p.* 2. *serm. de Cœna Dom.* qui idcirco proditorem vocat familiarem inimicum. Patet item ex utroque jure; jure canonico ex *Can. Clericus, qui. dist.* 46. proditionem conjungendo adulationi, dum proditor adulatoris in modum ei, cui struit insidias, blanditur, ut Gl. *ibid. v. proditionibus.* & Turrecrem. *ibid. n.* 5. jure civili. *L. cujuscunque. ff. ad Leg. Jul. Majest.* dum exercitus Romani proditor habetur, cujus tanquam ducis, commilitonis, socii, amici, & propterea non suspecti dolo malo in insidias est deductus, arg. *L. omnes.* §. 4. *L. proditores. ff. de re militar. L. fin. c. quæ res export. non deb.*

3. Atque ex hac homicidii proditorii vera, & Constitutioni Gregorianæ deneganti illi immunitatem confirmata explicatione pro praxi deducuntur sequentia. Primò, non gaudere illo Asylo, qui parentem, conjugem, dominum, familiarem, commilitonem, socium mensæ vel itineris occidit, quia supponitur inter eos amicitia, seu nulla saltem præsumitur inimicitia præcessisse, prout à S. Congreg. Cardin. Trid. interpret. declaratum testatur Delben. *de immunit. c.* 16. *du.* 20. *s.* 2. *n.* 3. Secundò, inimicum in speciem reconciliatum rancore in animo remanente, eúmque non manifestante, alteróque illum rediturum non potente suspicari, occidit illum; quia adhuc sub specie seriò factæ reconciliationis occidit, Farin. *L.* 2. *cons.* 168. *num.* 75. Tertiò, eum, qui alterum necat veneno, ut à S. Congreg. Concil. 3. *Decemb.* 1632. declaratum, teste Pignat. *Tom.* 9. *consult.* 37. *n.* 12. quod tamen

distinguendum, ut procedat, si veneno dilutâ potione præscriptâ à Medico hospes, conviva, domesticus, aliúsve sub amicitiæ, benevolentiæ, aut officii specie necatur; secus, si hostis, altérve inimicus armis, veste vel alimentis veneno infectis interficitur, quia sub specie amicitiæ non est insidiatus vitæ illius. Quartò, etiamsi, qui sub amicitiæ specie occiditur, sit infidelis, Farin. *l. c. c.* 8. *n.* 120. Castrop. *tr.* 11. *d. unicâ. p.* 9. *n.* 31. contra Dianam *p.* 4. *tr.* 1. *resol.* 46. In eo verò, num procurantes abortum animatum, sint propriè homicidæ proditorii, & hinc excludantur ab Asylo Ecclesiastico, non convenit inter AA. affirmat de Gonny *de immunit. fallent.* 14. idémque asserit Farin. *in append. de immunit. c.* 9. *n.* 139. de matribus procurantibus abortum, ex ea ratione astruens huic procurationi malitiam proditionis, quòd infans impiæ matris insidias nec prævidere nec præcavere potuit. Contrarium verisimiliùs defendunt Leo *thesau. for. eccles. p.* 1. *c.* 13. Bonac. *d.* 3. *q.* 7. *de immun. p.* 6. §. 3. *n.* 6. ex ea ratione, quòd proditio propriè dicta non cadat in infantem, utpote qui usu rationis destitutus, sicut decipere, ita nec decipi potest simulatione alterius aliud verbis exprimentis, aliud animo gerentis.

4. Infertur è contra, immunitate ecclesiasticâ defendi: Primò, qui corrivalem, competitorem, æmulum casu occurrentem repentè aggreditur & occidit, quia & deliberatio & amicitia, aut amicitiæ simulatio, qualitates ad proditoriæ necis constitutionem necessariæ deficiunt, Wiestn. *h. t. n.* 140. Secundò, qui inimicum in proprio ipsius domo, aut in suam debiti alicujus exigendi gratiâ venientem inermem & incautum occidit, etsi illa cædes sæpe præmeditata; quia sub amicitiæ, vel reconciliationis specie non perpetrata, adeóque proditionis ratione caret, C. de Luca. *de immun. disc.* 9. *n.* 8. id probans exemplo proprii facti, in quo ipse sic resolvit. Tertiò, eum, qui quemcunque etiam amicum, contubernalem, consanguineum &c. rixa subitò exorta, vel verbo aut facto illatâ injuriâ ad iram commotus occidit; quia tale homicidium præmeditatum non est, quod autem præmeditatum & deliberatum non est, proditorium non est, utpote quod præviæ deliberationis qualitatem involvit, & supponit, Farin. *l. c. q.* 18. *n.* 73. Pignat. *Tom.* 2. *consuet.* 39. *n.* 17. Wiestn. *n.* 142. Quartò, eum, qui alterum provocatum à se occidit in duello, quia patet, non occidi illum proditoriè, Farin. *l. c. c.* 7. *n.* 171. contra Barb. *L.* 2. *Juris eccles. c.* 3. *n.* 101. non obstante ratione, quam is adducit, nempe, quod duellantes incurrant excommunicationem, & sepulturæ ecclesiasticæ privationem, ex Decreto Trid. *sess.* 25. *c.* 19. *de reformat.* quia exclusionem ab Asylo non infert excommunicatio, aut etiam privatio sacræ sepulturæ, ut Ambrosin. *de immunit. c.* 8. *n.* 12. Delben. *de immunit. c.* 16. *du.* 20. *s.* 6. *n.* 2. Quintò, eum, qui proditoriè vulnerat proximum, vel animo necandi ei venenum præbet, si mors non sequatur, Farin. *c.* 9. *n.* 145. quia *Constit. Gregor.* & *c.* 1. *h. t.* utuntur *v. occiderit*, quod est temporis præteriti, & denotat actum præteritum & consummatum, *L.* 1. §. 1. *ff. quod quisque juris in alterum.* Baldus *in L. damn.* §. *Sabini. ff. de damn. infect.* Sextò, eum adhuc defendi immunitate, qui alium deducit ad locum, in quo ab alio prævidet occidendum, docent Dian. *p.* 6. *tr.* 1. *resol.* 12. Delb. *cit. du.* 20. *n.* 8. apud Wiestn. *n.* 146. ex ea ratione, quòd quidem proditoriè, non tamen physicè, sed moraliter tantùm occidat; *Constit. Gregor.* autem, & *cit. c.* 1. loquantur de nece physicè, & propriâ actione illata. Quod si verum, etiam defendendus immunitate, qui alteri mandat aut suadet, occidi alium proditoriè, sive sub specie amicitiæ. Verùm contrarium probabiliter, si non probabiliùs, docet Peregrin. *de immunit. c.* 7. *n.* 8. Denique homicidæ sacrilegi ratione personarum, v. g. Clericorum, Regularium, quin & Sacerdotum, nisi sub specie amicitiæ occiderint alium, non excluduntur Asylo, quia homicidæ proditorii non sunt, Farin. *cit. n.* 7. *n.* 114. Delb. *l. c. s.* 21. *n.* 1. Giurba *cons.* 70. *n.* 9. contra Riccium *p.* 2. *prax. decis.* 209. Curtell. *de immunit. L.* 1. *q.* 24. docentes, illos parricidas esse, parricidas autem excludi Asylo. Verùm nec parricidæ sunt, ut bene Delben. *c.* 16. *du.* 24. *s.* 21. *n.* 4. nec parricidii qualitas, præsertim in rixa, aut præcedente inimicitia commissi, vim ex Asylo excludendi habet, ut Barb. *L.* 2. *Jur. Eccles. c.* 3. *n.* 95.

Quæst. 239. *Homicidium Assassinum quodnam dicatur, & quæ pœnæ præter privationem immunitatis ecclesiasticæ ei statutæ?*

Resp. De hoc crimine, tam quò ad naturam illius, quàm quò ad pœnas ei statutas sufficienter tractatum, *Lib.* 2. *tit.* 2. *q.* 187. *Lib.* 3. *tit.* 49. *q.* 1028. *hoc Lib. cit.* 12. *c.* 1. quo lectorem remitto. Videri quoque potest *c.* 1. *h. t. in* 6. quod Assassinorum pœnas veluti compendio comprehendit.

Quæst. 240. *An ob homicidium factum ad defensionem propriæ vitæ & membrorum incurratur irregularitas?*

1. Resp. Occidens vel mutilans alium ob necessariam sui corporis seu vitæ defensionem, aut propulsandam membrorum suorum mutilationem, servato moderamine inculpatæ tutelæ non fit irregularis, ut cum D. Thom. 2. 2. *q.* 64. *a.* 7. *in corp.* Covar. *in Clem. si furiosus. p.* 3. §. *unic. n.* 1. Suar. *de cens. d.* 46. *s.* 1. *n.* 4. Clar. *l.* 5. §. *homicidium. n.* 24. dicens, esse indubitatam juris conclusionem, Pirh. *h. t. n.* 77. DD. communiter, prout constat ex *Clem. si furiosus. junctis c. significasti.* ubi: *Tametsi id fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam*: & ex ea ratione, quòd jure naturali, divino ac humano permissum sit, vim vi repellere, *c. significasti. L. vi vim. ff. de just. & jure.* inferendo etiam, ubi aliter fieri nequit, mortem injusto invasori; ex eo autem, quòd, quia permissum, omni culpâ caret, pœna irregularitatis inferri nequit, sed neque ob defectum lenitatis, cùm is non interveniat in eo casu, quo interfectio injusti invasoris assumitur tanquam unicum medium, ad evitandam mortem propriam aut mutilationis, ut bene Suar. *l. c. n.* 1. unde jam jura antiqua aliàs idem statuentia, ut neque Clericus, neque Laicus ob talem sui defensionem incurreret irregularitatem, nisi dum quandoque contrarium insinuare videntur, non aliter intelligenda, quàm si invasus se aliter defendere potuit, ut Gl. *inc. de his. & c. si quis. dist.* 50. qualiter etiam explicandus videtur D. Thom. dum *l. c. a.* 7. *ad* 3. ait: quòd Clericus, etiamsi se defendendo interficiat aliquem, sit irregularis. Nec aliud infertur ex Trid. dum *sess.* 14. *c.* 7. *de reformat.* dispensationem committit ordinario loci, ubi quis vim vi repellendo, ut se à morte liberet, commisit homicidium, quàm quòd id procedat in casu, quo quis excessit moderamen inculpatæ tutelæ, quia

se po-

se poterat alio modo defendere, ut Pirh. *l. c.* juxta declarationem Cardin. Concil. apud Gallemart. *loc. cit. Concil. n. 3.* Porrò necesse non esse, ut in specie probetur necessitas defensionis, sed satis esse, ut probetur simpliciter, occisionem factam ad sui defensionem, tradit Clarus *v. homicidium. n. 33.* citans Bald. *in L. solam. c. de testib. n. 11.* Decian. *in L. ut vim. ff. de J. & J. n. 17.* qui dicit communem; addens, se putare ab ea in practica non esse recedendum, nihilominus contrariam esse receptionem, dicit Monchiaca. *Controvers. illust. c. 10. n. 6.* De cætero ampliatur responsio primò, ut non fiat irregularis, etiamsi aggredi volentem præveniat & occidat; non enim tenetur exspectare, donec ab alio præveniatur, modò aliud Medicum evadendi mortem non adsit, Pirh. *n. 78.* cum Nav. *man. c. 25. n. 2. in fin.* Secundò, ut etiam juxta dicta sufficiat, ad evitandam irregularitatem, homicidium committi ob defensionem contra mutilationem, si aliter integritas membrorum servari nequit, Suar. *l. c. s. 2. n. 6.* Sicut enim mutilatio æquiparatur homicidio, ad contrahendam irregularitatem, ita defensio à mutilatione æquiparatur defensioni à morte, quò ad evitandam irregularitatem. Tertiò, ut irregularis non fiat, qui ob defensionem necessariam sui occidit innocentem, v. g. furiosum vel amentem, si aliter salvare se nequeat, cum tunc cædes innocentis habeat se per accidens non intenta, sed secuta ex opere licito & necessario, Barb. *in Clem. si furiosus. n. 17.* Quartò, dum non potens se defendere advocat alium, qui se defendat, & is occidit injustum invasorem, cùm, quod licèt alicui facere per se, licèt etiam facere per alium, & censetur tunc facere per se ipsum, Nav. *man. c. 27. num. 212.* Pirh. *l. c.* & apud hunc Avila. Quintò, ut non fiat irregularis, etiamsi occidat cum odio interno, & appetitu vindictæ, modò revera occidat ad se defendendum, quia tunc actus ille internus non sufficit, ad inducendam irregularitatem, dum homicidium procedit quidem cum illo actu seu odio, non autem purè ex eo; uti procederet purè ex spiritu vindictæ, si post sedatam rixam vulneratus ex intervallo insultum faceret in vulnerantem, eúmque occideret, aut mutilaret, Clarus *L. 5. §. homicidium. n. 34.*

2. Quod attinet ad moderamen inculpatæ tutelæ, (in quo, si excessum, puniri posse excedentem, non quidem pœnâ aliàs ordinariâ homicidii, sed solùm juxta excessum illum pœnâ extraordinariâ, & mitiore arbitrio Judicis, & hoc non solùm, quando excessit modum ex culpa, sed etiam ex dolo, astruit Clar. *l. c.* dicens, sic statui communiter) ad moderamen, inquam, illud tria requiruntur, scilicet causa, modus, tempus, ut idem Clar. *l. c.* & re ipsâ alii D. D. ad causam defensionis spectat, ut eam præcedat injusta invasio, ante hanc enim occisio facta non erit sui defensio, sed alterius invasio; sufficit tamen ea certò prævisa, ut mox imminens, quia non est necesse, exspectare invadentem, sed is præveniri potest, juxta mox dicenda. De cætero justa invasio non est causa, sese defendendi occidendo vel mutilando invadentem, sic ministri justitiæ invadentes reum, ab eo occidi nequeunt, quia hi non invadunt, ut occidant, sed ut mandatum Judicis exequantur, Pirh. *n. 92.* Ad modum defensionis spectat, ut ea sit proportio nata injustæ invasionis, & non excedat necessariam defensionem, arg. *c. ut famæ. de sent. excomm. juncta L. scientiam. §. 4. ff. ad Leg. Aquil.* sic moderamen inculpatæ tutelæ excedit, qui pugnis se invadentem, armis propulsat, mutilat & occidit: Item, qui occidit eum, quem vulnerando & mutilando repellere poterat ad propriam vitam, & membra tuenda; item, qui occidit & mutilat, dum sine gravi incommodo fugere, vel clamando implorandóque auxilium salvare se poterat: Quod spectat ad tempus, moderamen excedit, qui non in continenti, quo injustam aggressionem patitur, aut quo quis certò eam imminentem cognoscit, sed ex intervallo, postquam aggressor abiit, aut nocere & aggredi destitit, eundem aggreditur; quia hæc aggressio non habet rationem defensionis necessariæ, sed sumptionis vindictæ, Suar. *l. c. n. 9.* Pirh. *n. 92.* qui idem esse dicit cum Farin. *pr. crim. p. 5. q. 125. n. 378.* de eo, qui aggressorem cadentem in terram occidit, nisi probabiliter timeret, prostratum resurrecturum, & se denuo aggressurum, aut amicos illius continuò accursuros ad ei opem ferendam. Necesse tamen non est semper, ut quis ab altero invadatur, sed potest eum mox se aggressurum prævenire, dum timet, se non posse inimico propiùs accedenti resistere, quia tunc præventio illa non tam esset aggressio, quàm pura defensio, quæ aliàs nimis fera esse posset, Nav. *L. 5. conf. 31. h. t.* Suar. *l. c. s. 1. n. 7.* Pirh. *l. c.* juxta dicta à nobis paulò suprà. Jam verò, num hæc tria requisita ad moderamen inculpatæ tutelæ sint servata, prudentiæ & arbitrio Judicis relinquendum, cùm de factis particularibus, ob varias eorum circumstantias, regula certa statui non potest; ita Farin. *l. c. n. 395.* Suar. *l. c.* Pirh. *cit. n. 92. in fine.*

Quæst. 241. An etiam, pro defensione vitæ & membrorum parentum proliùm, fratrum, conjunctorum, imò & extraneorum innocentium liceat injustum aggressorem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ?

Resp. Licitum est, pro defensione vitæ & membrorum tam sanguine conjunctorum, quàm extraneorum innocentium occidere injustum eorum invasorem, adeóque citrà quòd incurratur irregularitas, Farin. *pr. crim. q. 124. à n. 267.* Clarus §. *homicidium. n. 27.* citatis aliis, utrumque dicens, esse sententiam communem, & ab omnibus DD. approbatam, arg. *Can. fortitudo. 23. q. 3. juncto c. dilecto. §. & quidem. de sent. excom. in 6. L. 1. §. 4. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* ubi etiam injuriæ criminis reus censetur, qui, cùm potest, alium innocentem non defendit, intellige etiam occidendo invasorem iniquum, dum aliter non potest, cùm quisque jubetur proximum diligere sicut se ipsum. Unde in Scriptura *Exod. 2. v. 11.* laudatur Moyses, quòd Ægyptium injustum aggressorem Hebræi occiderit, & absconderit in sabulo. Ampliatur responsio à Claro *n. 29.* ita, ut generaliter indistinctè intelligenda sit, adeóque liceat quoque pro defensione sua, conjunctorúmque suorum, imò & extraneorum occidere Clericum injustum invasorem, uti tenent Canonistæ indistinctè, & Abb. *in c. si verò il. 1. n. 11. de pœnis.* dicit communem, & quidem, ut percussor Clerici in hoc casu non incurrat excommunicationem, (adeóque multò minùs irregularitatem) etiamsi defensor in defendendo modum excedat, modò id ex proposito non faciat, Clar. *n. 30.* cum Gl. *in c. significasti. il. 2. h. t. v. tutelæ.* quam communiter approbatam dicit Curtius Sen. *cons. 20. post n. 41. vers. confirmatur.*

Quæst. 242. *An licitum sit ad defensionem proprii honoris & famæ, dum ea aliter salvari nequit, injustum illius invasorem occidere vel mutilare, & exinde non contrahitur irregularitas?*

REsp. Non convenire in eo usque quaque AA. affirmant Suar. *l. c. s.* 1. *n.* 5. *&* 6. Tanner. *Tom.* 3. *d.* 4. *q.* 8. *n.* 73. Clar. §. *Homicidium. n.* 26. citans Bart. *in L.* 1. *c. unde vi. n.* 8. Pirh. *h. t. n.* 80. supponunt hi AA. absolutè, nullâ aliâ viâ evitari posse gravem jacturam proprii honoris, ratio illorum satis est efficax, nimirum quòd honor & fama sint altioris & præstantioris Ordinis, quàm bona fortunæ, æquiparantúrque ipsi vitæ; ita, ut vir honestus magis metuat gravem jacturam famæ & honoris, quàm mortis, juxta *L.* 1. §. *penult. ff. quòd metûs causa.* adeóque, si liceat pro defensione bonorum, ut dicetur *q. seq.* quin & vitæ, occidere eum, à quo imminet gravis jactura bonorum, multò magis aut æquè licebit pro defensione honoris & famæ. Negant è contra apud Pirh. *n.* 179. Sylv. *v. Homicidium.* 3. *q.* 4. *dicto* 1. Navar. *L.* 5. *conf.* 6. *n.* 4. *h. t.* Avil. *l. c. p.* 3. *d.* 5. *s.* 3. *du.* 2. §. *ex his sequitur.* Laym. *L.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 9. *n.* 3. Gutt. *qq. can. tr.* 2. *c.* 6. *n.* 43. Mol. *de J. & J. tr.* 3. *d.* 72. *n.* 5. Wiestn. *h. t. n.* 34. ex ea ratione, quòd rarissimè detur casus, in quo pro defensione famæ & honoris id liceat, cùm ordinariè loquendo fama & honor non tantùm aliis competentibus mediis reparari possit, sed & aliâ viâ, ne lædatur, salvari potest, & in specie, dum imminet injuria personalis, seu infamia irroganda publicè fugiendo, non secus ac dum periculum vitæ imminet ab invasore. Quod tamen distinguunt utriusque sententiæ AA. ita, ut procedat, si fuga non sit probrosa, seu, si fugere potest, non tantùm sine periculo vitæ, sed & sine dedecore & infamia; qualiter fugere potest Clericus vel Religiosus, & homo vilis conditionis, aut in eo loco ignotus, & hinc fugere tenetur ad servandum moderamen inculpatæ tutelæ, & vitandam irregularitatem; & qualis non est vir nobilis & militaris, cui probrosum, si invasus fugiat, ac proinde non peccat, nec fit irregularis, si persistat, seque defendat, etiam occidendo invasorem, ut verisimilius defendunt Covar. *l. c. p.* 3. §. *unic. n.* 1. *&* 4. Cöninck. *d.* 18. *du.* 6. *n.* 90. Bonac. *de cens. d.* 7. *q.* 4. *p.* 6. *n.* 4. Wiestn. *n.* 36. nec tale homicidium in foro sæculari puniri pœnâ saltem ordinariâ, ait Pirh. *cit. n.* 79. quamvis tamen, ut idem citans pro hoc Navar. *man. c.* 27. *n.* 211. & Laym. *ubi ante* incurrat irregularitatem ex defectu lenitatis non fugiendo, dum potest, quia mansuetudini & Christianæ charitati magis conforme tolerare injuriam, nisi tamen fugiendo se periculo exponeret, ne aggressor velocior cursu ipsum assequeretur, & ex fuga factus audacior illum occideret, aut mutilaret. De cætero reflectendum ad propositiones damnatas, huic sententiæ neganti admodum faventes, & tantùm non eam exprimentes quarum prima est Alexand. VII. Septima, & sic habens: *Licitum est religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel religione spargere minitantem occidere, quando modus se defendendi non suppetit, aut suppetere non videtur*, qualis cùm Religioso & Clerico suppetat, nempe fuga secundum dicta paulò antè, utique illicitè se defendit occidendo alterum; altera Innoc. XI. *fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & posti impactam alapam vel ictum fustis statim fugit*, de quibus videndi, qui ex professo in propositiones ab iis Pontificibus damnatas scripserunt.

Quæst. 243. *Num licitum sit ob defensionem bonorum temporalium occidere injustum illorum invasorem, idque fiat absque eo, quod incurratur irregularitas?*

1. REsp. Primò: Ob bonorum legitimè possessorum, dum magni momenti sunt, nec aliter defendi aut recuperari possunt, defensionem, licere invasorem iniquum mutilare & occidere, docent Pet. Nav. *l.* 3. *de rest. c.* 4. *n.* 418. Clar. *v. homicidium. n.* 25. citatis plurimis aliis, dicens communem Legistarum, Covar. *in Clem. si furiosus. p.* 3. §. *unic. n.* 6. *in fine.* Suar. *de cens. d.* 46. *s.* 2. *n.* 10. Less. *l.* 2. *de just. c.* 9. *du.* 11. dicens sententiam hanc practicè tutam, & in rigore juris veram. Castrop. *de cens. d.* 6. *p.* 15. §. 8. *à n.* 7. cum satis communi aliorum. Arg. *l.* 1. *c. unde vi*, & ex ea ratione, quòd cum, tale homicidium non sit omnino voluntarium, ac per se intentum, cùm sola rerum suarum defensio intendatur, ex qua cædes per accidens sequi censeatur, tum quia bona quodammodo vitæ, ad quam conservandam sunt necessaria, æquiparantur, ut cum gl. communiter recepta *in L. Advocati. c. de Advocatis, divers. judicior.* Clar. *l. c.* Tiraquell. *de Nobilit. c.* 31. *à n.* 364. Pirh. *h. t. n.* 86. Reiffenst. *n.* 138. Wiestn. *n.* 40. adeoque si ad vitam tuendam occisio est necessaria defensio, & licet, ita etiam dum necessaria est ad servanda bona temporalia magni momenti, saltem quorum amissione constitueretur quis in extrema vel gravi necessitate ratione statûs tuendi. Ad hæc, nisi permissa in hoc casu esset etiam occisio, homines improbi sæpius moverentur ad diripienda bona, ut ex Suar. *l. c. n.* 7. Pirh. Reiffenst. Wiestn. *ll. cit.* quæ in contrarium opponuntur ab adversariis, quia præcipuè spectant irregularitatem, diluuntur paulò pòst. Dixi tamen primò: *bonorum legitimè possessorum*; nam non licet occidendo defendere ea, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus, cùm idipsum damnatum ab Innoc. XI. *propositione* 32. uti & damnata est hæc propositio: *licitum est tam hæredi quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur*, se taliter (id est, defensione occisivâ) defendere, *sicut & jus habenti in Cathedram vel Præbendam contra earum possessionem injustè impedientem*, rationes justas damnationis harum propositionum vide apud Scriben. *in propositiones damnatas.* Dixi secundò: *res magni momenti*; ob res enim exigui momenti servandas contra invasorem earum, dum aliter servari nequeunt, non licere occidere invasorem hodiedum certum est ex damnata ab Innoc. XI. hac propositione: *regulariter occidere possum furem propter conservationem unius aurei.* Dixi tertiò; *si res alio modo defendi, aut ablata recuperari possunt*: quia si id fieri potest, v. g. clamando, alios in auxilium evocari, vel invasorem capiendo, vel si rem in judicio aliove modo moraliter certò recuperandam constet, non licet talis occisio, quia est contra moderamen inculpatæ tutelæ. Arg. *l.* 1. *c. unde vi.* Sic exposita responsio extenditur quoque ad Clericos, ut & hi non secus ac Laici bona ad vitam necessaria licitè & impunè contra injustos invasores, etiam vi & armis, & adhibitâ etiam occisione illorum, si aliter fieri nequit, defendere liceat; quia jus hoc naturale est, ut constat ex c.

ex *c. olim. de rest. spol.* adeóque id specialiter non inhibitum Clericis, ut Pirh. *h. t. n.* 91. cum Suar. *l. c. n.* 10. contra gl. *in c. suscepimus. h. t. v. ligaverunt.* Abbatem *ibidem n.* 3. *&* *n.* 4. & alios quosdam, asserentes Clericum fieri irregularem, qui, si mortis periculum effugere potuit, occidit alium ad se suáque defendenda. Sed de irregularitate speciatim.

2. Resp. Secundò: Sed neque in dicto casu incurritur irregularitas, ut speciatim Covar. *l. c. n.* 6. *in fine.* Suar. *l. c. à n.* 4. Less. *cit. c.* 9. *n.* 73. Barb. *in c. interfecisti. h. t. n.* 4. Gonz. *in c. si perfodiens. h. t. n.* 11. Wiestn. *cit. n.* 40. Castrop. *l. c.* citatis insuper Filiuc. *tr.* 20. *c.* 5. *q.* 6. *n.* 146. *&* *q.* 7. *n.* 149. Bonac. *de irregul. d.* 7. *q.* 4. *p.* 6. *n.* 10. Gasp. Hurtad. *de irreg. d.* 2. *diff.* 20. Arg. *c. quia te. Dist.* 50. ubi ab Urbano II. ab impedimento Canonico immunis pronunciatur, qui occidit ob defensionem suæ libertatis, unde infertur, non solâ defensione vitæ evitari irregularitatem; ratio quoque est, quòd irregularitas in hoc casu neque inducatur ex delicto; cùm juxta jam dicta occisio talis vacet delicto, neque ex defectu lenitatis, qualis non intercurrit, dum inferenda imminet gravis injuria aliter non propulsabilis; & irregularitas solùm contrahitur, quando authoritate publicâ, hoc est, in bello justo, aut vi sententiæ judicialis quis occiditur & mutilatur.

3. Nihilominus contrarium, nimirum adhuc in dicto casu incurri irregularitatem etiam in defendendis rebus magni momenti, etsi id non exprimatur, docent cum gl. *fin. in c.* 2. *h. t.* Abb. *ibidem. n.* 2. Sylv. *v. homicidium.* 2. *q.* 16. *n.* 11. Nav. *in man. c.* 15. *n.* 4. ubi ait: idipsum observare stylum Curiæ Romanæ, qui jus facit, *c. quam gravi. de crim. falsi.* Molin. *de just. tr.* 3. *d.* 72. *n.* 3. Laym. *cit. n.* 9. *n.* 3. & alii fundantes se in variis Juribus Canonicis. Et primò quidem in *Clem. si furiosus. h. t.* dum ibi ab irregularitate excipitur solùm occisio facta propter servandam vitam propriam, adeoque non excipi factam ad defensionem bonorum temporalium à sensu contrario rectè infertur, verùm respondetur cum Suar. *l. c. n.* 5. & Barb. *loc. argum. juris.* 27. *n.* 28. *&* 39. argumentum à contrario sensu non procedere in materia pœnali præsertim in irregularitate, nec esse sufficiens, ut irregularitas in tali censeatur expressa. Ad hæc, sicut in *cit. Clem.* etsi solùm exprimatur furiosus & dormiens, comprehenditur tamen etiam ebrius, item, etsi solùm loquatur de evitatione mortis, idem tamen sit de evitatione mutilationis; ita similiter, etsi in ea exprimatur solùm defensio vitæ, non tamen propterea excluditur defensio bonorum temporalium. Pirh. *h. t. n.* 87. cum Suar. *l. c. n.* 6. *&* 7. Secundò in *c. h. t.* dum ex verbis illius: *te tuáque liberando*: colligi volunt, ad evitandam irregularitatem necessariò requiri, ut unà cum bonis vita periclitetur. Verùm respondetur, dicta verba: *te tuáque*: accipienda non conjunctim, sed divisim, ita ut sensus sit: si te vel tua defendendo occideris alium, non eris irregularis, ne aliàs sequatur absurdum, quòd ob solam vitam defendendam non liceret alium occidere absque irregularitate. Ad hæc in materia favorabili, qualis est hæc, facienda est ampla interpretatio. Felin. *in cit. c.* 2. *n.* 5. Covar. *l. c. n.* 6. *vers. sed &.* Suar. *l. c. n.* 8. & in jure sæpius, ubi materia sic exigit, *Et* pro *vel* accipitur *L. sæpe. ff. de V. S.* Tertiò in *c. suscepimus. h. t.* dum ibi imputatum fuit Monachis ad culpam & irregularitatem, quòd fures seu latrones res eorum auferentes occiderint: Verùm respondetur, quòd excesserint moderamen inculpatæ tutelæ, ut patet ex eo, quòd occiderint fures rebus furtivis jam recuperatis, & res recuperatas aliò transferendo absque vitæ suæ & rerum periculo servare potuissent, antequam fures (quos ligaverant, & vel sic usi non tam licitâ defensione, quàm punitione propriâ authoritate factâ) vinculis eximerent. Covar. *l. c. vers. undecimò.* Suar. *n.* 10. ad hæc, ut inquit Papa, fuerunt res illæ viles. Quartò in *c. significasti. h. t.* ubi Presbyter, qui latroni ornamenta ecclesiæ asportanti, ligone arrepto, vulnus lethale inflixerat, etsi id fecerit ad defendenda bona Ecclesiæ suæ curæ commissæ, declaratur irregularis. Verùm respondetur, quòd nec Presbyter ille servaverit modum inculpatæ tutelæ, & usus defensione non necessariâ ad res salvandas, cùm clamare potuisset, aliorumque opem implorare; siquidem parochiani statim adfuerunt & succurrerunt, ut Pirh. *n.* 90. cum Suar. *n.* 11. Unde ex his jam rectè infert Pirh. hanc sententiam ex Jure Canonico sufficienter probari non posse. Nec denique multùm urget ratio adversariorum desumpta ex lege Charitatis, quâ quis tenetur vitam proximi præferre bonis suis temporalibus. Verum siquidem id est, dum proximus versatur in extrema vel gravi necessitate, & aliâ viâ juvari nequit; secus si in nulla necessitate constitutus, voluntariè & ex malitia res alienas invadit, tunc enim non tenemur res proprias dimittere, sed eas defendere possumus etiam occidendo invasorem, si eas alio modo servare nequimus; cùm bona temporalia magni momenti necessaria sunt ad vitam propriam (quæ præferenda est vitæ proximi) sustentandam; ita Sylv. *v. excommunicatio.* 6. *q.* 9. Covar. *cit. n.* 6. Pirh. *cit. n.* 90.

CAPUT III.

De Homicidio justo & licito, privatâ aut publicâ authoritate commisso, & irregularitate inde proveniente.

Quæst. 244. *An, & à quo justè & licitè occidi possit adulter?*

1. RESP. Primò: In foro contentioso licet patri impunè occidere adulterum deprehensum in adulterio cum filia, juxta *L. patri. ff. de adulter.* modò adsint sequentia, de quibus in *cit. l. patri. & seq.* nimirum, quòd pater eodem impetu occidat & filiam; quod filia sit in potestate patris, quòd illam occidat in domo sua vel generi, non autem alibi, quòd filia sit nupta, quòd deprehendatur in ipso adulterio, ita Clar. *l.* 5. §. *homicidium. n.* 48. qui idipsum ita extendit, ut pater possit occidere adulterum, etiamsi is sit Clericus, citrà quòd incurrat excommunicationem, & pœnas. *c. si quis suadente.* 17. *q.* 4. pro quo citat Bermond. *de concub. fol.* 267. *n.* 5. qui dicit communem, uti idipsum de injiciente violentas ma-

nus in talem Clericum adulterum docet Mol. *tr.* 3. *d.* 99. *in princ.* Laym. *loc. paulò pòst citando*, juxta *c. si verò, de sent. excomm.* impunè quoque occidi Judicem vel Magistratum deprehensum in adulterio, tenet Clar. citans Bart.

2. Resp. Secundò: Adulterum deprehensum in adulterio à marito cum propria uxore, si est vilis persona, posse impunè occidi in propria domo, non alibi, tradit Clar. per *l. marito. ff. de adulter.* citans Paris. *l.* 4. *cons.* 154. *n.* 12. attestantem de communi Legistarum & Socin. Jun. *l.* 20. *cons.* 34. secus verò esse, si adulter non sit vilis persona, quem tamen si occiderit, non afficitur quidem ultimo supplicio propter justum dolorem, sed pœnâ mitiore v. g. relegatur vel mittitur in exilium, juxta *l. si adulterium. §. Imperatores. ff. de adult.* & *l. Grachus c. eod. tit.* Non tamen maritus deprehendens Clericum in adulterio, si eundem percutiat, incurrit pœnas *can. si quis suadente.* juxta *c.* 3. *de sent. excomm.* cujus contrarium est in sponso per verba de futuro, si is percutiat Clericum cum sponsa fornicantem. Clar. *n.* 49. Num verò tam pater quàm maritus in casibus, in quibus ipsi occidere possunt licitè adulterum, possint idipsum licitè mandare alteri, non ita liquet; pro negativa citat Clar. *n.* 51. Rolandum, *l.* 2. *cons.* 24. *n.* 29. & alios; affirmativam servari in practica probat ex facti contingentia Curiæ Neapol. teste de Afflic. & aliis; posse idipsum mandari proprio filio dicit citatis Bald *in cit. l. Grachus. n.* 5. & aliis, qui dicunt esse frequentissimam & communem D, D.

3. Resp. Tertiò: Quamvis hæc omnia procedant in foro contentioso, in foro tamen conscientiæ non licere patri aut marito, neque filiam, neque uxorem, neque adulterum in adulterio deprehensos occidere, & peccare illos occidendo mortaliter, docent cum Gl. *in c. inter hæc.* 33. *q.* 3. Didacus *in Lib.* 4. *Decret. fol.* 142. *n.* 8. Villalob. *in collect. comm. opinion. Lit. M. num.* 23. Monchiaca *L.* 1. *de testib. p.* 1. *post n.* 7. *vers. unde data*, quam tamen opinionem sibi nunquam placuisse, ait Clar. *l. c. n.* 50. eò, quòd impium esse censeat, dicere apud se, (puta Legistas) vigere aliquem legem, quæ peccatum mortale committi permittat. Verùm rectiùs respondetur sub distinctione, nimirum leges civiles iniquas esse, si permitterent approbativè patrem aut maritum occidere adulterum, uti constat ex *c. inter hæc.* 33. *q.* 2. & D. August. *L.* 2. *de adulter. conjugum. c.* 15. D. Thom. *in* 4. *dist.* 37. & ita docent Sotus *L.* 5. *q.* 1. *a.* 3. Covar. *in epitome. c.* 7. §. 7. *n.* 12. Tholos. *L.* 36. *Syntag. c.* 6. Mol. *de J. tr.* 3. *d.* 7. Less. *L.* 2. *c.* 9. *du.* 5. Laym. *L.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 4. ex ea ratione, quòd non condemnatum à privato occidi, nulla æquitas patiatur; juxta *L.* 2. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* Ad hæc charitati christianæ maximè adversetur subitò occidere hominem tam imparatum & impœnitentem, adeóque leges approbativas talis homicidii non posse non esse iniquas, leges verò civiles iniquæ non sunt, dum id permittunt solùm negativè, quatenus nimirum in tali casu pœnam homicidæ non decernunt, neque actionem contra eum seu civilem seu criminalem recipiunt, idque ob circumstantiam injuriæ & justi doloris, quem in eo casu temperare difficillimum est, ut dicitur *L. si adulterium. §. Imperator. ff. ad leg. Juliam de adulter.* uti ob eandem rationem SS. Canones excommunicationis sententiam à patre & marito percutiente Clericum deprehensum in adulterio, juxta dicta paulò antè, removent. Non tamen impediunt dictæ leges Civiles negativè permittentes in eo casu interfectionem adulteri; quò minùs ea sit mortaliter peccaminosa, si committatur non adempto sufficiente usu rationis ob iram & subitaneum furorem.

Quæst. 245. *Num & quando licitum sit occidere Bannitum?*

1. RESp. Primò: Supponendo posse Magistratus & Principes supremos in malefactores, non tantùm quos præsentes in sua potestate habent, mortis sententiam ferre & exequi, sed & in absentes, proscribendo eos publicè, vitámque eorum exponendo, ita ut cuivis privato liceat illos impunè, etiam in foro conscientiæ occidere. Soto *L.* 4. *de Just. q.* 1. *n.* 2. Syl. Armil. Sa. *v. Bannitus.* Beia. *cas. reservat. p.* 1. *c.* 41. Laym. *l. c. c.* 2. *n.* 2. ex ea ratione, quòd, cùm reipublicæ interfit de malefactoribus & hostibus suis pœnam mortis sumere, hoc autem non possit reo aliò dilapso, poterit facultatem dare omnibus aliis illum ubicunque deprehensum occidendi, modò tamen ex parte Principis proscribentis serventur sequentia: Primò, ut de delicto capitali, quod hujusmodi proscriptionem mereatur, ei constet. Secundò, ut periculum grave ex malitia bannizandi immineat reipublicæ, v. g. sit perduellis, prædo, insidiator vitæ Principis, Veneficus, &c. Tertiò: ut Ordinario procedendi modo contra præsentem reum executio fieri nequeat.

2. Resp. Secundò: Poterit itaque in hoc casu quilibet privatus uti illa facultate, & bannitum interficere. Ex parte verò privatorum volentium occidere bannisatum, ut licitè fiat occisio, requiritur: Primò, ut sententia banni per appellationem legitimè interpositam non sit suspensa. Laym. *l. c.* Reiffenst. *h. t. num.* 68. Clar. *L.* 5. §. *Homicidium. num.* 64. citatis pluribus aliis, qui testantur esse communem; qui etiam addit, non posse occidi bannitum currente tempore ad appellandum à sententia banni dato, quamvis subjungat, in sua provincia sublatam omnem appellationem in criminalibus causis. Secundò, ut occisio fiat præcisè ex zelo justitiæ, & ob bonum publicum, & non ex odio, passione privata, vel affectu vindictæ vel turpis lucri; iidem *ll. cit.* Tertiò ut non fiat occisio extra territorium proscribentis; cùm, sicut ipsi Magistratui, ita à fortiore privatis illicitum est facere executionem extra territorium. ita Sylv. *v. Homicidium.* 1. *q.* 3. *n.* 7. ubi quòd, qui in alieno territorio clam aut per insidias proscriptum occideret, tanquam Homicida puniri posset, quod approbat Laym. *l. c. q.* 2. Armil. *V. bannitus. n.* 1. *in fine.* Sa. *v. eodem. n.* 1. Azor. *p.* 3. *L.* 2. *c.* 2. *q.* 3. Tolet. *L.* 5. *c.* 6. *num.* 18. Laym. *l. c.* Reiffenst. *l. c.* cum communiore TT. contra Clarum. *L.* 5. *v. Homicidium. n.* 66. Farin. *pr. crim. p.* 3. *q.* 10. *n.* 213. qui tamen id, quòd per sententiam justam bannizatus ubique etiam extra territorium proscribentis occidi possit, limitat, ut solùm locum habeat in præscripto ob Crimen Læsæ Majestatis. Quartò, ut persona bannizata non sit speciali jure conjuncta privato volenti illum occidere, v. g. pater, filius, conjux, vel etiam, ut Laym. qui proscriptum alere tenentur, hos enim occidere semper illicitum est, nisi actuales hostes reipublicæ existant, seu veniant ad delendam patriam. Arg. *L. minimè. ff. de relig. & sump. fun.* Clar. *n.* 59. Qui etiam ait, censere extra hunc casum actualis & veræ hostilitatis erga rempublicam filio occidenti patrem bannizatum amputandum

dum caput; cum pater, etsi bannizatus, non desinat esse pater, aut amittat jura naturalia. Porrò notandum hìc, observatis etiam prædictis omnibus non nisi ex gravissima causa (qualis v. g. esset, si ex vita malefactoris immineret quotidianum reipublicæ periculum) licere Magistratui ita bannizare aliquem, ut monet Mol. *de I. & I. tract.* 2. *d.* 7. eò quòd ex bannizatione & licita proscripti occisione plerumque sequantur magna incommoda, inter quæ est improvisè occisi banniti interitus, quò ad corpus & animam.

Quæst. 246. *Num liceat bannito se defendere contra aggressorem suum?*

REsp. Juxta probabiliorem & communiorem, quam contra Clarum *l. c. num.* 7. aliósque ab eo citatos defendunt Azor. *Tom.* 3. *L.* 2. *c.* 1. *q.* 11. Sa. *v. bannitus. num.* 4. Laym. *l. c. q.* 1. *vers. sed nunquid.* non licere proscripto se defendere occidendo vel mutilando, si opus est, aggressorem suum; quia is est veluti minister publicæ justitiæ habens jus & potestatem occidendi proscriptum, adeóque sicut reo publico non licet vitæ salvandæ gratia occidere lictores ducentes illum ad carcerem vel supplicium, ita nec bannito aggressorem suum. Laym. *l. c.*

Quæst. 247. *Num licitum bannitum occidere proditoriè?*

REsp. In hoc non convenire AA. etsi enim id negent multi apud Clar. *l. c. num.* 61. ipse tamen probabiliùs tenet affirmativam, citatis pro eo *Dec. in c. quæ in Ecclesiarum. de constit. n.* 14. *in fin.* Bossio *in tit. banniti quid amittant. num.* 1. ubi etiam, quòd liceat eos occidi facere per pecuniam, & sic per assassinium. Addit tamen Clar. quòd, quid quid sit de jure, servari apud se, bannitus, qui potest impunè interfici, possit etiam proditoriè occidi, nisi tamen expresè dedisset illi fidem de non occidendo, in quo casu ait, se occisorem banniti facturum decapitari, eò quòd etiam hosti servanda fides.

Quæst. 248. *Num valeat alicubi inductum statutum impunè offendendi & occidendi bannitos?*

REsp. Quamvis juxta dispositionem juris communis bannitus impunè occidi non possit, ut cum Bart. *in L. ut vim. ff. de I, & I. n.* 1. & communi DD. Clar. *l. c. n.* 52. dicens, hanc conclusionem maximam habere æquitatem, ne homines ea de causa inter se ipsos sæviant, fieri tamen posse speciale tale statutum interveniente saltem Authoritate Magistratûs alicujus supremi, & stante tali statuto occidentem fore liberum ab omni pœna homicidii, videtur esse extra dubium, & sequi ex dictis; si enim id fieri potest vi sententiæ hìc & nunc latæ à supremo Principe, cur non vi talis statuti stabiliter inducti pro communi quiete, ut Bart. *in L.* 2. *c. quando liceat unicuique sine jud. vind. n.* 1. & valere tale statutum, docent Bart. *in L. omnes populi. de I. & I.* Alex. *L.* 2. *cons.* 2. *circa finem.* dicens communem, plurésque alii apud Clar. *n.* 53. quin & valere, etiamsi per illud constituatur præmium occidenti bannitum, docent Alex. *in L. si plagii. ff. de V. O.* Dec. *in c. quæ in Ecclesiarum. de constit. num.* 14. Clar. *l. c.* Cùm inconveniens non sit, ut ad ea, quæ licitè permittuntur, homines etiam propositis pecuniis alliciantur, modò tamen bannitus quis fuerit ob grave delictum; cùm aliàs, si ex levi causa bannitus esset, v.g. pro debito pecuniario, statutum non valeret. Clar. *l. c.* cum Dec. *l. c.* dicente esse communem. Porrò si statutum tale simpliciter diceret, licere bannitum impunè offendi, licere quoque eundem impunè occidi, tradunt Alciat. *de verbor. significat. L.* 2. *fol.* 44. *vers. præterea.* Jason. *in L. in suis. ff. de liber. & posthu. n.* 26. Clar. *l. c.* & alii testantes de communi, & quòd sic consuetudo observet.

Quæst. 249. *Num occidens, quem ignorabat bannitum, gaudeat beneficio talis statuti?*

REsp. In tantùm gaudere illum isto beneficio, ut evadat pœnam Homicidii, non tamen lucrari præmium seu pecuniam statutam aliàs occidenti bannitum. Bart. *in L.* 3. §. *utrum. ff. ad Sylla.* & *in L. genero. ff. de his, qui not. infam.* Clarus *l. c. n.* 67.

Quæst. 250. *An & qualiter licitum sit occidere?*

REsp. Indubitatum & certum est, licere omnibus in bello sive defensivo sive offensivo justo occidere hostes nocentes, quia hoc ipso, quòd ad vindictam justam & satisfactionem injuriæ, rerum & damnorum reparationem licitè bella assumanturque, licita sunt media ad illa gerenda, obtinendúmque finem illorum; inter quæ est occisio hostium. Dixi tamen: *Nocentes*; id est, reos injuriarum, arma sumentes: nam innocentes, quales sunt jure naturæ pueri, mulieres (intellige nisi & ipsæ pugnent v. g. in defensione urbis hostilis contra justos oppugnatores) item Jure Ecclesiastico Clerici religiosi nisi & ipsi pugnent & arma gerant) item homines simplices & rusticani, v. g. qui in castris laborare, necessaria exercitui advehere debent, per se & ex intentione etiam in bello justo occidere non licet, unde stultas & semper iniquas esse belli ducum civitates obsidentium minas, quòd, nisi certo tempore civitas tradatur, velint trucidare sine discrimine omnes, etiam infantes in utero materno existentes, ait Reiffenst. *h. t. n.* 73. dico etiam; ex intentione, siquidem per accidens & præter intentionem etiam innocentes cum nocentibus occidere licèt, dum v. g. bellum geri aut victoria obtineri nequit, nisi sic fiat. Atque ita contingere videmus in eversione arcium & expugnatione civitatum. Sed neque nocentes, postquam bello devicti & capti, interficere licet, nisi trucidatio illorum ad criminis atrocis vindictam, vel ad acquirendam firmandamve reipublicæ pacem, quietem ac securitatem, necessarium aut valde conducens videatur, cùm vel sic trucidatio illorum sit medium ad finem justum & licitum; ita cum Mol. *de I. & I. tr.* 2. *d.* 7. Reiffenst. *n.* 74. & alii, monentes tamen parcendum multitudini, si non de rigore justitiæ, quo occidi possent omnes, saltem ex clementia & lenitate Christianæ Charitatis. Arg. *c.* 1. *dist.* 44.

Quæst. 251. *Qualiter contrahatur irregularitas ex Homicidio commisso in bello?*

1. REsp. Primò: Qui in bello sive defensivo sive offensivo patenter injusto militant, pugnando, adhortando ad pugnam, vel qualecunque auxilium præstantes, omnes sive Clerici sive Laici fiunt per hoc irregulares, si vel unus occisus sit, aut mutilatus, etsi ipsi propriis manibus non occidant aut mutilent. Sylv. *v. Homicidium.* 3. *q.* 6. *dicto* 1.

Covar.

Covar. *in Clem. unic. h.t. p. 3. §. 3. num. 2. infine.* Nav. *c. 27. n. 216. & 224.* Suar. *de cens. d. 47. s. 5. n. 1.* Castrop. *tr. 39. d. 6. p. 14. §. 5. num. 1.* Laym. *L. 3. tr. 3. p. 3. c. 8. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 114.* cum communi. Arg. *c. sicut dignum. §. fin. h. t. c. quòd in dubiis.* de pœnis. juncta Gl. *v. incitant.* ex ea ratione, quòd, quando plures communi auxilio vel consilio concurrunt ad Homicidium, aliúdve delictum vel damnum, censentur una causa moralis. Sylv. Laym. Pirh. & DD. *in c. significasti.* Limitatur ex dictis responsis, excipiendo assistentes in bello injusto ad componendam pacem, vel ad adjuvandum in spiritualibus. Sylv. Pirh. *ll. cit.* & alii jam citati. Item ut nullus saltem laicus contrahat irregularitatem, si nullus occidatur aut mutiletur (de clerico autem in hoc casu est dubium, censetque Pirh. probabiliter etiam Clericum assistentem & adhortantem in bello injusto, ubi nullus occiditur, fieri irregularem, contrarium sentientibus aliis. Arg. *c. Clerici. 23. q. 8.*) quia ad eam contrahendam non sufficit intentio occidendi vel mutilandi sine actu externo. Suar. *l. c. num. 3.* De cætero est hæc irregularitas non ex defectu perfectæ lenitatis, sed revera ex Homicidio injusto.

2. Resp. Secundò: Militantes aut etiam assistentes in bello defensivo justo etiam Clerici non fiunt irregulares, dum occidunt vel mutilant, etiam propriâ manu ob necessariam defensionem vitæ propriæ; si enim id liceat in privata rixa, cur non in quovis prælio publico? Suar. *l. c. n. 1.* modò tamen, prout ipsum limitat cum Avila. *de censuris. p. 7. d. 7. s. 3. n. 1. concl. 1.* Pirh. *h. t. n. 115.* non processerint ad bellum justum, non ad pugnandum propriâ manu, sed ob aliam causam v. g. ad adhortandum milites, vel ad ministrandum spiritualia. Idem est de occidentibus & mutilantibus ob defensionem Ecclesiæ vel patriæ; cum bonum commune præferendum sit bono privato propriæ vitæ. Suar. *l. c. n. 2.* idque etiam dicendum de Clericis, ita ut etiam vigilias agere debeant, modò tamen desint laici, qui patriam defendere possint. Abb. *in c. petitio h. t. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 116.* & plures apud Fagn. *in ctt. c. n. 2. & seq.* Extta quem casum necessitatis Clerici etiam ad defendendam patriam, etsi adhortari possint ad pugnandum, juxta *c. igitur. c. omnes. c. hoc talis. c. ut prædam. 23. q. ult.* tamen in propria persona pugnare non possunt. Pirh. *l. c.* juxta *c. ex multa. §. fin. de Voto.* & Gl. *in cit. c. petitio. v. mordet.*

3. Resp. Tertiò: Quicunque in bello justo offensivo per se sive proprio facto aliquem occidit vel mutilat, fit per hoc irregularis absque peccato, si laicus est, Abb. *in c. petitio. h. t. n. 1.* Laym. *l. c. num. 1.* Castrop. *l. c.* Pirh. *h. t. n. 117.* Reiffenst. *num. 117.* Arg. *cit. c. petitio.* & *c. si quis. dist. 51.* juncta Gl. *ibid. v. mutilaverit.* orta hac irregularitate ex defectu perfectæ lenitatis, à qua cædes & mutilatio non excusat, quòd sit justa, ut Nav. *cit. c. 27. n. 213.* Suar. *de cens. d. 47. s. 6. n. 6.* Pirh. *l. c.* non tamen ad eam sufficit, quòd sanguinem fuderit vulnerando solùm. Arg. *cit. c. petitio.* cùm irregulariter nulla contrahatur, quæ in jure non sit expressa. *c. is, qui. de Sent. excomm. in 6.* E contra nec Clerici, nec laici fiunt irregulares, si moraliter vel saltem sufficienter certi se in bello offensivo justo nullum occidisse aut mutilasse per se seu propriis manibus, etiamsi sciant, se plures vulnerasse non lethaliter, pluréssque ab aliis occisos esse. Abb. *in c. placuit. de Cler. percuss.* Nav. *l. c. num. 115.* Covar. *in Clem. furiosus. p. 2. §. 3. num. 2.* Suar. *l. c. s. 6. n. 5.* Mol. *de I. & I. tr. 2. d. 110.* Castrop. *tr. 29. d. 6. p. 14. §. 5. num. 2.* Laym. *l. c. n. 2.* Pirh. *l. c.* Arg. ducto à sensu contrario. Dum ibi Sacerdoti pugnanti in bello, in quo ipse percusserat & vulneraverat aliquos per se, aliique multi occisi per alios, mandatur ob irregularitatem à Sacrificio abstinere, tunc tantùm, quando haberet remorsum conscientiæ, quòd ab eo revera aliquis fuisset occisus. Unde, si sufficienter ei constat, nullum à se occisum, non tenetur ob irregularitatem abstinere; quòd, si tamen sive Clericus, sive Laicus rationabiliter dubitaret, num propriâ manu aliquem occidisset, ille deberet se habere irregularem. Arg. *c. petitio.* Cùm ibi dicitur, quòd consultius sit, in hujusmodi dubio abstinere, quàm celebrare, &, si dubium sit leve vel potiùs scrupulus, meliorem esse conditionem possidentis jus suscipiendi & administrandi ordines cum Engels. *h. t. num. 58.* astruit Reiffenst. *h. t. num. 122.* De cætero prædictis non obstat, quòd Clericis absolutè prohibitum sit in bello offensivo pugnare, ut cum Gl. *in c. petitio. v. remordet.* Castrop. *l. c. num. 3.* AA. ferè omnes, Arg. *c. Clerici. c. quicunque. 23. q. 8.* Adeóque hi saltem videantur fieri irregulares: nam ex tali prohibitione non rectè infertur irregularitas, si contra eam agant, quia per hoc in jure ea non exprimitur. Neque quod dictum est, nimirum quòd, dum plures concurrunt ad occidendum, licèt unus tantùm occidat, omnes fiant irregulares, quia omnes censentur una causa moralis talis Homicidii. Nam locum habet in bello injusto non tamen in bello justo; quia pugnantes dant operam licitæ rei. Ad hæc Jus Canonicum signatè noluit, ut pugnantes in bello justo fierent irregulares, nisi propriâ manu occiderent, ne aliàs nimis multi facti inhabiles ad Ordines ac ita retraherentur à bellis justis. ut Pirh. *l. c.* cum Avil. *d. 6. s. 3. num. 2. resp. ad 1.* Atque ex his deducuntur sequentia, quòd belli dux incitans milites ad fortiter pugnandum, non fiat irregularis, quia non provocat illos directè & determinatè ad occidendum. Idem est de Clerico adhortante milites etiam in ipso conflictu ad strenuè pugnandum in bello justo, nisi incitet ad hunc vel illum in particulari occidendum. Pirh. *l. c.* cum Covar. *l. c. §. 3. n. 2.* & Suar. *l. c. n. 8.* item ille, qui militibus dat arma ad bellum justum; quia datio hæc est actio justa & indifferens, nisi forte dentur arma in actuali conflictu ad occidendum. Pirh. *num. 118.* cum Suar. *l. c. s. 6. n. 6.*

Quæst. 252. An & qualem potestatem seu jus habeat ad occidendum subditum respublica seu Magistratus?

Resp. Non habet jus pro arbitrio suo occidendi, aut periculo mortis exponendi subditos; cùm non competat ei Dominium in corpora subditorum, neque magis licet Magistratui exercere tyrannidem in homines liberos, quàm Dominis in servos suos sævire, exercendo in eos potestatem vitæ ac necis, juxta quod jure veteri correcto, statuitur *L. 1. ff. de his, qui sunt sui vel alien. jur.* Habet tamen jus subditos exponendi mortis periculo, quatenus ratio ostendit, id necessarium ad rempublicam tuendam. Sic quoque jus habet puniendi eos morte ob delicta (non quidem merè civilia, ut rectè Laym. *L. 3. tr. 3. c. 2. num. 2.*) sed verè talia, quæ coram Deo id mereantur, & reipublicæ bono sic exigente. D. Tho. *2. 2. q. 64. a. 2.* cum omnino communi, ex ea etiam ratione, quòd docente ratione naturali ad conservandam huma-

humanam societatem necessarium sit, ut communitas vel Princeps tanquam caput illius habeat jus puniendi singulos de communitate, etiam, si opùs est morte, quemadmodum homo, etsi non sit Dominus membrorum suorum, sed custos, si tamen illorum aliquod corpori nocivum esse incipiat, potest illud tollere, & abscindere, permittente Deo Domino illorum, ne totum corpus pereat.

Quæst. 253. *An & qui cooperantes ad mortem justam rei incurrant irregularitatem?*

Resp. Omnes, qui publica Authoritate aut vi illius justè cooperantur, etsi non ita propinquè ad prolationem sententiæ sanguinis, sive mortis, sive mutilationis, vel ad executionem illius, sunt irregulares, etsi enim delictum nullum per hoc committant, quia tamen tales effundendo sanguinem à perfecta lenitate Christi, quam is in Altari offert Deo Patri, repræsentanda recedunt, meritò arcentur per irregularitatem ab Ordinibus (qui omnes referuntur ad Eucharistiam seu Altaris Sacramentum) susciendis vel susceptis exercendis, & à repræsentanda persona Christi. Unde & hæc irregularitas non est tam pœna quàm moralis inhabilitas ad ministerium Altaris, juxta *c. suscepimus. in fin. h. t.* D. Tho. 2. 2. *q.* 40. *a.* 2. *in corp.* Nav. *in man. c.* 27. *n.* 205. *in fine.* Pirh. *h. t. num.* 94. tales autem sunt Accusatores, Delatores, Judices, Assessores, Consultores, Advocati, Testes, Notarii, sententiam scribentes, dictantes, subscribentes, quorum singuli, quia plures continent quæstiones, de singulis in particulari agendum *in seq.*

Quæst. 254. *An & qualiter Accusator Criminis contrahat irregularitatem?*

1. Resp. Primò: Sive Clericus, sive Laicus accusans vel denuncians aliquem coram Judice Laico criminaliter de delicto morte vel mutilatione digno directè, non ad privatum interesse, sed ad vindictam publicam, secutâ morte vel mutilatione accusati, fit irregularis. Covar. *in Clem. unic. h. t. p.* 2. §. 5. *num.* 1. Suar. *de cens. d.* 47. *s.* 2. *num.* 10. Avil. *de cens. d.* 5. *s.* 2. *du.* 10. Pirh. *h. t. num.* 101. Quia, cùm tunc Judex infligat pœnam ad instantiam accusatoris, hic est causa mortis vel mutilationis reo illatæ, non obstante, quòd accusator protestetur, se quidem petere, ut puniatur reus, sed citra mortem vel mutilationem; cùm talis protestatio vana sit, nihilque operetur. Quippe contraria ipsi accusationi, per quam directè Judex inducitur ad pœnam sanguinis infligendam; cum requisitus ab accusatore ex officio debeat secundùm leges judicare & punire.

2. Resp. Secundò: Quòd si tamen Accusator, sive Clericus, sive Laicus non accusaret criminaliter, sed civiliter petendo præcisè injuriæ & damni sibi illati reparationem, etiam petendo, ut puniatur pœnâ pecuniariâ sibi in dictam reparationem applicandâ, non fit irregularis, etiamsi Judex dein infligat pœnam mortis vel mutilationis, idque accusator Clericus prævideat; cùm tunc mors illa sequatur per accidens & accusatori non imputetur. Covar. *l. c.* Suar. *l. c. num.* 2. Avil. *l. c. du.* 9. Mol. *de Just. tr.* 3. *d.* 8. *n.* 3. Pirh. *num.* 102. Barb. *in c. Prælatis. h. t. in* 6. & *ibi* DD. communiter. Arg. *cit. c.* & *c. postulasti. h. t. in* 6. idque, etiamsi Clericus capiat aut detineat (aut indicet, ubi capi possit) malefactorem deprehensum, eumque pro suo interesse Judici tradat. Covar. *l. c. num.* 3. Barb. *l. c. n.* 4. modò tamen expressè protestetur in ipso Judicio, se non petere vindictam criminis, sed solùm in ordine ad justum suum interesse accusare, AA. iidem juxta *cit. c. Prælatis.* Idque etiam coram Judice sæculari, dum Accusator est Clericus, quia præmissâ illa protestatione in accusatione civili non censetur cooperatio ad mortem, sed justa defensio & excitatio ad satisfactionem sibi præstandam. Omissâ verò illâ, accusans de crimine digno morte vel mutilatione indirectè censetur causâ mortis, quæ tamen indirecta voluntas retractari censetur per illam protestationem. Suar. *l. c.* Laym. *l. c. c.* 7. *n.* 5. Quamvis autem *cit. c.* 2. *h. t. in* 6. solùm fiat mentio de Clericis, quòd incurrant irregularitatem, si accusent non præmissâ protestatione, idem tamen dicendum de Laicis. Covar. *l. c. num.* 1. Nav. *l. c. num.* 213. Suar. *cit. s.* 2. *n.* 6. Avil. *l. c. s.* 2. *du.* 9. §. 6. Pirh. *num.* 108. quia per hoc laicis non imponitur novum gravamen, sed potiùs tanquam remedium inventum ad irregularitatem evitandam offertur, est tamen quò ad illam irregularitatem inter Laicos & Clericos distinctio, quòd hi, si omissâ protestatione accusent, fiant irregulares, ex Homicidio illicito, quia illis prohibitum accusare in causâ sanguinis sine protestatione. *c. postulasti. h. t.* Gl. *ibid. in fine.* Laici verò, etsi non peccent omittendo protestationem, fiunt irregulares ex defectu perfectæ lenitatis. Nav. Avil. Pirh. *ll. cit.* Porro hæc protestatio expressa sufficit ad evitandam irregularitatem, etiamsi ficta sit, & Accusator in animo velit & optet, ut accusatus occidatur, ut Covar. *l. c.* §. 5. *n.* 2. Avil. *l. c.* Laym. *cit. c.* 7. *in fine.* Mol. *l. c. d.* 8. *num.* 4. Pirh. *n.* 104. contra Nav. *cit. c.* 27. *num.* 226. Diaz. *in pract. crim. c.* 102. *num.* 15. & alios citatos à Barb. *in c.* 2. *h. t. in* 6. *num.* 9. Ex ea ratione, quòd irregularitas, utpote inducta solùm jure Ecclesiastico, non præcipiente, nec puniente directè actus internos, & quia actus ille internus non influit in Homicidium, utpote incognitus judici, non incurritur irregularitas per actum illum internum, sicut è contra ea incurritur omissione illius externæ protestationis, licèt accusator internè habeat voluntatem, ut non occidatur; quia canones externam protestationem requirunt, & retenta in mente voluntas nihil operatur. Et hæc, etiam in foro conscientiæ, ut Pirh. *num.* 104. cum Diaz. *l. c. n.* 16. Item sufficit dicta protestatio ad evitandam irregularitatem, etiamsi accusanti sit certum moraliter, judicem pœnam mortis illaturum, modò non inducatur ad iniquam sententiam ferendam, v. g. dum accusator verum delictum deferret, quia tamen illud probare non posset, inducit falsos testes, qui accusatum convenirent. Pirh. *num.* 105. citans Suar. *cit. s.* 2. *num.* 8. Arg. *c.* 2. *h. t. in* 6. Item si Clerici civiliter accusent non solùm de injuriis suæ personæ aut suæ Ecclesiæ allatis, sed etiam de illatis parentibus, fratribus, liberis, propinquis, aliisque ita conjunctis, ut damnum vel injuria in ipsum redundet Accusatorem. Nav. *l. c. n.* 213. Covar. *l. c. n.* 1. Laym. *l. c. n.* 5. Pirh. *cit. n.* 105. *in fine*; fieret tamen irregularis etiam factâ illâ protestatione, si apud Judicem sæcularem accusaret civiliter extraneum quempiam alium de illatis ei damnis, si accusato mors dein infligeretur. Arg. *c.* 2. *h. t. in* 6. Suar. *l. c. num.* 11. Covar. *l. c. num.* 4. Nav. *l. c. n.* 204. Pirh. *num.* 109. ex ea ratione; quòd defensio juris proprii maximè sit naturalis, ac ideo

ſpecialiter à jure conceſſum, damnum ſibi illatum proſequi in judicio per Accuſationem, junctâ illâ dictâ proteſtatione, etſi id occaſio Judici ſit inferendi mortem vel mutilationem, quod ipſum non eſt extendendum ad cauſam extranei cujuscunque. Denique quamvis conſultum ſit, quin & praxi uſúque receptum, proteſtationem fieri ſtatim ſub initium unà cum accuſatione, ſufficit tamen facta ante prolationem ſententiæ, ſiquidem Voluntas, quam Clericus accuſans omiſsâ proteſtatione habere cenſetur, ut accuſatus occidatur, revocatus per proteſtationem poſtea factam ante ſententiam, adeóque evitatur irregularitas, non ſecus, ac ea evitatur poſt revocationem Homicidii factam ante executionem illius, etſi hæc ſubſequatur. Suar. *l. c. num.* 2. Avil. *l. c. num.* 9. De cætero plures ſunt caſus, in quibus ad vitandam irregularitatem dicta proteſtatio non eſt neceſſaria, & primò quidem, dum accuſatio eſt de crimine levi ſeu non merente mortem, dum nihilominus judex accuſatum afficit morte vel mutilatione; quia inſcitia vel malitia Judicis non debet nocere accuſatori. Covar. *l. c. num.* 3. *not.* 9. Nav. *cit. num.* 204. Avil. *cit. num.* 9. Diaz. *pract. crim. c.* 102. *num.* 13. Pirh. *num.* 10. Arg. *c. poſtulaſti. h. t.* Idem eſt, dum Judex accuſatum de crimine levi condemnet ad mortem ob alia delicta; quia id accuſanti per accidens eſt. Nav. Pirh. *ll. cit.* Secundò dum Clericus, ſive Laicus, ſive civiliter, ſive criminaliter de crimine inducente pœnam ſanguinis, etiam ita enormi, ut Clericus accuſatus ob illud degradari poſſit, accuſat in tribunali Inquiſitionis vel apud quemcunque alium Eccleſiaſticum Judicem; quia ille non poteſt procedere ad pœnam ſanguinis, non obſtantes, quòd is tradere eum poſſit Judici Sæculari, quia id per accidens eſt. Suar. *l. c. n.* 18. Diaz. *l. c. num.* 14. Barb. *in c.* 2. *h. t. in* 6. *num.* 10. Pirh. *cit. num.* 110. Reiffenſt. *num.* 84. Tertiò: dum accuſatio vel denunciatio fit, ſive à Laico, ſive à Clerico de injuria non jam illata per crimen, ſed inferenda, vel de crimine pendente in futurum, quod aliter impediri nequit, quàm per denunciationem ad Judicem, vel accuſationem; Idque, ſive fiat ad proprium, ſive alienum aut reipublicæ damnum avertendum. Covar. Suar. *l. c. num.* 11. Pirh. *cit. num.* 109. Mol. *l. c. d.* 8. *n.* 9. Reiffenſt. *num.* 86. Arg. *c. accuſaſti. de accuſ.* Siquidem SS. Canones non imponunt irregularitatem propter opus, ad quod lege naturali vel præcepto divinæ Charitatis quis obligatur, quale eſt accuſare malefactorem, dum id neceſſarium ad defendendum proximum innocentem, avertendúmque ab eo aut republica malum; neque etiam alibi in jure ſtatutum, proteſtationem dictam neceſſariam, ad vitandam in hoc caſu ad irregularitatem.

3. Reſp. Tertiò: Sed neque Clericus accuſator, ut paulò ſuprà inſinuatum, fit irregularis propter mortem accuſato illatam per Judicem, etiamſi ipſe reum capiat, detineat, & judici tradat ad puniendum, præmiſsâ proteſtatione. Covar. *l. c. num.* 3. *in fine.* Diaz. *l. c. num.* 17. Pirh. *n.* 106. Unde jam etiam locus ab accuſatore indicari poteſt, ubi malefactor, v. g. fur, lateat, ut comprehendatur, ex intentione, ut reparet damnum illatum, ad hunc enim finem, cùm licita ſit accuſatio, licita quoque ſunt media ad illum. Pirh. *l. c.* cum Nav. *L.* 5. *conſ.* 9. *b. t.* Idque, ſive fur ſit fugitivus, ut Nav. cùm tunc captura vel indicatio illius ſit medium neceſſarium ad reparationem damni, ſive non ſit fugitivus, quia in eo caſu captura & detentio, etſi non ſit medium neceſſarium, eſt tamen medium utile, ad damnum reparandum.

Quæſt. 255. *An & quando teſtes in cauſa ſanguinis fiant irregulares?*

RReſp. Quicunque, ſive Clerici, ſive Laici in cauſa, in qua agitur directè de pœna mortis vel mutilationis, liberè ferunt teſtimonium contra accuſatum ſecutâ morte vel mutilatione, etiamſi proteſtentur, ſe non ferre teſtimonium ad condemnandum reum, fiunt irregulares; quia teſtis deponendo de crimine movet judicem ad ferendam ſententiam, quæ maximè fundatur ſuper illius atteſtatione, adeóque eſt cauſa moralis, & quidem potiſſima mortis, utpote cui nemo in hoc judicio ſanguinis plùs cooperatur, quàm teſtis, per quem veritas elicitur. Et ita cum communi docent Covar. *l. c.* §. 5. *n.* 5. *in fine.* Nav. *l. c. n.* 212. Diaz. *in pract. crim. c.* 102. *n.* 21. Suar. *cit. d.* 47. *ſ.* 3. *n.* 2. Mol. *tract.* 3. *d.* 47. *n.* 10. Pirh. *h. t. n.* 111. Caſtrop. *tract.* 29. *d.* 6. *p.* 3. *per tot.* Dicitur primò: *In cauſa, in qua directè agitur ad pœnam mortis.* Secus eſt, ſeu teſtis non fit irregularis, dum agitur de crimine capitali civiliter ad intereſſe alicujus. Pirh. *l. c.* Dicitur ſecundò: *Liberè ferunt teſtimonium:* Si enim teſtis citatus detrectans venire & teſtari ad hoc cogatur præcepto ſuperioris vel aliâ viâ à Judice (qui id in aliquibus caſibus poteſt) non fit irregularis, etſi per accidens ad mortem reus condemnetur, cùm id teſti nequeat ad culpam ullam imputari; quia rei licitæ operam dedit, & per ſe non ſit cooperatus ad illum effectum, Suar. *l. c.* Caſtrop. *l. c. n.* 3. Pirh. *l. c. verſ. non obſtat etiam.* Reiffenſt. *h. t. n.* 105. monens non eſſe ſimiliter argumentandum de judice & aliis officialibus juſtitiæ, quia officium liberè aſſumpſerunt, licet liberè aſſumptum poſtea neceſſariò adminiſtrent, & condemnent ad mortem. Dicitur tertiò: *Teſtantur contra accuſatum.* Quia, ſi etiam Clericus in favorem rei, ad probandam ejus innocentiam, teſtetur, non fit irregularis; cùm id ei prohibitum non ſit. Diaz. *l. c. num.* 22. Pirh. *cit. n.* 111. *in fine.* Dicitur quartò: *Etiamſi proteſtetur*: quia cum teſtis, non propriam, ſed alienam cauſam proſequatur, nihil prodeſt ei ad vitandam irregularitatem, nec idcirco deſinit teſtimonio ſuo influere in ſententiam mortis. Porrò illud hìc notandum, quòd ſi Clerici in cauſa criminali agerent teſtes contra accuſatum coram Judice Laico, fiant non tantùm irregulares, ſed & peccent, quia in cauſa criminali coram Judice Sæculari agere teſtem contra reum Clericis abſolutè prohibitum; unde etiam ad hujusmodi teſtimonium coram Judice Laico ferendum nunquam cogi poſſunt.

Quæſt. 256. *An & quando Advocatus in cauſa ſanguinis fiat irregularis?*

1. RReſp. Primò: Advocatus in cauſa ſanguinis præbens patrocinium accuſatori contra reum, iſque condemnetur ad mortem vel pœnam mutilationis, fit irregularis, etiamſi fuerit proteſtatus, quia Advocatus valde efficaciter docendo & movendo ſuis argumentis judicem ad ferendam ſententiam, adeóque proteſtatio illius facto contraria non impedit, quò minùs ſit particeps Homicidii; ita Covar. *l. c. n.* 5. Diaz. *l. c. n.* 18. Suar. *l. c. ſ.* 4. *n* 3. Pirh. *num.* 112. Caſtrop. *l. c. n.* 5. dicens eſſe ſententiam omnium, ſi tamen mors aut mutilatio actu non ſequatur, uti Judex, ita multò minùs Advocatus ſit irregularis, cum irregularitas ex defectu lenitatis

incur-

incurratur nunquam, nisi ex actuali Homicidio vel mutilatione. Suar. *l. c. n.* 4.

2. Resp. Secundò: Advocatus impendens patrocinium reo, dum is nihilominus condemnatur ad mortem vel mutilationem, non fit irregularis, sive sit Clericus, sive Laicus; quia ex ejus patrocinio non sequitur mors, imò citiùs secutura, si reus illâ defensione caruisset; nisi tamen Advocati imperitiâ vel negligentiâ reus condemnatus fuisset. ut Suar. *l. c. n.* 6. Diaz. *num.* 20. Pirh. *l. c.*

3. Resp. Tertiò: Si Actor seu Accusator injustè seu falsò accusavit, & hinc reo absoluto Accusator Pœna talionis puniatur, Advocatus Accusatoris fit irregularis; quia eum in tali periculo mortis constituit; cum nisi Advocatus causam Accusatoris suscepisset, hic ausus non fuisset accusare; nisi tamen Advocatus bonâ fide existimasset, causam Accusatoris esse justam; siquidem ignorantia invincibilis sicut excusat à delicto, sic ab irregularitate, utpote quæ in casu injustæ accusationis non oritur ex defectu lenitatis, sed ex delicto Homicidii, saltem indirectè voliti, Suat. Pirh. *ll. cit.* Econtra, si accusator ob injustam accusationem puniatur pœnâ talionis, Advocatus rei non fit irregularis, si tantùm reum defendit, ostendendo delictum ei objectum non esse probatum, quia tunc ad pœnam illam talionis non concurrit, sicut concurreret ostendendo directè, Accusatorem esse calumniatum. Covar. *l. c. n.* 5. Suar. *cit. s.* 4. *n.* 7. & 8. Pirh. *cit. n.* 112. *in fine.*

Quæst. 257. *An & qualiter Notarii aliique; qui sententiam sanguinis scribunt, subscribunt, subsignant, legunt, publicant, item executores sententiæ & justitiæ ministri sint irregulares?*

R. Esp. Omnes illos, secutâ morte vel mutilatione, esse irregulares ex defectu lenitatis; cùm omnes illi propinquè & notabiliter concurrant ad mortem, & inter eos sunt lictores, qui reum torquent ad eliciendam veritatem, satellites, qui reum custodiæ causa comitantur ad supplicium, & ita tenent Nav. *l. c. n.* 217. Sylv. *v. Homicidium.* 3. *q.* 2. *n.* 3. Avil. *de cens. d.* 5. *s.* 2. *du.* 1. Suar. *l. c. s.* 4. *n.* 1. Covar. *l. c.* §. 5. *du.* 1. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 1. & DD. *in c. Sententiam. ne Clerici vel Monachi.* Secus est de iis, quorum cooperatio magis remota est, v. g. opificum, qui furcam, scalam, funes confecerunt. Laym. *l. c. n.* 2. Castrop. *l. c. p.* 14. §. 4. cum Gl. *in c. de cætero. h. t. v. causam.* Mol. *tract.* 3. *d.* 74. *num.* 2. qui tamen uti & Laym. cum aliis censent, satis propinquè concurrere, etsi privata Authoritate id faciant, & hinc irregulares esse, qui scalam applicant, ad suspendendum furem, ligna ad comburendum reum comportant, & magis si rogum construant. De cætero irregulares non esse privatos illos, aut etiam confessarium, qui equum, cui reus insidet, incitant, aut reum monent ad procedendum, ut viâ breviori ducatur, ut scalas ascendat, manus ligandas præbeat, ministro justitiæ se accommodet, etsi per hæc mors acceleretur, astruunt Castrop. Laym. Molin. & alii. Eò quòd hæc levia sint & quasi pro nihilo reputentur, verisimileque non sit, Ecclesiam in his casibus voluisse irregularitatem inducere, quamvis tamen pro majore cautela Suar. *l. c. n.* 10. moneat Clericos & Religiosos reo in ultimo supplicio pro cura animæ assistentes, ut caveant, ne verbo aut facto aliquo accelerent seu promoveant mortem aut mutilationem, aut etiam ipsos Ministros Justitiæ, ut veniant, ac properent exequi, etsi id faciant ex pia causa, quia sciunt reum jam bene dispositum.

Quæst. 258. *Num Clerici interessendo ultimo supplicio rei illud purè spectandi gratiâ fiant irregulares aut peccent?*

1. R. Esp. Primò: Nec Laici, nec Clerici, modò præsentiam suam non exhibeant authoritativè, & hac ratione suo modo cooperentur, per hoc incurrunt irregularitatem; quia nullâ ratione, nequidem remotè, cooperantur ad mortem. Gonz. *ad c. sententiam, ne Clerici vel Monachi, num.* 1. Castrop. *l. c.* §. 4. *n.* 2. Nav. *l. c. n.* 214. Laym. *cit. num.* 2. Pirh. *h. t. num.* 113. & alii cum communi, contra paucos alios in *cit. c. sententiam.* Quod tamen *cap.* dum irregulares dicit, intelligendum esse de authoritativa eorum præsentia, executioni sententiæ aliquo modo cooperante, ait Gonzal. *l. c.*

2. Resp. Secundò: Etsi non deceat Clericos, saltem Sacerdotes & in Sacris Ordinibus constitutos, immixtos reliquæ turbæ spectare ultima supplicia reorum curiositatis gratiâ, & hinc ad summum peccent venialiter, ut Suar. *cit. s.* 4. *infine.* Castrop. *l. c.* sunt tamen, qui eos ne venialiter quidem peccare censeant, si aliquid causæ rationalis adsit, præsertim si ita se collocent, ut non multùm notentur à turba, vel si à longè ex domo aliqua prospiciant, ita Reiffenst. *h. t. n.* 114.

Quæst. 259. *An & quando Judices, Assessores, Consultores similésque ferendo aut proferendo sententiam mortis aut mutilationis incurrant irregularitatem?*

1. R. Esp. Primò: Incurrit per hoc eam omnis Judex, sive Clericus, sive Sæcularis, & quicunque cum eo concurrit ad sententiam illam concipiendam proferendámque, ex ea ratione, quòd licèt si omnes nullum committant delictum, quia tamen sanguinem alienum fundunt, vel ad fundendum concurrunt, carent perfectâ mansuetudine & lenitate Christiana, reputantur ab Ecclesia inhabiles ad Altaris Ministeria, juxta dicta suprà; ita Arg. *c.* 1. *dist.* 51. *Can. sæpe. & seq.* 23. *q.* 8. *c. ex literis. de excess. Prælat. c. Clerici. c. Sententia. ne Clerici vel Monachi.* est communis & certa, quæ tamen multas patitur exceptiones. Hinc

2. Resp. Secundò: Irregularitatem non incurrunt primò: Summus Pontifex, utpote illius solo jure humano, supra quod est Papa, inductæ incapax, adeò, ut ab ea ante Pontificatum contracta evectus ad illum per ipsam evectionem liberetur. Majol. *de irregular. L.* 2. *c.* 4. *in princ.* Reiffenst. *num.* 92. Arg *c. licet vitanda. de elect. c. ubi periculum. eod. in* 6. Secundò: Judæi, Saraceni, aliique infideles, utpote Ecclesiæ legibus & pœnis non subjecti, ita ut, si talis ad fidem convertat, nulli effectui irregularitatis sit obnoxius, & si ipse priùs fuisset judex, & sententiam mortis tulisset, aut ipse etiam justè vel injustè occidisset aliquem. Suar. *de cens. d.* 40. *s.* 7. *num.* 3. Tertiò: Inquisitores Hæreticæ pravitatis, eorúmque Assessores, Consultores, Commissarii, Officiales, utpote à Paulo IV. & Pio V. hoc privilegio præmuniti, ut irregularitatem non incurrant, dum Hæresis reos ad pœnas jure statutas, etiam mortis, condemnant, ut Castrop. *tr.* 29. *d.* 6. *p.* 14. §. 1. citans Pegna. *Director. Inquisit. p.* 2. *comment.* 20. Henriq. *L.* 14. *de irregular. c.* 12. *n.* 5. Avil. *de cens. p.* 7. *d.* 5. *s.* 2. *du.* 2.

du. 2. Et licèt ipsi sententiam mortis à se conceptam & latam exequi nequeant, instare tamen possunt pro executione illius, si Judices Sæculares, quibus extraditi rei, negligentes fuerint. Castrop. *l. c. in fine.* citatis Medina *L.* 1. *sum. c.* 11. §. 10. Tabien. *v. irregularitas. p.* 2. §. 13. Henriq. Avil. *ubi ante.* uti idem tradit Laym. *l. c. n.* 3. Quartò: idem est de aliis Prælatis & Judicibus Ecclesiasticis, qui Jurisdictionem temporalem habent, ita ut hi citra irregularitatem Clericos reos de crimine digno morte à se convictos & declaratos, hoc enim (non tamen prolatâ in eos sententiâ Inquisitoribus solis competit, qui præter solam executionem sententiæ à se latæ possunt cætera. Castrop. *l. c.* Reiffenst. *num.* 95.) priùs à se degradatos tradunt Curiæ Sæculari, prolatâ ab eadem in eos sententiâ, morte vel mutilatione afficiuntur; non enim Judex Ecclesiasticus, dum ipse sententiam non tulit, tradendo reum potestati sæculari ab ea condemnandum & puniendum directè causat aut influit in pœnam mortis; quia non dat Judici Sæculari jurisdictionem in illum, nec dictat sententiam sanguinis, sed per se solùm declarat delictum, & degradando privat privilegio clericali, excluditque à foro seu jurisdictione sua, adeóque solùm per accidens concurrit ad mortem, tanquam removens prohibens aliàs procedere Judicem Laicum ad proferendam exequendámque sententiam mortis. Castrop. *l. c.* Pirh. *num.* 99. Ad evitandam tamen irregularitatem, ex tali degradatione & traditione aliàs orituram Judici Ecclesiastico, debet is apud Judicem Sæcularem intercedere, ut hic velit moderari sententiam & misericorditer cum reo agere, juxta *c. Novimus. de V. S.* Quâ tamen intercessione non intendit Judex Ecclesiasticus impedire sententiam mortis, sed tantùm significare, se ex parte sua illam non procurare, unde nec iniqua, nec ficta est illa intercessio, ut Pirh. *num.* 100. Atque ita hâc intercessione interpositâ evitari irregularitatem, communiter DD. Covar. *l. c.* §. 5. *num.* 6. Suar. *cit. d.* 47. *s.* 1. *num.* 11. Avil. *de censur. p.* 7. *d.* 5. *s.* 2. *du.* 2. Bonac. *d.* 7. *q.* 4. *p.* 1. *n.* 3. Sayr. *L.* 6. Thesau. *c.* 16. *num.* 4. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c.* Hinc, quamvis ea intercessio prætermittenda non sit, ob majorem etiam securitatem ad declinandum periculum incurrendæ irregularitatis, & quia jus commune eam præcipit, & consuetudo approbat, fortè tamen aliàs in rigore eam absolutè non fore necessariam, asserit Pirh. *l. c.* citans Suar. *l. c. n.* 12. *& n.* 13. Illam tamen nullatenus necessariam Inquisitoribus, cum illis tantùm prohibita censetur mortis & mutilationis executio, non tamen illius sententia ex Bulla quadam Pauli IV. *de anno* 1557. 29. *Aprilis.* asserit Castrop. *l. c.* Sed neque istiusmodi Principes Ecclesiastici irregularitatem incurrunt, dum aliis Jurisdictionem criminalem & causas omnes sanguinis committunt vel delegant, non tantùm in genere constituendo unum vel plures Judices sanguinis, mandandóque, ut casu emergente malefactores pœnis à jure statutis (ut solùm fieri posse ab iis citra irregularitatem, vult Gl. *in c.* 3. *ne Clerici seu Monachi, vel Episcopus*) vel etiam conferendo alicui officium, cui jurisdictio ordinaria cognoscendi omnes causas sanguinis & puniendi pro merito malefactores, annexa est, sed etiam probabiliter in specie, committendo vel delegando alicui, ut crimen alicujus in specie examinet, dijudicet, ac puniat juxta præscriptum juris. Avil. *cit. s.* 2. *du.* 4. Mol. *de I. & I. d.* 74. *n.* 9. Laym. *l. c. n.* 4. Castrop. *l. c. num.* 3. Pirh. *num.* 97. Arg. *c. fin. ne Cler. vel Monach.* Multóque magis citra irregularitatem hæc potest à Principe Laico Jurisdictionem temporalem habente constitutus. Ratio horum omnium est, quòd talis commissio & delegatio non intendat directè Homicidium, sed rectam seu justam gubernationem & administrationem justitiæ, ex qua per accidens & citra intentionem committentis postmodum mors subsequitur. Covar. *l. c. n.* 8. Suar. *cit. s.* 1. *n.* 5. *& seq.* Mol. Avil. Pirh. *ll. cit.* Unde etiam, si commissarius vel delegatus per injustam sententiam accusatum condemnarat ad mortem, committens & delegans, non incurrit irregularitatem; quia commissio fuit justa, & Commissarius egrediendo terminos mandati, egit contra voluntatem committentis. Suar. Pirh. Laym. *ll. cit.* Neque Principes, sive Clerici, sive Sæculares fiunt irregulares condendo leges vel statuta, quibus transgressoribus imponitur pœna mortis vel mutilationis; quia tales leges per se non ordinantur ad Homicidium, sed ad bonam reipublicæ gubernationem, & ad vitandum Homicidium aliáque crimina, Sylv. *v. Homicidium.* 3. *q.* 7. *dicto* 9. Suar. *s.* 1. *num.* 7. Avil. *du.* 5. Pirh. *l. c.* Denique probabiliter non fiunt irregulares istiusmodi Principes aut Domini tam Clerici quàm Sæculares jurisdictionem temporalem exercentes, si sententiam mortis ab inferiore judice jam prolatam mitigant aut moderantur, v. g. ut damnatus ad rotam vel ignem, capite plectatur; quia non sunt causa mortis illius, sed potiùs, ut omisso priori supplicio mitigetur condemnatio, qui est actus misericordiæ. Laym. *cit. c.* 7. *n.* 4. Pirh. *num.* 97.

Quæst. 260. *Quid sit de contrahenda irregularitate, circa Theologos, Canonistas, Legistas, Confessarium, aliósque interrogatos à Judice super causa sanguinis?*

Resp. Hi, si publica authoritate assumpti, constituti ad dandum in similibus resolutionem vel consilium, sive Clerici, sive Laici sint. Secutâ juxta eorum responsa data hìc & nunc in particulari casu morte, fiunt irregulares v. g. dicendo: Spectando jura iste reus est suspendendus, comburendus &c. vel, ego opinor, hunc vi legum esse suspendendum, quia satis propinquè ad pœnam sanguinis concurrunt, Suar. *cit. s.* 1. *n.* 4. contra Castrop. *l. c.* §. 3. *num.* 7. citantem pro se, Hurt. *de irregul. diff.* 11. *num.* 10. & dicentem, taliter respondentes non esse irregulares, si publicè ad hoc sint constituti; si verò authoritate publicâ ad hoc non constituti, privatim à Judice interrogentur, respondeántque in genere, explicando quid juris sit, seu quid de hujusmodi malefactoribus jura statuant, nihil suadendo circa reum in particulari, non fiunt irregulares, etiamsi prævideant, intellecto hoc, quid juris sit, Judicem mortem inflicturum; quia talis Judicem ad pœnam inferendam non incitat, aut monet, sed solùm aperit veritatem, & quid justum & licitum sit, quo cognito, judex per se ipsum movetur ad infligendum pœnam. Quin & verisimile non est, Ecclesiam mediante irregularitate voluisse impedire, ne Theologi, Jurisperiti & Confessarii munere suo & scientiâ salubriter fungantur, aut id, ad quod jure divinò dicendum tenentur, taceant, ita Gl. communiter recepta *in c. ex literis. de excess. Prælat. v. consuluit.* Mol. *de Just. tr.* 3. *d.* 74. *num.* 6. Pirh. *h. t. n.* 98. Reiffenst. *num.* 101. contra Sylv. & Avil.

Quæst.

Quæst. 261. *Quid sit circa confessarium negantem Judici nolenti condemnare Absolutionem, vel etiam obligantem pœnitentem ad fatendum crimen in Judicio?*

Resp. Confessarium negantem absolutionem Sacramentalem Judici nolenti condemnare reum ad mortem, dum is ad hoc ex officio tenetur, non fieri per hoc irregularem; neque etiam confessarium obligantem pœnitentem ad fatendum crimen dignum morte in judicio, dum legitimè is desuper interrogatus; cùm confessarius in hoc casu per se & directè tantùm impedire intendit peccatum Judicis, quod is committit nolendo condemnare, dum ad hoc tenetur, uti & peccatum pœnitentis, quod is committit nolendo fateri delictum, ad quod legitimè interrogatus in judicio tenetur. Idem est de confessario obligante pœnitentem ad non appellandum legitimè à sententia justa, ex ea ratione, quòd verisimile non sit, Ecclesiam voluisse statuta in his casibus irregularitate confessario, impedire, quò minùs is ritè & liberè posset fungi munere suo; Cùm id cederet in detrimentum salutis. ita Pirh. *n.* 98. *in fine.* Reiffenst. *num.* 102. citantes Suar. *s.* 1. *num.* 4. Avil. *l. c. s.* 2. *du.* 7. Mol. *l. c. d.* 8. *n.* 8. Castrop. *l. c. num.* 8. Bonac. *d.* 7. *q.* 4. *p.* 1. *n.* 32. Laym. *L.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 4.

Quæst. 262. *Ex qua mutilatione oriatur irregularitas?*

1. Resp. Primò: Præter sparsim dicta *h. t.* de mutilatione, quòd ex ea oriatur irregularitas, per eam hìc intelligitur amputatio membri, quare ad eam non sufficit vulneratio & copiosa effusio sanguinis, nec abscissio partis carnis; quia caro non est propriè membrum. Suar. *de cens. d.* 44. *s.* 2. *n.* 6. quale est pars corporis humani, quæ peculiarem functionem sive distinctum ab aliis officium habet. Sylv. *v. Homicidium.* 3. *q.* 3. *dicto* 2. Covar. *l. c. p.* 3. *num.* 8. Nav. *cit. c.* 27. *num.* 206. Avil. *l. c. s.* 1. *du.* 1. Pirh. *h. t. num.* 119. & quale proinde non est cartilago aurium & nasi, & pars digiti aut etiam digitus, etiam pollex; quia etsi ad sensationem aliquid conferant, non tamen per illa exercetur principaliter sensatio. Pirh. *l. c.* Contrarium tamen sentientibus Suar. *l. c. num.* 7. & 8. Laym. *l. c. n.* 20. Nimirum, quòd, etsi secundùm leges civiles pœnales nomine membri intelligatur integrum membrum principale v. g. pes, manus, oculus, secundum Canones tamen, quò ad irregularitatem non intelligitur integrum membrum tantùm, sed etiam pars notabilis membri, cùm requiratur absolutè mutilatio juxta *Clem. unic. h. t.* quæ sit notabili membri principalis diminutione.

2. Resp. Secundò: Ex hac itaque mutilatione secundùm diversitatem harum sententiarum oritur irregularitas, utpote quæ æquiparatur Homicidio. *c. in Archi-Episcopatu. de raptorib.* cit. *Clem. unic. junctâ* Gl. *v. mutilatio.* Idque, sive per se directè, sive indirectè & per alium mandando, consulendo alitérve cooperando quis mutilaverit. Item sive mutilatio fuerit illicita, sive licita, sicuti quandoque est juxta dicta de Homicidio. Mol. *l. c. d.* 68. *in pr.* Pirh. *h. t. n.* 121. ubi etiam ex Suar. *cit. d.* 44. *s.* 2. *num.* 3. & 4. Quòd irregularitas mutilationis distincta sit ab irregularitate Homicidii, ut patet, dum percutiens vel vulnerans animo tantùm mutilandi, non occidendi, fit irregularis, non titulo Homicidii, sed præcisè causâ mutilationis hac secuta; ac ita, cùm sint duæ irregularitates distinctæ, non omnia, quæ jure statuta sunt circa irregularitatem voluntarii Homicidii, extendenda sunt ad irregularitatem voluntariæ mutilationis.

3. Resp. Tertiò: Lædendo reddens membrum aridum & inutile ad operandum citra abscissionem illius, non fit irregularis, cùm jura non imponant irregularitatem debilitanti, aut aridum reddenti membrum, sed abscindenti illud; manet siquidem verum adhuc membrum conjunctum reliquo corpori, ut dicitur *c. sicut.* 1. *q.* 1. quamvis sine sanguine, mortuum, & ineptum ad operandum, & deformitatem, quam induceret abscissio illius, impedit. ita Nav. *l. c. n.* 206. Covar. *l. c. p.* 3. *num.* 9. Suar. *l. c. num.* 5. Pirh. *num.* 122. Unde jam, ut idem, Judex non fit irregularis ita torquendo reum, ut membrum aliquod illius debilitetur & reddatur inutile.

4. Resp. Quartò membrum aliunde jam debilitatum & impeditum ad suum officium, omnino aridum seu mortuum, & animâ humanâ non amplius informatum, etsi id exteriùs non appareat, abscindens non fit irregularis per illam abscissionem; cùm tale membrum mortuum sit quasi non membrum; quamvis qui membrum ita debilitavit & læsit, ut omnino arescceret & vitam perderet, etiamsi à reliquo corpore non abscinderit, censendus sit irregularis. Pirh. *n.* 223. uti & ille, qui membrum jam redditum inutile, vivum tamen adhuc, adeóque verum membrum abscinderet, non obstante, quòd eo uti non potuerit; id enim per accidens est.

5. Resp. Quintò: Deformans aliquem ita notabiliter, ut ad Ordines promoveri nequeat, v. g. vulnerando faciem relictâ deformi cicatrice, citra tamen mutilationem, non fit irregularis; quia præter Homicidium & mutilationem nulla alia irregularitas, quæ ex læsione corporis inducatur, est in jure expressa. Ita Suar. *l. c. num.* 12. Nav. & Pirh. *ll. cit.* & alii communiter contra Sylv. His non obstante, quòd taliter deformatus fiat irregularis; cùm non semper reddens alium irregularem, per hoc ipsum reddatur irregularis, sed tunc tantùm, quando id in jure expressum est, ut si aliquem deformet per mutilationem. Quemadmodum etiam è contra mutilans fieri potest irregularis absque irregularitate mutilati, v. g. dum quis invitus per injuriam est castratus.

6. Resp. Sextò: Tametsi mutilando se ipsum fiat quis irregularis, eodem modo, quo fieret irregularis mutilando alium, mutilatio tamen sui ipsius sufficere potest, quæ in alio facta non sufficeret, sic si quis sibi partem digiti volens abscinderet, fit irregularis, & talis non fit, si eam alteri abscinderet. *c. qui partem. dist.* 25. Suar. *l. c. n.* 10. Nava. *num.* 217. Pirh. *num.* 124.

Quæst. 263. *Quid Papa possit circa dispensandum in irregularitate, proveniente ex Homicidio vel Mutilatione?*

Resp. Sicuti in qualibet alia irregularitate, ita etiam in irregularitate orta ex quocunque Homicidio dispensare potest; cùm omnis irregularitas non nisi Jure Ecclesiastico inducta sit, tanquam certum & indubitatum, constat *ex Can. inferior. dist.* 21. & *c. proposuit. de conces. præbend.* Unde dum dicitur, irregularitatem ex Homicidio præsertim injusto esse indispensabilem, sensus non est alius, quàm quòd non nisi rarò & difficillimè in ea dispensare soleat. Abbas *in c. sicut. h. t. n.* 12.

Covar. *in Clem. unic. h. t. p.* 2. §. 3. *n.* 3. cum communi.

Quæst. 264. *Quid possit vel non possit Episcopus circa dispensandum ab hac irregularitate?*

1. Resp. Primò: Episcopus tametsi in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto dispensare possit, non tamen in proveniente ex homicidio voluntario occulto, multoque magis publico, ut constat ex Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* idque etiam in ordine ad quæcunque beneficia, etiam simplicia, officia ecclesiastica & ordines minores, ut patet ex eodem Trid. *sess.* 14. *c.* 7. ubi quis suâ voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi occultum, nullo tempore ad Ordines (quo verbo absolutè prolato veniunt etiam minores) promoveri possit, nec illi aliqua beneficia ecclesiastica conferre liceat, sed omni ordine & beneficio ac officio perpetuò careat; sed nec olim ante Trident. in ea dispensare potuit quò ad Ordines sacros suscipiendos, aut in iis ministrandum, aut acquirendum beneficium curatum. Sylv. *v. homicidium.* 3. *q.* 8. *dicto* 4. & 6. Covar. *l. c. n.* 5. Pirh. *h. t. n.* 125. Arg. *c. minor. dist.* 50. & *ibi* gl. *v. minor.* & *c.* 2. *de Cler. pugnant. in duell.* potuit tamen in ordine ad Ordines minores & beneficium simplex (quod in materia dispensationis, utpote derogante jure communi, adeoque strictè accipienda, solùm venit eo nomine simpliciter prolato) dispensare. Arg. *cit. c. minor.* atque ita Trid. potestatem Episcoporum restrinxit. Sed neque vi illius dispensare potest Episcopus in irregularitate proveniente ex homicidio justo, quam ob defectum lenitatis perfectæ contrahunt Judices, accusatores, testes &c. item milites in bello aggressivo justo occidentes alios. Suar. *de irregular. d.* 47. *s.* 6. *in fine.* Nav. *l. c. n.* 217. & *l.* 5. *concil. can.* 19. *h. t.* Laym. *l. c. c.* 12. *n.* 5. Avil. *de cens. d.* 6. *s.* 5. *du.* 1. *concl.* 1. Gutt. 44. *can. h.* 2. *c.* 6. *n.* 170. Garc. *de benef. p.* 7. *c.* 11. *n.* 40 Castrop. *de cens. d.* 6. *p.* 14. §. 7. *n.* 6. Pirh. *n.* 129. contra Covar. *l. c.* §. 3. *in fine.* ex ea ratione, tum quòd tale homicidium, utpote authoritate publicâ factum, etsi sit justum, directè tamen & in se sit volitum, tum quia Trident. non concedit Episcopis facultatem dispensandi nisi in irregularitate orta ex delicto, ea autem non oritur ex delicto. Quod si tamen Clericus contra Canones in bello justo pugnans propriâ manu occidat, ac ita fiat irregularis, poterit cum eo dispensare Episcopus, eò quòd, licet tale homicidium sit illicitum contra prohibitionem Juris Canonici propter indecentiam statûs, non tamen est injustum; in Decreto autem Concilii in ordine ad indispensabilitatem comprehenditur solùm homicidium injustum. Pirh. *l. c.* cum Avil. *l. c. s.* 5. *du.* 5. *in fine.* idem dicente de Clerico, qui accusavit, vel testis aut Advocatus fuit in causa sanguinis sine protestatione.

2. Resp. Secundò: è contra potest Episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio casuali, aut etiam ex proposito, directè non intento, sed ad summum indirectè in causa; quia tale homicidium, etsi non sit merè casuale, non est tamen non nisi imperfectè & secundum quid voluntarium & quasi mixtum ex casuali & voluntario, ut D. Thom. 2. 2 *q.* 64. *a.* 8. adeoque probabiliter à Trid. non comprehensum in exceptione homicidii voluntarii, & ita docent Nav. *l. c. n.* 240. Suar. *cit. D.* 44. *s.* 1. *n.* 4. Avil. *cit. du.* 5. Hentiq. *l.* 14. *c.* 19. *n.* 2. Laym. *l. c. n.* 4. Pirh. *n.* 127. contra Mol. *tr.* 3. *d.* 3. §. *illud admonuerim.* Azor. *Tom.* 3. *l.* 2. *c.* 14. Cajet. 2. 2. *q.* 64. *a.* 8. quatenus censent, omnie homicidium, tam indirectè, quàm directè volitum, imò, etsi sit nolitum, inter homicidia voluntaria, adeoque indispensabilia, numerandum. Pro exemplo talium homicidiorum ab Episcopo dispensabilium AA. referre solent sequentia: si quis mulierem prægnantem incautè percutiens causavit abortum; si quis tegulam improvidè ex toto dejiciens hominem occidit; si quis alium iniquè percuti mandavit, prohibens, ne occideretur, mandatarius tamen limites mandati egressus illum occidit. Si quis ad rixam provocatus percutiendi tantùm animo accessit, dein tamen, ne ab eo occideretur, occidit; ita Laym. modò tamen talia homicidia sint occulta, ut mox dicetur ampliùs, item potest Episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio commisso sui defendendi gratiâ, dum defendens moderamen iuculpatæ tutelæ excessit. Avil. *cit. d.* 5. *concl.* 1. Nav. *l. c. n.* 239. Laym. *l. c. n.* 2. Gutt. *qq. can. l.* 1. *c.* 65. *n.* 13. Barb. *in Trid.* à potestate dispensandi in irregularitate ex homicidio proveniente solùm excipit homicidium illicitum, directè & simpliciter voluntarium, homicidium autem pro tua defensione factum cum excessu moderatæ tutelæ, illicitum quidem est ratione hujus excessûs, non tamen directè & simpliciter voluntarium, quia non sponte sed coactè factum ob necessariam sui defensionem, in qua solùm quò ad modum peccatum. Dum Trid. *sess.* 14. *c.* 7. dicit: dispensationem irregularitatis ex facto homicidio casu aut vim vi repellendo committendam esse Ordinario loci, per hoc non indicat, Episcopo eam non commissam, sed per Papam hic & nunc committendam; nam loquitur ibi de homicidio casuali aut necessario publico; siquidem, dum homicidium casuale vel factum defensionis gratiâ est notorium & publicum, vel ad forum contentiosum jam deductum, dispensare in irregularitate inde orta nequit Episcopus potestate sibi concessâ à Tridentino, sed eget speciali Commissione Pontificis. Bonac. *de cens. d.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *n.* 2. Sanch. *de matr. l.* 2. *d.* 37. *n.* 12. Gutt. *qq. Can. l.* 1. *c.* 3. *ad finem.* Pirh. *l. c.* quos citat & sequitur Reiffenst. *h. t. n.* 225.

3. Resp. Tertiò: Specialiter de mutilatione omnino probabile est, Episcopum dispensare posse in irregularitate orta ex quacunque mutilatione, etiam injusta, voluntariè & directè intenta, occulta tamen. Nav. *in man. c.* 23. *n.* 240. Garc. *de benef. p.* 7. *c.* 11. *à n.* 3. Suar. *de cens. d.* 44. *s.* 1. *n.* 4. Laym. *cit. c.* 12. *n.* 1. Barb. *ad Trid. sess.* 24. *c.* 6. *n.* 36. Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 7. Tolet. *l. c. c.* 48. *n.* 6. Castrop. *tr.* 29. *d.* 6. *p.* 15. §. 3. *n.* 3. referens insuper plures alios. Reiffenst. *n.* 226. & alii communiter contra Sanch. *l.* 1. *mor. c.* 10. *n.* 40. ex ea ratione, quòd Trid. *l. c.* dispensationi Episcopali solùm subtrahat irregularitatem ortam ex homicidio voluntario, quodque potestas dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto sit latè interpretanda, utpote beneficium Principis, & quidem juri insertum, concessúmque non tam personæ quàm dignitati Episcopali. His non obstante, quòd mutilatio & homicidium æquiparentur; quò ad causandam irregularitatem. Arg. *c. si quis abscinderit. d.* 55. nam etsi quò ad hæc æquiparentur, non tamen æquiparantur quo ad gravitatem culpæ & dispensationem.

Quæst. 265. *Quinam inferiores Episcopo dispensare possint in irregularitate orta ex homicidio & mutilatione?*

1. Resp. Superiores Regulares cum suis subditis dispensare posse in irregularitate proveniente

ente ex homicidio & mutilatione illicitis, non tantùm casuali & ob defensionem suî cum excessu inculpatæ tutelæ, sed etiam directè voluntariè intento, occulto tamen, vi specialium privilegiorum ipsis per varios Pontifices concessorum testantur. Rodri. *Tom. 1. qq. regul. q. 24. a. 12.* Mirand. *in man. Tom. 2. q. 8. concluſ.* Portel. *in dub. regular. v. dispensare. n. 8.* Donat. *Tom. 2. tr. 11. q. 9. & seq.* Pelliz. *p. 1. tr. 10. c. 20. q. 24. & seq.* quos refert Reiffenst. *h. t. n. 228.* sic Castrop. *l. c. n. 4.* ait, concessam Prælatis Ordinum mendicantium facultatem in omnibus irregularitatibus in foro conscientiæ, modò procedant ex delicto, quod notorium non est, ut constat ex *Compend. privileg. Societat. v. dispensatio. §. 5. & 6.* quæ potestas reservatur in Societate ejusdem Præposito Generali, & quibus ipse commiserit. Circa quod notandum, cum Laym. *cit. c. 12. n. 4.* quod, si facultas dispensandi concessa regularibus tantùm, pro foro conscientiæ eâ non facilè uti debeant, si factum sit notorium; siquidem in foro externo talem dispensationem Episcopi admittere non coguntur. Cæteros, quibus concessum privilegium dispensandi in omni irregularitate, excepto homicidio voluntario & bigamia, posse dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio indirectè & imperfectè voluntario, & in eo, quod factum est causâ defensionis cum excessu inculpatæ tutelæ, uti & in proveniente ex homicidio justo, in milite Judice, accusatore, teste, &c. ob defectum lenitatis, asserunt Pirh. *n. 130.* Laym. *l. c. n. 4.* citatis Cajet. *in sum. v. irregularitas.* Armill. *eod. v. n. 13.* Henriq. *l. c. c. 17. n. 5. lit. R.* Avil. *l. c. s. 5. du. 1.* Rodriq. *l. c. a. 8.* quia nomine homicidii indispensabilis, id est, super cujus irregularitate dispensationem in omnibus privilegiis sibi reservare solet Papa, intelligitur homicidium voluntarium injustum, ita Laym. qui tamen addit, quòd, si Clericus in bello justo pugnans propriâ manu occiderit, possit cum eo dispensare illum, qui privilegium dispensandi in omni irregularitate, excepto homicidio, habet; cum quo qualiter subsistat, quod paulò antè retuli ex Reiffenst. superiores regulares ex privilegio (intellige passim illis hodiedum concesso) dispensare posse in homicidio directè voluntariè intento, quod utique factum privatâ authoritate injustum est, non video.

2. Dixi jam aliquoties, similia privilegia locum habere solùm in homicidio occulto, sciendum est, homicidium, sicut & aliud delictum occultum dici illud in ordine ad obtinendam dispensationem, quod probari nequit. Abb. *in c. vestra de cohabit. Cler. & mul. n. 7.* & Fagn. *ibid. n. 45.* Unde ad propositum adhuc esse, & dici homicidium occultum, etsi de eo quis diffamatus aut suspectus sit, si factum nemine præsente, vel uno tantùm aut etiam pluribus, qui vel jure vel facto à ferendo contra delinquentem testimonio sunt impediti. Reiffenst. *h. t. n. 230.* quin imò in ordine ad dispensandum sufficienter dici homicidium occultum, quod licèt factum coram pluribus, adeóque probari possit, non tamen pluribus quàm duobus, tribus aut quinque notum est, adeóque caret notorietate facti & juris, utpote de quo delinquens nec confessus, nec convictus, nec per sententiam aliquam declaratoriam criminis judicatus, ad propositum docent gl. *in c. manifesta. 2. q. 1.* absolutè dicens, occultum dicitur, quod quinque sciunt, item Navar. *l. c. n. 255.* Sanch. *de mat. l. 8. d. 34. n. 55.* Franc. Leo *in praxi S. pœnit. p. 2. c. 6. n. 6.* Reiffenst. *n. 231.* affirmans plures graves Doctores id probabile censere, videturque idem apud eundem tenere Barb. *in Trid. l. c. c. 6. n. 6.* allegans plures. Arg. *cit. c. vestra.* Porrò homicidium occultum distingui à non deducto ad forum contentiosum, patet ex eo, quòd deductum ad forum contentiosum dicatur illud solùm, ut Barb. *de off. & potest. Episc. alleg. 39. à n. 29.* Dian. *p. 4. tr. 2. resol. 93.* Gavant. *man. Prælat. v. absolutio. n. 12.* Ferin. *pr. crim. q. 10. n. 55. in fine.* super quo ad Judicem jam delato, facta est litis contestatio, dum nimirum partes invicem contradicunt & contendunt in judicio, potest autem esse delictum non occultum, sed notorium & publicum, absque eo, quòd non sit deductum ad forum contentiosum. Trid. verò prohibet non tantùm dispensationem, quando homicidium delatum est ad forum contentiosum, sed etiam quando est aliunde notorium & publicum, quale, quia est & manet notorium, etiam notorietate juris, postquam in foro contentioso cognitum & judicatum de eo, non poterit Episcopus in irregularitate ex eo orta dispensare, ut probabilius videntur sentire Garc. *l. c. n. 50.* Gutt. *l. c. c. 3. n. 10.* Barb. *l. c. n. 35.* Bonac. *l. c. d. 7. q. 5. p. 1. n. 6.* Castrop. *tr. 29. d. 6. p. 7. n. 13.* quos citat & sequitur Reiffenst. *n. 235.* contra Laym. *l. 1. tr. 3. p. 5. c. 9. n. 5.* Sanch. *l. 2. mor. c. 11. n. 2.* & alios, docentes, posse Episcopum dispensare post litis contestationem, postquam lis jam finita est.

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

Quæst. 266. Torneamenta quid sint & quotuplicia?

Resp. Torneamenta: Germanicè Thurnier, sunt nundinæ seu feriæ & hastiludia seu pugnæ equestres, quibus milites, velut superioribus sæculis frequentiùs fiebat, in Germania Nobiles equestris Ordinis ex condicto convenire & ad ostensionem vitium, animositatis & tractandorum armorum peritiæ congredi solebant, ut sumitur ex *c. 1. h. t.* & refertur à Gonz. *ibid. n. 5.* duplicis ea sunt generis, seu duplici modo fieri solebant, nimirum vel temerè & ordinariè non sine mortis periculo hastis acutas cuspides præfixas habentibus aliisque armis ad infligenda vulnera expeditis, vel absque temeritate & mortis periculo, congrediendo hastis cuspide carentibus aliisque armis hebetatis, vel loricis galeisque probè muniti.

Quæst. 267. An & quænam torneamenta prohibita?

1. Resp. Primò: Primi quidem generis jure ff. veteri *l. qua actione. §. 4. ff. ad leg. Aquil. l. solent. ff. de aleator. permissa videbantur*, ex post jure novo Codicis *l. unic. c. de gladiator.* ac præcipuè Jure Canonico *c. 1. & 2. hoc tit.* prohibita, idque propter cædes & animarum pericula, exinde frequenter evenire solita, ut dicitur *cit. c. 1.* unde detestabiles (intellige nundinæ seu feriæ) vocantur. Posterioris verò generis etsi prohibita quæque olim sub excommunicatione à Clem. V. Constitutione, quæ inci-

incipit: *passiones*, idque propter immodicos sumptus, quibus in splendorem & apparatum profusis nobiles exhausti aliúque fideles ab ordinario terræ sanctæ subsidio & assumptione S. Crucis abstrahebantur, ut cum Gonz. *in c. 2. h. t. n. 7.* notant A. A. quæ tamen constitutio censuræque in ea contentæ ad instantiam Regis Galliæ, Germaniæque Principum & Magnatum à Joanne XXII. in *extrav. unic. h. t.* revocatæ, unde hodiedum istiusmodi torneamenta & ludi equestres in nativitate, inauguratione, nuptiis Principum exerceri soliti, Laicis non sunt interdicti, si cum debita moderatione ita instituantur, ut periculum cædis aut gravis vulneris absit, rametsi quandoque casu & per accidens interveniat homicidium aliquod, ita Arg. *cit. extrav.* Nav. *man. c. 15. n. 9. & 21.* Abb. *in c. 1. h. t.* & Barb. *ibid. n. 2.* & Gonz. *n. 6.* Dixi: *Laicis*, quia Clericis præsertim in Sacris Ordinibus & Dignitatibus constitutis, torneamenta utroque modo accepta sunt interdicta. Gonz. *l. c.* Sylv. *v. ludus & torneamenta.* Clarus. *v. Ludus.* Tusch. *v. Ludus, concl. 456.* juxta Decretum Concilii Herbipol. celebrati tempore Honorii IV. *can. 4.* ubi: *hasti udia & torneamenta Clericis, qui sunt in dignitatibus, personalibus & Sacris Ordinibus constituti, hoc edicto perpetuò noverint* interdicta, item juxta Decretum Concilii Salisburgensis.

Quæst. 268. Quænam pœnæ statutæ exercentibus torneamenta?

1. Resp. Primò: Pœnæ pugnantium in torneamentis primi generis est, quòd si quis in eis occumbat, occisor veri homicidii & pœnarum illius utroque jure statutarum sit reus. Host. *in sum. h. t. n. 3.* Pirh. *h. t. n. 2.* Wiestn. *n. 3.* Reiffenst. *n. 6.* occisus verò Laicus, etsi ei ante obitum non negentur Ecclesiæ Sacramenta, mortuo tamen denegatur sepultura Ecclesiastica, juxta expressum textum *c. 1. h. t.* illi verò, qui non ex animo in iis pugnandi accesserunt, sed alio fine, etiam curiositatis, spectatores illis assistunt, casu, quo ibidem ex infortunio pereant, sepulturâ Ecclesiasticâ non privantur.

2. Resp. Secundò: Clericis exercentibus torneamenta primi generis, si quis in iis occubuerit, in pœnam statuitur privatio oblationum & orationum publicarum, per *Can. quicunque Clericus. 3. q. 4.* non tamen privatio sepulturæ ecclesiasticæ. In torneamentis verò posterioris generis pugnantibus statuitur excommunicatio per Concil. Salisburg. ut referente Gonz. *l. c. n. 6. & 11.* Wiestn. *h. t. n. 5.* Reiffenst. *n. 9.*

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in Duello.

Quæst. 269. Quid & quotuplex sit duellum?

1. Resp. Duellum sic dictum, quasi bellum duorum, in proprio sensu hujus rubricæ rectè definitur, quòd sit singularis pugna duorum inter se ex condicto suscepta. Host. *in sum. h. t. n. 1.* Sylv. *v. duellum. n. 1.* Azor. *p. 3. l. 2. c. 5. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 1.* & alii communiter. Dicitur græcè: Monomachia. *can. monomachiam. 2. q. 5.* aliud est solenne, quod fit servatâ formâ & solennitate circa tempus & locum securitatis privilegio munitum (quod campum francum communiter vocant) adhibitis quoque testibus, quos patrinos & secundantes dicunt; aliud privatum, quod quidem etiam ex condicto statutóque tempore & loco absque tamen aliis solennitatibus circa securitatem loci & patrinis adhibitis.

Quæst. 270. An & qualia duella illicita sint?

1. Resp. Primò in genere: Duellum regulariter loquendo utroque modo acceptum, jure naturali & divino, humano, tam Civili: *l. unic. c. de gladiator.* quàm Canonico. *c. 1. & 2. h. t. can. monomachiam. 2. q. 5.* est illicitum, & prohibitum sub gravissimis pœnis, ut constat ex Trid. *sess. 25. de reform. c. 19.* ubi: *detestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruentâ corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christianorum orbe penitus exterminetur*, ubi etiam pœnas subjungit, de quibus paulò pòst.

2. Resp. Secundò in speciè: illicitum etiam est in sequentibus casibus. Primò: tam quatenus offertur, quàm quatenus acceptatur ad demonstrandam veritatem & probationem innocentiæ seu purgationis criminis, etsi olim ob hanc causam duella fuerint frequentata, etiam quandoque à viris non improbis; tum quia medium est difficile, & à quo natura humana abhorret; tum quia ineptum ad finem veritatis manifestandæ & purgationis faciendæ, dum sæpius innocens in duello occumbit; cúmque Deus victoriam non promiserit innocenti, neque justum sit eam ab illo sperare medio tam indebito & atroci, etiam tanquam vanum, superstitiosum & sortilegum, damnantur, juxta Doctrinam D. Tho. 2. 2. *q. 95. a. 8. ad 3. in fine*, & *ibi* Cajet. & Azor. *cit. c. 5. q. 1.* Sylv. *l. c.* Sanch. *l. 2. mor. c. 39. n. 3.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 5. ad princ.* Castrop. *tr. 6. d. 5. p. 7. n. 6.* Valent. *2. 2. d. 3. q. 17. p. 1.* Suar. *d. 13. de bello. s. ult. n. 1.* Per. Nav. *de rest. l. 2. c. 3, in 2. p. du. 13. n. 296.* Pirh. *h. t. n. 1.* Secundò multò magis illicitum est susceptum in ordine ad ostentandam animositatem, vires & peritiam duellandi, siquidem iniquum est & rectè rationi contrarium pro tam vano fine assumere medium tam atrox & periculosum vitæ & animæ utriusque duellantium. Valent. *l. c.* Azor. *l. c. q. 4.* Suar. *l. c.* Castrop. *l. c. n. 5.* Azor. *l. c. q. 2.* Pirh. *l. c.* & alii A. A. paulò antè citati. Arg. *c. 1. de torneamento*, multò minùs licitum est duellum ad spectantium animos & oculos oblectandos; cùm nimis atrox & crudele medium sit ad finem tam levis momenti. Azor. *l. c. q. 2.* Sayr. *l. c. n. 14.* Pirh. *l. c.* & alii communiter. Tertiò: assumptum ob vindicandam injuriam privatam, seu ad satisfactionem pro illata injuria accipiendam; tum quia non licet injuriam propriâ authoritate vindicare. *c. nullus. c. de Judæis*; tum quia duellum ob eventûs incertitudinem est medium ineptum ad reparandam injuriam. Laym. *l. c. n. 3.* Azor. Pirh. *ll. cit.* Castrop. *l. c. n. 7.* sed neque ob eandem rationem licitum est in bello tam offensivo, quàm defensivo authoritate publicâ instituere duellum, seu vindictam publicam committere uni, Laym. *l. c. n. 3.* citatis Cajet. Valent. Sanch. Quartò: ad determinandam litem civilem; quia nec ad hunc finem

est

est medium aptum ; cùm semper exponatur periculo justitia causæ, & insuper vita propria & aliena, sùntque aliæ viæ ad obtinendum hunc finem, nempe transactio partium, sententia Judicis, vel, si causa postulet, bellum commune seu publicum, adéoque in hoc casu acceptans duellum, non tam est defensor, quàm aggressor, Azor. *l. c. q. 5.* Sayr. Clar. *Reg. L. 7. c. 13. n. 14.* Laym. *l. c. n. 1. vers. altera causa.* Pirh. *h. t. n. 1.* Extendúntque hoc ipsum propter easdem rationes Pirh. cum Azor. & Sayro ad casum, quo non acceptans duellum, non posset alio modo obtinere justitiam, vel perderet causam suam, quin etiamsi certò & probabilissimè quis cognosceret, se per calumniam injustè oppressum iri in judicio, & non supereſſe medium aliud evitandæ mortis, vel gravissimæ infamiæ aut amissionis bonorum, quàm offerre, vel oblatum duellum acceptare, neutrum adhuc licere, tenent apud Laym. *l. c. n. 1.* Abulens. *in 1. reg. c. 17. q. ult.* Salon. *2. 2. q. 64. a. 3. controv. 3.* Contrarium tamen, nimirum licitum esse ob vitæ defensionem, tam offerre, quàm acceptare duellum, etiam propriâ authoritate, tradunt Major *in 4. d. 15. q. 23. §. 6. arguitur.* Nav. *c. 11. n. 39.* Valent. *Tom. 3. q. 17. p. 1.* Mol. *tr. 3. d. 17. n. 7.* Cajet. *2. 2. q. 95. a. 8. causa 4.* qui tamen requirit, ut accedat consensus Principis ; idem tenet Laym. *l. c. n. 2.* eò, quòd contra iniquum aggressorem, vel insidiatorem vitæ (qualis est calumniator injustam machinans mortem in judicio) jure naturali cuivis permissa defensio, qualis etiam est susceptio duelli, etsi autem, ut inquit Laym. malè agat Princeps decernendo vel permittendo in tali casu duellum, innocens tamen duello decertaturus, cum consensu Principis minùs timere debet de scandalo & malo exemplo orituro. Quin imò universim licere offerre & acceptare duellum, non tantùm ob defensionem vitæ, sed & honoris & fortunarum, astruunt Pet. Nav. *L. 2. c. 3. du. 13. num. 289.* Sanch. *L. 2. mor. c. 39. n. 7.* quod tamen addunt, in tali casu præstare, calumniatorem tollere è medio, quàm se duelli periculo committere à paucis admittendum credo. Et certè id tantùm non absolutè negat Laym. *l. c. n. 2. in fine.* dum ait, quòd licet innocentia demonstrari non possit, sit tamen res plena scandali, & pessimi exempli, dum innotescit, hominem de calumnia non convictum per insidias occisum esse. Et si, ut notat apud eundem Less. *L. 2. c. 9. d. 8. n. 47.* sententia hæc vel scripto, vel ipso facto à viris doctis defenderetur, plures persuasos sibi ab actore injuriam vel calumniam parari, ad eundem clanculùm è medio tollendum, facilè aggressuros cum maximo Reipublicæ damno. Quintò, ob honorem proprium defendendum, vitandámque ignominiam ex eo imminentem, quòd vir nobilis tanquam ignarus & timidus oblatum sibi duellum recusét & fugiat, dum non potest deinceps sine rubore comparere coram sociis, non est licita duelli acceptatio, Cajet. *l. c. a. 8.* Suar. *l. c. n. 5.* Sanch. *l. c. n. 9.* Valent. *l. c. p. 2. vers. nec secundò.* Nav. *l. c. 286.* Cöninck. *d. 32. du. 2. n. 8.* Castrop. *l. c. n. 8.* Pirh. *l. c.* Azor. *l. c. q. 6.* provocatus enim ex ista repulsa apud viros honestos & prudentes non facit jacturam honoris. Adde, quòd non liceat alteri mortem inferre, nisi aggressori, ad sui defensionem ; acceptatio autem illa duelli non est defensio sui, cum invitans ad duellum non aggreditur honorem, neque cogit ad pugnam, sed suadet, ita Castrop. Secus tamen est in viro nobili, quem alius actu aggreditur ; tunc enim per aggressionem patitur vim, quam non tenetur fugâ sibi ignominiosâ declinare, sed potest invasorem occidere. Azor. Pirh. Castrop. *ll. cit.* idem est, dum quis minatur mortem, aut gravem jacturam bonorum, quam certò credit inferendam ab eo, nisi cum illo duellet ; licere enim tunc duellum acceptare, quin & illud offerre, docent Sanch. *l. c. 8.* Valent. *l. c. p. 1. vers. talis.* Cöninck. *l. c. n. 4.* Less. *L. 2. c. 9. du. 8. n. 49.* Castrop. *n. 9.* eò, quòd tunc non eligat quis absolutè periculum mortis, sed moraliter certum periculum mortis, & amissionem bonorum commutet cum periculo dubio & incerto ; quòd si autem injustus invasor vitæ, honoris, fortunarum sub eadem comminatione vellet te inire duellum, non secum, sed cum tertio innocente, non liceret cum eo te non aggrediente duellare eum impetendo, ad salvandam vitam & fortunas tuas, cùm non liceat ad ea salvanda innocentem directè occidere ; ita videtur probabiliùs sentire Castrop. *num. 10.* citatis Sylv. *v. duellum. q. 2.* Tabien. *eod. v. q. 3. num. 4.* Armill. *num. 5.* D. Anton. *p. 3. tit. 4. c. ult. §. ult.* Henriq. *quodlib. 5. q. 32.* Abul. *1. reg. c. 17. q. ult.* contra citatos à se Cajet. *l. c. q. 95. a. 8.* Nav. *de rest. L. 2. c. 3. in p. 2. du. 3. n. 13. & num. 295.* Sanch. *in decal. L. 1. c. 39. n. 4.*

Quæst. 271. *In quibus casibus licitum sit, & honestetur duellum?*

1. Resp. In sequentibus : Primò, dum duobus reis damnatis ad capitis supplicium promeritum indicitur à Principe duellum, ita, ut ei, qui vicerit, seu superstes manserit, vita condonetur, secundùm se & speculativè loquendo, licitum est tale duellum, Major. *in 4. d. 15. q. 23. §. quarto argumentor.* Azor. *cit. c. 5. q. 7.* Comito. *L. 6. resp. mor. q. 16.* Laym. *l. c. c. 5. n. 1.* Pirh. *h. t. n. 2.* non enim id à jure naturali alienum est, utrumque reorum mortis in alterum constitui ministrum justitiæ, ad exequendam mortis sententiam ; ei autem, qui vicerit, vita à Principe condonetur ; quia tamen id ipsum ob adjunctas circumstantias non vacat periculo scandali, neque expediens, neque licitum esse, concedi à Principe, qui tamen, ubi id concesserit, licitum videri acceptare duellum, tum publicæ justitiæ zelo, tum propriæ vitæ salvandæ gratiâ. De cæteronon posse Principem deferre duellum injusto accusatori (intellige necdum tamen de injustitia, seu falsitate condemnato) cum reo, neque eum illud acceptare teneri, ex eo deduci videtur, quòd, etsi Princeps nullam irroget injuriam reo, condemnationem debitam commutans in duellum, gravem tamen irrogat injuriam accusatori, cùm absque causa legitimè probata exponat illum manifesto periculo vitæ, exponi permittat aut decernat ; & si accusator liberè in illud periculum consentiat, esto, Princeps non sit injuriosus, est tamen injuriosus Reipublicæ, cujus administrationem gerit, dum absque causa publica & legitima periculo vitæ permittat subditum suum exponi ; ita ferè Castrop. *l. c. n. 12.*

2. Secundò : Licitum est ob bonum Reipublicæ assumptum duellum, dum v. g. ad finiendum bellum, bellíque calamitates, decidendámque controversiam Principum, & pacem conciliandam supremi exercitûs Duces de consensu suorum Principalium, puta Regum vel Principum, expediens decernunt, ut totum bellum ad duorum aut paucorum militum certamen revocetur, cùm per alterutrius duellantium cædem plurimæ cædes & gravissima damna ex utraque parte evitentur ; & ita cum communi tenent Liran. *in c. 17. L. 1. Reg.* Cajet. *cit. a. 8.*

a. 8. *cauſ.* 5. Sa. *v. duellum. n.* 2. Nav. *in ſum. c.* 9. *n.* 39. Valent. *cit. q.* 17. *p.* 1. Tolet. *L.* 5. *c.* 6. §. *advertendum.* Sanch. *L.* 2. *mor. c.* 39. *num.* 16. Laym. *l. c. n.* 3. Azor. *cit. c.* 5. *q.* 3. Pirh. *h. t. n.* 2. Pignat. *Tom.* 9. *conſult.* 88. *n.* 48. Caſtrop. *l. c. n.* 15. atque ita ad duellum provocavit Eduardus III. Rex Angliæ, Philippum VI. Valeſium. Franciſcus Rex Galliæ, Carol. V. Imperatorem. Licere etiam in hoc militibus, & Principi ſe obligare ad non ſuccurrendum periclitanti, ſeu ſuccubituro, cùm quandoque licitum ſit, obligare ſe ad abſtinendum à ferendo auxilio periclitanti, dum id ferri nequit ſine gravi damno proprio, aut boni communis, uti in præſenti milites defendere nequeunt ſocium duellantem, niſi violent fidem datam, totúmque exercitum, cujus nomine pugnatur, periculo exponant, docent Suar. *d.* 13. *de bello. ſ. ult.* Cöninch. *d.* 32. *du.* 2. *n.* 28. Caſtrop. *n.* 16. Sanch. *l. c. n.* 17. qui etiam ait, hoc pactum expreſſum vel tacitum ſemper annexum eſſe duello communi utriusque exercitûs, ſeu Ducum conſenſu conſtituto. De cætero conditio ad cohoneſtandum duellum, hæc adeſſe debet, ut ſpes victoriæ non magis dubia per duellum, quàm per bellum reddatur; peccaret ſiquidem Princeps graviſſimè adversùs ſuam Rempublicam, certam victoriam, quam per bellum haberet, commutando in incertum duelli. Item contra duellantes illos exponendo periculo interitûs ſine legitima cauſa, Caſtrop. *l. c. n.* 15. Reiffenſt. *h. t. n.* 40. Secus eſt, ſi Princeps advertens ſe ad reſiſtendum imparem, aut vix ſupereſſe ſpem victoriæ bello obtinendæ, tunc enim acceptare & offerre poteſt tale duellum ſuorum, ſi juſtam bellandi cauſam habet, uti etiam id licitum, ne recuſato vel non oblato tali duello exercitus hoſtilis fieret audacior ad prælium, vel ne milites provocati animo concidant, & ſpem victoriæ abjiciant, vel, ut conſulatur honori & famæ militum &c. Azor. *l. c. c.* 5. *q.* 4. Nav. *man. c.* 15. *n.* 27. Valent. *cit. p.* 1. Sanch. *l. c. n.* 13. Laym. Pirh. *ll. cit.*

3. Tertiò: Ob defenſionem honoris divini, religionis, boni communis, dum à peccatis contra Deum, blaſphemando illum, contra Religionem v. g. conculcando venerabili Sacramento, profanatione rerum ſacrarum, aut contra bonum commune, inferendo illi grave damnum, deſiſtere quis non vult, niſi duellum cum illo ineas, licèt acceptare illud, uti & illud ei indicere, citrà quòd ipſe offerat illud, dum ab illis injuriis Deo, Religioni, bono communi irrogandis non deſiſtit, modò alia via non ſuppetat ad illum dimovendum; ſecus tamen eſt, de peccatis nocentibus ſoli peccanti; ita ferè Caſtrop. *l. c. n.* 14. alias cauſas, ob quas duellum licitum, vide hinc inde per modum limitationis inſertas reſponſionibus ad *quæſt. præced.*

Quæſt. 272. *Quæ pœnæ illicitè duellantibus jure civili ſtatutæ?*

RESP. Duella propriè talia, etſi prohibita jure civili, *L. unic. c. de gladiatoribus.* (cujus textus, quamvis loqui videatur de congredientibus in ludo gladiatorum, vel eorum, qui operas ſuas locabant ad decertandum cum beſtiis, comprehendi tamen eodem duellantes, poſt Bartolum alióque interpretes, volunt Caſtello *in proœmio h. t. n.* 27. Ferret. *n.* 35. Bocer. *de duello. c.* 2. Brunnem. *in cit. L. unic. n.* 2.) nullis tamen in ſpecie pœnis ſubjiciuntur, unde arbitrariis remittuntur.

Quæſt. 273. *Quæ pœnæ jure canonico ſtatutæ tam præſtantibus favorem, auxilium, conſilium, præſentiam duellantibus, quàm per ſe ipſos congredientibus?*

RESP. Hæ pœnæ ſtatuuntur in Concilio Trident. *ſeſſ.* 25. *de reform. c.* 19. ubi primò excommunicantur Imperatores, Reges, Duces, Principes, Comites, & alii quicunque Domini temporales, concedentes locum ad duellum in ſuis terris. Secundò privantur jurisdictione & dominio Civitatis, caſtri, loci, in quo duellum fieri permiſerint, ſi eum ab Eccleſia obtinuerint, & ſi ſit feudum, ſtatim ad Dominum directum devolvitur. Tertiò, patrini excommunicationis, amiſſionis omnium bonorum, proſcriptionis & perpetuæ infamiæ pœnam incurrunt, & ut homicidæ juxta SS. Canones puniendi. Quartò, qui conſilium ad duellandum tam in jure, quàm facto dederunt, vel aliâ quacunque ratione id ſuaſerunt, nec non ſpectatores excommunicationis vinculo tenentur, non obſtante quacunque pravâ conſuetudine, etiam immemoriali. Easdem pœnas incurrunt duellantes in propria perſona, qui inſuper, ſi in ipſo conflictu occubuerint, privantur poſtea ſepulturâ eccleſiaſticâ. Porrò easdem pœnas Concilii poſtmodum extendit Gregor. XIII. in Bulla *ad tollendum.* ad duella privata, quæ ex condicto ſtatuto loco & tempore, etiam ſine patrinis, ſociſque ad id vocatis, & aliis ſolennitatibus; dum aliàs Trident. non locutum, niſi de duellis publicis. Clemens VIII. inſuper hoc Decretum Trid. aliásque Conſtitutiones Apoſtolicas deſuper factas confirmavit & extendit in Bulla: *Illius vices*, quam recitat Quarant. *in Sum. Bullarii. v. duellum.* ita, ut abſolutionem Sedi Apoſtolicæ reſervaverit. Verùm has Conſtitutiones, ut & Decretum ipſum Trident. quò ad pœnas temporales, puta perpetuæ infamiæ, proſcriptionis, privationis, jurisdictionis feudi &c. in illo rigore in Germania, partibúsque Septentrionalibus non videri recepta, ſeu in uſum deducta, putant Laym. *l. c. n.* 4. Pirh. *n.* 3. Gobath. Reiffenſt. & alii id probantes multiplici experientia & praxi, quamvis quòad pœnas ſpirituales, puta excommunicationis, privationis ſepulturæ, inhabilitatis ad illa, in Germania, uti & in cætero orbe eſſe recepta, admittant hi AA. niſi quòd dicant aliquos ob ignorantiam excuſari à cenſuris, quod tamen eorum aliqui tantùm pro foro interno, non externo, admittunt. Sic quoque Confeſſarios Ordinum mendicantium extra urbem & patriam abſolvere poſſe per privilegia ſua duellantes ſocios, item & fautores eorum, ſicut ab aliis caſibus & cenſuris Papæ reſervatis, juxta declarationem Clementis VIII. de qua teſtantur Comitol. *L.* 6. *qq. mor. q.* 17. Reginald. *in praxi volum. poſt. L.* 21. *num.* 83. Filliuc. *Tom.* 1. *tr.* 15. *de cenſ. in practic. c.* 3. *num.* 106. aſtruunt Laym. Pirh. *ll. cit.* De cætero notandum: excommunicationem tam reſpectu duellantium, quàm fautorum eorundem, incurri ipſo facto, cæteras pœnas non niſi per ſententiam, Azor. *L.* 2. *c.* 6. *not.* 3. Pirh. *cit. num.* 3. Et quod ſpecialiter attinet privationem ſepulturæ, is, qui vulneratus in duello paulò pòſt, v. g. eâdem adhuc die moritur, privandus adhuc ſepulturâ eccleſiaſticâ, etſi pœnitens & à cenſuris abſolutus decedat, tradunt Sanch. *Selectarum d.* 36. *n.* 9. Pignat. *conſult.* 88. *n.* 66. Lazan. *v. duellum. n.* 14. Dian. *p.* 4. *tr.* 4 *reſolut.* 92. & alii, quos citat & ſequitur Reiffenſt. *h. t. n.* 43. ex ea ratione, tum quia jura univerſaliter decedentes in duello privant ſepulturâ ſine diſtinctione, ſive decedant ſine, ſive cum pœnitentia,

tentia, tum quia sic expressè præcipit Rituale Romanum, jussu Pauli V. editum, *Rubrica de exequiis*, hisce verbis: *Negatur ecclesiastica sepultura decedentibus in duello, etiamsi ante obitum dederint signa pœnitentiæ.* Secus est de decedentibus priùs post unum alterúmve diem, Dian. *p.* 11. *tr.* 6. *resol.* 26. *v. duellum.* Caraffa *de duello. tr.* 2. *s.* 3. *q.* 19. *n.* 9. Portel. & alii citati à Reiffenst. *l. c.* eò quòd, licèt talis ex duello decedat, non tamen censeatur decedere in duello.

Quæst. 274. *Quæ pœnæ specialiter statutæ Clericis duellantibus?*

Resp. Clerico tam provocanti ad duellum, quàm oblatum acceptanti præter pœnas communes illi cum Laicis duellantibus, exceptâ fortè privatione sepulturæ ecclesiasticæ, statuitur depositio ab officio & beneficio, per *c.* 1. *h. t.* quod ipsum tamen non intelligendum de rigorosè & propriè dicta depositione, (utpote in qua Episcopus nunquam potest, Papa non nisi rarissimè solet dispensare, & tamen in *cit. c.* dicitur, Episcopum posse cum eo dispensare) sed de suspensione, imò nec ipso jure suspensus, sed per sententiam suspendendus, cùm *cit. c.* dicatur esse deponendus, Suar. *de cens. d.* 31. *s.* 4. *n.* 48. Sanch. *L.* 2. *mor. c.* 29. *n.* 18. Pirh. *h. t. n.* 5. neque hæc pœna incurritur propter solam provocationem aut acceptationem, sed requiritur, ut ad realem pugnam sit deventum, Suar. Sanch. Pirh. *ll. cit.* Arg. *cit. c.* 1. ubi dicitur: *Sive victor, sive victus fuerit.* Neque etiam deponendus aut suspendendus, si pugnaverit coactus ob necessariam sui defensionem, cùm etiam licitum sit illi suum aggressorem occidere, quod ipsum Pirh. *l. c.* cum Abb. *in cit. c. not.* 2. quò ad duellum offerendum & acceptandum, extendit ad necessitatem, etsi ea absolutè sit evitabilis. Potest quoque Episcopus juxta *cit. c.* in dictis pœnis dispensare cum Clerico duellante, (intellige propriâ manu, vel per substitutum sibi) modò ex duello subsecuta non fuerit mors, aut membrorum mutilatio, quia tunc incurritur irregularitas, ut constat ex *c.* 2. *h. t.* in qua solus Papa dispensare potest.

TITUTUS XV.

De Sagittariis.

Quæst. 275. *Quinam intelligantur hìc nomine Sagittariorum, & quid jura circa illos statuant?*

1. Resp. Ad primum: Per Sagittarios & Ballistarios hìc intelliguntur, qui in sagittis jaculandis ex arcubus (intelligi videtur unâ vice pluribus) vel ex ballistis seu catapultis, (quarum olim frequens usus erat) saxis, quibus hodiedum substituta sunt tormenta bellica & mortaria, ad ejaculandos globos ferreos, aut pilas lapideas gravioris ponderis, pro dejiciendis mœnibus, aut sternendis hostium agminibus in acie constitutis) peritiam seu artem exercent, ut cum Gonzal. *in c. unic. h. t. n.* 3. AA. alii.

2. Resp. Ad secundum: Exercitium seu professionem hujus artis mortiferæ & odibilis, ut vocatur *cit. c. unic.* quia multiplicatis unâ vice homicidiis causam præbere solet, quamvis videatur universaliter prohibitum, *cit. c.* probabilius tamen censetur ab AA. non nisi contra Christianos & Catholicos pro Saracenis, aliísque infidelibus prohibitum sub anathemate per sententiam infligendo, quemadmodum sub eadem pœna, ipso jure tamen lata, & sedi Apostolicæ reservata prohibentur, ad infideles arma deferri, per *c. ita quorundam.* & *c. quod olim de Judæis.* & ita tenent Gonz. *n.* 4. Barbos. *n.* 3. Pirh. & alii. *h. t.* non prohiberi verò Catholicis in bello justo contra Catholicos, docent cum Gl. *in cit. c. v. artem.* Barb. Honor. & plerique alii, & constat quotidianâ praxi, & ea ratione, quòd nihil referat, quibuscunque armis & modo (puta apertè vel ex insidiis) justum bellum gerens pugnet, modò Sagittarii vel Ballistarii in exercitu non adhibeant incantationes, superstitiones, aliásque artes, ad certiùs, fortiùs aut longiùs hosti nocendum, quod præcipuè caveri *cit. c.* opinantur Barb. *ibi num.* 2. & apud Wiestn. *ibid. n.* 3. Delrio *de inquisit. magic. L.* 3. *c.* 1. *q.* & *s.* 4.

TITULUS XVI.

De Adulterio & Stupro.

CAPUT I.

De Adulterio.

Quæst. 276. *Adulterium impropriè & propriè quid sit & quotuplex?*

1. Resp. Primò: Impropriè tale & largiùs sumendo est omnis copula carnalis extra statum matrimonii habita, *Can. nemo.* 32. *q.* 4. unde *Leg. Julia.* Adulterium & stuprum promiscuè sumuntur, *L. inter stuprum. ff. de V. S.* Propriè verò Adulterium, quasi ad alienum thorum accessio, ut Host. *in sum. h. t. n.* 1. Sylv. *v. adulterium. n.* 1. definiri potest, quòd sit carnalis ad alienam vi conjugii non suam accessio, cúmque ea conjunctio, quâ fides & thorus conjugalis violatur. Unde malitiam duplicem continet, unam luxuriæ, quia est concubitus viri cum fœmina extra conjugium, alteram injustitiæ, quia est concubitus cum conjuge alieno vel aliena, D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *a.* 8. Azor. *p.* 3. *inst. c.* 7. *in pr.* cum communi; quæ posterior malitia non tollitur per consensum alterius conjugis, cum adhuc inferatur injuria Deo Authori naturæ, qui vinculo indissolubili utrumque conjugem sibi invicem astrin-

astrinxit, quamvis conjux consentiens in Adulterium alterius non possit actionem vel querelam instituere super illata sibi injuria à conjuge, quia scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus, *reg. jur. 27. in 6.* ita Pirh. *h. t. n. 1.*

2. Resp. Secundò: Adulterium propriè tale duplex est, aliud simplex, dum solutus cum conjugata, vel conjugatus cum soluta carnaliter miscetur, *Can. cum ergo. & c. cum illa. 32. q. 5. Can. non mœchaberis. 32. q. 6.* quamvis jus civile Adulterium conjugati cum soluta pro Adulterio minùs propriè habeat, neque ex parte viri, neque ex parte mulieris, & ideo minùs puniat, Clar. *L. 5. §. Adulterium. n. 2.* cum Caccialupo *in rep. L. si quæ illustris. c. ad Orficia. n. 58.* dicens, esse communem, quamvis addant, quòd uxoratus eo casu puniri possit pœnâ stupri, & quòd talis coitus appelletur stuprum, Arg. *L. 1. c. de Adulterio.* idem tenent Carpz. *pr. crim. q. 61. n. 54.* & alii civilistæ. Aliud est duplex, seu bilaterale, dum maritus cum uxore aliena, vel uxor cum marito alieno carnaliter miscetur, ita Sylv. *l. c.* Azor. *l. c. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 2.* Clar. *L. 5. §. Adulterium,* quia uterque violat thorum proprium & alienum.

Quæst. 277. *Conjuges facto divortio, an & quando committant adulterium?*

Resp. Non tantùm divortio facto propriâ authoritate seu illegitimè, v. g. marito malitiosè deserente uxorem, & hac contrahente nuptias vel rem habente cum alio, committitur adhuc Adulterium, non quia factum non est legitimum, id est, de sententia Judicis, divortium, & hinc matrimonium solutum non est, ut volunt Carpz. *l. c. q. 58. n. 32.* Lauterb. *in ff. L. 48. tit. 5. §. 8.* aliique Acatholici, nixi hoc falso fundamento, quòd matrimonium cognitâ causâ, latâque legitimè sententiâ divortii solvatur. Verùm etiam latâ illâ sententiâ concumbentes cum non-conjuge etiam soluto; quia matrimonium prius subsistit, nullâ potestate humanâ dissolubile.

Quæst. 278. *An & quando committatur Adulterium cum sponsa alterius?*

Resp. Certum est, committi Adulterium propriè tale cum alterius sponsa de præsenti, etsi necdum cognita à viro suo, cùm sponsalia de præsenti verum constituant matrimonium, etiam ante consummationem illius; nuptias enim non concubitus, sed consensus facit, *L. nuptias. ff. de reg. jur.* Gl. *in c. discretionem de eo, qui cognov. consang. v. reatum.* Clar. *L. 5. §. adulterium. n. 9.* Pirh. *h. t. n. 3.* & alii communiter. Secus est, seu non committitur Adulterium à soluto cum alterius sponsa de futuro, quia Adulterium propriè in nuptam committitur, ut dicitur *L. inter §. 1. ff. ad Leg. Jul. de adulter.* éstque adulterium violatio thori conjugalis alieni; per concubitum autem cum sponsa aliena de futuro non violatur thorus alienus, cùm sponsus de futuro non habeat jus accedendi sponsam ante consensum conjugalem mutuum expressum aut tacitum, adeóque thorus sponsi non violatur, ac ita cum probabiliore & communiore T. T. & Canonistar. contra Gl. *in c. quemadmodum de jurejur. v. sponsam.* & Abb. *in c. discretionem de eo, qui cognov. consang.* sentiunt Covar. *p. 1. de sponsal. c. 1. n. 7.* Zœs. *in comment. ff. ad Leg. Jul. de Adult. num. 6.* Clar. *l. c.* Sanch. *L. 1. de Matr. d. 2. num. 8.* Pirh. *n. 3.* Wiestn. *h. t. n. 39.* His non obstante, *L. si uxor. §. divi. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* dum ibi dicitur: *Etiam in sponso hoc idem vindicandum, quia nec spem matrimonii violare permittitur*; in qua lege se fundant Civilistæ non facientes discrimen inter sponsalia de futuro, & sponsalia de præsente quòd ad committendum Adulterium cum sponsa alterius, ut videre est apud Lauterb. *L. 48. ff. tit. 5. §. 6.* nam istiusmodi textus intelligendi de Adulterio non propriè, sed largiùs accepto, pro ut Stuprum comprehendit, ita, ut licet sponso, utpote ex sponsalibus & fide mutuò data, de contrahendo matrimonio habenti jus ad sponsam ab alio interim non violandam, propter irrogatam sibi gravem injuriam, per talem cum sponsa concubitum competat vera actio, *L. etiam. §. sponsam quoque. ff. de injuria.* non potest tamen intentare jure mariti, sed sponsi, nec vindicare concubitum illum ut Adulterium, sed ut fornicationem & stuprum, ita Covar. *l. c. c. 9.* Zœs. Pirh. *ll. cit.*

Quæst. 279. *Quinam & quo ordine admittantur ad accusationem Adulterii?*

1. Resp. Primò in genere: Facultas accusandi in causa Adulterii jure veteri permissa omnibus, quòd postea correctum, ut illi tantùm accusare possint, quibus specialiter concessum. *L. 30. c. h. t.*

2. Resp. Secundò in specie: Personæ admissæ *cit. L. 30.* ad accusandum non simul, sed ordine servato accusare possunt. Sic ante omnes etiam ante patrem adulteræ admittendus ad accusandum maritus, juxta *L. ex Lege. §. si simul. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* ubi & ratio additur his verbis: *Nam & propensiore irâ, & majore dolore executurum eum accusationem, credendum est*; quod ipsum procedit, etiamsi pater prævenerit maritum in accusando filiam adulteram, modò maritus non fuerit negligens in instituenda accusatione, vel, ut dicitur *L. 3. ff. eod.* nisi pater maritum infamem arguat, aut doceat colludere magìs cum uxore, quàm ex animo accusare. Secundò post maritum nolentem accusare, vel desistentem ab accusando admittitur pater mulieris, juxta *L. 2. c. 3. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Post patrem admittuntur reliqui cognati, puta fratres, patruus, avunculus adulteræ, & alii, quos verus dolor ob crimen admissum ad accusandum impellit, *L. quamvis. c. ad Leg. Jul. de Adult.* deficientibus verò, vel cessantibus aut negligentibus propinquis admittuntur quoque extranei, *L. maritus. §. Lex Julia. & L. 1. c. ad Leg. Jul. de Adult.* juncta *L. palam. §. Senatus. ff. de ritu nupt.* quin & cùm Adulterium inter crimina publica numeretur, *L. 1. ff. de publ. judic. & §. item Lex Inst. eod.* admittitur quilibet de populo, modò sit mas & major 25. annis, *cit. L. palam. & L. maritus.* Wesenbec. *in parat. ff. eod. n. 10.* Harprecht. *inst. de publ. jud. §. item Lex Julia. n. 38.* apud Pirh. *h. t. n. 5.* De cætero, tametsi aliàs minor 25. annis accusare non possit, ad suum tamen, si velit, matrimonium vindicandum admitti debet, *cit. L. si maritus.* cum authoritate tamen tutoris, *L. Clarum. c. de author. præst.* Gl. *in cit. §. Lex Julia. v. audietur.* Sed etsi maritus sit adhuc filius familias, accusare potest uxorem de Adulterio, perinde ac si sui juris esset, etiam invito patre, *L. inter. §. filius familias. ff. h. t.* Pirh. *l. c.*

Quæst. 280. *An quoque & qualiter Adulterium mariti accusare possit uxor?*

Resp. Posse quoque uxorem accusare adulterium mariti civiliter, puta in ordine ad divortium, repetendam dotem, & acquirendam donationem propter

propter nuptias, certum est, Farin. *in praxi crim. p. 5. q.* 141. *num.* 104. Sanch. *L.* 10. *de mat. d.* 8. *n.* 33. Pirh. *l. c.* & sicut marito, sic & uxori competere ex Adulterio viri actionem injuriarum, cùm non minùs ex Adulterio viri injuriam patiatur, tenent Bald. *in L.* 1. *c. ad Leg. Jul. de Adult. num.* 3. Brunnem. *ibid. n.* 2. Farin. *l. c. n.* 106. quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. n.* 48. Jure tamen civili virum de Adulterio tam cum soluta, quàm cum conjugata habito accusare nequit, *cit. L.* 1. *c. ad Leg. Jul. de Adult.* Gl. *ibid. v. violatio.* Host. *in sum. h. t. n.* 1. Covar. *p.* 2. *de spons. c.* 7. §. 6. *num.* 5. Farin. *cit. num.* 104. Sanch. & Pirh. *ll. cit.* ratio communiter datur, tum quòd uxor majorem reverentiam debeat viro, tanquam capiti suo, quàm is illi; tum quòd Adulterium in uxore gravius crimen reputetur, & à jure puniatur, ob incertitudinem & suppositionem prolis, ut Tiraq. *Connub. Gl. & p.* 1. *n.* 44. Unde & uxori criminaliter accusatæ, similis criminis à marito commissi exceptio denegatur, Covar. *l. c.* Sanch. *l. c. n.* 34. Soto *in* 4. *dist.* 37. *q. unic. a.* 3. Jus verò canonicum hoc discrimen non agnoscit, sed juxta illud uxor quoque criminaliter virum de Adulterio accusare potest, *c. fin.* 32. *q.* 5. & Arg. *c. si quis.* 32. *q.* 1. juncta Gl. *v. ad imparia.* ubi ait: Vir & uxor in Adulterio deprehensi non quò ad imparia judicantur, quò ad debitum reddendum, divortium & accusationem, in quo SS. Canones imitari non dedignantur Constitutiones Imperiales, dum accusationem criminalem mariti uxori expressè permittit Carolus V. in sua *Const. pœnali. à* 120. Wesenb. *in ff. ad Leg. Jul. n.* 12. Brunnem. *in cit. L.* 1. *n.* 4.

Quæst. 281. *Quinam accusari possint de Adulterio?*

RESp. Omnes hujus criminis rei vel reæ, minores, senes, Clerici, Nobiles, & in dignitate constituti de hoc crimine accusari possunt, ita, ut loci, in quibus pœna hujus criminis est capitalis, non sint immunes ab accusatione, Carpz. *pr. crim. q.* 62. *n.* 1. *& seq.* & sic accusari possunt tam adulter, quàm adultera, modò sciverint utrimque eum vel eam, cum quo vel qua scortatus vel scortata est, esse alterius conjugem. Hinc, si mulier ab aliquo decepta, putans esse illum maritum suum, carnaliter cognoscatur, vel credens maritum suum mortuum, cum alio contrahat nuptias, non potest accusari tanquam adultera; idémque est de eo, qui cognoscit fœminam, quam ignorat esse nuptam, Farin. *l. c. n.* 97. Extenditur hoc ipsum, quòd accusari possit adultera, & puniri, primò ad publicam meretricem conjugatam, *L. si uxor. §. sed etsi ea. ff. h. t.* & *ibi.* Gl. *v. vulgaris.* Pirh. *h. t. n.* 9. & alii plures apud Farinac. *l. c. n.* 84. contra Clarum. §. *Adulterium. n.* 3. dicentem, quòd etiam quò ad mulierem talem meretricem publicam cesset pœna Adulterii, adeóque & criminalis accusatio Adulterii, non obstante, quòd *L. si ea. c. h. t.* dicitur: *Adulterii crimen cum meretrice cessare.* cùm ibi Adulterium accipiatur pro Stupro, juxta Gl. *ibid. v. Adulterii.* virum tamen conjugatum accedentem ad talem publicam meretricem conjugatam non posse accusari & puniri tanquam reum Adulterii, eò, quòd non videatur violasse thorum alienum, ubi nullus est thori pudor & respectus, sed promiscua & vulgaris marito connivente turpitudo, tradit Pirh. *l. c.* cum Wesenb. *l. c. n.* 6. Farin. *l. c. n.* 82. ubi dicit, sic hodie in praxi servari. Extenditur secundò: ut non solum accusari possint, qui mœchantur, sed etiam, qui quâvis ratione quæstum ex Adulterio faciunt, exercendo lenocinium, seu prostituendo uxorem suam, vel scienter domum præbendo, ad committendum in ea Adulterium, *L. qui domum. L. mariti. §. qui quæstum. ff. h. t.*

Quæst. 282. *Intra quod tempus accusatio Adulterii instituenda?*

RESp. Maritus jure speciali mariti accusare potest uxorem Adulterii intra 60. dies utiles computandos à tempore facti divortii, seu matrimonii soluti per divortium, *L. Jure. c. h. t. L. non solùm. c. eod.* & *ibi* Gl. *v. in dissolutione.* Idem tempus dierum 60. concessum patri, quod tamen illi non currit, dum maritus accusat, si verò uterque, tam maritus, quàm pater differat accusare, utrique hoc tempus currit, *L. si maritus. ff. h. t.* post elapsos verò illos 60. dies admittuntur etiam extranei (& inter hos etiam maritus & pater, si privilegium 60. dierum neglexerint, sed jure extranei) intra quatuor menses utiles, *cit. L. si maritus.* §. 1. *L. miles.* §. *sexaginta dies. ff. h. t.* ita Pirh. *n.* 8. De cætero, etsi crimina non præscribantur regulariter minore tempore, quam 20. annorum, accusatio tamen Adulterii (intellige simplicis) præscribitur quinquennio, Clar. *L.* 5. §. *Adulterium.* juxta *L. mariti. ff. h. t.* Adulterii verò conjuncti cum incestu non nisi 20. annis, sicut & cætera crimina.

Quæst. 283. *Quisnam sit Judex competens in causa Adulterii?*

1. RESp. Primò: Si agatur criminaliter quò ad pœnam sanguinis, seu mortis, solus Laicus est Judex competens in hac causa; est communis & certa, quia Judex ecclesiasticus causam sanguinis tractare, & in ea sententiam ferre nequit juxta textum expressum, *c. penult. ne Clerici vel Monachi.*

2. Resp. Secundò: Si verò agitur criminaliter quidem; seu ad vindictam publicam, quò ad alias pœnas, Adulterium est crimen mixti fori, & spectat ad utrumque Judicem, tam ecclesiasticum, (etiam quo ad Laicos) quàm sæcularem, datúrque inter eos locus prævention, Abb. *in c. tua. de procur. n.* 6. Imol. *ibid. n.* 10. Clar. §. *fin. q.* 37. *n.* 3. Pirh. *h. t. n.* 10. cum communi. Et quidem de ecclesiastico Judice est textus, *c.* 1. *de off. Jud. ordin.* de Laico constat ex *c. tua.* de utroque ex *c. cùm sit. de foro comp.* ubi utrique, tam Laico, quàm Ecclesiastico datur jurisdictio in Sacrilegos; Adulterium autem, utpote inferens injuriam Sacramento, est & dicitur Sacrilegium, *L. quamvis. c. ad Leg. Jul. de Adulterio.*

3. Resp. Tertiò: Si agatur civiliter in ordine nempe ad divortium, seu separationem thori solus Judex ecclesiasticus est competens. Covar. *in* 4. *Decret. c.* 7. §. 6. *n.* 8. Clar. *l. c.* Sanch. *de mat. L.* 10. *d.* 8. *n.* 15. Pirh. *l. c.* juxta *c. tua.* §. *si verò. c.* 1. *ut lite non contest. c. plerumque. de donat. inter vir. & mul.* & *ibi* Alex. Sicut enim, quando agitur de valore matrimonii, ad solum Judicem ecclesiasticum spectat desuper cognoscere ob rationem Sacramenti, ita etiam, dum agitur de causis dissolvendi illud, quò ad thorum, dum autem agitur principaliter in ordine ad divortium instituendum coram Judice ecclesiastico, ad eum quoque spectat cognoscere de dote amittenda, Pirh. *l. c.* Reiffenst. *n.* 40. cùm, qui cognovit de causa principali, cognoscere quoque debeat aut possit de accessorio, seu incidente in causam principalem, etsi aliàs respectu hujus Judex competens non esset, *L. quoties. c. de Judic.*

L. 1. c. de ordine cognit. c. prudentia. de donat. inter vir. & mul.

Quæst. 284. Qualiter judex in causa adulterii procedere possit, & qualiter finito uno judicio ad aliud procedi possit?

1. REsp. Ad primum: Potest quoque judex in hac causa procedere vel per viam inquisitionis non secus ac in aliis criminibus, dum habitis legitimis causis ex officio inquirit in delinquentem, ad specialem etiam inquisitionem delicti transeuntis, quale esse videtur adulterium, sufficiunt indicia sufficientia, sed ut cautè procedat, & non ex remotis, monet Lauterb. *l. c. n.* 11. ex Bocero, vel per viam accusationis, dum nimirum judex accusatione requisitus suum officium exercet.

2. Resp. Ad secundum: quod hìc incidenter notandum, finito uno judicio v.g. criminali, de adulterio, non potest procedi ad aliud civiliter instituendum. Sic postquam quis contra uxorem adulteram instituerit actionem criminalem ad publicam ejus punitionem, eo judicio deserto, aut etiam finito, non potest contra eam agere civiliter ad divortium instituendum, aut ad amissionem dotis, vel donationis propter nuptias, uti è contra finito Judicio Civili, non potest uxor virum accusare criminaliter, quia decens non est, nec æquum, ut aliquis postulet idem delictum bis puniri. Abb. *in cit. c. tuæ. n.* 5. & *in c. de his. de accus. n.* 6. Sanch. *cit. d.* 8. *n.* 19. Pirh. *h. t. n.* 11. Arg. *l. interdum. ff. de jud. publ.* Aliud tamen esse, dum actio civilis directè tendit ad interesse seu jacturam rei familiaris compensandam; ea enim non præjudicat actioni criminali, quò minùs uno judicio finito alterum institui possit, juxta *l. unic. c. quomodo. Civil. act. præjud. Crim.* utrique tamen intentari nequit æquè principaliter in eodem judicio; bene tamen intentari potest actio criminalis principaliter, & simul accessoriè peti, ut damnum rei familiaris sibi compensetur. Clar. *in pract. Crim. q.* 2. *n.* 21. Mol. *de just. tr.* 3. *d.* 4. *n.* 19. Sanch. Pirh. *ll. cit.*

Quæst. 285. Qualis requiratur & sufficiat probatio ad condemnandum reum adulterii?

1. REsp. Quamvis aliàs in criminibus ad condemnandum reum requiratur, ut sit vel confessus vel per probationes luce meridianâ clariores convictus, juxta *Can. Judex.* & *Can. multi.* §. *nos verò*, 2. *q.* 1. *l. fin. de probat.* in adulterio tamen tanta probatio non est necessaria, sed sufficit & requiritur talis probatio, quæ contra reum facit suspicionem vel præsumptionem, non qualemcunque, sed violentam & vehementissimè urgentem, seu facientem certitudinem moralem, quæ virum prudentissimum inducere potest ad judicandum patratum esse adulterium. Sylv. *v. adulterium. n.* 9. Mascard. *de probat. concl.* 57. *n.* 3. Menoch. *de præsump. l.* 1. *præsump.* 58. *n.* 3. Sanch. *de matrim. l.* 10. *d.* 12. *n.* 41. & 4. Pirh. *n.* 12. Arg. *c. maritis. h. t.* ex ea ratione, quòd cùm adulterium in occulto remotis arbitris & testibus ita cautè fieri soleat, ut per testes vel documenta aut instrumenta probari nequeat, necesse est adhiberi & debent probationes alias, nimirum per conjecturas, indicia, præsumptiones factas, ne aliàs hoc grande & frequens crimen maneat impunitum, adeoque, dum illa sunt vehementia, sufficiunt ad probandum hoc crimen, non secus ac in aliis delictis difficilioris probationis, juxta *c.* 2. & 12. *de præsumpt.*

2. Porrò istiusmodi præsumptiones & indicia alia sunt & dicuntur certa vel ex ipsa natura, quæ ex principiis naturalibus necessariò rem factam esse demonstrant, & eandem vim ac testium depositiones aut apertissima documenta habent, *l. fin. c. de prob. l.* 19. *c. de R. V.* Bocer. *tr. de adult. c.* 4. *n.* 4. & *seq.* tale indicium est, dum uxor, viro per annum graviter decumbente, aut annis aliquot à domo absente, à reverso gravida reperitur. *l.* 6. *ff. de his, qui sui vel alien. jur.* vel ex legis & juris dispositione per præsumptionem juris & de jure, qualem nimirum lex ex certis causis non tantùm approbat, sed simul disponit, ut pro veritate habeatur, v.g. si duo adulterii accusati excipiant, se ea familiaritate usos esse jure consanguinitatis, cujus religione nemo adulterium committere velle præsumitur, sed antequam ab ea suspicione absoluti fuerint, matrimonium inter se contraxerint *l.* 3. *c. ad Leg. Jul. de adult.* potéstque vi hujus præsumptionis juris & de jure etiam ultimum supplicium inferri, ubi illud statutum in pœnam adulterii. Menoch. *de præsumpt. l.* 5. *præsumpt.* 41. *n.* 7. & 8. Speculat. *de præsumpt.* §. 2. *n.* 4. Pirh. *h. t. n.* 13. item talis præsumptio de adulterio juris & de jure ad pœnam capitalem adulterii infligendam sufficiens est, si maritus ter alicui denunciaverit, & præsentibus tribus testibus, ne cum sua uxore esset, eámque alloqueretur, & tamen denuo cum illa esse eíque colloqui deprehendatur in loco ad adulterium apto. *auth. si quis ei. c. h. t.* Menoch. *l. c. n.* 9. & 10. Pirh. *l. c.*

3. Alia sunt indicia verisimilia, ex quibus adulterium arguitur, non tamen semper, ideóque pro veritate non habentur, nec destituta aliis adminiculis sufficiunt ad pœnam ordinariam, bene tamen ad extraordinariam, si plura eorum concurrant, Menoch. *cit. præsumpt.* 41. *à n.* 21. talia sunt, si uxor inscio & invito marito suo clam accedat ad domum viri suspecti; ibíque pernoctet, ex quo tamen argui nequit adulterium, si causas alias pernoctandi, vel alias mulieres honestas & pudicas socias habuit. Menoch. *l. c. n.* 22. Pirh. *n.* 14. item, si domus mulieris diu noctúque ab adolescentibus, præsertim Scholasticis, frequentetur. Menoch. *n.* 21. Pirh. *l. c.* item, si solus cum sola, nudus cum nuda in eadem lecto inveniatur, ita ut in certis circumstantiis id ipsum non sufficiat pro violenta præsumptione adulterii vel fornicationis. Pirh. *n.* 14. *in fine*, vel etiam solus cum sola in loco secreto & abdito, præsente viro habente solutas caligas, & muliere renuente aperire ostium deprehendatur. Menoch. *cit. præsumpt.* 21. *n.* 11. Pirh. *n.* 3. item si se amplectantur & osculentur; quam tamen suspicionem probabilem, non violentam, nisi aliæ circumstantiæ concurrant, facere, censent Menoch. *n.* 26. Sanch. *de matr. l.* 10. *d.* 12. *n.* 45. & *seq.* Pirh. *l. c.* cum amplexus & oscula præparatoria solùm ad adulterium, & futurum, non præteritum arguant, ut iidem. Item, si reperiantur literæ amatoriæ concubitum confitentes, quales tamen literæ & confessio extrajudicialis mulieris, etsi non probent plenè contra eam adulterium, faciunt tamen indicium ad torturam sufficiens, & licèt talis confessio proprii delicti facta in judicio probet plenè contra confitentem. *c. intelleximus. ht.* non tamen plenè probat contra complicem, cùm nulli de se confesso adversùs alium in eodem crimine sit credendum. *c. nesciens. de testib. c.* 1. *de confess.* gl. *in c. significasti. h. t. v. imponens.* Abb. *ibid. n.* 4. de

cætero

cætero præsumptiones prædictæ violentæ adulterii debent plenè probari per testes omni exceptione majores, eósque non singulares, ut cum Sanch. *l. c. n.* 51. Pirh. *cit. n.* 14.

Quæst. 286. *Quæ pœnæ Criminales statutæ adulterio?*

1. Resp. Primò: Jure divino pro lege veteri pœna adulterii erat mors tam adulteri quàm adulteræ, ut constat ex *Levit. c.* 20. *v.* 10. & *Deuteron. c.* 22. *v.* 22. & quidem lapidationis, ut patet ex Joan. *c.* 8. *v.* 5.

2. Resp. Secundò: Jure humano Civili pœnam Criminalem adulteris primitus fuisse deportationem vel exilium, plures probant ex *l. ff. de quæst.* & pluribus aliis citatis à Lauterb. *in ff. h. t.* §. 22. fuisse verò illam pœnam mortis, latam ab Augusto affirmant Carpz. *pr. Crim. q.* 52. *n.* 26. *& seq.* Ludvvel. &c. Jure Codicis per Constantinum statutam pœnam sanguinis & gladii, constat ex *l.* 30. §. 1. *c. ad leg. Jul. de adult.* & *ibi* Brunnem. *l.* 7. *l. unic. c. de mulier. quæ se prop. serv. junx.* ubi servo pœna flammæ dictatur, quam pœnam capitalem Justinianus Imper. quò ad fœminas adulteras mutavit in mitiorem, constituendo, ut virgis cæsæ in monasterium aliquod detruderentur ad biennium, post quod, si non reperterentur, uti poterant, à marito, ibi, quò ad vixerint permansuræ & habitu assumpto pœnitentiam acturæ, juxta *auth. sed hodie. c. ad leg. Jul. c.* 19. *de conversi. conjug.* una tertia propriæ substantiæ, vel, si liberos non habet, duabus tertiis, interdum tota substantia monasterio applicanda. *cit. Auth.* sed hodie *novel.* 134. *c.* 10. quia commutatione non obstante rursus pœnam gladii tam quò ad fœminas quàm quò ad viros committentes verum adulterium sive simplex sive duplex confirmavit Carolus V. in *Constitut. pœnal. a.* 102. Verùm quidquid sit de hoc hodiedum pœna mortis ob adulterium simplex, imò etiam duplicatum saltem primâ vice non infligi ampliùs in plerisque locis testatur experientia, & ubi pœna mortis non viget ampliùs, nec ea infligenda Judæo adulteranti cum Christiana, Lauterb. *in ff. h. t.* §. 24. *in fine*, qualiter verò puniendus talis Judæus, vide Clarum §. *adulterium n.* 10. ubi ait: se judicare Judæum adulterantem cum Christiana etiam soluta damnandum perpetuò ad triremes, sed punitur pœnâ arbitraria, v. g. carcere, relegatione, seu exilio, fustigatione, statione ante fores templi cum candela accensa per aliquot dies festos, ubi major est concursus populi, vel etiam pœnâ pecuniariâ, teste Claro *l. c. n.* 7. & in specie per statuta Bavariæ primâ vice commissum, teste Reiffenst. *h. t. n.* 19. (de quo tamen meritò conqueri DD. ait Lauterb. *l. c.* citatis Berlich. *p.* 4. *concl.* 27. *n.* 21. Menoch. Heig. &c.) & in aliquibus locis post peractam publicè pœnitentiam ecclesiasticam omni honore privantur, & ab omnibus honestis consortiis arcentur. Adulterium semel punitum iteratum olim perpetuâ relegatione, hodie interdum gladio punitur. Lauterb. citato Besold. *p.* 5. *conf.* 215. *n.* 4. uti & iteratum tertia vice punitur pœnâ gladii, de cætero prout in aliis delictis, sic & in adulterio puniendo attendenda & servanda cujuscunque loci consuetudo, ut cum Menoch. Lauterb. *l. c.* illud tamen observandum, quòd, si ex statuto loci alicujus imposita pœna pecuniaria vel etiam corporalis, quæ iterari potest, v. g. fustigationis, dum quis cum uxore alterius pluries etiam ex intervallo rem carnalem habuit, etsi sint plura adulteria commissa, non tamen debere illum puniri, nisi pro unico adulterio, cum gl. *in l. Vulgaris. ff. de furtis. v. fur erit.* tenet Clar. *l. c. n.* 11. dicens esse opinionem communem.

3. Resp. Tertiò: Pœnæ criminales statutæ contra adulterantes jure ecclesiastico statuuntur. Primò contra Laicos in adulterio perseverantes excommunicatio, non quidem latæ, sed sententiæ ferendæ. *c. intelleximus. h. t.* quam tamen pœnam saltem in Germania non esse in usu, testatur Pirh. *h. t. n.* 19. quamvis *n.* 26. addat: Episcopum loci posse Laicos excommunicare ob adulterium, non tantùm ad petitionem conjugis innocentis, sed etiam ex mero officio suo, ut Abb. *ad c. intelleximus. h. t. n.* 5. Secundò; detrusio mulieris in monasterium ad agendam perpetuò ibi pœnitentiam, si vir eam recipere nolit. *c. gaudeamus. de convers. conjug.* prout etiam antè Jure Civili receptum erat, juxta dicta *resp. præcedent.* quam tamen etiam pœnam hodie non ampliùs esse in usu, sed Laicos etiam Fœminas relinqui criminaliter & publicè puniendos Curiæ sæculari, astruit Reiffenst. *h. t. n.* 10. Tertiò Clerici confessi vel convicti de suo adulterio pœna est depositio ab officio, Ordine Clericali, privatio Communionis fidelium & Sacramentorum, collatio in monasterio toto vitæ tempore ad agendam pœnitentiam. *c.* 10. *& seq. dist.* 81. *c. cùm non ab homine. de Judic.* Host. *in sum. h. t. n.* 7. Diaz. *in pr. crim. can. v. adulteri. c.* 89. *n.* 2. Pirh. *cit. n.* 19. Clarus. §. *adulterium. n.* 7. citatis Duenna. *reg.* 101. *in* 2. *limit.* Bermond. *de concubin. fol.* 37. *n.* 6. & pluribus aliis, dicente apud illum Alciato: credo per auxesin satis audacem, quòd si hodie Clerici propter adulterium detruderentur in monasterium, pauci eorum ambularent per plateas. Secus autem est de depositione Clericorum solùm suspectorum & infamatorum de adulterio; his enim non infertur pœna ordinaria adulterii, sed solùm indicitur purgatio Canonica, in qua, si defecerint, debent suspendi ab officio, & postea agi ad certam pœnam. Farin. in *prax. Crim. p.* 5. *q.* 40. *n.* 3. Pirh. *n.* 20. juxta *c. Significasti. h. t.* etsi aliàs in purgatione deficiens puniatur ut convictus. *c. accedens de accusat.*

Quæst. 287. *Quæ pœnæ Civiles constitutæ contra adulteros?*

1. Resp. Prima est, quòd conjux innocens possit agere & petere divortium seu separationem à conjuge nocente quò ad thorum & cohabitationem. *c.* 2. 4. 5. *de divort.* quin & dum adulterium est notorium, potest maritus innocens sine alia sententia & declaratione judicis propriâ authoritate uxorem adulteram expellere à se, & vice versâ uxor innocens à vero adultero propriâ authoritate recedere. Barbatia *in Apostill. ad Abb. in c. fin. h. t. n.* 6. dicens communem. Factâ autem hac separatione thori ab uxore adultera tenetur nihilominus eam alere, Clar. *l. c. n.* 17. quia ea post separationem non definit esse uxor, juxta *c.* 2. *de divort.* quod si etiam facto divortio vir quoque cum alia committat adulterium, debet uxorem dimissam quò ad consortium thori recipere & maritali affectu tractare, Clar. *l. c.* cum Abb. *in c. ex literis de divort. n.* 11. potestque ad id cogi, non solùm officio Judicis, sed etiam ad actionem uxoris. Felin. *in c. lator. de re judic. post n.* 9. dicens communem. Clar. *l. c.* Pirh. *n.* 27. juxta *c. Tuæ Fraternitati. h. t.* ubi Papa, quòd cùm paria delicta mutuâ compensatione deleantur, vir hujusmodi fornicationis obventu nequeat uxoris adulteræ consortium declinare.

2. Secunda pœna uxoris adulteræ est amissio dotis, quam post latam sententiam divortii maritus innocens

nocens lucratur, nec potest cogi ad restituendam eam. *c. plerumque de donat. inter vir. & uxor. L. consensu. §. hæc nisi. C. de repud. auth. ut liceat matri. §. quia verò plurima. col. 8. num. 117.* Clar. *l.c. num. 15,* Pirh. *num. 23.* & AA. mox citandi, quod ipsum fieri propter solum osculum alteri viro datum tenet. Clar. *num. 16.* Bald. *in c. tuæ. de procur. num. 4.* & aliis, eò quòd oscula dicantur proxima præparatoria ad adulterium, & mulier illa dans censeatur convicta de adulterio, quòd certè in hisce partibus locum habere non videtur; fortè illud dici posset, si vir ejus mamillas attrectaret, ut iidem Bald. Clarus, citatique ab illis. Idem quoque de bonis paraphernalibus amittendis ab uxore propter ejus adulterium, cum Gl. *in c. plerumque.* censent Clar. *l.c.* Covar. & alii contrarium verius tenentibus. Sylv. *v. adult. 6. num. 8.* Sanch. *cit. d. 8. num. 10.* Pirh. *cit. num. 23. infine.* & alii apud Farin. *q. 142. n. 4. & 5.* eò quòd hæc bona non dicantur dotalitium uxoris; in materia autem pœnali verba non sint extendenda extra propriam significationem.

3. Tertia, quod vir adulter amittat donationes propter nuptias, easque lucretur uxor innocens. *cit. c. consensus. §. si qua igitur.* Covar. *l.c. p. 2. c. 3. §. 6. num. 1. & 6.* Clar. *n. 15.* Sanch. *l.c. num. 2. & 11.* Farin. *q. 142. num. 1. & 35.* Pirh. *l.c.*

Quæst. 288. *An & qualiter mutua adulteria conjugum compensentur invicem quò ad pœnas civiles?*

1. REsp. Marito quoque committente adulterium post sententiam divortii, compensationem hanc faciendam quò ad divortium, quò ad amissionem dotis, bonorum aliorum uxoris adulteræ, & donationis propter nuptias, ita ut neque vir adulter lucretur dotem aut alia bona uxoris & ad acquisita ab eo, dum innocens erat, reddenda cogi possit, &c. contra uxor adultera non lucretur donationem propter nuptias sibi factam à viro. Ita Sylv. *v. dos. q. 15. dicto 1.* Sanch. *cit. d. 8. n. 29.* aliique apud ipsum; item Pirh. *h.t. n. 24.* sumitur tum ex *L. viro. ff. solut. mat.* Ubi accusantibus se invicem conjugibus de adulterio pronunciatum est, utrumque causam repudii dedisse, quod tamen ita accipiendum, ut neuter vindicetur, sed ut paria delicta mutuâ compensatione dissolvantur; nimirum ut Gl. *in cit. c. v. accusantibus.* per non restitutionem donationis propter nuptias, quam vir repetebat ab uxore, & non restitutionem dotis, quam mulier repetebat à viro, tum ex *c. si significasti. de divortiis.* ubi in specie de pœna divortii dicitur, quòd, si adulterium mulieris sit notorium, vir cogi nequeat ad eam recipiendam, nisi constaret virum quoque commisisse adulterium. Unde jam etiam innocente post latam sententiam divortii committente adulterium non obstante hac sententia conjugi dimisso competere actionem, quâ petere possit, ut readmittatur ad consortium dimittentis, & consequenter repetere dotem vel donationem propter nuptias per adulterium suum prius amissam, tradunt cum Gl. *in c. ult. h.t. v. fornicationis.* Barb. *ibid. num. 4.* Covar. *in epit. L. 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 6. num. 5.* Pirh. *h.t. num. 28.* Clar. *§. adulterium. num. 17.* citato Felin. *in c. Lator. de re judicat. post. num. 9.* & alii apud Sanch. *L. 10. de mat. d. 9. num. 27.* Contrarium, nimirum nullam acquiri actionem conjugi adultero ad repetendum innocentem, qui post sententiam divortii adulteratus est, dotem aut donationem propter nuptias, valde probabiliter tenente Sanch. *num. 30.* Pro priore sententia rationes sunt, quòd sententia divortii ob adulterium uxoris feratur subintellectâ hâc conditione: si vir continentiam servaverit. Quòd, cùm post latam sententiam divortii peccaverit in legem conjugii, non possit uti beneficio sententiæ, utpote fundatæ in violatione conjugii. Arg. *c. fin. de immun. eccles.* Quòd agi possit non obstante exceptione rei judicatæ, quando causa sententiæ venit ad non-causam, seu cessat causa sententiæ, ut Bart. *in L. 21. ff. de condict. sine caus. n. 1.* Labente autem innocente in adulterium, cessat causa, ob quam lata est sententia separationis. Sed neque obstant rationes in contrarium, nempe quòd uxor non possit petere restitui viro, utpote quo servato juris ordine spoliata per Judicem Ecclesiasticum, potest enim adhuc agere judicio petitorio. Quod jus agendi ad cohabitationem semel extinctum per sententiam divortii non revivisca; nam revivisce re potest novâ causâ superveniente adulterio innocentis. Adde, quòd jus, quòd habet uxor in maritum, per divortium omnino seu etiam habitualiter extinctum non sit, sed solùm quò ad exercitium, seu impediatur, quò minùs eo uti possit. Pro posteriore sententia rationes sunt, quòd per sententiam divortii absolvatur conjux innocens ab obligatione societatis conjugalis, dissolvatúrque contractus matrimonialis quò ad thorum & cohabitationem, ideóque per adulterium subsequens nulla inferatur injuria conjugi dimisso, quippe, qui per sententiam privatus est jure in corpus ipsius; ad quod tamen dici potest, quòd jam dictum est, nimirum non privari illum isto jure absolutè & in perpetuum, quia matrimonii vinculum dissolutum non est, sed solùm sub conditione, si & quamdiu conjux manserit innocens, seu servaverit continentiam; quod ipsum etsi negent adversarii, non tamen probant contrarium. Porrò extenditur illa compensatio, primò; ut locum habeat, dum unus commisit plura adulteria, alter non nisi unum, cùm jura quò ad hanc compensationem non habeant rationem numeri delictorum, sed tantùm violatæ fidei conjugalis, quam si uterque fregerit, sive semel sive sæpius adulterando, delicta censentur paria. Sanch. *l.c. d. 6. num. 8.* Farin. *in pr. crim. q. 143. num. 73.* Pirh. *num. 30.* Secundò: si ab utroque conjugum commisso adulterio etiam ante reconciliationem unus se emendaverit, altero in adulterii committendi consuetudine persistente, postquam monitus ab emendato, ut abstineat, potest emendatus divortium instituere, quia talis monitio seu interpellatio habet vim reconciliationis, ac proinde idem est, ac si post reconciliationem commisisset adulterium, quo casu licitum est contra relapsum separationem ab illo instituere, cùm per reconciliationem matrimonium restituatur in pristinum statum, ac si adulterium nullum commissum fuisset, Pirh. *l.c.* cum Sanch. *l.c. d. 7. num. 1. & 4.* Tertiò ut detur etiam compensatio adulterii cum Sodomia & Bestialitate, ita ut, sicut vero Sodomita petente separationem ab uxore adultera, hæc excipere possit de Sodomia viri, ita uxore petente separationem à viro Sodomita, hic excipere possit de adulterio. Cùm, etsi Sodomia secundum se sit crimen gravius adulterio, in ordine tamen ad divortium instituendum utrumque crimen sit æquale, utpote propter quorum utrumque divortium concedatur. Quin & in ordine ad matrimonium gravius est adulterium, utpote per quod

gravior

gravior infertur injuria conjugi quàm per Sodomiam. Pirh. *num.* 31. proceditque hæc compensatio juxta paulò antè dicta, etsi unus sit reus adulterii & Sodomiæ, alter solius adulterii. Farin. *l. c. q.* 143. *num.* 35. modò sicut adulterium, ita & Sodomia sit plenè perfecta & consummata per effusionem seminis in vas, cum alias neutrum horum criminum sit sufficiens ad divortium. Sanch. *cit. d.* 6. *num.* 3. Farin. *l. c. num.* 75. Pirh. *l. c.*

2. Limitatur è contra responsio, ut non admittatur compensatio adulterii cum adulterio inter conjuges, nisi adulterium, cujus petitur compensatio, sit certum, notorium & liquidum. Host. *in c. ult. h. t. v. manifestè.* Jo-And. *ibid. n.* 1. Sanch. *l. c. d.* 12. *n.* 28. Farin. *l. c. num.* 80. Secus tamen est in foro conscientiæ, in quo adulterium occultum compensari potest cum adulterio publico alterius, ita ut adulter occultus non possit petere divortium in foro interno, in quo non requiritur alia probatio, sed sufficit, quòd constet soli adultero. ita Sanch. *d.* 6. *num.* 9. Farin. *num.* 82. Pirh. *n.* 32. Item limitatur ita, ut exceptio compensationis unius adulterii cum alio opponatur ante litis contestationem, si agatur criminaliter; Secus, si agatur civiliter ad divortium, tunc enim opponi potest omni tempore usque ad sententiam; quia tunc est exceptio peremptoria, virum repellens ab agendo seu à petendo divortio; in causa verò criminali non perimit delictum, sed excludit ab accusando, cujus loco cum quilibet accusare possit, habet vim exceptionis dilatoriæ, quæ opponi debet ante litem contestatam. Sanc. *l. c. num.* 10. Farin. *q.* 142. Covar. *l. c.* §. 6. *n.* 6. Pirh. *l. c.* Illud hìc notandum in ordine ad dictam compensationem, quòd innocente post latam sententiam divortii incidente in adulterium Judex Ecclesiasticus ex officio suo reintegrare debeat matrimonium & conjuges hos adulteros inter se reconciliare, ut iterum cohabitent, ut fornicationis periculo consulatur, delictum siquidem superveniens præjudicat rei judicatæ ob animæ periculum, & Judex Officium suum impertiri debet, ubi id necessarium ad bonum commune & vitanda peccata. ita Abb. *in c. ult. h. t. num.* 4. Nav. *L.* 5. *consil.* 1. Sanch. *l. c. num.* 31. Pirh. *num.* 29.

Quæst. 289. *Num præter dictam adulteriorum compensationem sint aliæ causæ excusantes à pœnis adulterii tam Civilibus quàm Criminalibus?*

Resp. Sunt ferè sequentes: Prima, si uxor sit violenter oppressa, tunc enim cessante omni culpâ cessat omnis pœna: Secus si non per vim absolutam tollentem omne voluntarium, sed per metum gravem sit carnaliter cognita; cùm coacta voluntas non excuset in maleficiis, etsi ei tunc imponi nequeat pœna ordinaria adulterii, neque Civilis neque Criminalis, & sic privari nequeat neque dote, neque consortio viri; cùm adulterium taliter punibile non committatur sine dolo malo. *L. penult. ff. h. t.* Qualiter in dicto casu non committitur; meretur tamen pœnam aliquam mitiorem. Secundò: Si uxor de consensu mariti eam prostituentis commisit adulterium *L. cum mulier. ff. soluto mat.* ei enim objicere non potest matrimonium, præsertim si eam invitam prostituit. *c. discretionem de eo, qui cogn. consang. uxor.* Adeóque nec dotem retinere nec donationes propter nuptias repetere: Quin tamen tales à Magistratu possint puniri criminaliter, extra dubium esse videtur. Tertiò: si vir uxorem adulteram retinuit, eique reconciliatus est; quia videtur condonasse injuriam. *Arg. c. quemadmodum de jurejur. c. si illi.* 23. *q.* 4. Gl. *in c. penult. h. t.* Zoes. *ad ff. leg. Juliam de adult. n.* 5. Quartò: Si maritus occidit uxorem deprehensam in adulterio, non lucratur dotem, sed possunt Hæredes uxoris eam ab illo repetere. *L. si ab Hostibus.* §. *si vir. ff. soluto mat.* ubi etiam in fine, quòd si uxor occidisset virum adulterum, non lucretur donationem propter nuptias ex pacto debitam. Quintò mortuo viro ante accusationem de adulterio motam civiliter ad lucrandam dotem, non licet Hæredibus uxorem viduam accusare & dotem repetere, *L. rei judicatæ. ff. sol. mat.* Sextò cessat accusatio elapso tempore præfixo, nempe quinquennio juxta dicta à nobis suprà. Septimò: Pœnas ordinarias adulterii evadit, qui solutam, quam conjugatam putabat, carnaliter cognoscit, Reiffenst. *h. t. num.* 24. denique qui omnem conatum ad adulterandum adhibuit, non tamen reipsâ commisit; cum adulterium non ex solo animi proposito, sed ex actu ipso, nempe habita copula & seminatione in vas in ordine ad pœnas intelligatur. *L. fugitivus. ff. de V. S.* De cætero non excusatur à pœna conjux, qui propter extremam necessitatem commisit adulterium; Pirh. *num.* 35. cum Farin. *p.* 5. *q.* 142. *n.* 15. cùm adulterium & fornicatio sit intrinsecè malum, & lege naturali & divinâ prohibitum, Covar. *in reg. peccatum. p.* 2. §. 1. *num.* 6. *in* 5. *rat.* Pirh. *l. c.* ideóque, quamdiu voluntarium est, illius turpitudo & malitia talis est in se, ut nullâ voluntate seu consensu, nulláque aliâ circumstantiâ, etiam vitæ periculo purgari vel tolli possit, sed potius omnia mala, morsque ipsa subeunda, quàm præbendus in illud consensus, ut Farin. *l. c. q.* 141. *n.* 6. Secus ac ea res se habet in furto, quod licitum est ad sublevandam necessitatem extremam, utpote per quod tunc nulla infertur injuria domino rei acceptæ; quamvis tamen tanta necessitas & metus non excusant adulterium à culpa etiam gravi, excuset illud à pœna ordinaria adulterii & relinquat obnoxium pœnæ alicui mitiori pro foro externo; cùm mitiùs puniendus sit, qui necessitate vel metu cogente, adeóque minùs voluntariè facit malum, quàm sponte faciens. Ita Pirh. *l. c.* cum Abb. *in c. sacris. de his quæ vi. num.* 2. & Laym. *ibid. n.* 5.

Quæst. 290. *An inter pœnas adulterii fuerit aut sit occisio filiæ & uxoris deprehensæ in adulterio à patre vel marito?*

1. Resp. Primò: Olim inter pœnas adulterii fuit, quòd pater & maritus adulteram & filiam deprehensam in adulterio impunè possent occidere, & de patre expressus est textus. *in L. patri. ff. ad Leg. Jul. de adult. & L. in ea. ff. eod.* & de marito, *L. si adulterium.* §. 8. *ff. eod.* Cujus utriusque ratio erat, quòd in hoc casu pater & maritus censerentur constituti ministri justitiæ, vel potiùs dicendum cum pluribus Theologis, quòd præfatæ leges etsi tale Homicidium tanquam licitum non approbarint, tamen immune esse voluerint à pœnis intuitu justi doloris. Hoc jus occidendi approbari in *Constit. Carolin. A.* 142. *&* 150. testatur Lauterb. *ad ff. ad Leg. Jul. de adult.* 28. citatis aliis, extenditque Justin. *in Novell.* 117. *a.* 15. concedendo facultatem occidendi quasi adulterum, id est, antè hàc de adulterio suspectum, & post trinas inscriptis contestationes & denunciationes in præ-

sentia trium testium cum uxore sua deprehensum, sive in domo propria sive uxoris, sive in suburbanis. Lauterb. *l. c.* & §. 32. malè tamen dicens, id Jure Canonico non abrogatum. Quod etiam extendunt Bocerus *tract. de adult. c. 5. num.* 2. & alii quidam ad avum habentem neptem adulteram in potestate. Alii verisimiliùs negant, uti & de matre, filio, fratre, uxore, patrono, imò & de patre & marito, dum ipsi adulteri aut de adulterio notati, Lauterb. §. 30. fundamentum hujus juris erat quò ad patrem potestas patris, quâ de jure veteri patri competebat jus vitæ in liberos in delictis capitalibus omnibus, quod tamen mutatum *per L. fin. c. de patria potest.* excepto casu adulterii; in marito verò justus dolor, quem temperare difficillimum. *L.* 28. §. 8. *ff. h. t.* Dum verò licet in hoc casu patri occidere filiam, ut impunè hoc faciat, requiritur primò, ut pater eodem impetu, quo occidit adulterum, occidat & filiam. Clar. §. *Homicidium. num.* 48. Secundò, quòd filia sit in ejus potestate. Tertiò: quòd adulterantes deprehendat in domo sua, quam inhabitat, aut domo generi sui, non autem alibi. *L.* 22. *&* 23. *ff. h. t.* Clar. *l. c.* Lauterb. §. 32. Quartò, quòd filia sit nupta. Clar. *l. c.* Quintò, ut deprehendantur in ipso actu turpitudinis. Clar. *l. c.* ita ut etiam fugientem in persecutione occidere possit. *L.* 23. §. *fin. ff. h. t.* Lauterb. §. 34. Habere hæc omnia locum, etiamsi adulter sit Clericus, posítque pater illum deprehensum in adulterio percutere citra excommunicationem aliásque pœnas. *c. si quis suadente.* Clarus *l. c.* citato Bermond. *de concub. fol.* 267. *n.* 5. *in fine.* dicente esse communem. Limitantur verò hæc ipsa, ut occidere non sit licitum, si sit prægnans, ne partus innocens simul occidatur; si graviter vulnerata supervixerit. *L.* 32. *ff. h. t. in pr.* si filia sit virgo vel vidua. *L.* 22. §. 1. Lauterb. *l. c.* Ex parte verò mariti occidentis requiritur, ut adulter sit vilis persona deprehensa in propria domo illius, non alibi. *L. Marito. ff. h. t.* Si tamen adulter sit persona honestior, maritus occidens illum non quidem punitur ultimo supplicio propter justum dolorem, mitiùs tamen punitur, v. g. relegatur in insulam, juxta *L. si adulterium. §. Imperatores. ff. h. t.* vel mittitur in exilium. juxta *L. Gracchus. c. eod. tit.* ita Clar. *l. c. n.* 49. ubi etiam quòd maritus Clericum deprehensum in adulterio cum uxore percutiens non incurrat pœnas, *Can. si quis suadente.* juxta *c.* 3. *de sent. excomm.* Secus tamen sit de sponso de futuro deprehendente Clericum cum sponsa sua de futuro in fornicatione, quem tamen si percusserit, Episcopus possit absolvere ab excommunicatione, absque eo, quòd necesse sit recurrere ad Pontificem. De cætero in eo num in casibus, in quibus de jure liceret patri vel marito occidere adulterum deprehensum domi suæ in adulterio, liceat mandare alteri, ut illum deprehensum occidat, controvertunt AA. tenent multi, quòd liceat, quorum opinionem Clar. *l. c. n.* 15. dicit servari in practica, & sic judicasse Curiam Neapolitanam, probabiliùs cum Bald. in *c. si quis verò. de pace juram. firm. num.* 3. & aliis, eò quòd, cùm posse aliquem propriâ authoritate vindictam sumere occidendo aliquem, sit casus valde exorbitans à regulis juris communis, non videatur ad alias personas, quàm quibus id expressè concessum, extendendus. Posse nihilominus idipsum à patre vel marito mandari proprio filio, tenent Clar. *l. c.* citatis Baldo *in cit. L. Gracchus. num.* 5. & aliis dicentibus esse communem DD.

2. Resp. Secundò: Quidquid quò ad hæc sit de Jure Civili & foro externo, in foro conscientiæ & coram Deo nullatenus licet patri aut marito filiam, vel uxorem, vel adulterum in adulterio deprehensos occidere. Gl. *in c. inter hæc.* 33. *q.* 2. *Gl.* 1. Clar. *num.* 50. citatis aliis testantibus de communi. Lauterb. *l. c.* §. 35. est siquidem contra legem divinam & naturalem, & vel maximè contra Christianam pietatem, proximum in flagrante delicto & mortali peccato deprehensum absque mora & spatio pœnitendi interficere, & sic interfectum æternæ damnationi transcribere, ut Lauterb. *l. c.* cum de Lugo *de I. & I. Tom.* 4. *d.* 17. *num.* 11. sed neque obstat, quòd legibus humanis civilibus talis occisio permittatur; cùm per hoc non approbetur aut reddatur licita, sed solùm non puniatur, quamvis etiam impunitas illa ab usu & ubivis recesserit, ut constat ex *Ordine crim. A.* 172. Clasen. *ibid. ad A.* 120. Struv. *de Vindicta privat. c.* 8. *num.* 10. Cothman. *Vol.* 5. *resp.* 1. *n.* 445. *& seq.* quos citat Lauterb. quin etiam talis occisio pœnas veri Homicidii, saltem Juris Canonici, secum trahat. *Can. inter cætera. & Can. Verius.* 33. *q.* 2. Unde nescio, num Clarus *cit. num.* 50. *in fine.* rectè dicat: Impium est meo judicio, dicere apud nos vigere aliquam legem, quæ peccatum mortale committi permittat.

CAPUT II.

De Stupro, aliisque Criminibus Carnalibus.

Quæst. 291. *Quid sit stuprum, & quotuplex?*

1. RESP. Ad Primum: Stuprum propriè, prout sumitur *h. t.* est Virginis per concubitum illicitum defloratio, nullâ præcedente pactione conjugali. *c. lex illa.* §. *cum ergo.* 36. *q.* 1. D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *a.* 6. qui tamen addit: *Sub parentum cura existentis.* quod juxta communem non est necessarium, ut Azor. *p.* 3. *Inst. mor. L.* 3. *c.* 11. *q.* 2. vel aliquanto explicatius: est crimen publicum per illicitum concubitum soluti cum virgine vel vidua honestè vivente commissum, nullâ præcedente pactione conjugali. §. *item Lex. Inst. de publ. jud.* Dicitur: *Delictum publicum*; quia per legem publicam notatur & coercetur. *cit.* §. *item Lex.* distinguitur à concubinatu, quia concubina nec virgo nec vidua est, *L.* 34. *ff. h. t.* distinguitur à fornicatione, quia hæc etiam cum muliere vulgari & non virgine committitur. *L.* 22. *c. h. t.* ab adulterio per Verba: Soluti cum virgine, si tamen virgo conjugata, quia solutus virginem matrimonio junctam ante hujus consummationem cognoscens, committit adulterium. Dicitur denique: *Nulla præcedente pactione conjugali:* nam stuprum non esse, si desponsati præmaturè concumbant, sed ex conjugali affectione id feciisse præsumi, quamvis pœnâ vel mulctâ arbitrariâ puniri soleant, censet Lauterb. *l. c.* §. 37. citato Theodor. *in coll. crim. c.* 6. *Aphoris.* 3. *n.* 45.

2. Resp. Ad Secundum: Stuprum aliud est violentum, quod propriissimè est stuprum, illud est, quo

quo virgo invita & retinens per vim opprimitur & defloratur, dicitúrque etiam oppressio barbarica. *can.* 14. *caus.* 32. *q.* 5. Renitentia autem illa in hoc consistit, quòd vim passa non tantum manibus pedibúsque obnixa fuerit, sed & vociferatione auxilium imploraverit. Masc. *de prob. Vol.* 4. *concl.* 1417. *num.* 26. Berlich. *p.* 5. *concl.* 41. *num.* 31. Damhoud. *in enchirid. rer. crim. c.* 92. *n.* 4. & alii apud Lauterb. §. 38. Aliud non violentum, quod infertur virgini volenti & in sui violationem consentienti, vel plenè liberè, vel per dolum, fraudem, aut metum injustè incussum, ad illud extorquendum. Stuprum sive absolutè, sive secundùm quid violentum præter malitiam contrariam castitati includit malitiam injustitiæ in confessione à stupratore exprimendum; admissum verò non continet malitiam à fornicatione distinctam, idque, sive puella sit parentum aut tutorum potestati subjecta, & sine eorum consensu, sive illi non subjecta, vel iis consentientibus permittat se violari. Less. *de I. & I. L. 2. c.* 10. *du.* 1. Sanch. *de mat. L.* 7. *d.* 14. *num.* 7. Laym. *Th. mor. tract.* 3. *p.* 3. *c.* 13. *num.* 1. Pirh. *h. t. num.* 37. & alii communiter contra Syl. Tolet. Azor. nulli siquidem per tale stuprum infertur injuria. Non ipsi virgini, quia consentienti & volenti non fit injuria. *L.* 1. *ff. de injuriis.* non parentibus, sub quorum cura & potestate est; cùm puella habeat liberum usum membrorum suorum, suique corporis, ita ut possit eo nunquam uti ad carnalem copulam vel licitè uti illo in legitimo matrimonio aut extra illud, absque eo, quòd parentibus ullíve alteri per talem non-usum, vel usum licitum, aut illicitum faciat injuriam, & consequenter nec stuprator cooperans puellæ ad illum voluntarium abusum corporis. Secus ac contingit in raptu, quo puella, sive corrupta, sive incorrupta, sive violenter, sive sponte consentiens abripitur vel abducitur è domo paterna vel sua. Neque infertur damnum & injuria proli ex tali stupro nascituræ; nam licet simplex fornicatio adversetur bonæ educationi prolis, & hinc sit iniqua, repugnans juri naturæ contra castitatem, non juri prolis, & hinc sit iniqua, repugnans juri naturæ contra castitatem, non juri prolis, quale nullum habet proles nondum nata.

Quæst. 292. *Quæ pœnæ statutæ jure civili tam stupratori quam stupratæ?*

1. REsp. Primò: Stuprum attentatum & conatus, etiam ad actum proximum deveniens non consummatum punitur extraordinariè & arbitrariè pro qualitate facti & personæ. *L.* 1. §. 2. *ff. de extraord. crim.* Menoch. *de Arb. L.* 2. *cap.* 360. *n.* 33. Ordo *crim. a.* 119. interdum fustigatione. Carpz. *I. Fend. p.* 4. *c.* 30. *defens.* 5. & si adhibita violentia, punitur graviùs. *Arg. l. c. unic. c. de raptor. virginum.* & hodiè tales conantes opprimere immaturas & nondum viripotentes puniri fustigatione cum perpetua relegatione, docet Theodor. *l. c. Aph.* 4. *n.* 37.

2. Secundò: Consummato stupro sine vi stuprator virginis, vel viduæ bonæ famæ, seu aliàs honestè citra ullam diffamationem viventis, si vilis conditionis est coërcitione corporali, fustigatione unà cum relegatione, si honestioris conditionis, publicatione seu confiscatione dimidiæ partis bonorum, §. *item Lex Julia de adult. Inst. de publ. jud. v. pœnam.* quamvis Clarus §. *Stuprum. n.* 3. dicat, non esse aliam illius pœnam hodiè, quàm ut stupratam ducat in uxorem, vel condecenter dotet, & credere se, sic ubique servari.

3. Resp. Tertiò: Pœna violenter stuprantis virginem vel viduam honestè viventem jure civili est vel irrogatur ultimum supplicium. *L. in eadem.* §. *præterea. ff. ad Leg. Jul. de vi publica.* vel capitis seu mortis, ubi de consummatione & violentia constat. Gl. *in c.* 2. *h. t. v. plectendus.* & ibi Abb. *n.* 5. Farin. *pr. crim. Caroli V. a.* 119. *& arg. L. fin.* §. 1. *ff. de re milit. L.* 29. §. *fin. ff. h. t.* quam pœnam capitis extendit Bojardus *ad Clar.* §. *stuprum, n.* 38. ad stupratorem, qui absque alia violentia, blanditiis, persuasionibus, promissionibus, muneribus virginem ad stuprum induxit, quod rectiùs negant Farin. *pr. crim. q.* 147. *n.* 30. Tusch. *pract. v. stuprum. concl.* 710. *num.* 3. Haunol. *de I. & I. Tom.* 5. *tract.* 2. *num.* 58. Wiestn. *h. t. n.* 19. ne aliàs fere semper capitale supplicium inferendum esset; cùm ferè semper interveniant tales persuasiones & promissiones. Extendunt quoque hanc pœnam Gilhaus. *Arb. crim. c.* 2. *t.* 22. *n.* 9. & alii apud Lauterb. *l. c.* etsi puella vi compressa ex post-facto consenserit in stuprum. Alii ut Carpz. *c.* 31. *def.* 3. *Farin. l. c. n.* 26. *&* 30. intelligendum & extendendum censent ad stuprum vi commissum cum puella immatura. Alii restringunt ad stuprum conjunctum cum raptu, intellige violento; Verùm hodie pœnas Juris Civilis etiam in terris Imperii contra stupratores locum non habere, sed servari pœnas à Jure Canonico decretas testatur Pirh. *cit. n.* 38. citatis *cit. num.* 3. & Harprecht. *in cit.* §. *Lex Julia. num.* 91. qui tamen id limitat, nisi contra stupratorem actio criminaliter moveatur, ut, si pater stupratam puellam stupratori dare non vult in matrimonium, sed ad vindictam ob illatum stuprum contra illum agere volunt, tunc enim pœnas Juris Civilis ei infligi possunt.

Quæst. 293. *Quæ pœnæ statutæ stupratori jure Canonico?*

1. REsp. Primò: Ipsi virgini per vim defloratæ sicut Jure Civili, ita & Jure Canonico nulla pœna statuta, cùm resistendo, quantum potuit, nullam culpam admiserit, sed neque existimatio illius per talem violentam oppressionem violatur. *L.* 13. §. 7. *ff. L.* 20. *c. h. t.* Berlich. *p.* 3. *concl.* 41. *num.* 66. Lauterb. *l. c.* §. 40. Unde aliqui ei habitum virginalem gestare permittunt.

2. Resp. Secundò: Violenter oppressam stuprator Laicus debet vel in uxorem ducere, vel decenter dotare, prout constat *c.* 1. *h. t.* desumpto *ex L. Exodi c.* 22. *v.* 16. *& Lib. Deuteron. c.* 22. *v.* 29. Unde decisio hujus *cap.* dum dicit, quòd, qui seduxit virginem eámque stupravit, debeat eam dotare & uxorem habere, id intelligi debet non copulativè, sed disjunctivè, ut vel ducat, vel dotet eam juxta dispositionem *c.* 2. *h. t.* & prout hodie communiter recepta est hæc pœna juris canonici, testantibus Brunnem. *ad L.* 20. *c. h. t.* §. 26. Carpz. *I. Fend. p.* 2. *c.* 27. *defens.* 1. *n.* 6. Bardili *d. de satisf. stupri. c.* 2. *n.* 17. Pirh. *num.* 41. & servari non solùm in temporali Papæ territorio, ut volunt *in c. pervenit. h. t.* Host. *num.* 3. Abb. *n.* 2. Fagn. *num.* 2. sed ferè in toto Imperio testantur Salicet. *in L. eum, qui. c. ad Leg. Jul. de adult. n.* 3. Clar. *cit. num.* 3. *vers. sed quidquid sit.* & alii apud Wiestn. *num.* 20. ita ut præcisè ad ducendam illam compelli nequeat, sed solùm sub conditione, nisi pœnas *cit. c.* 2. statutas incurrere velit, nam præter dotem, quam in eo casu nihilominus dare

cogitur ſtuprator excommunicatione minore puniendus, pœnáque corporali ad arbitrium Judicis afficiendus, eáque inflictâ ad tempus in monaſterium, in quo pœnitentiam agat, detrudendus. Gl. *in cit. c.* 1. Molin. *de juſt. tract.* 3. *d.* 104. *num.* 9. Pirh. *cit. n.* 41. à quibus pœnis liberabitur, ſi eam duxerit in uxorem.

3. Reſp. Tertiò: Clericus ſtuprator jure veterum Canonum præter dotem puellæ præſtandam puniebatur depoſitione ab officio. *c. Lator.* 2. *q.* 7. Abb. *in c.* 1. *h.t. num.* 4. Farin. *pr. crim. q.* 147. *n.* 62. Clar. §. *adulterium. num.* 3. dicens communem; hodie præter dotationem plectendus pœnâ arbitrariâ, puta, vel pecuniariâ, vel incarcerationis, ſuſpenſionis, depoſitionis ab officio, vel privationis beneficii, prout circumſtantiæ perſonæ & delicti ſuaſerint. Menoch. *de Arb. caſ.* 288. *num.* 6. Farin. *l. c. num.* 65. Pirh. *h.t. num.* 43. Wieſtn. *num.* 20. Reiffenſt. *num.* 52.

4. Reſp. Quartò: Etiam ſtuprator viduæ aliàs honeſtæ eam quoque dotare debet, non quidem ratione defloreationis (intellige niſi facta vidua ante conſummationem matrimonii, ſeu niſi virgo permanſerit) ſed in ſatisfactionem pro illata ei injuria & compenſatione denegandi impoſterum matrimonii. Carpz. *l. c. defenſ.* 4. Lauterb. *l. c.* §. 44. Stryck. & alii privatur quoque Vaſallus feudo, non tantùm committens adulterium cum uxore domini ſui juxta expreſſum textum *c.* 1. §. 1. *quib. mod. feud. amitt.* ſed etiam committens ſtuprum cum vidua domini; ſecus, ſi hæc tranſiiſſet ad ſecunda vota. ita Clar. *L.* 4. §. *feudum. q.* 48. dicens communem. De cætero in eo, num ſtuprum etiam in fœmina ſit punibile AA. non conveniunt; negat Harprecht. *ad* §. 4. *Inſt. de publ. jud.* eò quòd id nullibi expreſſum. Alii diſtinguunt, & negant, ſi malis perſuaſionibus inducta mulier, ut Berlich. affirmant, ſi liberè corporis ſui copiam fecit, & in aliquibus locis pœna Eccleſiaſtica tam ſtupratori, quàm ſtupratæ injungitur. Lauterb. §. 48. quem vide, & puellas in ſui violationem liberè conſentientes plecti ſolere ſicut ob ſimplicem fornicationem, ait Haunold. *de I. & I. Tom.* 6. *tr.* 2. *n.* 596.

Quæſt. 294. *In quibus caſibus ſtupratam ſtuprator nec ducere nec dotare teneatur?*

1. Reſp. Primò: Si Virgo (idem eſt de vidua) nullâ vi, metu, fraude interveniente, ſed liberè in violationem conſenſerit, ſe ipſam ſponte offerendo, ſeu occaſionem præbendo. Leſſ. *de Juſt. L.* 2. *c.* 10. *num.* 9. Mol. *de I. & I. tract.* 3. *d.* 106. *num.* 6. Pirh. *h.t. n.* 49. Brunnem. *Jurisp. eccl. L.* 2. *c.* 18. §. 26. *in fin.* & alibi Stryck. *in addit.* Berlich. *p.* 5. *concl.* 38. *n.* 31. Lauterb. *l. c.* §. 46. ex ea ratione; quia nullam paſſa injuriam, ad cujus aliàs compenſationem introducta obligatio ducendi vel dotandi ſeductam deceptámque, aut aliàs violenter cognitam, ut Haunold. *de I. & I. Tom.* 6. *tract.* 2. *num.* 591. Unde etiam idem ex probabiliore tradunt Mol. *l. c. num.* 1. Leſſ. *l. c. num.* 14. Lugo *de Juſt. Tom.* 1. *d.* 12. *ſ.* 1. Vaſq. *de reſt. c.* 3. §. 2. *dn.* 1. *n.* 4. quos citat & ſequitur Pirh. *n.* 50. contra Nav. & Tolet. ſi ſtuprator blanditiis, precibus etiam importunis aut aſſiduis, vel muneribus induxerit ad conſenſum in ſtuprum, modò abſit deceptio vel metus, quia preces & dona non cogunt nec faciunt involuntarium, etiam mixtum, ſicut metus, ſed ſolùm alliciunt, ideóque facilè repelli poſſunt, ſi puella ſeriò velit, quod ipſum tamen ita limitant Vaſq. *l. c. num.* 5. Mol. *l. c. concl.* 1. *in fin.* Pirh. *l. c.* niſi precibus Principis alteriúſve domini aut ſuperioris fuerit inducta; cùm tales preces cauſent metum reverentialem, & multum minuant libertatem conſenſûs, ideóque injuriam quandam inferunt; ut cum de Lugo *l. c.* Pirh. limitat etiam, ſic Pirh. *num.* 49. citato Mol. *tr.* 3. *d.* 104. *num.* 13. ut non ſecus, ac ſi eam injuſtè defloraſſet, ſtuprator virginis liberè conſentientis teneatur ad reparandum ejus honorem & damnum infamiæ; ſi eam infamavit de ſtupro ſecum habito. Secundò: Si ipſa jam deflorata dotem remiſit. Lauterb. *l. c.* cum Carpzov. eò quòd remiſſâ dote cogi non poſſit ſtuprator ad ducendam illam, quippe in cujus poteſtate erat vel ducere vel dotare. Proceditque id ipſum, etiamſi per vim, metum, fraudem puella fuerit inducta, aut etiam conſtituta in patris poteſtate, nam & in his caſibus poteſt remittere ſtupratori omnem obligationem, ita ut hic etiam ad ſolvendum illius patri non teneatur, ſaltem in conſcientia & ante ſententiam Judicis; ita Leſſ. *l. c. num.* 9. & 29. Vaſq. *l. c.* Lugo *l. c. n.* 9. & 10. Pirh. *n.* 52. Quia ſicut puella ante damnum ſibi inferendum poteſt cedere juri ſuo ſine injuria patris, ita etiam poſt illud illatum ſine conſenſu patris cedere poteſt juri, quòd aliàs habet ad petendam ſatisfactionem pro eo, quia non eſt per ſe & immediatè debitum pecuniarium, ſed debitum, quo obligatur ſtuprator illam ducere vel dotare; nec refert, quòd ſtuprum redundet in injuriam patris, dum per evulgationem illius læditur honor familiæ; nam ex illa injuria non oritur obligatio ſatisfaciendi per pecuniam vel aliud temporale ex natura rei, ſed ſolùm reſpondet ei pœna, quæ non debetur ante Judicis ſententiam, & pro læſo honore, utpote cui ſatisfieri poteſt per petitionem veniæ vel ſimili honoris exhibitione; ut Pirh. *n.* 51. Tertiò: non tenetur ſtuprator eam ducere aut dotare, ſi antecedenter cum ea convenerit de certo pretio pro habenda cum ea copula; cùm & tunc nulla ei fiat injuria. Haunold. *cit. num.* 591. Lauterb. *cit.* §. 24. Wieſtn. *num.* 24. & alii communiter. Quartò ſi puella, etiam vi vel fraude violata, poſtea commodum matrimonium iniit, ac ſi corrupta non fuiſſet, nec ob eam cauſam detrimentum paſſa eſt, quia ſtuprum manſit incognitum, etiam viro non tenetur ſtuprator ad ullam ſatisfactionem aut recompenſationem faciendam, quia pro injuria, prout condiſtincta à damno ſubſequenti nihil reſtitui debet, adeóque nec pro ipſa defloratione ſeu virginitatis ablatione, utpote quæ ſi damnum eſt, irreparabile tamen eſt, nec compenſabile ſecundùm ſe, quàm abſciſſio manus. Aliud verò damnum pretio æſtimabile inito tali matrimonio ex ſtupro ſecutum non eſt, prout ſupponitur; ita Nav. *in man. c.* 16. *num.* 19. Leſſ. *cit. c.* 10. *num.* 15. Vaſq. *l. c. du.* 3. *n.* 8. Pirh. *n.* 47. His non obſtante, quòd puella injuſtè ſtuprata per hoc fuerit in periculo non inveniendi matrimonium æque commodum ac antè habere potuerat; quia, cùm periculum damni non ſit damnum, illo aliunde ceſſante, & damno reipsâ non ſecuto, obligatio compenſandi quidquam nulla remanſit. Leſſ. *cit. c.* 10. *num.* 16. De cætero, quòd ſtuprator (intellige minùs propriè talis) etiam vi cognoſcens meretricem publicam ſeu more meretricio viventem, non teneatur quidquam recompenſare, videtur eſſe extra dubium.

Quæſt.

Quæst. 295. *An & quando ſtuprator præciſè ducere cogatur, à qua ſub conditione promiſſi matrimonii impetravit copulam?*

1. RESP. Primò: Si ſincero animo, & non fictè promiſit matrimonium virgini, vel honeſtæ viduæ, eáque non niſi ſub ea conditione conſenſerit in copulam, tenetur eam à ſe defloratam ducere, ſi ipſa velit, ita, ut ſatisfacere nequeat offerendo defloratæ dotem, vel pecuniam, vel aliud quicquam, quia contractu oneroſo præciſè & in ſpecie ad matrimonium cum ea ſe obligavit, éſtque hæc obligatio juſtitiæ commutativæ, quæ non tantùm exigit, ut reddatur æquale, ſed etiam idem in ſpecie, *L.* 2. §. *mutui. ff. de reb. cred.*

2. Extenditúrque id ipſum, ut procedat primò: ſive fœmina vice verſâ ſtupratori promiſerit matrimonium, ſive non, quia abſque promiſſione tali mutua vir ſolus contraxit obligationem illam ducendi. Extenditur ſecundò hæc obligatio, etiamſi ſtuprator promiſerit fictè, & ſine interna intentione ſe obligandi, ut ex communi ſententia docent Leſſ. *de juſt. L.* 2. *c.* 10. *du.* 3. *n.* 20. Mol. *tr.* 3. *de juſt. d.* 106. *n.* 4. Vaſq. *in opuſc. mor. de reſt. c.* 3. §. 1. *du.* 2. *n.* 15. Lugo *de juſt. Tom.* 1. *d.* 12. *ſ.* 2. *num.* 20. Sanch. *de mat. L.* 1. *d.* 10. *n.* 3. Pirh. *h. t. n.* 56. ex ea ratione, quòd ex juſtitia teneatur hanc fraudem tollere, & verè in matrimonium conſentire, cùm per injuriam fictè conſenſerit, Sanch. *l. c. n.* 4. unde licèt ſtuprator non teneatur eam ducere directè & immediatè ratione promiſſionis, quippe quæ ficta, & nulla fuit, ſed quia ex juſtitia obligabatur verè promittere, Pirh. *l. c.* idem eſſe dicens de eo, qui fictè contraxit matrimonium de præſenti cum fœmina, quam eo prætextu ſtupravit, ſive virgo fuerit, ſive jam corrupta; quia etſi matrimonium ex defectu veri conſenſus fuerit nullum, obligatur tamen verè conſentiendo eam ducere ratione injuriæ, & damni ſecuti, tum in fama, tum quia nulli alteri permittitur in foro externo, utpote in quo tale matrimonium validum præſumitur, pro quo citat Leſſium, *l. c. n.* 21. Sanch. *l. c. d.* 11. *num.* 5. *&* 6. quamvis, ut de Lugo *l. c. n.* 30. ſi hæc damna ſecuta non ſint, teneatur fictè contrahens verum & validum conſenſum præſtare. Extenditur tertiò hæc obligatio ducendi defloratam, etiamſi defloratur jam erat obſtrictus voto ſimplici religionis vel caſtitatis, multóque magis, ſi vota illa emiſſa poſt matrimonium promiſſum ſub conditione obtinendi copulam, Leſſ. *l. c. c.* 10. *du.* 4. *n.* 32. Vaſq. *l. c.* §. 2. *du.* 6. Lugo *cit. d.* 12. *ſ.* 3. Sanch. *l. c. d.* 45. *n.* 3. Pirh. *n.* 54. ex ea ratione, quòd obligatio illa voti oriatur ex libera & gratuita voluntate voventis, quâ is ſe obligare non potuit in præjudicium alterius, ita ut, ſi dein promittat matrimonium, non teneatur vi voti facti promiſſionem illam implere; obligatio verò poſterior non oriatur ex ſola promittentis voluntate, ſed ex jure, quod fœmina corrupta ſub promiſſione matrimonii acquiſivit, quæ poſterior obligatio longè potentior eſt quàm illa voti, éique præferri debet, de Lugo *l. c. n.* 43. Sed neque contrarium, ſed potiùs confirmatio hujus rationis infertur ex eo, quòd ſponſalia de futuro obligent, non obſtantibus ſponſalibus poſterioribus, etiam ſecutâ copulâ cum ſecunda; quia obligatio priorum ſponſalium non oritur ſolùm ex gratuita voluntate promittentis, ſicut obligatio voti, ſed etiam ex facto alterius, & oneroſo contractu, per quem alter ex ſponſis viciſſim ſe obligavit, éique jus acquiſitum ex promiſſione matrimonii, quod per poſteriora ſponſalia etiam ſecutâ copulâ ei auferri nequit, niſi is cedat ſuo juri, Lugo *num.* 45. Secus tamen eſt, ſi corrupta ſciverit ſtuprátorem obſtrictum tali voto, quia tunc, cùm facilè advertere potuerit, ſtuprátorem licitè promittere non poſſe matrimonium, decepta non fuit, adeóque nec ſtupratam ducere tenetur; nec tenetur petere diſpenſationem à voto, ut Leſſ. *l. c. n.* 33. Sanch. *l. c. n.* 5. quam tamen diſpenſationem poſt copulam, cùm obtentu ſit facilis, ſtupratam potuiſſe exiſtimare promiſſum à ſtuprátore, ſe illam petiturum, cenſet de Lugo *n.* 52.

3. Limitatur è contra reſponſio, ſeu ceſſat obligatio ducendi illam primò: ſi novum ſuperveniat impedimentum dirimens, vel cauſa ſufficiens ad divortium contracto matrimonio inſtituendum, Lugo *cit. d.* 12. *ſ.* 2. *n.* 19. Pirh. *n.* 54. Secundò in caſu fictè promittentis, ſi vir notabiliter excedat conditionem fœminæ, & ideo fictè promiſerit, cùm idipſum fœmina facilè ſuſpicari potuerit, Leſſ. *l. c. c.* 12. *du.* 3. *n.* 22. Sanch. *cit. d.* 10. *n.* 5. Pirh. *n.* 57. tunc enim non tenetur illam ducere, etiamſi juratò id promiſerit, cùm juramentum non obliget, niſi juxta intentionem promiſerit, quin etiamſi fœmina ignoraverit hanc notabilem diſparitatem conditionis viri, non teneri illam ducere, ſed ſufficere, ut illam dotet, vel aliter damnum reſarciat, dando tantum, ut nubere poſſit viro talis conditionis, qualis putabat eſſe ſtupratorem, cenſet Sanch. *cit. d.* 10. *n.* 21. quod etiam probabile aſſerit Leſſ. *l. c. n.* 23. Tertiò, ſi ex ambiguis vel inconſtantibus verbis, aliſve conjecturis fallacem animum promittentis agnoſcere potuerit fœmina, eam ducere non tenetur, imò nec quidquam aliud ei in recompenſationem præſtare, ſi fœmina plenè advertere potuerit fictionem; cùm tunc cenſeatur liberè conſenſiſſe, Leſſ. *n.* 24. *&* 25. Sanch. *n.* 19. Vaſq. *l. c. c.* 3. §. 1. *n.* 19. Pirh. *n.* 58. Quartò, ſi fœminæ falsò dicenti, ſe eſſe virginem, fictè promiſit nuptias; tunc enim neque ad ducendam, neque ad quidquam aliud tenetur, ſed una deceptio, ſeu injuria per aliam tollitur; quin & idem eſt in hoc caſu, ſi verè promiſiſſet, Sanch. *n.* 11. Leſſ. *n.* 29. ſi tamen fœminâ nihil dicente de virginitate ſuâ, ſtuprator putabat, falsò eſſe virginem, etſi fictè promittens non teneatur eam ducere, tenetur tamen ad aliquam reſtitutionem, ob copulam injuſtè extortam, quamvis non tantam, quantam, ſi fuiſſet virgo, Leſſ. *n.* 30. Sanch. *n.* 11. Quintò, ſi ſtuprata ſub ficta promiſſione conjugii, poſtea fornicetur cum alio, ad nihil tenetur ſtuprator, utì etiam in caſu, ſi verè promiſiſſet, Leſſ. *n.* 28. Sanch. *d.* 10. *n.* 13. Pirh. *n.* 59. Sextò, ſi fictus promiſſor velit eam ducere, ipſa autem nolit eum ducere; quia cognovit illum priùs ſibi fictè promiſiſſe, ad nihil tenetur, quia per eum non ſtat, quò minùs eam ducat, dotem autem non promiſit, nec quicquam aliud; idem eſt, ſi parentes defloratæ nolint eam dare in matrimonium, Sanch. Pirh. *ll. cit.* Septimò, ſi fictè promittens habuiſſet tantùm tactus impudicos cum illa. Octavò, ſi fictè promittens extorqueret copulam à vidua, vel aliàs corrupta, quam ſciebat eſſe corruptam, non tenetur eam ducere, ſed ſufficit ei alio modo compenſare injuriam, quia fœmina corrupta pro copula exigens matrimonium, nimirum exigit Leſſ. *c.* 10. *n.* 31. Sanch. *d.* 10. *n.* 23. Secus tamen eſt, ſi vidua ſit honeſta, & bonæ famæ, quæ ex illa copula paſſa eſt infamiam, quâ inhabilis facta ad deinceps contrahendum æquale matrimonium, Sanch. *n.* 24. Denique, ſi ex tali matrimonio timeantur gravia

scandala, & mali exitus, Sanch. *l. c. n. 9. & 10.* De cætero etiam citra talem promissionem teneri stupratorem, ex speciali locorum quorundam jure cogi defloratam præcisè ducere, testatur Lauterb. *l. c.* §. 42. Sic etiam, si stuprator bona non habeat, parentes illius ad dotandam defloratam non tenentur, sed ipse defloror tenetur eam ducere, si de cætero non sit valde disparis conditionis. Extra quos casus tenebitur, puellam à se corruptam dotare, si eum puellæ parentes duci, aut ipsa puella ducere nolint, ut contra Boich. *in c. pervenit. n.* 3. & Haunoldum *l. c. n.* 590. Salicetus *l. c. num.* 3. Menoch. *de arb. c.* 228. *n.* 19. Farin. *cit. q.* 147. *n.* 105. Gonz. *in c.* 1. *h. t. n.* 7. Clarus *cit. num.* 3. quod ipsum admittit Haunold. si puella habeat causam justam recusandi matrimonium cum stupratore; multóque magis hic tenebitur dotare puellam, si eam ducere nequit, quia est in sacris Ordinibus, vel alio impedimento impeditus, Mol. *l. c. d.* 104. *n.* 9. Wiestn. *h. t. n.* 25. idque indubitatum, ubi puella ignoravit, stupratorem inhabilem esse ad contrahendum secum matrimonium, Haunold. *l. c. num.* 589. Secus esse dicens, si puella seducta id non ignoravit.

Quæst. 296. *In qua quantitate, & quando præstanda dos stupratæ, ubi ad eam præstandam tenetur stuprator?*

1. Resp. Ad primum: Quantitas dotis in pœnam præstanda arbitrio Judicis (ante cujus sententiam ad eam præstandam non tenetur stuprator) committitur, qui eam ex conditione & qualitate construpatæ æstimare debet, cùm tam puellæ divites & illustres, quàm humili loco natæ, & pauperculæ honestæ dotandæ sint, Arg. *L.* 7. *c. de inc. nupt.* Carpz. *pr. crim. q.* 68. *n.* 57. Berlich. *l. concl.* 38. *n.* 77. ut ei dos tanta assignetur ex bonis stupratoris, quantam virgines ejusdem qualitatis accipere solent in dotem, Abb. *in c.* 1. *h. t. n.* 3. Mol. *l. c. d.* 104. *n.* 9. Farin. *cit. q.* 147. *n.* 112. & ut plurimùm, quantam pater stupratæ ei daturus fuisset, Lauterb. §. 43. quin & si stuprator illam ducere nequit in uxorem, eò, quòd sit in sacris constitutus, vel conjugatus, vel mulier sit disparis conditionis, tenetur stuprator dotem tantam dare, quanta ei necessaria, ut æquè bene nubere possit, ac si corrupta non esset, quia illi compensare debet, quòd eam non ducat, tradunt Mol. *l. c.* Farin. *l. c. num.* 107. & 112. Pirh. *n.* 42. unde etiam in ordine ad hoc tantum superaddere tenetur stuprator doti, quantum habitura fuisset à patre, Covar. *de sponsal. p.* 2. *c.* 6. §. 8. *n.* 15. Less. *l. c. c.* 10. *n.* 11. Et hæc, licet stuprator aliam in matrimonium duxerit, vel plures cum stuprata postmodum rem habuerint, ita, ut primus stuprator non liberetur à tali dotatione, Carpz. *j. F. p.* 4. *c.* 27. *def.* 3. Berlich. & alii apud Lauterb.

2. Resp. Ad secundum: Quod spectat ad actualem solutionem dotis, communior habet, quòd non differenda ad tempus, quo corrupta contrahit matrimonium, quod aliàs dos supponit, sed præstanda statim post delictum, Arg. *L. unic. c. de raptor. virg.* §. 1. *vers. sive maritum nolentes.* quia datio dotis est pœna stupri, & satisfactio, quæ sententiâ latâ quamprimum executioni mandanda, ita, ut etiamsi stuprata matrimonium non supervixerit, jus tamen dotem exigendi ad illius hæredes transmittatur, & sic non est propriè, sed intentionaliter dos, ita Carpz. *cit. q.* 68. *n.* 32. Bardili. *d. de satisfactione stupri. c.* 3. *m.* 3. *n.* 20. Haunold. *tr.* 2. *n.* 586. Bajard. *ad Clar.* §. *stuprum. n.* 74. Stryck. Berlich. & alii, quos citat & sequitur Lauterb. §. 45.

Quæst. 297. *Qualiter procedendum, dum stuprator negat dotem debitam, aut etiam asserat, se non invenisse virginem?*

1. Resp. Ad primum: Si convictus vel confessus de violatione illius abnuat eam dotare, defloratæ immittenda in bona stupratoris, Lauterb. §. 46. cum Carpz. Sic etiam vim passam ex bonis stupratoris, sive fustigati, sive morte affecti dotandam, asserit Brunnem. *Jurispr. Eccles. L.* 2. *c.* 18. §. 27.

2. Resp. Ad secundum: Si stuprator asserat, non esse à se devirginatam, sed antecedenter jam ab alio, adeóque commissam à se simplicem fornicationem, eidem incumbit probatio, quia fortior præsumptio militat contra eum; cùm honestas in puellis & mulieribus non solùm splendidis, sed etiam in humilibus & pauperculis præsumatur, donec contrarium probetur, arg. *L.* 7. *c. de inc. nupt.* Masc. *de prob. vol.* 3. *concl.* 1410. Mev. *p.* 3. *decis.* 73. *n.* 6. idémque est, dum stuprator negat, deceptionem interveniisse, & puella affirmat, præsumptio stat pro puella, eò, quòd talis deceptio frequentiùs contingat, Haunold. *l. c. n.* 585. multúmque fidei querelæ stupratæ tribuatur, ut Lauterb. §. 38. ex Carpz.

Quæst. 298. *Quas præterea obligationes incurrat stuprator?*

Resp. Præter dotationem & pœnas, §. 4. *Inst. de publ. jud.* quæ hodie pro ratione circumstantiarum sunt, vel carceris, vel relegationis, & quandoque fustigationis, dum v. g. quis illustri loco natam, vel inebriatam, aut dormientem, vel suæ custodiæ creditam stupravit, ut Carpz. *j. Feud. p.* 4. *c.* 25. *defens.* 1. præterque sumptus puerperii stuprator confessus stuprum incurrit onus, & obligationem alendi infantem; ita generaliter Lauterb. *l. c.* §. 47. citatis aliis: Verùm id meliùs distinguendum & limitandum; ita ut, si parentes de præbendis alimentis proli ex stupro, vel aliò illegitimo concubitu procreatæ convenerint, standum sit huic conventioni; spectato verò jure communi, hæc primò triennio à matre, & deinceps à stupratore, seu patre alimentanda. Gl. *in c. fin. de convers. infidel. v. post triennium.* his verbis: *Mater alit puerum trimum, trimóque minorem, majorem trimo pascere patris erit*; Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 8. §. 6. *n.* 13. Less. *l. c. c.* 10. *n.* 42. Antonell. *de temp. legal. L.* 2. *c.* 58. *n.* 2. Barb. *in c. cùm haberet, de eo, qui duxit in matrimonium. in Selectis. num.* 1. congestis aliis; quod ipsum quò ad matrem illegitimi de alimentis lactis tantùm, de aliis verò impensis, v. g. faciendis in vestitum, habitationem &c. quod etiam à patre ei præstandis intelligendum, volunt Barb. *l. c. n.* 2. Brunnem. *in L. nec filium. C. de pat. potest.* Mol. *tr.* 2. *d.* 168. *num.* 11. Colerus apud Berlich. *concl. pract. p.* 4. *concl.* 38. *n.* 41. dicens sic pronunciatum à celeberrimis JCtis. Quòd si mater propter infirmitatem, vel etiam nobilitatem proli lactandæ vacare non possit, etiam expensis patris conducendam nutricem, tradit Surdus *de aliment. tit.* 1. *q.* 14. *n.* 8. Si verò pater ob paupertatem alere nequiret prolem, ea alenda per matrem, utpote quæ per *c. cùm haberet.* prolem alere tenetur unà cum patre, non quidem conjunctivè, sed successivè, nimirum patre deficiente, Barb. *l. c. n.* 7.

& in defectum etiam matris obligantur ad hoc avi, juxta *L.* 4. §. 4. *ff. de agnosc. Lib. & L. non quemadmodum. ff. eod.* ut Barb. & Mol. apud Wiestn. *n.* 33. Et hæc de infantibus illegitimis alendis. De cætero enim de iis alendis, quò ad ulteriorem ætatem à patre secundum facultates, maximè si aliunde non habeant, unde vivant, constat ex jure canonico, quod quò ad hoc in utroque foro servandum, & deducitur ex *cit. c. cùm haberes.* juxta quod etiam spuriis præbenda alimenta, quibus etiam à patre ex æquitate canonica fieri posse moderatam dotationem & alimenta donari & legari, tradit Gail. *pract. observ. L.* 2. *observ.* 88. quem vide.

Quæst. 299. *Coram quo & qualiter probandum stuprum?*

1. Resp. Ad primum: Stuprum commissum à Clerico non nisi coram Judice ecclesiastico probandum; quia hic solus de eo cognoscit; commissum verò à Laico, tam coram Judice ecclesiastico, quam Laico; est enim mixti fori, ita, ut à Judice ecclesiastico cognosci & puniri possit, etiam pœnâ carceris, vel aliâ corporalis, ut clarè probatur *ex c.* 2. *h. t.* cum Fagn. *ibid. n.* 8. & 9. dum ibi pœnæ statutæ stupro dicantur infligendæ ab Episcopo, & confirmatur ex Trid. *Sess.* 25. *c.* 3. *de reform.* ubi, quòd Episcopus, aliúsve Prælatus ecclesiasticus possit etiam Laicos mulctâ pecuniariâ in delictis ecclesiasticis, & mixti fori punire. Judex tamen Laicus infligere nequit excommunicationem, aut in monasterium detrudere stupratorem, Pirh. *h. t. num.* 60.

2. Resp. Ad secundum: Stuprum, sicut & simplex fornicatio, iisdem fere modis probari potest, quibus adulterium. Sufficienter & plenè non probatur per hoc, quòd juvenis & puella simul per vias & in via, per nemora ac sylvas sæpius convagari soliti, nisi alia indicia & adminicula concurrant, vel nisi desuper moniti, *c. tertio loco. de præsumpt.* Abb. *ibid. n.* 4. neque adhuc inducitur violenta præsumptio stupri aut fornicationis ex eo, quòd sæpe conveniant in loco obscuro, quin & in eodem lecto præsertim induti; cùm sæpe contingat, ut non nisi oscula & turpes tactus absque intentione copulæ exerceant, Pirh. *h. t. n.* 63. *in fine.* ex Gobath. Theol. mor. *c.* 3. *s.* 2. *n.* 21. Quòd si mulier dicat, se esse stupratam à Titio, is verò neget illam à se cognitam, non est standum nudæ assertioni etiam juratæ mulieris, sed aliæ ab ea afferendæ probationes, onus enim probandi incumbit affirmanti, non neganti, juxta *L.* 1. *ff. de prob. L.* 2. *c. eod.* & nullus testis in re sua propria esse potest, *L. nullus. ff. de testib. L. omnibus. c. eod.* testique uni, etsi aliàs idoneo non creditur, *c. licet. de testib.* si tamen intentionem suam probabilibus indiciis & conjecturis, non tamen sufficientibus ad plenam probationem roboravit, viro neganti imponendum juramentum purgatorium suæ innocentiæ, cui standum, arg. *c. significasti. h. t.* alioquin si actrix nihil omnino, ne præsumptivè quidem probavit, absolvendus est reus, etsi omnino nihil præstiterit probando, *c. ult.* §. *sanè, de jurejur.* & sic habere praxin in pluribus Episcopatibus, testatur Gobat. *p.* 2. *Alphab. matrimonial. n.* 188. si verò virgo communiter pro tali habita, asserat se tempore stupri fuisse virginem, stuprator autem id neget, ei probandum est contrarium, quia præsumptio stat pro puella, Abb. *in c.* 1. *h. t. n.* 5. Clarus §. *stuprum. n.* 4. Pirh. *n.* 61. eò quòd, cùm virginitas sit qualitas, quæ inest à natura, & nascatur cum persona, ei semper inesse præsumatur, donec contrarium à negante probetur, Mascard. *de prob. concl.* 1237. *n.* 6. & 1410. *num.* 2. Tusch. *v. stuprum.* Pacian. *L.* 2. *de prob. c.* 2. *n.* 10. Et hæc à fortiore, si fœmina id juramento confirmet, quamvis Pacian. *n.* 1. dicat, virgini asserenti de tempore stupri fuisse se virginem, credendum esse absque juramento ab ea desuper præstito, nisi tamen exigatur ab ea juramentum purgatorium sinistræ opinionis, quæ oritur ex præsente stupro, ut Farin. *pr. crim. p.* 5. *q.* 147. *n.* 135. & *seq.* ubi tamen *n.* 139. addit, in hoc maximè attendendam esse qualitatem vitæ & morum puellæ, quæ, si sit malæ famæ, ita, ut non reputaretur pro virgine, nequidem standum illius juramento, cùm præsumptio orta aliàs ex assertione jurata puellæ pro ea, tolli possit per conjecturas contrarias, seu signa inhonestatis & corruptionis, ut Menoch. *de præsump. L.* 6. *de præsump.* 89. *n.* 4. & *seq.* cum Farin. *l. c.* Quòd, si etiam puella asserens juratò, se tunc fuisse virginem, re ipsâ non fuisset virgo, tenetur in foro conscientiæ stupratori, non solùm restituere dotem sibi propter stuprum adjudicatam, sed etiam expensas litis injustæ, cùm talis sententia fundata in falsa præsumptione cesset, seu habeatur pro non lata, dum constat de veritate, Mol. *de just. tr.* 3. *d.* 104. *n.* 14. quem citat & sequitur Pirh. *cit. n.* 61. Idem est de muliere dicente se deceptam, & iniquis suasionibus ad stuprum seductam, dum falsò id dixit, ita, ut teneatur stupratori restituere in conscientia pœnam sibi adjudicatam, quin & expensas litis, Mol. *l. c. n.* 1.

Quæst. 300. *Quid sit incestus, & inter quas personas committatur?*

1. Resp. Primò: Incestus est concubitus consummatus inter personas consanguineas, vel affines in eo gradu, in quo vi juris divini vel humani prohibentur, inter se contrahere matrimonium, ideóque dicitur abusus consanguineorum & affinium, *Can. Lex illa.* 3. *q.* 1. quod quandoque fieri solet prætextu matrimonii, contrahendo nuptias incestas, aliquando sine attentatione nuptiarum, Farin. *pr. crim. q.* 149. *n.* 6. Pirh. *h. t. num.* 64. Estque hoc crimen gravius adulterio, *can. adulterii.* 32. *q.* 7. *L. si adulterium.* §. 3. *ff. ad Leg. Jul. de adulter.* præsertim si committatur inter ascendentes & descendentes, utpote, quod non tantùm homines, sed & bruta aversant, testantur & ostendunt Aristoteles *in histor. animal. L.* 5. Plin. *histor. natur. L.* 8. *c.* 46. Boer. *decis.* 310. *n.* 2. & alii.

2. Resp. Secundò: Itaque jure divino committitur inter omnes ascendentes & descendentes per lineam rectam, ut inter patrem & filiam, inter avum & neptem, aviam & nepotem, jure humano inter consanguineos in linea laterali, seu transversa usque ad quartum gradum inclusivè, excepto primo gradu nimirum inter fratrem & sororem, in quo gradu fortè jure naturali prohibitum est matrimonium. Pari modo inter affines, excepto, quòd inter affines ex copula illicita committatur solùm usque ad secundum gradum, prout restrinxit Trid. *sess.* 14. *c.* 4. *de reform.* Barb. *ibid. n.* 12. Gutt. *qq. can. L.* 1. *c.* 23. *n.* 3. & ita docent Sylv. *v. luxuria. q.* 1. Azor. *p.* 3. *L.* 3. *c.* 9. *q.* 4. Farin. *pr. crim. p.* 5. *q.* 145. *n.* 5. Zœs. *in comment. ad ff. ad L. Jul. de adult. n.* 64. Pirh. *l. c.* Reiffenst. *h. t. n.* 66.

3. Resp. Tertiò: Hinc è contra non committit incestum: Primo, qui peccat seu concumbit cum consanginea & affine in quinto gradu. Secundò, qui cognoscit ex copula illicita affinem in tertio gradu, etsi jure veteri committeretur incestus peccando

cando cum conjuncta in septimo gradu, arg. *can. de affinitate.* & *can. de consanguinitate.* 35. *q.* 3. Farin. *l. c. q.* 49. *n.* 57. & 58. Tertiò, qui peccat, aut matrimonium contrahit cum consanguinea sponsæ de præsente nondum cognitæ; cùm nondum contraxerit cum ea affinitatem, Covar. *de sponsal. p.* 2. *c.* 6. §. 8. *num.* 4. Reiffenst. *num.* 67. Quartò, qui peccat cum cognata legali per adoptionem vel arrogationem, quia hæc propriè illius non est, Farin. *l. c. n.* 46. Quintò, qui peccat cum cognata spirituali ratione Baptismi vel confirmationis. Clarus §. *incestus.* Farin. *n.* 50. Wiestn. *h. t. n.* 60. Reiffenst. *l. c. arg. c. Lexilla.* 36. *q.* 1.

Quæst. 301. *Quænam sint pœnæ incestûs?*

1. Resp. Primò: Pœna incestûs simplicis, id est, non velati incestis nuptiis, etsi nulla determinatè expressa jure civili, eadémque esset, quæ adulterii, *L. si adulterium. L. miles ff. ad Leg. Jul. de adult.* Host. *in sum. n.* 13. Covar. *l. c. num.* 2. Pirh. *n.* 65. Wiestn. *n.* 63. adeóque pœna mortis, quia, ut dictum, est crimen gravius adulterio, quam tamen pœnam locum habere, si incestus committatur inter ascendentes & descendentes lineâ rectâ, vel conjunctus cum adulterio vel stupro, cum Gl. *tr.* 1. *cit. L. si adulterium.* sentiunt Clarus §. *incestus. n.* 2. Pirh. *l. c.* hodiéque adhuc solere puniri pœnâ gladii, dum incestus est prohibitus jure divino, testantur Menoch. *de arb. cas.* 502. *à num.* 14. Bajard. *ad Clar. l. c. n.* 3. Farin. *l. c. num.* 14. & 16. Haunold. *Tom. de J. & J. tr.* 2. *n.* 347. Eandem pœnam mortis inferri collateralibus incestuosis primi gradûs, nempe fratri & sorori, tradunt iidem, Menoch. *l. c. cas.* 205. *à n.* 14. Haunold. *n.* 348. Wiestn. *h. t. num.* 63. testans de praxi quarundam provinciarum, quamvis, quòd in aliis provinciis ii virgis cæsi relegentur perpetuò, asserant Carpz. *pr. crim. q.* 73. *à n.* 11. Berlich. *in pract. p.* 4. *concl.* 33. *num.* 5. & 13. hodiedum verò incestus simplex commissus contra jus humanum, sive prohibitus in gradu affinitatis & consanguinitatis, jure humano punitur à Judice pœnâ arbitrariâ pro varietate circumstantiarum, Zœs. *in ff. ad Leg. Jul. de adult.* Pirh. *l. c.* si verò quis scienter incestuosas nuptias celebravit, jure civili variæ pœnæ sunt, v. g. confiscatio omnium bonorum, privatio dignitatum, missio in exilium, &, si viles sint personæ, verberatio, juxta *Auth. incestus. c. de incest. nuptiis.* Farin. *l. c. q.* 148. *n.* 21. & *seq.* Pirh. *l. c.*

2. Resp. Secundò: Jure canonico Laici scienter incestum committentes, incurrunt imprimis excommunicationem, *c. de iis, qui incest.* 35. *q.* 2. & insuper, si vir est conjugatus, privatur jure petendi debitum ab uxore, *c.* 1. & *c. transmissa. de eo, qui cognov. consang.* & insuper post mortem conjugis jus cum alia vel alio contrahendi matrimonii perdit, *c. si quis.* 35. *q.* 2. Menoch. *de arb. c.* 502. Pirh. *n.* 16. & alii, quamvis privatio hujus juris secundi contrariâ consuetudine abrogata videatur, Wiestn. *n.* 65. Reiffenst. *h. t. n.* 72. qui verò incestas nuptias scienter contrahere præsumpserit, primò excommunicationem jure latam ipso facto incurrit, *Clem. unic. de consanguin. & affinitate.* quam tamen non incurrit, qui ignorans etiam ex culpa lata consanguinitatem vel affinitatem, contrahit matrimonium; cùm, quando dolus requiritur ad pœnam, culpa lata non sufficiat, Diaz. *in pr. crim. can. v. incestus. c.* 88. *in addit. v. deponatur.* quamvis Gl. *in cit. Clem. V. scienter.* teneat contrarium de ignorante ignorantiâ juris. Secundò, taliter contrahentes debent ab invicem separari. *cit. Clem. unic.* Tertiò, non possunt cum aliis contrahere matrimonium, nisi ignorantes ambo, vel eorum alter contraxerint, *Can. qui propinquam.* 35. *q.* 2. Porrò, si Clericus incestum commiserit, est perpetuò deponendus ab Ordine, & officio & beneficio privandus, Farin. *p.* 5. *q.* 149. *n.* 34. Clar. §. *incestus. num.* 2. Diaz. *cit. c.* 88. *n.* 1. & 2. Pirh. *h. t. n.* 66. *arg. can.* 10. & *seq.* 30. *dist.* 81. ubi Clericus adulter jubetur deponi, incestus autem sit gravius delictum. Sic quoque Sacerdos, qui cognovit cognatam spiritualem, v. g. levavit ex Baptismo, vel tenuit in Sacramento Confirmationis, aut commatrem, seu matrem illius, uti & qui cognovit filiam confessionis, etsi propriè incestum non commiserit, nec pœnas illius incurrerit, ab officio tamen est deponendus, Menoch. *de arb. cas.* 205. *n.* 27. & *seq.* Diaz. *l. c. c.* 86. *n.* 2. & 4. Farin. *l. c. n.* 53. Pirh. *n.* 67. Reiffenst. *h. t. n.* 75. *arg. c. omnes. & c. si quis. & c. non debet.* 30. *q.* 1.

Quæst. 302. *Quid sit Sacrilegium?*

Resp. Sacrilegium, prout hoc loco accipitur, & ad incestum revocatur, sic breviter definitur: concubitus cujuscunque cum persona Deo dicata per votum continentiæ. Dicitur primò: *cujuscunque*: perinde enim est, sive is sit Laicus, sive Ecclesiasticus, sive Sæcularis, sive Religiosus, quia malitia hujus criminis, quâ talis desumitur à persona, cum qua committitur. Dicitur secundò: *Cum persona Deo dicata per* votum continentiæ, sive illud sit simplex, ut dum Laicus concumbit cum sæculari aliqua soluta voto castitatis obstricta, sive solenne, quale est votum castitatis emissum vi professionis religiosæ, aut sacrorum Ordinum. Est proinde hæc circumstantia personæ, tanquam speciem mutans exprimenda in confessione. Habere quoque concubitum cum moniali consecrata Deo per votum solemne præter malitiam Sacrilegii, suo modo malitiam adulterii & incestûs continet, quia committitur in sponsam DEI, qui & pater noster est, ajunt Abb. *in c. Monasteria. de vita & honestate.* Decian. *tr. crim. L.* 6. *c.* 20. *n.* 1. Farin. *l. c. n.* 3. apud Wiestn. *h. t. n.* 68. *arg. can. sciendum. & c. qui abstulerit.* 12. *q.* 2. vel etiam, si committatur cum Episcopo propter matrimonium spirituale illius cum sua Ecclesia, unde proles ex tali concubitu nata est spuria, Wiestn. *h. t. num.* 69. & post professionem cum ea attentans & consummans matrimonium, evadit bigamus, Sanch. *L.* 7. *de matrim. d.* 85. *n.* 5. Barb. *de off. Epis. alleg.* 49. *n.* 25. *arg. can. quotquot.* juncto *can. monacho.* 27. *q.* 1.

Quæst. 303. *Quænam sint pœnæ Sacrilegii?*

1. Resp. Primò: Fornicatio Clerici in sacris constituti cum persona, tam à conjugio, quàm ab omni voto castitatis soluta, etsi jure civili in foro externo non censeatur Sacrilegium, adeóque non puniatur ut tale, sed tantùm ut simplex fornicatio, ut Clarus §. *fornicatio. n.* 18. Menoch. *de arb. cas.* 289. *n.* 6. Farin. *l. c. q.* 146. *n.* 3. Pirh. *h. t. n.* 88. commissa tamen à tali Clerico, vel etiam Laïco cum moniali, sive cum ea attentaverit matrimonium, sive non, jure civili punitur pœna mortis, *L. si quis. c. de Episc. & Cler. Auth. de SS. Episc.* §. *penult. coll.* 9. Menoch. *l. c.* Barb. *in c. sicut. de privileg. n.* 3. Pirh. *l. c.* Reiffenst. *n.* 78. Wiestn. *n.* 71. Bona quoque delinquentis jubentur

appli-

applicari monasterio, in quo monialis degebat, per *Novell.* 123. *c.* 43. Verùm, ut Farin. *cit. q.* 146. *n.* 11. hæc posterior constitutio non est in usu amplius, sed bona illa consueverunt applicari hæredibus delinquentis, juxta *Auth. bona damnatorum. c. de bonis præscript.* nisi raptus, aut violentia in monialem interveniſſet. Cæteras quoque citatas Constitutiones Imperiales, per *can. si quis rapuerit.* 27. *q.* 1. & *can. si quis non dicat.* 36. *q.* 2. non esse canonizatas, seu vim juris ecclesiastici acquisivisse, eò, quòd iis vim illam tribuere nequiverit, translatio earum in Decretum facta à Gratiano, nec eam sint plenè consecutæ à Constitutione aliqua Apostolica, aut à Decreto Concilii alicujus generalis, aut etiam moribus, seu Curiarum praxi, asserit Wiestn. *h. t. n.* 72. quidquid sit de pœna capitis, quam hodie adhuc observari, tradunt ab eodem citati, Menoch. *l. c. n.* 27. Barb. *in c. sicut.* Tambur. *de jure Abbatiſſ. q.* 11. *n.* 2. quin & de *Auth. de SS. Episc.* eam canonizatam *per can. si quis.* 27. *q.* 1. dicat Pirh. *cit. n.* 68.

2. Resp. Secundò: Jure canonico committens Sacrilegium cum moniali, si Laicus est, excommunicatur, si verò est Clericus, non tantùm beneficio privatur, sed etiam ab ordine depositus in monasterium, ad agendam pœnitentiam, detrudi jubetur, *c. si quis Episcopus. & c. si quæ Monacharum.* 27. *q.* 1. Menoch. *l. c. n.* 24. Farin. *l. c. n.* 24. & 26. Pirh. Wiestn. *ll. cit.* Moniales se liberè violari passæ in monasterium arctius detrudenda, per *can. si quæ monachorum & can. si quis rapuerit.* 27. *q.* 1. vel quod, ut Menoch. *n.* 26. Farin. *n.* 12. Reiffenst. *n.* 81. magis convenit, perpetuis sui monasterii carceribus includendæ.

Quæst. 304. *Sodomia quid sit?*

Resp. Sodomia, nefandum scelus contra naturam, propriè talis est coitus personarum ejusdem sexûs, nimirum maris cum mare, fœminæ cum fœmina, D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *a.* 1. cum communi TT. Dixi: *propriè talis*, qualis non est, dum vir coit cum fœmina, etiam uxore, in vase extraordinario, v. g. præpostero, quia adhuc servatur debita diversitas sexûs, sed est crimen, etsi contra naturam quoque, specie tamen distinctum à Sodomia propriè tali, & tanquam species distincta in confessione explicanda.

Quæst. 305. *Quæ pœna Sodomiæ?*

1. Resp. Primo: Pœnam Sodomiæ minùs propriæ jam descriptæ, etsi eandem cum pœna Sodomiæ propriè talis esse sustineant, Covar. *de sponsal. p.* 2. *c.* 7. §. 5. *n.* 7. Clar. §. *Sodomia. num.* 2. Farin. *l. c. q.* 148. *n.* 15. Menoch. *l. c. n.* 33. & *seq.* contrarium tamen, nimirum mitiore & extraordinariâ pœnâ plectendum, quia adhuc servatur disparitas sexûs, probabiliùs tenent Sylv. *v. luxuria. q.* 1. Azor. *p.* 3. *instit. mor. L.* 3. *c.* 20. *q.* 4. Tanner. 2. 2. *d.* 3. *q.* 3. *du.* 7. *n.* 149. & alii Pirh. *h. t. n.* 69. Wiestn. *n.* 76. Reiffenst. *n.* 88.

2. Resp. Secundò: Sodimia propriè talis jure civili punitur primò, ultimo supplicio, §. *item Lex Jul. Instit. de publ. judiciis. L. cùm vir. c. ad Leg. Jul. de adult. Novell.* 77. *c.* 1. §. 2. in quibus Constantinus & Constans jubent insurgere leges, armari jura gladio ultore, hanc pœnam hodiedum confirmatam videmus consuetudine, quâ Sodomitæ vel vivi, vel post mortem eorum strangulatorum corpora igne comburuntur. Farin. *cit. q.* 148. *n.* 7. Clar. §. *Sodomia. n.* 4. Azor. *cit. L.* 3. *c.* 19. *q.* 1. Pirh. *n.* 70. quam consuetudinem servari mandavit Carolus V. *in sua ordinat. crim. a.* 116. habéatque hæc pœna locum tam in agente, quàm patiente, nisi huic vis inferatur, Clar. *l. c.* Pirh. *ll. cit.* Secundò, sunt ipso jure infames etiam ante sententiam, & condemnationem, *L. cùm vir. C. ad Leg. Jul. de adult. junctâ Gl. ibid. v. infames. Menoch. cit. c.* 186. *n.* 20. Farin. *l. c. n.* 11. Pirh. *l. c.* Tertiò, privantur ipso jure dominio rerum suarum, eæque confiscantur, Gl. *in c. penult. de hæret. in* 6. *v. naturæ contrarias.* Menoch. *l. c. n.* 19. Farin. *l. c. n.* 12. Clar. *l. c. n.* 6. qui tamen addit, hanc pœnam non ubique servari. Porro has pœnas civiles extendi ad illos, qui attentarunt petere hoc crimen, volunt aliqui. Contrarium nempe pœnam mortis non nisi Sodomitæ consummato infligi, & attentationem illius, etsi ad actum proximè perventum fuerit, puniri pœnâ aliquâ mitiore extraordinaria, arbitrio Judicis tenent Menoch. *l. c. n.* 28. Farin. *n.* 64. Clar. *n.* 8. *arg. L.* 1. §. *qui puero. ff de extraord. crim.* ubi dicitur: *Perfecto flagitio punitur capite*, nempe Sodomia.

3. Resp. Tertiò: Laici Sodomitæ jure canonico imprimis excommunicantur, seu à communione fidelium penitus excluduntur, donec condignam pœnitentiam egerint, *c. Clerici de excessib. prælat.* Secundò, redduntur infames, *can. infames. 3. q.* 7. Tertio, ob hoc crimen institui potest divortium quò ad thorum & habitationem, non secus ac ob adulterium, utpote quo gravius est, magisque adversatur matrimonio, Menoch. *cas.* 286. *n.* 22. Clar. *l. c. n.* 7. Pirh. *h. t. n.* 71. *arg. can. omnes.* 32. *q.* 7. Clerici verò Sodomitæ jure canonico non tantùm privantur beneficio, sed & ab ordine & statu clericali dejecti monasterio, ad agendam pœnitentiam, includendi, *cit. c. Clerici.* & ibi DD. Et, si Clericus Sodomita notorius, utpote suspensus ab Ordinis exercitio, si interea celebret vel ministret in Ordine, incurrit irregularitatem, in qua æquè parùm, imò minùs dispensare potest Episcopus, quàm cum Clerico notorio adultero, Azor. *L.* 3. *c.* 19. *q.* 6. Secus est, si sit occultus, qui, utpote nec ab homine, nec à jure celebrando ante peractam pœnitentiam, incurrit irregularitatem, Azor. *l. c. q.* 7. Nav. *in man. c.* 27. *n.* 249. Quaranta *in sum. Bullar. v. Sodomia in addit. limit.* 1. eò, quòd hæc irregularitas non proveniat ex delicto, sed ex infamia & scandalo, quæ locum non habent, ubi delictum occultum; & hanc sententiam probabiliorem reputat Pirh. *l. c. in fine.* contrarium nihilominus tenentibus Diaz. *in pract. crim. c.* 90. *in addit. v. detrudatur.* Clar. *n.* 5. Farin. *cit. q.* 148. *num.* 17. ita tamen, ut in contracta suspensione & irregularitate dispensare possit ex concessione Tridentini Episcopus. Insuper contra Clericos Sodomitas rigida emanavit Constitutio Pii V. edita Anno 1568. 3. Septemb. incipitque *horrendum illud scelus*, hujus fere tenoris quò ad sensum: omnes Clerici, sæculares & regulares, cujuscunque gradûs & dignitatis, crimen Sodomiæ exercentes omni privilegio clericali, omníque beneficio ecclesiastico privati, & per Judicem ecclesiasticum degradati statim potestati sæculari tradanrur, quæ de illa idem capiat supplicium, quod in Laicos Sodomitas legitimis sanctionibus reperitur statutum. Cujus Bullæ tenorem per extensum quò ad literam leges apud Reiffenst. *h. t. n.* 91. Notandum verò circa illam quò ad dictas pœnas, præsertim degradationis, primò: eas probabiliter non incurri ipso facto, sed per & post sententiam condemnatoriam Judicis, vel saltem declarationem criminis, Azor. *l. c. q.* 5. Quaranta *l. c. limit.* 5. Suar. *d.* 31. *de cens. s.* 4. *n.* 22.

Barb. *in cit. c. Clerici.* Pirh. *n.* 72. Wieſtn. *h. t. n.* 80. in fine. Secundò: non niſi ob Sodomiam perfectam. Azor. *q.* 4. Suar. Pirh. *LL. cit.* Tertiò: non niſi ob Sodomiam frequentatam, ſeu ſæpius exercitam, prout colligitur ex *v. exercentes*, poſito in Bulla, quo nomine veniunt, qui aliquid faciunt, non ſemel aut iterum, ſed ſæpe, & quaſi ex conſuetudine. Azor. *l. c. q.* 2. Suar. *l. c. n.* 21. Quaranta. *limit.* 4. Pirh. Wieſtn. *LL. cit.* & alii citati à Barb. in *cit. c. Clerici. n.* 7. & 8. Quartò: non niſi ob Sodomiam notoriam. Azor. *q.* 6. Pirh. *l. c.*

Quæſt. 306. *Quid ſit beſtialitas, & quæ ejus pœnæ?*

Reſp. Beſtialitas, crimen affine Sodomiæ, eſt commixtio carnalis hominis cum bruto, eſt unius ſpeciei, licèt animalia, cum quibus committitur, ſint diverſæ ſpeciei phyſicæ; quia continet rationem ejuſdem turpitudinis. Punitur ſicut & olim, morte. *Exodi* 22. *v.* 19. *c. mulier.* 15. *q.* 1. Clar. §. *fornicatio. n.* 27. Menoch. *cit. caſ.* 286. *n.* 31. Farin. *l. c. q.* 148. *n.* 46. qui etiam teſtatur, beſtiam ſimul cum homine reo comburi.

Quæſt. 307. *Quid & quotuplex ſit fornicatio?*

Reſp. Fornicatio ſic dicta à fornicibus, id eſt, locis abditis & obſcuris, ſub quibus ſcorta ſeu meretrices quondam Romæ habitare & proſtare ſolebant. cit. Iſidor. *L.* 10. *orig.* latè accepta ſignificat quemcunque concubitum extra legitimum matrimonium. Accepta propriè & ſtrictè, prout diſtincta ab aliis luxuriæ ſpeciebus eſt concubitus ſoluti cum ſoluta, dicitúrque fornicatio ſimplex; ſoluti autem dicuntur, qui liberi ſunt ab omni vinculo, puta, conjugii, conſanguinitatis, affinitatis, ſacri Ordinis, Religionis ſeu voti, ſeu illi, qui inter ſe liberè matrimonium contrahere poſſunt, Azor. *cit. L.* 3. *c.* 4. *in princ.* Menoch. *l. c. caſ.* 289. *n.* 1. & 2. Farin. *pr. crim. p.* 5. *q.* 137. *n.* 6. & 7. Azor. *l. c.* &, ſi committatur ſæpius cum eadem, dicitur concubinatus.

Quæſt. 308. *Fornicatio ſimplex an & quo jure prohibita?*

1. Reſp. Primò: Fornicationem etiam ſimplicem eſſe mortaliter peccaminoſam, Orthodoxorum nemo in dubium vocat, cujus contrarium tanquam erroneum & hæreticum reprobatur per Concilium Viennenſe, relatum in *Clem. ad noſtram. de hæret.* Gl. *ibid. v. non eſt.* Nav. *man. c.* 16. *in pr.* Farin. *l. c. n.* 13. Clar. §. *fornicatio. n.* 1. dicens eſſe ſententiam omnium TT. adeóque nulli impunè permittitur, ſed nec permitti poteſt. *c. audite. diſt.* 34. *c. fornicari. diſt.*

2. Reſp. Secundò: Eſſe jure divino poſitivo prohibitam, nullus quoque Orthodoxorum inficiatur, conſtátque ſatis ex Epiſtolis Doctoris gentium. 1. *ad Theſſalon. c.* 4. *v.* 3. ubi: *Voluntas DEI eſt Sanctificatio veſtra, ut abſtinentes vos à fornicatione. Ad Epheſ. c.* 5. *v.* 13. ubi: *Scitote, quòd omnis fornicator & immundus non habet hæreditatem in Regno DEI.* 1. *ad Corinth. c.* 6. *v.* 18. ubi: Fornicationem accenſuit, & quidem primo loco operibus excludentibus à Regno DEI. Eſſe quoque prohibitam jure naturali; quia eſt contra bonam educationem & inſtitutionem prolis naſcituræ, & hinc ſecundum ſe & intrinſecè malam & peccatum mortale, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *a.* 2. *in corp.* & tenent Azor. *cit. c.* 4. *not.* 4. & teſte Pirh. *n.* 74. TT. communiter, quibus, ut ait Wieſtn. *h. t. n.* 6. operoſum omnino, ſed vanum patrocinium præſtitit Caramuel. *Tom.* 1. *Fundam. Theol.* 12. *n.* 541. dum Decreto Innoc. XI. authoritate publicato, 2. *Martii*, 1679. inter alias ſcandaloſas & pernicioſas in praxi propoſitiones reprobata fuit hæc: *Tam clarum videtur fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur &c.* Neque his obſtat, quod DEUS Oſeæ *c.* 1. *v.* 2. Prophetæ præcipiat, ut ſumat uxorem fornicariam, & ex ea faciat ſibi filios fornicationum; nam ſenſus hujus præcepti eſt, ut mulierem fornicariam, id eſt, fornicationibus deditam, non in concubinam, ſed in uxorem ducat, & ex ea generet filios fornicationum, ſic dictos, non quod naſcituri ex fornicatione, ſed quòd ſecuturi eſſent exemplum matris, in fornicationes proclives, ita cum aliis interpretibus Scripturæ Cornel. à Lapide *in c.* 1. & 2. Oſeæ apud Wieſtn. *h. t. n.* 8. qui etiam aliam adjicit rationem, cur, tametſi fornicatio aliàs jure naturali ſeu intrinſecè mala ſit, poſſit tamen hìc & nunc concedi à DEO & reddi licita, nimirum quòd uſus ille fœminei corporis ſit intrinſecè malus tunc tantùm, quando fit invito abſoluto corporis Domino, qui eſt DEUS, adeóque, dum is ad illum dat facultatem, fit licitus. Neque obſtat, quòd mala prolis ex fornicatione naſcituræ educatio (quam pro ratione attulimus) ſingulari ſæpe parentum providentiâ ac curâ impediatur, cùm naturalis illius inhoneſtas non fundetur in eo, quòd illegitimò concubitu procreatæ prolis prava educatio ſemper ſequatur, ſed in pravæ educationis periculo generali, quod periculum Reipublicæ inutile & damnoſum. Plures inſuper rationes pro intrinſeca fornicationis malitia affert Wieſtn. *h. t. n.* 9. & *ſeq.* quæ omnes, num efficaciter id evincant, legentibus illum examinandum relinquo. Denique jure humano quoque, ac præſertim eccleſiaſtico, fornicationem prohiberi, vel ex pœnis variis, ciſtatutis per Leges & Canones, ſatis conſtat.

Quæſt. 309. *Quænam ergo ſint pœnæ ſtatutæ fornicantibus?*

Reſp. Tametſi per Leges Imperiales fornicatio non puniatur, hodiedum tamen in Provinciis, ut ait Wieſtn. *n.* 12. honeſtatis laude florentibus, ac præſertim in Germania à Magiſtratu ſæculari committentes fornicationem ſimplicem Laici pœnis variis arbitrariis juxta cujuſque loci ſtatuta, vel receptam conſuetudinem plecti ſolent, teſte Hannoldo *Tom.* 6. *de j. & j. tr.* 2. *n.* 199. In foro etiam eccleſiaſtico Clericorum in Sacris conſtitutorum, præcipuè Sacerdotum fornicantium pœna eſt arbitraria, pro locorum ac circumſtantiarum varietate mitior vel ſeverior, puta incarceratio, mulcta pecuniaria, ſuſpenſio ab officio, & ſi delictum notorium, valde ſcandaloſum, incorrigibile, depoſitio, & beneficiorum privatio. Abb. *in c. ſi Clerici. de judic. n.* 35. Farin. *l. c. q.* 137. *n.* 16. 21. & 24. Menoch. *de Arb. caſ.* 289. *n.* 10. & 11. Pirh. *h. t. n.* 75.

Quæſt. 310. *Quid ſit concubinatus, quo jure prohibitus, quæ ejus pœnæ?*

1. Reſp. Primò: Concubinatus jure civili. *L.* 1. §. 1. *ff. de Concubinis.* dicitur, dum quis mulierem ſolutam domi ſuæ loco uxoris retinet, & cum ea carnale commercium exercet. Jure verò

Cano-

Canonico propriè est concubinarius, qui mulierem soluram sive in domo sua, sive in aliena habet, cum qua consuevit commisceri. Diaz. *in pract. Can. V. concubinarii. c.* 83. *n.* 1. Fariu. *l. c. n.* 9. unde concubinatus fornicationi simplici superaddit solam consuetudinem fornicandi cum eadem.

2. Resp. Secundò: Concubinatus non solùm Jure Ecclesiastico. *Can. nemo. can. dicat.* 32. *q.* 4. sed & divino etiam naturali est prohibitus juxta dicta de fornicatione; materiam de concubinatu & concubinariis plenè tractatam vide *L.* 3. *tr.* 2.

TITULUS XVII.

De Raptoribus, Incendiariis & Violatoribus Ecclesiarum.

CAPUT I.

De Raptu Personarum, & Rapina Rerum.

Quæst. 311. *Raptus Personarum quid sit?*

1. Resp. Primò: Raptus, prout hìc sumitur, describi potest, quòd sit delictum publicum, quò virgo aut alia mulier, sive vidua, sive conjugata, modò honesta, ingenua, vel etiam masculus violenter abducitur de loco ad locum moraliter diversum exercendæ libidinis, vel matrimonii contrahendi causâ. Mol. *Tom.* 3. *de J. & J. d.* 105. *n.* 1. Pirh. *h. t. n.* 1. Wiestn. *n.* 1. Arg. *L. unic. c. de Raptu Virg.*

2. Resp. Secundò: Explicando fusiùs aliquantò hanc descriptionem. Dicitur igitur primò: *Delictum publicum*; est enim species vis publicæ, ut Lauterb. *in ff. Lib.* 48. *t.* 6. *ad Leg. Jul. de vi publica. §.* 15. juxta §. 8. *Inst. de publ. jud.* & *cit. L. unic.*

3. Dicitur secundò: *Quo abducitur virgo, aut mulier alia, sive vidua, sive conjugata*; non enim est inter has personas, quò ad rationem generìcam raptûs propriè talis, distinctio; non obstante, quòd raptus conjugatæ involvat rationem adulterii, adeóque etiam comprehenditur desponsata seu sponsa de futuro, de qua dubitari poterat ex ea ratione, quòd ea jam obstricta raptori sponso, & hinc abductio illius non videatur obstare libertati matrimonii, unde illam ab objecto raptûs excludi volunt Less. *Lib.* 4. *de J. & J. c.* 3. *n.* 70. Hentiq. *L.* 12. *c.* 14. *n.* 4. Verùm etsi id verum videri posset, ubi mulier abducta in sui raptum liberè consentiret, verius tamen contrarium defendunt Sanch. *L.* 7. *de matrim. d.* 12. *n.* 15. Gutt. *qq. can. L.* 1. *c.* 86. *n.* 22. & alii: eò quòd, etsi consenserit in matrimonium futurum, dissentire tamen posset in talem abductionem, nolendo abduci à domo paterna, vel invitis parentibus, quorum etiam solorum dissensus secundum probabilem constituit raptum, de quo tamen mox dicetur. Adde, quòd privatâ authoritate, uti fieret in hoc casu, compelli nequeat ad executionem sponsalium.

4. Dicitur tertiò: *Modò tamen sit mulier honesta*, seu vitæ honestæ, unde abductio meretricis notoriæ seu publicæ, non est propriè & strictè loquendo raptus, nec pœnas illius incurrit illius raptor, sed extraordinarias arbitrio judicis, ut docent Clar. §. *raptus. n.* 5. Sanch. *l. c. n.* 23. Masc. *de prob. vol.* 3. *concl.* 1253. *n.* 12. & 13. Covar. *var. resol. L.* 3. *c.* 14. *n.* 2. *in fine.* Pirh. *h. t. n.* 11. quia talis meretrix non præsumitur vim pati à cognoscente illam, &, si vim in abductione sui pateretur, esse raptum diversæ speciei à fornicatione simplici, ait cum citato à se Sanch. *n.* 37. Pirh. *l. c.*

5. Dicitur quartò: *Modò sit ingenua & libera*, ut addit in descriptione Pirh. nam si serva seu mancipium sit abducta, etsi consentiat, erit adhuc raptus, si invito domino abducatur, qualis non erit, si in abductionem sui consentiens, sit sui juris, & sub nullius potestate constituta. Pirh. *h. t. n.* 4.

6. Dicitur quintò: *Vel etiam masculus*; quia sive vir rapiat fœminam, sive fœmina virum, uterque raptus continet malitiam distinctam specie à fornicatione propter violentiam.

7. Dicitur sextò: *Violenter abducta*; Taliter autem abducta censetur, & raptus propriè commissus, non tantùm, quando omnino reluctans per vim apertam, sed etiam, quando mulier sui juris, malis artibus, dolosis persuasionibus, fallacibus munerum promissionibus, vel quibuscunque fraudibus (ut in dubio factum præsumitur) circumventa consentiens abducitur. Arg. *L.* 3. §. 1. *ff. de hom. lib. exhib.* & *L. unic. c. de rapt. virg.* Harprech. *ad* §. 8. *Inst. de Jud. publ. n.* 3. Farin. *pr. crim. q.* 145. *n.* 9. Menoch. *de arb. L.* 2. *cas.* 291. *n.* 15. Pirh. *h. t. n.* 5. qui tamen censet, non esse raptum saltem ordinariis pœnis raptûs subjectum, si blanditiis, importunis precibus, metu reverentiali ad consensum inducta abducatur; eò, quòd tales preces & blanditiæ citra dolum adhibitæ solæ non inferant vim. Secundò: si puella, etsi ipsa consentiat, contra vel citra voluntatem tamen eorum, in quorum potestate, cura, tutela est, abducatur, sic enim facta invitis, vel insciis parentibus, curatoribus, tutoribus, Patronis, Dominis, est adhuc abductio violenta; quia his per eam abductionem infertur injuria, adeóque & violentia, atque ita in hoc casu nihil refert, num puella consenserit in sui abductionem, sive non. Arg. *cit. L. unic. c. de rapt. virg.* dum ibi dicitur: pœnas incurri à raptoribus, sive volentibus, sive nolentibus virginibus, seu aliis mulieribus tale facinus fuerit patratum: Et ita tenent cum citato à se D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *a.* 7. *in corp.* Lauterb. *in ff. ad Leg. Jul. de vi publ.* §. 17. Pirh. *h. t. n.* 4. dum ait: ut raptus fiat, requiritur violentia illata, vel ipsi fœminæ raptæ, vel ejus parentibus aut tutoribus, in quorum est potestate vel cura, & *n.* 5. *vers. infertur quartò:* ubi: si puella in parentum potestate constituta, ex eorum domo ipsis invitis abducatur, quamvis ipsa consentiat, verè tamen committitur raptus; quia per tale factum gravis injuria infertur parentibus, quam ipsa

filia non potest remittere, sponte præbendo consensum in sui abductionem in præjudicium parentum, pro quo citat Host. *in Sum. h. t. n.* 1. Farin. *l. c. q.* 145. *n.* 118. Sanch. *l. c. d.* 12. *n.* 12. sic quoque committitur raptus, sed non propriè & strictè talis, dum puella consentiens abducitur parentibus ignorantibus, cùm, etsi positivè non contradicant, deest tamen eorum consensus, quod satis est, ut queri possint de injuria, ita Pirh. Atque ex his jam deducitur, quòd, si fœmina sui juris, adeóque independens à consensu parentum, tutorum &c. consentiens ab initio in abductionem seu raptum sui, & postea invita sit carnaliter cognita, non sit raptus, utpote qui requirit violentiam abductionis, qualis in hoc casu nulli fit; uti è contra, si fœmina invita abducta, dein liberè consentiat in copulam, est verus raptus, quia in ordine ad hunc spectandum solùm est initium, nempe violentia abductionis.

8. Dicitur septimò: abducta de loco in locum alterum moraliter diversum: v. g. de domo paterna vel alia, quam inhabitabat, seu in qua morabatur; hoc enim sufficit ad rationem raptûs, non verò sufficit, abductam esse ab una camera ad aliam ejusdem domûs, vel à via publica ad aliquot solùm passus commodioris concubitûs causâ, quia iste locus ad quem non censetur moraliter diversus. Sanch. *de matrim. L.* 1. *d.* 12. *n.* 20. Farin. *cit. q.* 145. *n.* 74. Clarus §. *raptus. num.* 1. Pirh. *n.* 10. Wiestn. *h. t. n.* 5. Carpz. *pr. crim. q.* 40. *num.* 28. est tamen verus raptus, dum fœmina violenter abducitur ad locum distinctum aliquem, etsi ad eum non pervenerit, Pirh. *l. c.* cum Sanch. *n.* 21. quò ad forum autem conscientiæ ad raptum non requiri abductionem ad locum alium, sed sufficere, quòd fœminæ quomodocunque inferatur vis ad extorquendam copulam, tradit Pirh. *cit. n.* 10. citatis D. Thom. *l. c.* & Sanch. *cit. d.* 12. *n.* 30. & 31.

Dicitur octavò: *Libidinis exercendæ causâ*; nam si ob aliam quamcunque causam abducatur; non est propriè raptus, de quo hìc, nimirum species luxuriæ. Clar. *l. c.* Sanch. *l. c. n.* 17. Pirh. *n.* 19. cum communi; est verò raptus, etsi cum ea violenter abducta copulam habere, aut libidinem exercere fuerit impeditus, quod etiam ex eo deduci videtur, quòd raptor, ut cum Sanch. *cit. num.* 17. asserit. Wiestn. *h. t. n.* 4. pœnæ ordinariæ raptûs sit obnoxius.

9. Dicitur denique: *Vel matrimonii contrahendi causâ*, ita, ut ad rationem raptûs perinde sit, an rapiatur citra intentionem contrahendi cum rapta matrimonium, solius libidinis cum ea liberiùs exercendæ, sive præcisè matrimonii contrahendi causâ, cùm Trident. loquatur generaliter, non distinguendo inter causas raptûs, modò hæ sint libido, ad quam etiam revocari potest usus matrimonii, imò loquatur etiam expressè de Clericis, comprehendendo etiam constitutos in Sacris, qui matrimonii causa rapere non possunt mulierem; An verò sit discrimen quòad pœnas incurrendas inter raptum solius libidinis causâ, & factum causâ matrimonii contrahendi dicetur *q. seq.* vide de his & omnibus *hac quæst.* dictis *Lib.* 4. *q.* 119. uti & de raptu in ordine ad contrahendum matrimonium. *quæst.* 120. *& seq.*

Quæst. 312. *Quænam sint pœnæ statutæ raptoribus & raptricibus Jure Civili?*

1. RESP. Primò: Cum raptus etiam propriè talis unus alio propter circumstantias sit turpior seu gravior, aut minùs gravis altero, unus altero pœnis atrocioribus seu ordinariis, vel mitioribus seu extraordinariis, & arbitrariis punitur, sic itaque Jure Civili. *L. unic. c. de raptu Virg. L.* 1. §. 1. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicariis.* conceditur parentibus, consanguineis, cognatis, Curatoribus, Tutoribus, Patronis, Dominis, ac præcipuè maritis ac sponsis raptores filiarum, cognatarum, uxorum, sponsarum in ipso actu raptus, seu abductionis ubicunque locorum deprehensos impunè occidere. Pirh. *h. t. n.* 2. Wiestn. *num.* 7. Reiffenst. *num.* 8. Harpr. *ad* §. 8. *Inst. de vi publ. n.* 9. Lauterb. *in ff. ad Leg. Jul. de vi publ.* §. 18. & alii passim. Idemque extenditur ad sceleris complices, ad comitantes, recipientes, auxilium quò ad raptum præstantes, si in ipso actu concomitantiæ & cooperationis deprehendantur, *AA.* citati. Secundò ordinaria pœna raptorum dictarum personarum maximè monialium, & DEO dicatarum, si post fugam retracti de raptu convincantur, est ultimum supplicium, negatâ appellandi licentiâ, approbatâque satis est hæc pœna in *Ordinat. crim.* Caroli V. *à n.* 118. extenditúrque quoque ad omnes, qui raptorem in raptu comitati sunt, eíque auxilium præbuerunt, & ministri fuerunt. *cit. c. unic.* §. *pœnas autem ad raptorem*; etiamsi copula non fuerit secuta, ideo, quia ab ea nolens v. g. nolente sponsâ fuit impeditus, secus si pœnitentiâ ductus ab ea sponte abstinuit; tunc enim citra pœnam mortis pœnâ aliquâ gravi extraordinariâ puniendus ob infamiam illatam puellæ, quæ violata ab omnibus censetur. Menoch. *de arb. cas.* 360. *n.* 32. Sanch. *l. c. n.* 13. Pirh. *n.* 9. Clar. *l. c. n.* 4. excipiendo tamen, si rapta fuit violenter monialis; tunc enim infligenda illi pœna ordinaria sive mortis, ex quacunque causa copula non fuit secuta, ut l. c. in fine, & alii apud illum. Non tamen locum habet, si puella sub parentum potestate constituta consenserit etiam parentibus invitis in abductionem, sed infligitur raptori pœna aliqua alia arbitrio Judicis, & quidem mitior, si abducatur parentibus insciis, quàm si abductioni expressè contradixissent. Sanch. *l. c. n.* 13. Farin. *l. c. n.* 121. Pirh. *h. t. num.* 5. imò si inter raptam & raptorem præcessissent sponsalia abductione illius etiam invitis parentibus, non incurri pœnam, absolutè tradunt Abb. & Barb. in *c. cum causa. h. t. num.* 4. Sanch. *l. c. n.* 15. asserens hoc *cap.* correctum, *cit. L. unic.* item si parentes ex postfacto patientiam præbuerint, & dolorem remiserint, pœna raptoris est deportatio. *cit. L. unic.* §. 2. *in fin.* Lauterb. *l. c.* §. 18. Item locum non habet in raptore publicæ meretricis. *cit. c. unic. c. de rapt. Virg. in pr.* junctâ Gl. *v. virginum.* quamvis puniendus sit pœnâ arbitrio Judicis statuendâ, ut Clar. §. *raptus. num.* 5. Covar. *L.* 3. *var. c.* 14. *num.* 2. *in fine.* Sanch. *l. c. n.* 23. Farin. *cit. q.* 145. *à num.* 135. Wiestn. *h. t. n.* 6. Pirh. *n.* 11. quin & incurratur pœna ordinaria, si rapta sit mulier inhonesta, conjugata tamen. *cit. L. unic.* §. *quamultò magis.* Malc. *de prob. Vol.* 3. *concl.* 1253. *n.* 12. & 13. Pirh. *cit. num.* 11. nisi tamen maritus esset leno, qui uxorem prostituisset, ut idem cum Malc. *n.* 19. & Sanch. *l. c. n.* 37. Denique non extenditur pœna hæc ordinaria civilis ad fœminam raptricem viri, sed locum solùm habet pœna aliqua gravis arbitrio Judicis infligenda secundum facti & personarum qualitatem, ut probabiliùs, & cum communiore tradunt Clar. §. *raptus. num.* 6. Menoch. *de arb. cas.* 291. *n.* 30. *& seq.* Sanch. *l. c. n.* 25. Pirh. *n.* 12. ex ea ratione, quòd, cum in *L. unic. de raptu Virg.* ea, & quidem utpote valde rigorosa

gorosa extendi non debeat ad fœminas, nec in odiosis & pœnalibus sub masculino comprehendatur fœmininum, item, quòd leges non ferantur de iis, quæ rarissimè contingunt, quale quid est virum rapi à fœmina, aut etiam fœminam ab alia fœmina, quòdque ex raptu viri non oriantur tot scandala & tanta damna, quot & quanta ex raptu fœminæ, cui etiam major quàm viro infertur injuria & infamia ex raptu. Porro hæc pœna capitalis ordinaria raptûs est pœna gladii, §. 8. *Inst. de vi publ.* & *cit. L. unic.* si tamen raptor est persona servilis, suffocandus, & igne concremandus est. *L. unic.* §. 3. Lauterb. *l. c.* §. 18. citatis aliis. Hodiedum tamen spectanda statuta localia, dum in multis locis & casibus pœna gladii ordinaria solet remitti; v. g. si raptor probet, fœminam suâ sponte ante raptum consensisse in sui abductionem, carnalem copulam secutam non fuisse; si rapta petat raptorem in matrimonium, sic etiam sæpe auxiliatores pœnâ tantùm arbitrariâ afficiuntur. Lauterb. *l. c.* §. 20. remittens ad Masc. Harpr. Besold. Mev. & alios.

2. Altera pœna ordinaria raptoris de jure civili est amissio omnium bonorum mobilium & immobilium, tam raptoris, quàm eorum, qui illum comitantur & adjuvant, quæ bona pleno dominio violenter raptæ, si ingenua & libera est, addicuntur, non verò, si ancilla est aut libertina, tunc enim videntur ea cedere fisco. *cit. c. unic.* §. *& si quidem.* sed neque bona comitantium & adjuvantium raptorem amittuntur, etsi ipsi pœnæ capitali subjiciantur. *L. unic.* §. *pœnas autem.* Quid verò peculiare sit circa bona rapientis monialem, cui ea applicanda, dicetur paulò pòst.

3. Tertia pœna est, quòd inter raptorem & mulierem raptam de lege civili subsistere nequeat matrimonium, nec liceat raptæ, in matrimonium exposcere raptorem. *L. unic.* §. *nec sit facultas. Novell.* 145. *V. illa quoque.* Clar. *l. c. n.* 7. Farin. *l. c. n.* 25. Pirh. *h. t. n.* 2. nec licet parentibus consentire in tale matrimonium. *L. unic. cod.* §. & si consenserint, deportari præcipiuntur. *Auth. de raptis mulierib.* §. *unic. collat.* 9. ubi etiam, quòd si mulier nupserit raptori suo, nihil ex ejus testamento, aut alio quocunque modo capere seu vindicare possit, utì &, quòd si parentes consenserint, bona raptoris & eorum, qui illius criminis participes fuerint, fisco vindicentur, alàs verò, si non consenserint, jure ipso ad illos transferantur. Quod tamen attinet bona raptoris, monialem, vel aliam mulierem vitam religiosam ducentem, ea applicanda Ecclesiæ vel monasterio, in quo rapta habitabat. *Can. si quis rapuerit.* 27. *q.* 1. ubi etiam additur, quòd rapta cautiori seu arctiori monasterio tradenda seu includenda, ita tamen, ut quantum ad usum finitum ex bonis suis, vel à raptore ei acquisitis, aut aliàs acquitendis sustentetur ad mortem usque, post mortem verò ea bona redeant ad primum monasterium, in quo mulier Deo dicata est. Farin. *q.* 145. *n.* 10. Pirh. *n.* 3. *in fine.* cum Gl. *in cit. c. si quis. v. cautiori.*

Quæst. 313. *Quæ pœna statutæ raptoribus Jure Canonico?*

1. Resp. Primò: Jure Canonico antiquo raptor efficiebatur servus mulieris (saltem si vim ei intulisset) ita tamen, ut raptor soluto pretio competente se ipsum redimere posset; si verò ipsa consentiente abducta fuisset à domo paterna, raptor fiebat servus parentis illius, (intellige, si is non consenserat) cum eadem facultate se redimendi. *c. de raptorib.* 36. *q.* 1. & ibi Gl. *v. excusatio.* Sylv. *v. luxuria. q.* 6. Azor. *l. c. L.* 3. *c.* 15. *q.* 2. ipsa verò rapta reddenda parentibus citrà, quòd à Judice punienda, quamvis à patre exhæreditari posset, nisi majorem 25 annis pater distulerit copulare marito. *L. si filiam. c. de inoff. testam.* Excommunicabatur insuper raptor, ejúsque fautores, si Laici essent. *Can.* 1. *caus.* 36. *q.* 2. si Clerici, deponebantur à gradu & ordine clericali. *c. de puellis. ead. caus. & q.*

2. Resp. Secundò: Jure novissimo hodiéque observando Concil. Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform. matrim.* exceptâ pœnâ illâ, quâ raptor subjiciebatur servituti raptæ, aut parentum præter pœnam, quâ inter raptorem & raptam, quamdiu hæc in illius potestate manserit, matrimonium validè contrahi nequit, de quo vide me *L.* 4. *q.* 119. incurruntur eædem pœnæ excommunicationis & depositionis, & quidem excommunicationis pœnam ipso jure facto contrahi, patet ex verbis Trid. licet non sit reservata Papæ, ut Sanch. *l. c. d.* 13. *n.* 1. Barb. *in Trid. l. c. n.* 12. relatis aliis. Arg. *c. nuper.* §. *nos igitur. de sent. excom.* cæteræ verò pœnæ non nisi post sententiam declaratoriam criminis. De cætero statutæ à Trid. pœnæ non videntur adversùs rapientes solius libidinis exercendæ gratiâ, sed tantùm contra rapientes ex intentione celebrandi cum rapta matrimonium, ut docent Less. *de Just. L.* 4. *c.* 3. *n.* 7. Sanch. *l. c. n.* 3. Gutt. *l. c. c.* 86. *n.* 8. Laym. *L.* 3. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 13. *n.* 5. Wiestn. *h. t. n.* 12. Reiffenst. *n.* 10. ex ea ratione, quòd Trid. volens consulere libertati matrimonii, punire præcipuè intenderit violantes hanc libertatem, quales sunt rapientes matrimonii contrahendi causâ; ad hæc Decretum hoc Trid. sit pœnale & correctorium juris antiqui, quo matrimonium inter raptorem & raptam liberè contrahendum subsistebat, unde etiam jam hujus conciliaris Decreti pœnis non comprehendi raptum fœminæ consentientis parentibus invitis, docent Less. *l. c. n.* 79. Sanch. *n.* 13. Laym. *l. c. n.* 4. quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. n.* 11. contrarium tenentibus apud eundem Tusch. *v. raptus. concl.* 5. *n.* 4. Gutt. *cit. c.* 86. *n.* 17. Henriq. *L.* 12. *c.* 14. *n.* 4. siquidem Trid. loquitur de raptu lædente libertatem matrimonii, illa autem in hoc casu non læditur, cùm etiam invitis parentibus validè contrahatur matrimonium à puella liberè consentiente. *Can. sufficiat.* 27. *q.* 2. *c. cùm virum. de regular.* Trid. *l. c. c.* 1. uti etiam ob eandem rationem pœnis illis non comprehenditur raptus propriæ sponsæ de futuro, si illa non consentiat; cùm per hoc minimè lædatur libertas, quia vi sponsalium obligata ad illud etiam compelli possit. Less. *n.* 70. Henriq. *l. c.* secus tamen, si sponsa invita abducatur; ac denique pœnis Trid. obnoxiam non esse fœminam raptricem viri ob rationes *præced. quæst. n. ult.* indicatas contra Tiraquel. *de leg. connub. L.* 9. *n.* 112. Henriq. *cit. num.* 4. Gutt. *l. c. n.* 6. Haunold. *Tom.* 6. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 549. *in fin.* probabiliùs tradere videntur Clar. §. *raptus. n.* 6. Menoch. *de arb. cas.* 291. *à n.* 30. Sanch. *de matr. L.* 7. *d.* 12. *n.* 25. *& d.* 13. *n.* 16. Farin. *l. c. n.* 40. Pont. *de mat. L.* 7. *c.* 69. *n.* 6. Wiestn. *h. t. num.* 16. & alii apud Barb. *num.* 5. *ad Trid. sess.* 24. *c.* 6.

Quæst. 314. *Raptus rerum, seu rapina, quid & quotuplex?*

1. Resp. Rapina largè loquendo sumitur pro omni illicita usurpatione vel occupatione

rei alienæ, sive manifestè, sive occultè facta, propriè & strictè accepta, rectè definitur: injusta rei alienæ mobilis, aut se moventis per vim facta ablatio. Dicitur primò: *Ablatio*; hinc rapinam non facit, qui alteri in rebus vel bonis illius infert damnum ea destruendo vel deteriorando; quia alteri nihil aufert, nec agit quid lucri faciendi causâ, quod ipsum aliqui exprimunt in ipsa definitione rapinæ. Gonz. *in c. super eo. h. t. num.* 10. Wiestn. *h. t. num.* 23.

2. Dicitur secundò: *Ablatio injusta*; hinc rapinam non committit, qui rem alienam etiam per vim aufert justè, ut contingit, dum ea aufertur in bello justo hosti, vel aliàs in extrema necessitate, vel authoritate legitimi Magistratûs. Mol. *tr.* 2. *de J. & J. d.* 683. *n.* 2.

3. Dicitur tertiò: *Rei alienæ*; hinc raptor non est, qui rem suam, vel quam putat esse suam, ab alio possessam aufert, unde etiam pœnâ ordinariâ non punitur, sed aliâ mitiori ob vim propriâ authoritate possessori illatam, cùm eam posset in judicio repetere. Sylv. *v. rapina, in pr.* Pirh. *n.* 30. Wiestn. *h. t. n.* 23. ubi etiam ait, incurrere illum pœnas decretas. *L. si quis in tantam. c. unde vi.* vi cujus rei, si auferentis propria est, sive debita, dominium vel jus, quod in ea habuit, perdit. §. 1. *Inst. h. t.* si autem fuit aliena, ipsam ejúsve æstimationem restituere debet, pro quibus citat. *L. extat. ff. quod metûs causâ.* Mol. *l. c. num.* 3. *in fine.* Gonz. *l. c.* & quidem in duplum, ut Lauterb. §. 8. atque ita, qui rem sibi debitam debitori per vim aufert, jus crediti amittit. *L.* 12. *in fine, & L.* 13. *ff. quod metûs causâ. L.* 7. *c. unde vi.* Harp. *in* §. 1. *Inst. h. t.* Lauterb. *in ff. h. t.* §. 6.

4. Dicitur quartò: *Rei mobilis, aut se moventis*; quia res immobiles, ut fundi, non dicuntur propriè rapi aut auferri, sed violenter invadi. §. *ita tamen in fine. Inst. vi bonor. raptor. L.* 1. *c. eod.* Unde dejiciens alium de possessione prædii, non est raptor; quia nec possessio, nec prædium est res mobilis; nomine autem rei se moventis veniunt pecora seu animantia.

5. Dicitur quintò: *Sive manifestè, sive occultè*; intelligendo per τὸ occultè, non quòd ignorante domino rei fiat, qualiter committitur furtum, sed quòd in loco privato fieri possit, & per τὸ manifestè, quòd fiat palàm coram aliis in loco publico. Differt tamen raptor talis manifestus à prædone per hoc, quòd hic in viis & stratis publicis itinerantibus res suas auferat. *c. pœnale.* 14. *q.* 5. Pirh. *l. c.* cum Host. *in sum. h. t. n.* 2. Sylv. *v. rapin. in pr.*

6. Dicitur sextò: *Per vim facta*; sive ea armis, (quæ semper vim indicare, cum Masc. *de prob. concl.* 1409. *n.* 19. ait Lauterb. *l. c.* §. 9.) sive absque armis inferatur. *L. prætor ait.* §. 10. *ff.* & in *princ. Inst. de vi bonor. raptor.* sive ea actu inferatur, sive parata inferri, si dominus rerum resisteret. *cit. L. prætor ait.* Farin. *pr. crim. q.* 166. *n.* 31. Carpz. *pr. crim. p.* 2. *q.* 9. *n.* 68. Pirh. *h. t. n.* 31. qui, quamvis addat ad rapinam reduci extorsionem rei ab altero per metum injustè illatum, negat tamen idipsum Lauterb. *l. c.* §. 8. committi hoc delictum propriè, sed esse aliam speciem violentiæ, scilicet compulsivam, quæ facit actionem, *quod metûs causâ*, dum quis metûs causâ compulsus, ipse tradit res suas, aut cum aliis vilioribus commutat; quia ad hoc delictum requiri vult ablationem, quæ violentâ manu fit illata, pro quo citat §. 1. *Inst. h. t.* & Carpz. *J. P.* 4. *c.* 35. *defens.* 7. *à n.* 11. differt verò per has particulas: *per vim facta*; à furto, utpote quod, quia fit clam & ignorante domino, vel per dolum, excludit vim seu violentiam ei illatam, adeóque minus grave delictum est, & rapina furtum improbius dicitur. *cit. L. prætor ait. ff.* & *princ. Inst. de vi bonor. raptor.* & quidem in ratione injuriæ rapina gravius furto delictum est, juxta D. Thom. 2. 2. *q.* 66. *a.* 4. Less. *L.* 2. *de Just. c.* 10. *n.* 8. tum quia continet duplicem injuriam & injustitiam, unam, quâ læduntur bona proximi, alteram, quæ est realis contumelia, lædens personam & honorem proximi. Pirh. *cit. n.* 31. cum Mol. Tom. 3. *de Just. tr.* 2. *d.* 683. *num.* 7. Haunold. *de J. & J. Tom.* 1. *tr.* 2. *n.* 264. tum quia in utroque reperitur diversa ratio involuntarii; cùm rapina committatur domino sciente, & vim patiente, cui proinde ablatio rei est positivè, & magìs involuntaria constituens graviorem injuriam, furtum verò involuntarium ob ignorantiam. Atque ex his patet, rapinam essentialiter continere vim seu violentiam ablativam, præter quam alias violentiæ species fundantes diversas actiones vi diversarum legum, vide apud Wiestn. *h. t. n.* 18.

Quæst. 315. *Quænam pœnæ constitutæ jure civili raptoribus rerum?*

1. Resp. Primò: Pœnæ raptorum civiliter conventorum sunt, quòd raptor actori intra annum utilem (dum computantur illi dies tantùm, quibus experiundi est potestas) agenti condemnetur in quadruplum rei ablatæ, hoc est, in rem ablatam restituendam, & præter rem ablatam in triplum æstimationis rei, seu pretii veri illius. *L.* 2. §. 13. *ff. h. t.* post annum verò in Simplum, id est, ad solam rem ablatam, seu, si ea non existat, ad æstimationem illius, & ad æstimationem damni & lucri ex ista ablatione cessantis; quia est actio prætoriana, quæ annum excedere non debet. *Inst. in pr. & vi bonor. raptor.* & *cit. L. prætor. ait. ff. eod.* In foro etiam conscientiæ non tenetur raptor, aut etiam alius, qui rem injustè abstulit ante Judicis sententiam plùs restituere, quàm accepit, post sententiam verò ad pœnam aliquam tenetur, eidem acquiescere, ita cum D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *a.* 4. *in corp.* Sylv. *v. rapina. q.* 1. Pirh. *h. t. n.* 32. Wiestn. *num.* 24. cum communi TT. Nec refert quòd ad hanc pœnam tripli præter rem restituendi, sive raptor sit manifestus, seu deprehendatur in ipso delicto, sive non. Lauterb. *l. c.* §. 14. ac ita rapina mitiùs puniatur, quàm furtum, quod, si manifestum, punitur pœnâ restituendi quadruplum, non computando rem ipsam ablatam, cujus rationem vide apud eundem; idque, si dominus rei sit actor, si non-dominus, condemnatur ei solùm ad interesse. *cit. L.* 2. §. 22. & prout distinguit Hahn. *ad Wesenb. h. t.* apud Lauterb. *in ff. Lib.* 47. *t.* 8.

2. Resp. Secundò: Dum agitur criminaliter, pœna raptorum res alienas sine armis, violenter tamen rapientium, est, quæ statuitur *L.* 1. *in pr. ff. ad Leg. Jul. de vi privata.* & *L.* 2. *c. eod.* nimirum amissio tertiæ partis bonorum raptoris, & amissio omnis dignitatis seu honoris, item infamia, Host. *in Sum.* §. *de raptoribus. h. t. n.* 9. Raptorum cum armis pœna est capitalis gladii, & vel maximè, si sint grassatores & spoliatores itinerantium. *L. penult. ff. ad Leg. Jul. de vi publ. Const. crim.* Caroli V. *a.* 126. cui pœnæ capitali succedit deportatio. Gl. *fin. in cit.* §. *item Lex.* Pirh. *l. c.* & hodie loco deportationis bannum, seu excommunicatio Imperialis, quâ reus vis publicæ constituitur extra protectionem & communitatem Imperii, tam

quò

quòad personam, quàm quòd ad res. Mynsing. *in §. item Lex Julia de vi publ. Inst. de publ. Jud. n.* 3. &, si præter rapinam torquent, vulnerant vel occidunt, pœna illorum est rota, cui vivi imponuntur, & quandoque cadavera reorum, observatâ cujúsque loci consuetudine. *cit. Coust. crim. a.* 130. & 137. Carpz. *pract. crim. q.* 90. *n.* 12. Haunold. *Tom.* 6. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 537. Illud tamen notari potest cum Carpz. *q.* 91. Brunnem. *ad L.* 28. *ff. de pœnis. n.* 8. ob rapinam (intellige simplicem) non facilè ad pœnam capitis deveniendum, attendendámque ætatem, causam, occasionémque rapinæ, & num crimen attentatum tantùm, an verò consummatum.

Quæst. 316. *Quæ pœnæ jure ecclesiastico statutæ raptoribus rerum?*

1. RESP. Primò: Præcipua est eorum excommunicatio inferenda per sententiam Episcopi loci, ubi commissa rapina, aut alterius Prælati exercentis ibidem jurisdictionem, etsi raptor sit alterius diœcesis. A qua excommunicatione non est absolvendus, antequam plenè satisfecerit ei, aut caverit de satisfaciendo ei, à quo rapuit. *c.* 1. *h. t.* neque à proprio Episcopo, extra cujus diœcesin deliquit, sed remittendus ad Episcopum vel Prælatum excommunicantem, utpote cujus jurisdictioni ob delictum in ejus territorio commissum subjicitur. *cit. c.* 1. idque pro foro externo, seu contentioso, in foro siquidem pœnitentiæ interno non subjicitur quis præcisè ratione delicti in ejus territorio commissi, sed ratione alterius jurisdictionis ipsi aliunde competentis, cujus disparitatis rationem hanc dat Pirh. *h. t. n.* 34. quòd in foro contentioso imponatur pœna reo, ut satisfiat Reipublicæ læsæ ob scandalum illi datum, ideóque pœna imponitur in loco, ubi commissum delictum, absolvendúsque ab eo, qui jurisdictionem spiritualem exercet, in foro verò pœnitentiæ imponatur pœna seu pœnitentia, ut satisfiat DEO læso, adeóque à proprio Judice imponenda, & à Sacerdote proprio loco DEI remittenda. *c. omnis. de pœnit. & remiss.* Abb. *in cit. c.* 1. *h. t. n.* 4. Altera pœna est, quòd, si raptor in ipsa rapina interficiatur, aut ante obitum noluit satisfacere, cùm posset, privetur sepulturâ ecclesiasticâ, Ecclesiæque & fidelium suffragiis, & orationibus publicis. *c. super eo. h. t.* Secus est, si quis in vita, cùm potuit, satisfacere noluit, in extremis tamen constitutus satisfecit; huic enim neque pœnitentia, neque sepultura deneganda. *cit. c. super eo. §. vers. si verò. h. t.* quin etiam ei, qui in vita noluit pœnitere, nec satisfacere, sed fuit obstinatus, (qualis dicitur, qui sæpe opportunitatem & facultatem restituendi habuit, & admonitus, vel etiam excommunicatus, satisfacere contempsit, ut Host. *in cit. c. v. obstinata.*) in morte tamen pœnitet, & vellet satisfacere, sed non potest, nec etiam securitatem de satisfaciendo potest dare, deneganda non est pœnitentia, absolutio, sepultura occulta, sed solùm publica, & solennis reconciliatio & sepultura, cui proinde nullus Clericorum interesse debet, juxta *cit. c. super eo. §. qui autem.* unde etiam ex hoc §. à contrario sensu colligitur, quòd, dum raptor non fuit obstinatus, sed ante mortem & in vita libenter voluit satisfacere, non tamen potuit, quia ad paupertatem redactus, huic deneganda non est publica & solennis absolutio, sepeliendúsque in Ecclesia, ejúsque sepulturæ interesse possunt Clerici. ita Pirh. *h. t. n.* 36. si verò raptor in mortis periculo constitutus satisfacere promisit, ac dein convalescens ante satisfactionem, quam facere potuisset, decedat, neganda est ei sepultura, & hæredes ad satisfactionem compellendi. Sylv. *v. rapina. q.* 1. *not.* 2. uti etiam, (etsi aliàs regulariter absolvatur à peccato, nullâque pœnâ mulctetur, qui satisfacere non potuit) qui in vita obstinatus fuit, in morte pœnitens, sed satisfacere non valens, privandus adhuc est sepultura in Ecclesia, non tamen in Cœmiterio, ita tamen, ut nec ibi ejus sepulturæ interesse possint Clerici, sícque statutum specialiter in odium rapinæ. Abb. *in c. super eo, in fine.* Diaz. *in pract. can. c.* 110. *num.* 4. Wiestn. *h. t. num.* 37. Porro hæc statuta per *cit. c. super eo.* intelligenda sunt de raptore publico, seu manifesto, id est, qui judicialiter convinci potest; occultus enim admitti potest ad pœnitentiam, viaticum & sepulturam. Host. & Abb. *ad princ. cit. c. super eo.* Sylv. *l. c. not.* 1. Pirh. *n.* 36. Tertia pœna raptorum, vel potiùs grassatorum itinera frequentata, publicásque stratas obsidentes & pervagantes, spoliando transeuntes, est, quòd, si ad Ecclesias, aliáque loca sacra & religiosa confugientes, tanquam sacro Asylo indigni, inde vi extrahi permittantur. *Can. sicut antiquitus.* 17. *q.* 4. *c. inter alia de immunit. ecclesiast. Constit.* Gregor. XIV. incipiente: *Cùm alias. edita* 28. *Maij.* 1591. Quarta pœna Clericorum raptorum, vel participantium cum eis in rapina, est irreparabilis eorum depositio ab Ordine, & privatio beneficiorum. *c. at si Clerici. de judic.* Abb. *l. c. n.* 2. Diaz. *l. c. n.* 2. non quidem ipso jure illata, sed per judicem inferenda. Suar. *de censur. d.* 42. *s.* 5. *n.* 6. *in fine.* Pirh. *cit. n.* 37. Barb. *in cit. c. super eo. n.* 5. Item eorum pœna est, quòd recipere prohibeantur eleemosynam à raptoribus. Suar. *Tom.* 1. *de relig. tr.* 2. *L.* 1. *c.* 6. *num.* 6. Barb. *l. c. n.* 3. Pirh. *l. c.*

2. Resp. Secundò: Specialiter excommunicantur excommunicatione per sententiam ferendam, nullíque reservatam. Barb. *in c.* 3. *h. t. n.* 6. qui mercatores, aliósque Christianos negotiationis gratiâ, aut ob alias justas & honestas causas navigio vectos rapiunt, aut rebus suis spoliant. *c. excommunicati. h. t. c. super eo.* Host. *ibid. in princ.* Abbas *num.* 1. excommunicationem tamen Bullæ Cœnæ, aut *c.* 3. *h. t.* non incurrere, qui principaliter discurrunt per maria animo negotia, vel mercimonia cum amicis gerendi, vel etiam belli, sive justi, sive injusti exercendi, etiamsi incidenter, & casu quandoque prædentur; cùm non censeantur piratæ, sed injusti bellatores, ait Pirh. *n.* 40. citatis Nav. *man. c.* 27. *n.* 59. Suar. *d.* 21. *s.* 2. *n.* 24. Mol. *Tom.* 3. *de Just. tr.* 2. *d.* 694. *n.* 3. Excommunicationem verò reservatam Papæ ipso jure vi Bullæ Cœnæ incurrunt spoliantes Christianos Catholicos naufragium passos bonis cujuscunque generis in littora quorumcunque marium, aut ab aliis subrepta recipiunt, nullo privilegio aut consuetudine, alióve prætextu obstante. *c. super eo. §. illi etiam hic.* junctâ Gl. *v. noverint.* Saltem postquam moniti non restituerint, ubi possunt. Suar. *de censur. d.* 21. *s.* 2. *n.* 26. *in fine.* Navar. *man.* 27. *num.* 118. Gonz. *in cit. c. n.* 9. Excusantur autem ab hac excommunicatione, qui talia naufragantium bona accipiunt non animo convertendi in usum suum, sed restituendi ea domino, ubi habebitur ejus notitia; item si ignorent, esse bona naufragantium; tunc enim, etsi nolint restituere, non incurrunt excommunicationem. Item si essent bona, quæ dominus pro derelictis haberet, omni spe recuperandi amissâ, utpote, quæ sunt primò occupantis, secus, si projecta in mare alleviandæ navis gratiâ; horum enim dominium

minium manet penes dominum. Item, si sint res, quæ statim de sui natura periissent, nisi quis ad eas recuperandas exposuisset se periculo vitæ. Mol. *cit. d.* 694. *n.* 6. & 7. Zerol. *in pr. Episc. p.* 2. *v. naufragium.* Quaranta *in Summa bullar. v. bona naufragantium. fol.* 1406. & *seq.* quos citat & sequitur Pirh. *n.* 42. Item sicut Pagani, Judæi, Saraceni, aliique infideles non baptizati spoliantes catholicos naufragos, non incurrunt dictam excommunicationem, quia illius incapaces, ita nec fideles piratæ, qui spoliant infideles, incurrunt illam. Suar. *l. c. n.* 21. Pirh. *h. t. num.* 39. quia verisimile non est Concilium Lateranense, ex quo desumptum illud *c. excommunicationi*, uti & Pontificem in Bulla Cænæ ferentes hanc excommunicationem intendisse, protegere infidelium bona contra Christianorum & orthodoxæ fidei hostes, comminatione excommunicationis ferendæ, vel latæ. Bonacin. *de censur. in particul. d.* 1. *q.* 5. *p.* 3. Castrop. *tr.* 29. *d.* 3. *p.* 5. *n.* 8. Westn. *h. t. n.* 29. Reiffenst. *n.* 23. His tamen non obstante, quòd Christiani spoliantes navigantes, aut naufragium passos infideles, (intellige non tantùm in mari, sed & in aliis fluviis, cùm dictum Concilium loquatur indifferenter de navigio vectis, & naufragium passis. Pirh. Reiffenst. *ll. cit.* quamvis Bullæ Cænæ etiam in specie loquatur de infestantibus mare pertinens ad ditionem Romanæ Ecclesiæ. Pirh. *n.* 4. Reiffenst. *l. c.*) malè agant, & ad restitutionem teneantur. Reiffenst. *l. c.* nisi bellum cum iis gerant, aut sint habitualiter hostes. Ac denique excommunicationem non incurrunt, qui subreptionem talium bonorum consilio, favore promovent, aut ratam habent, aut accipientes illa recipiunt; cùm enim illorum non fiat mentio in Bulla Cænæ, aut *cit. c.* 3. ad illos extendenda non est hæc pœna excommunicationis; Secus est de iis, qui proximè & physicè tales surreptores illorum bonorum adjuvant & cooperantur, ablatáque recipiunt participando de iis; taliter enim consulentes & auxiliantes illorum surripientium ea bona, etsi non exprimantur, generaliter tamen & tacitè comprehenduntur. Pirh. *cit. n.* 41. *in fine juncto. n.* 42. *in fine*, Suar. *l. c. n.* 32, Westn. *h. t. n.* 30.

CAPUT II.

De Incendiariis & Violatoribus Ecclesiarum.

Quæst. 317. *Quinam propriè dicantur, & sint incendiarii?*

Resp. Illi, qui datâ operâ, sive scientes & prudentes, appositò igne urbem, domum, prædium, aliúdve ædificium, aliáve bona aliena, ut segetes, acervos frugum, fæni lignorum, sylvam dolo malo ex odio, vindicta vel alicujus commodi studio per se, aut per alios accendunt, quíque ad hoc mandatum, auxilium vel consilium scienter præstant. Arg. *Can. pessimam.* 23. *q.* 8. *L. qui ædes de incend. & ruina. c.* 6. *de injur.* Proinde tales pœnæ ordinatiæ incendiariorum non subjacent, qui casu tantùm vel ex imprudentia, aut negligentia, etsi cum culpa aliqua etiam lata, vel levi aut levissima incendii causa sunt. *L. penult. ff. de incend.* Host. *in sum. h. t. n.* 1. Sylv. *v. incendiarius. n.* 1. Pirh. *h. t. n.* 47. Reiffenst. *n.* 26. sed neque in foro conscientiæ obligationem reparationis taliter causati damni contrahunt; cùm in hoc foro interno ante Judicis sententiam obligatio damni supponat culpam theologicam graviter peccaminosam, ut Sylv. *v. culpa. n.* 6. Mol. *cit. tr.* 2. *d.* 698. *num.* 6. Sic quoque idem, seu non incurrere eam obligationem, qui casu aut incuriâ causa est incendii, nullâ factâ distinctione inter forum internum & externum, asserit Westn. *h. t. n.* 32. citatis *L. fortuito. L. qui ædes. ff. de incend.* Gail. *Lib.* 2. *observ.* 21. *n.* 1. Farin. *pr. crim. q.* 110. *à n.* 3. quamvis *n.* 33. subjungat Westn. in foro externo ad interesse seu reparationem damnorum teneri eum, cujus culpâ accidit.

Quæst. 318. *Quâ pœnâ afficiendus incendiarius?*

1. Resp. Primò: Ob quâcunque culpâ, excepto tamen dolo, & datâ operâ causatum incendium, non incurritur pœna mortis, seu ordinaria incendiariorum; siquidem dolo in nullis delictis æquiparatur quò ad pœnam ulla culpa quantumcunque lata, juxta *L. in Lege Cornelia. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* junctâ Gl. *v. lata culpa.* Clar. §. *fin. q.* 84. *in pr.* Farin. *l. c. n.* 10. unde cùm incendio causato sine dolo, seu sine data opera nulla certa pœna à lege statuta, arbitrio Judicis ob culpam latam vel levem statui ea potest, nimirum severa reprehensio, mulcta pecuniaria, vel corporis afflictiva, v.g. incarceratio, relegatio, fustigatio, aliáve similis, citra tamen mortem aut mutilationem pro locorum varietate, culpæ, incendii, & personarum qualitate. Farin. *l. c.* Carpz. *pract. crim. q.* 39. *à n.* 33. Westn. *h. t. n.* 34.

2. Resp. Secundò: De jure civili, qui datâ operâ incendium excitavit, pœnâ mortis afficiendus, & quidem, qui illud in civitate excitavit, objiciendus bestiis, si in humiliore existat, seu sit humilis conditionis, & si in aliquo gradu sit, puniendus capite, vel in Insulam deportandus. *L. ult. de incend.* ubi Gl. fin. *ut igne concremetur.* Pirh. *h. t. n.* 48. si verò in villa vel castris ædes (quo nomine veniunt omnes species ædificii. *L. qui ædes. ff. de incendio.*) incenderit sciens & prudens, sítque humilis conditionis, igne quoque necari jubetur. Si tamen casam vel villam extra oppidum sitam combusserit, mitiùs punietur, utì etiam, si ædes in civitate suâ negligentiâ aut culpâ latâ conflagrari fecerit, damnum illatum etiam vicinis resarcire jubetur, datâ in duplum actione, &, si id non possit, luendum ei in corpore. *L. capitulum. §. incendiarii. ff. de pœnis.* junctâ Gl. *v. jactura. L. penult. ff. de incend.* junctâ Gl. *v. venia.* Pirh. *cit. n.* 48. *in fine.* citato Wesenb. *in paratit. ff. de incend. n.* 6.

3. Resp. Tertiò: Jure ecclesiastico rerum profanarum incendiarii Laici, utì & præbentes iis scienter consilium, auxilium aut mandatum (præter pœnitentiam trium annorum, ut Reiffenst. *h. t. n.* 32. citans. *c.* 6. *de injur.*) sunt excommunicandi. *Can. si quis. & c. seq.* 23. *q.* 8. & postquam denunciati non absolvuntur, nisi à solo Papa. Sylv. *v. incendiarius. n.* 2. Pirh. *num.* 49. qui tamen cum Sylv. & Host. *in Sum. h. t. num.* 9. addit, omnes incendiarios ædificiorum non sacrorum haberi pro excommunicatis ipso jure, etsi non sint denunciati, tenentur insuper tam incendentes scienter & voluntariè

tariè seu dolo, quàm ex lata culpa sine dolo ad omne damnum resarciendum. *c. ingressus. & seq. de injur. L. penult. ff. de incend.* uti & ad compensationem rerum incendii causâ perditarum. Arg. *cit. c. penult.* quin & dum incendium ortum ex culpa levi vel levissima, si tenebantur ex hujusmodi culpis. Sylv. *n.* 3. Pirh. *l. c. vers. præterea.* Multóque magis ipso jure & facto excommunicati sunt jure canonico incendiarii Laici omnes ex dolo Ecclesiarum, & locorum religiosorum, seu piorum & Cæmiteriorum, locorúmque, ut statuitur *c. definitio.* 17. *q.* 4. iis intra 30 passus contiguorum: & ita statuitur hæc excommunicatio. *c. omnes Ecclesiæ. cit. caus.* 17. *q.* 4. *can. canonica.* 11. *q.* 3. & si nominatim denunciati, à solo Papa absolvi possunt, juxta *c. tua nos. de sent. excom.* ante illam denunciationem etiam ab Episcopo absolvendi. Host. *l. c.* Sylv. *l. c. q.* 1. *n.* 2. Pirh. *l. c.* Reiffenst. *h. t. n.* 35. quin & in extrema necessitate à quolibet simplice Presbytero, cùm in periculo mortis nulla sit casuum reservatio. Trid. *sess.* 14. *c. de Sacram. pœn.* Quòd si verò non absoluti decedunt, sepulturâ insuper Christianâ & Ecclesiasticâ privantur. *Can. pessimam. can.* 23. *q.* 8. Secus, si pœnitentes à censura absoluti decesserunt, in quo tamen casu eorum hæredes compellendi ad reparationem damnorum ex incendio secutorum, juxta expressum textum. *c. ex litteris. h. t.* quia hæredes tenentur ex delicto defuncti, sive pœnitens, sive impœnitens obierit, cùm omnes obligationes saltem non merè personales, sed rei persecutoriæ incumbant hæredibus. Ex eo autem, quòd in *cit. c. ex litteris dicatur: ut sic à peccato valeat liberari:* non sequitur, quòd liberatio defuncti incendiarii post hanc vitam dependeat à reparatione damnorum, facta per ejus hæredes, cùm *vò valeat* in singulari expressum referatur ad defunctum, lectio non valet, quia per hoc non liberatur ille à pœnis purgatorii, neque à pœnis inferni, si ipse culpabiliter omisit restituere, aut etiam mandare restitutionem hæredibus, si verò dirigatur ad hæredes, & legatur in plurali *valeant*, ut ipsi satisfaciendo obligationi suæ restituendi liberentur à peccato suo, valebit lectio.

4. Resp. Quartò: Cùm Clericis incendiariis nulla pœna statuta reperiatur jure canonico, eò, quòd fortè Canonum conditores non sint arbitrati, aliquem Clericorum tantum scelus patraturum sine omni sua voluptate & utilitate, & cum magna aliorum jactura, eorum pœna Judicis ecclesiastici arbitrio determinanda relinquitur juxta doli, loci, damnorumque qualitatem & quantitatem. Diaz. *pract. crim. canon. c.* 109. Pirh. *n.* 50.

Quæst. 319. *Si oriatur in ædibus alicujus incendium, de cujus origine & authoritate non constat, cuius culpâ excitatum præsumatur, & cui incumbat reparatio damni?*

Resp. Etsi esse excitatum dolo non præsumatur, quia is nunquam præsumitur. *L. merito. ff. pro socio.* sed perspicuis indiciis probandus. *L. dolum. c. de dolo malo.* culpâ tamen potiùs inhabitantium, quàm casu exortum rectè præsumitur; quia in dubio rectè præsumitur, quod frequentius fit, qualiter ædium incendia plerumque aliquâ culpâ seu negligentiâ levi vel levissimâ inhabitantium contingunt. *L. nam salutem. ff. de off. præfect. vigil.* & quidem hæc præsumptio est contra omnes inhabitantes, quando nihil de uno certo constat. Farin. *pr. crim. q.* 110. *n.* 93. non tamen sufficit ad condemnandum omnes, vel unum certum in particulari, v. g. patremfamilias, sed omnes absolvi debent, si post inquisitionem, quæ utique fieri debet, contra aliquem in specie culpa præsumi non potest. Farin. *l. c.* Alex. *cons.* 50. *n.* 9. Gail. *pract. observ. L.* 2. *observ.* 1. *num.* 3. cùm incendium non probatâ certi hominis culpâ inter casus fortuitos numeretur. Gail. *l. c.* Arg. *L. incendium. c. si certum petatur.* Sed neque paterfamilias ad resarciendum damnum domesticorum culpâ causatum tenetur, nisi de culpa unius certi domestici constet, quin & nequidem tenetur, si dictus inquilinus non sit servus illius, in officio suo delinquens, & delinquendo sit causa aliqua incendii, multóque minus, si ille sit hospes & advena. Wiestn. *h. t. n.* 37. citans *L. licet. §. fin. ff. nautæ. caup. stab.* sed neque, ut idem cum Reiffenst. *num.* 40. citantes pro hoc Farin. *l. c. n.* 115. & Masc. *concl.* 894. *n.* 19. adhuc tenebitur culpâ servi, si is pro fideli & diligente aliàs habitus & inventus fuit, ne aliàs paterfamilias, dum ædes combustæ sunt propriæ illius citra omnem suam culpam, etiam levissimam, ex culpa aliena maximum passus detrimentum ex combustione suarum ædium afficiatur insuper alio, dum nimirum compellitur, reparare quoque damnum illatum vicino.

Quæst. 320. *Quinam hìc dicantur propriè & strictè violatores Ecclesiarum?*

Resp. Distinguendo illos ab incendiariis, tales dicuntur & sunt, qui Ecclesias, aliâque loca sacra aut religiosa violenter effringunt & spoliant, ita, ut ad constituendum talem violatorem requirantur hæc duo simul, nimirum violenta effractio & spoliatio, quales proinde non erunt, qui locum sacrum effringunt, nihil tamen ex eo auferunt, neque etiam, qui spoliant & furantur ab Ecclesia, illam tamen non effringunt.

Quæst. 321. *Quænam sunt pœnæ violatorum Ecclesiarum?*

1. Resp. Primò: Jure civili antiquiore, tanquam gravissimi Sacrilegii rei pro qualitate delicti, circumstantiarúmque varietate puniebantur vel deportatione in insulam, vel exilio perpetuo, vel damnatione ad bestias aut metalla, vel plectebantur capite, aut suspensione vel vivi exurebantur, per *L. Sacrilegii. L. hac Lege. ff. ad Leg. Jul. peculat.* Hodierno autem jure per Ordinationem Carolinam *a.* 72. & 73. pœnæ sunt determinatæ, ita ut, qui effractâ Ecclesiâ vas seu hierothecam cum sacra hostia aufert, vivus comburatur; qui vas aliud aureum vel argenteum cum vel sine reliquiis, calicem vel patenam abstulerit, vel Templum, Sacrarium, Sacristiam, Gazophylacium, seu capsam eleemosynariam animo furandi effregerit, aut dolosis instrumentis aperuerit, pœna capitali aliáve corporali mitigato vel exasperato pro diversitate circumstantiarum supplicio afficiatur; qui verò res sacras minoris æstimationis, v. g. candelabrum, mappam altaris, aut etiam res privatas ibi depositas interdiu absque effractione inde abstulerit, mitigatâ pœnâ sicut furti privati reus plecti jubetur, per dictam Ordinationem Carol. *a.* 174. Wiestn. *h. t. n.* 40.

2. Resp. Secundò: Jure canonico excommunicationem incurrunt. *c. canonica.* 11. *q.* 3. *c. omnes.* & *c. quisquis.* 17. *q.* 4. ac præcipuè *c. con-*

queſti. de ſent. excom. & quidem ipſo jure, ut Gl. *in c. conqueſti. v. excommunicatos.* alii communiter apud Suar. *d.* 22. *de cenſur. ſ.* 2. *num.* 6. id cum eodem *n.* 10. colligentes ex verbis *cit. c. conqueſti: excommunicatos nuncietis, utpote* ſupponentibus excommunicationem ab ipſo jure jam latam ab homine ſeu Judice promulgandam, eſtque ea, poſtquam violatores illi denunciati ſunt excommunicati, Sedis Apoſtolicæ abſolutioni reſervata. Suar. *l. c. n.* 4. Sayr. *de cenſur. L.* 3. *c.* 29. *à n.* 13. & alii apud Barb. *in cit. conqueſti. n.* 2. Inſuper violatores tales, ſi manifeſtè deprehenſi ad pœnitentiam publicam admitti non debent, niſi priùs damna reſarciant, vel de iis reparandis caveant, & ſi ſani, ubi poſſunt, ſatisfacere noluerint, velint autem poſtmodum in morte, ubi non potuerunt, pœnitentibus quidem abſolutio, ſacrum viaticum, quin & ſepultura eccleſiaſtica, ſaltem in Cœmiterio, non denegatur, Clericis tamen ſepulturæ eorum prohibitum intereſſe ſub pœna depoſitionis ab ordine & privatione beneficiorum. *c. ſuper eo. h. t.* & *ibi* Barb. *n.* 2. Pirh. *n.* 54. *junctо n.* 55. prout dictum paulò ſuprà de raptoribus. Alii verò violatores Sacrilegi, qui citra effractionem Eccleſiæ, & confractionem rerum ex ea ablatarum furantur, v. g. calicem, réſque ſimiles, excommunicationem ipſo facto non incurrunt, ſed ſunt excommunicandi & anathemati ſubjiciendi, uſque ad condignam ſatisfactionem. Gl. *in c. conqueſti. v. excommunicatos.* Suar. *l. c. n.* 6. Pirh. *num.* 54. prout conſtat ex *c. ult. de furtis.* & ex *c. conqueſtus de foro compet.*

TITULUS XVIII.
De Furtis.

Quæſt. 322. *Quid ſit furtum, & quibus modis committatur?*

1. REſp. Furtum (præſcindendo ab etymo huius nominis, de quo videri poteſt inter alios Pirh. *h. t. n.* 1. definiri poteſt cum D. Thom. 2. 2. *q.* 68. *a.* 3. & TT. breviter; quòd ſit occulta acceptio rei alienæ, invito rationabiliter domino, vel aliquando fuſiùs cum JCto. Mol. *de J. & J. d.* 681. *num.* 2. Haunold. *de J. & J. Tom.* 1. *tr.* 2. *n.* 253. Claro §. *furtum.* Pirh. *l. c.* juxta *L.* 1. *ff.* §. *fin.* & §. 1. *Inſt. h. t.* quòd ſit contrectatio doloſa, vel ipſius alienæ rei, vel etiam uſûs ipſius, poſſeſſionîſve lucri faciendi gratiâ.

2. Dicitur primò: *Contrectatio ſeu acceptio*; non enim ſufficit ad furtum & furem conſtituendum pro foro externo, (quamvis ſecus ſit in foro conſcientiæ, ſeu coram DEO, qui etiam concupiſcentiam rei alienæ prohibuit, Deuter. *c.* 5. *v.* 2. Exodi *c.* 20. *v.* 17.) ſola voluntas ſeu deſiderium, & intentio rem alienam contrectandi, & habendi tanquam ſuam, neque conatus rem alienam contrectandi, *L. poſſideri.* §. 18. *ff. de acquiren. poſſeſſ. L.* 1. *in praxi.* & *L. vulgaris.* §. 7. *h. t.* neque etiam ſimplex rei contactus, ſed ad minimum corporalis apprehenſio vel attrectatio conjuncta cum animo ſecum ferendi, ut Lauterb. *in ff. h. t.* §. 26. citans *L.* 27. §. 7. *ff. h. t.* aut ipſa actio, quâ res de loco in locum transferatur, qualis eſt adhuc rei ablatæ detentio, utpote quæ moraliter eſt continuata rei acceptio, ut cum D. Thom. *l. c. a.* 3. *ad* 3. Leſſ. *L.* 2. *de juſt. c.* 12. *n.* 2. Azor. *Inſt. mor. p.* 3. *c.* 11. §. *dicitur primò.* item etiam rei juſtè apud ſe exiſtentis, v. g. in depoſito vel commodato, vel oppignorata injuſta, ſeu ultra quod conceſſum, uſurpatio, quæ eſt acceptio & contrectatio rei fictè. Lauterb. *l. c.* §. 26. citatis pluribus *LL.* qualis quoque intervenit, dum nuncius pecuniam ſive numeratam, ſive conſignatam delaturus alteri eam ſervavit ſibi. *L.* 22. §. 7. *ff. commodat. L.* 7. *c. h. t.* Berlich. *p.* 4. *concl.* 58. *per tot.* Idem eſt, dum quis pecuniam accipiens, ut creditori meo ſolvat, cùm eandem ſummam deberet eidem creditori, illam ſuo nomine ſolvit. *L.* 52. §. 26. *ff. h. t.* Item de tutoribus & curatoribus, dum pecuniam pupillorum & minorum intercipiunt. *L.* 1. §. 22. *L.* 2. §. 1. *ff. de tutor.*

3. Dicitur ſecundò: *Doloſa*; id eſt, injuſta cum fraude & dolo, ſeu animo furandi, (ſine quo nunquam committitur furtum. §. *placuit. Inſt. de obligat. quæ ex delict.*) *facta contrectatio rei.* §. 1. & 7. *Inſt. L.* 1. §. 3. *L.* 50. §. 2. *L.* 58. *pr. ff. h. t.* Unde Iſraelitæ egreſſi è captivitate res Ægyptiis ſupremo rerum Domino authore ſubtrahentes, *Exodi* 3. *v.* 2. non commiſerunt furtum. Item qui rem alienam bonâ fide accipiunt, rationabiliter exiſtimantes conſenſurum dominum, vel, ſi ſciret, non fore invitum, (qui aliàs in dubio præſumitur ſemper invitus. Arg. *L. qui vos.* §. 3. *ff. h. t.*) in nullo foro reus eſt furti. Idem eſt de eo, qui bona viventis, quem putabat eſſe mortuum, tanquam hæres apprehendit. *L. ſi quis. ff. h. t.* Pirh. *h. t. n.* 3.

4. Dicitur tertiò: *Rei*; intellige corporalis & mobilis, quia res incorporeæ, ut ſunt jura, ſervitutes, actiones, cùm ſub ſenſus non cadant, & tangi ſeu contrectari nequeant, §. *incorporales. Inſt. de reb. corpor. & incorp.* furtum propriè reſpectu illarum non datur. *L.* 25. *ff. h. t.* ſed potiùs vi vel dolo occupari aut detineri, quàm furto ſubripi dicuntur: Sylv. *v. furtum. n.* 1. Azor. *p.* 3. *L.* 5. *c.* 11. §. *dicitur primò.* Pirh. *h. t. n.* 4. § *additur.* Res verò immobiles, ut fundus, prædium, juxta *L. verum. ff. h. t.* §. *quod autem. Inſt. de uſucap.* quia accipi propriè, occultari, & de loco in locum moveri nequeunt. *L. poſſideri.* §. 18. *ff. de acquirend. poſſeſſ.*

5. Dicitur quartò: *Alienæ*; hoc eſt, in qua alius jus in re, vel jus ad rem habet; in re enim taliter propria quis furtum facere nequit, cùm quilibet re propriâ uti & abuti poſſit tanquam ejus arbiter & moderator. *L. in re. c. mandati. L. ſed etſi.* §. 11. *ff. de petit. hæred.* ſic furtum non committit, (aliud eſt in foro conſcientiæ de accipiente rem ſuam putans alienam) non ſolùm qui aufert rem alienam, quam putat eſſe ſuam. Arg. §. 1. *Inſt. de vi bonor. raptor.* cùm etiam in tali contrectatione deſit fraus & dolus, ſeu animus furandi; Item qui accipit, quæ in nullius ſunt poteſtate ſeu dominio, v. g. feræ, volucres, piſces, margaritæ, gemmæ in littore maris repertæ. Idem eſt de rebus derelictis, quia ſunt primò occupantis. *L. falſus. ff. h. t.* E contra furtum committit dominus, qui rem ſuam alicui pignori commodatò datam, vel locatam, depoſitam clam & fraudulenter aufert. *L. utique.*

utique. §. 2. h. t. §. unde L. 15. & seq. Inst. de oblig. ex delicto.

Dicitur quintò: *Vel etiam usûs ipsius, possessionisve*: qui non tantùm rem ipsam, sed & qui usum ipsum, usúmve fructum & possessionem rei in re aliena competentem alicui fraudulenter aufert, committit furtum, uti etiam commodatarius, usufructuarius, possessor, depositarius, qui re commodatâ ad usum fructum concessâ vel depositâ diutiùs aut aliter, quàm ei à Domino concessum fraudulenter utitur. §. 6. *Inst. de oblig. ex delicto. L. qui jumenta. L. si pignori. ff. h. t.*

Dicitur sextò: *Invito Domino.* §. 8. *Inst. L.* 43. §. 5. *L.* 46. §. 7. *ff. h. t.* dolus enim in volentem non admittitur. *L.* 145. *ff. de rejud.* & ita furtum non committitur, si quis putet sive falsò, sive verè dominum consensurum, quæ tamen credulitas in aliqua probabilitate consistere debet, quò minùs furandi affectus appareat. Menoch. *de arb. cas.* 298. *n.* 2. Lauterb. *in ff. h. t.* §. 30. Atque ita sicut putativus consensus Domini, etiam dum non adest, impedit furtum, ita putativus dissensus Domini efficit furtum, etiamsi non adsit, Lauterb. *l. c.* Porrò in dubio præsumitur Dominus invitus. *L. qui res.* §. *quòd si Dominus. ff. h. t.* etiamsi ignoret, rem suam sibi auferri, qui enim non consentit, dissentit. Gl. *in cit. L. v. ignorat.* Sic, si Dominus videns, rem suam auferri, & non contradicat ex metu vel reverentia, censetur dissentire. *L. penult. ff. h. t.* juncta Gl. *v. prohibere.* utì è contra, si posset contradicere, & non contradicat, censetur consentire. Sylv. *l. c. n.* 2. Azor. *p.* 3. *L.* 5. *c.* 11. §. *dicitur invito Domino.* Pirh. *h. t. n.* 6. Arg. *c. error. & c. consentire. dist.* 83.

Dicitur denique: *Lucrandi gratia:* lucrum siquidem vel ipsius rei, vel usûs ejus possessionísve est finis furti necessariò intendendus, ut committatur furtum. §. 1. 6. & 10. *Inst. h. t.* non tamen necesse est, ut fur rem acceptam directè convertat in suum lucrum, cùm etiam furari quis possit, ut donet aliis. *L.* 54. §. 1. *ff. h. t.* Sic itaque furtum non est, si res auferatur solius injuriæ, aut contumeliæ alteri inferendæ causâ, vel destruatur ex insolentia comburendo illam, occidendo v. g. equum, gemmam ex manibus in flumen excutiendo, recipiendo alterius ancillam, ut libidinem cum ea exerceat; Secus si eam rapiat, ut ex ejus prostitutione faciat lucrum. Item furtum non est, si creditor subripiat debitori morosо æquivalens, ut Brunnem. *ad L.* 14. *ff. h. t. n.* 4. Haunold. *de J. & J. Tom.* 1. *tr.* 2. *num.* 272. quos citat Lauterb. *l. c.* §. 31. cùm exinde directè creditor non capiat lucrum.

Quæst. 323. *Quotuplex sit furtum?*

Resp. Furtum aliud est manifestum, aliud non manifestum. §. *furtorum autem. Inst. de oblig. quæ ex delicto. L.* 2. *ff. h. t.* Manifestum est, dum fur in ipso facto furandi, vel in loco, in quo furtum commissum, sive is publicus, sive privatus sit, antequam inde egrederetur, vel postquam inde egressus cum re furtiva, priusquam illam perferret ad locum, quo destinaverat eam deferre, & illa die cum eadem re permanere visus & deprehensus est, sive à Domino, sive à quocunque alio. *cit.* §. *furtorum.* Ad furtum igitur manifestum requiritur primò, ut, qui cum re deprehenditur, sit ipse fur. *L.* 3. *Inst. h. t.* ita bajulus, qui sciens rem furtivam ad perferendum accepit, & eodem die, priusquam ad locum destinatum pertulit, cum re furtiva deprehensus, fur manifestus non est. *L.* 35. *pr. ff. h. t.* Secundò, ut deprehendatur cum re furtiva, qualiter cum ea deprehensus censetur, dum accurrente aliquo ad furem comprehendendum, is abjectâ re furtivâ aufugit. *L.* 7. §. 2. *ff. h. t.* Lauterb. *l. c.* §. 7. Secus est, si is jam furtum abscondisset. *cit. L.* 7. §. 1. vel si eam jam vendidisset, & deprehenderetur cum pretio. *L.* 48. §. *fin. ff. h. t.* Lauterb. *l. c.* cum Carpz. *J. F. p.* 4. *c.* 32. *def.* 20. Furtum non manifestum à contrario dicitur, quando fur non est visus, aut deprehensus cum re furtiva, vel si cum ea deprehensus, postquam eam pertulit ad locum destinatum. Item furtum ab objecti quantitate dividitur in magnum, quod secundùm *Constit.* Carol. *a.* 157. continet vel excedit quinque solidos vel aureos, eórúmve æstimationem, quorum unus, quantum valuerit, uti etiam quantum modò, vide apud Lauterb. *l. c.* §. 12. ubi etiam, quòd ejus æstimatio sumatur secundùm tempus constitutionis, quo valor illius constitutus, in pœna autem furti attendatur ad usum hodiernum. Et in parvum, quod est infra illam summam: Item ratione qualitatis objecti. Aliud est sacrarum rerum, seu Sacrilegium; Aliud publicum, nempe peculatus, residuum. Aliud privatum, de quo hìc. Item ratione adjunctorum: Aliud diurnum, aliud nocturnum, prout de die vel noctu perpetratur, quorum hoc graviùs punitur. *L.* 16. §. 5. *ff. de pœnis.* Item aliud est loci, ut in navi, caupona, stabulo commissum. Aliud infortunii, nempe tempore incendii, ruinæ, naufragii patratum. Item ratione circumstantiarum aliud est simplex, cum quo circumstantiæ delictum aggravantes non concurrunt, aliud qualificatum vel periculosum, cum quo tales circumstantiæ concurrunt, v. g. si fit commissum cum effractione violenta aut seditiosa cum armis. §. 11. *Inst. h. t.* Aliud denique est furtum primum; aliud reiteratum, cujus divisionis, ut Lauterb. §. 15. maximus est usus, cùm reiteratum furtum delictum & pœnam aggravet, faciátque, ut fur pro famoso habeatur, juxta *ordinat. crim. a.* 160. & 163.

Quæst. 324. *Per quos furtum committatur?*

Resp. Præter dicta de hoc *quæst. ante hanc alterâ.* nimirum qualiter committatur furtum per ipsum dominum auferentem rem suam commodatam, datam pignori, aut in qua usumfructum concessit alteri, aut depositam habentem apud alium; per ipsos commodatarios, depositarios &c. per creditores respectu debitoris, per inventores rerum alienarum committitur furtum primò: à mandante illud fieri, nec non à dante ad hoc consilium, ministerium seu opem præstante, quia fraudulenter attrectant moraliter rem alienam. Farin. *pr. crim. q.* 168. *num.* 32. & *seq.* Tusch. *v. furtum. concl.* 562. *n.* 1. & 2. Pirh. *h. t. num.* 9. Wiestn. *n.* 9. cum communi, juxta *L. interdum. Inst. de oblig. ex delicto.* si tamen furtum ipsum non est secutum, non tenetur furti. *L. si quis uxori.* §. *neque verò. ff. h. t.* uti etiam, si quis fuisset commissurus furtum, cui consilium furandi datum, etiam sine illo consilio. Gl. *in cit.* §. *neque verò: v. vel consilium,* & non punitur consulens pœnâ saltem ordinariâ furti, sed aliquâ extraordinariâ. Farin. *l. c. n.* 41. Pirh. *l. c.* Secundò: is, qui furem cum re furtiva scienter recipit & occultat, furti tenetur, & pari pœnâ punitur. §. *conceptum. in fin. Inst. de oblig. ex delicto.* Tertiò: qui rem furtivam scienter

à fure emit. Arg. *L. incivilem. L. civile. c. h. t.* Item qui rem, quam scit esse furtivam, accipit in solutum; quia datio & acceptio in solutum emptio & venditio reputantur. *L. litis. ff. pro emptore. L. fin. ff. ex quibus caus. in possess.* Bajard. *ad Clarum. §. furtum. num.* 116. Harprecht. *ad §. fin. Inst. de oblig. ex delicto. n.* 14. Haunold. *Tom. 6. de J. & J. tr. 2. n. 254. in fin.* quamvis hi duo postremi asserant tam rei furtivæ emptorem, quàm accipientem illam in solutum non puniri pœnâ furti ordinariâ, sed extraordinaria. Quartò: quamvis furti teneri eum, qui conscius illius, id non indicat, absolutè dicatur *c. qui cum fure. h. t.* id tamen ita distinguendum per textum expressum. *L. qui vas. §. 1. ff. h. t.* ut procedat, si non tantùm simpliciter non indicet rem furtivam, sed illam positivè celet & occulter, ut dictum paulò ante, vel si citra positivam occultationem non indicet, & simul de re furtiva participet. ut Abb. *in cit. c. qui vas. n. 3.* Adde, quòd personam ipsam furis regulariter teneatur non indicare, non quidem eam abscondendo, sed purè non manifestando, si absque manifestatione illius res furtiva recuperari potest, ut D. Augustinus relatus in *can. ne quis. 22. q. 2.* Secus, si recuperari sine manifestatione furis non possit, vel si urgeat præceptum superioris, v. g. Episcopi præcipientis hanc manifestationem aut legitimè interrogantis, utì Judex seu Magistratus, cujus est provinciam à malis hominibus ex officio purgare, vel ex instantia partis procedens per inquisitionem potest, & tenetur compellere ad dictam manifestationem, publicando monitorias generales sub pœna excommunicationis latæ sententiæ contra eos, qui res alienas detinent injustè, nisi eas intra certum tempus restituerint, aut, quos sciunt eas detinere, non revelaverint. Abb. *l. c. n.* 2. Nav. *in man. c.* 17. *n.* 114. *&* 115. Barb. *in cit. c. ne quis. n.* 3. Pirh. *h. t.* Wiestn. *h. t. n.* 11. tunc enim authoritas & utilitas publica, exigens crimen non manere impunitum, prævalere debet obligationi naturali non infamandi proximum. Gonz. *in cit. c. ne quis. n.* 5. *&* 6. Reiffenst. *h. t. n.* 14. Wiestn. *n.* 12. non tamen tenetur vi talium monitoriarum generalium ipse clam accipiens, rem alienam restituere, si eam acceperit in compensationem debiti certi ac liquidi, cujus solutionem aliter commodè accipere non potuit. Sylv. *v. furtum. q.* 15. *n.* 19. Molina *tr. de Just. d.* 692. *n.* 2. *&* 3. & alii apud Barb. *l. c. n.* 3. qui tamen, ut talis occultatio sit licita, exigunt, ut ea, quantum fieri potest, fiat in re consumptibili, & ejusdem speciei, & absit periculum scandali, qui in suspicionem venire possent, rem illam furto sublatam, insuper, ut consulatur saluti debitoris, significando illi, sibi nihil deberi, aut à se peti; item, ut caveatur, ne ab hæredibus debiti compensati solutio fiat. Addit quoque Barb. *n.* 4. cúmque secutus Pirh. non teneri furem ad restituendum vi talium monitoriarum, si ipse re ablata egeat ad sublevandam propriam necessitatem. Quintò: constitutus in necessitate communi & modica, aut etiam gravi famis vel paupertatis subripiens rem alienam, non est omnino immunis à crimine furti & injustitiæ, nec ab omni pœna, sed saltem mitiore pœna plecti potest, est hodiedum certa, & caret omni controversia propter hanc ab Innocentio XI. damnatam propositionem: *permissum est furari non solùm in extrema, sed & in gravi necessitate.* v. g. ut vir honestus deberet aliàs mendicare, & tenuerunt eam aliàs verisimiliùs Sylv. *v. furtum. q.* 3. Azor. *p.* 2. *Inst. L.* 12. *c.* 8. *q.* 8. Farin. *l. c. q.* 174. *n.* 64. Pirh. *h. t. n.* 13. & alii apud Barb. *in c.* 3. *h. t. num.* 2. quia talis necessitas non facit res communes, nec tribuit jus in re aliena; unde etiam pro re minima & modici valoris, v. g. pro gallina datur actio, prout constat ex §. *gallinarum. Inst. de rerum divisione. & c. ult.* 14. *q.* 6. contrarium est de constituto in extrema necessitate, id est, dum quis, si non subriperet, vel etiam raperet rem alienam, exponeretur periculo mortis, vel gravissimæ infirmitatis; tunc enim subripiens res alienas, maximè cibaria, excusatur ab omni culpa, pœna & pœnitentia, cùm dicta necessitas reddat licitam acceptionem rei alienæ, imò non relinquat amplius alienam, respectu necessitatem patientis reddendo illam communem. Arg. *L. si laborante. §. 2. ff. ad Leg. Rhodiam de jactu. c. sicut. dist.* 47. juncta Gl. *v. commune.* Sarmiento. *de redit. eccles. p. 3. c. 4. num.* 4. quam communem non impedit contraria voluntas possessoris, quia illa rationabilis non est, & auferre nequit, quod natura permittit, seu tribuit. Nav. *l. c. n.* 5. Covar. *in Reg. peccatum. p. 2. §. 1. n. 3.* Azor. *l. c. q.* 6. Potest quoque talis, dum commestibilia non adsunt, quæ subripiat, subripere res alias, issque venditis comparare sibi panem & cibaria. Pirh. *h. t. n.* 15. Etsi autem, quòd, qui in extrema necessitate subripuit res alienas, dum postea locupletior factus, teneatur ablata restituere, communis fere, ut inquit Pirh. habeat sententia, quia necessitas extrema res alienas fecit communes quò ad usum, non quò ad dominium, quod non transit in accipientem. Neque enim id requiritur ad propulsandam extremam necessitatem, unde nec dominus tenetur rem suam donare extremè indigenti, cùm satis sit, quod commodet & mutuet reddendam, aut si consumpta, pretium illius cessante necessitate, seu eam patiente redeunte ad pinguiorem fortunam, & ita docent Nav. *cit. c.* 17. *n.* 61. *&* 62. Covar. *l. c. num.* 4. Zoes. *in Decretal. h. t. num.* 46. Clarus §. *furtum. n.* 25. dicens, esse tutiorem, quamvis addat, se in foro externo non recessurum ab opposita sententia, quam tanquam probabiliorem & veriorem tenent Sylv. *v. furtum. q.* 5. *n.* 10. *dicto* 3. Azor. *l. c. q.* 7. Barb. *in c. si quis. h. t. n.* 3. quos citat & sequitur Pirh. *h. t. n.* 16. ita, ut extremè egens re subreptâ consumptâ ad nihil teneatur, etsi posset; non ex re accepta, quia non habet rem acceptam penes se, cùm bonâ fide consumpserit, non ex acceptione, quia accepit non injustè aut illicitè, sed lege permittente. Sed neque ex contractu, aut quasi contractu, qualis in hoc casu nullus est; præter quæ tria non est alia radix obligationis restituendi. His non obstante, quòd res accepta in extrema necessitate non transeat in dominium accipientis; nam licet ante consumptionem non sit Dominus rei, hoc ipso tamen, quòd licitè & turâ conscientiâ possit consumere, per consumptionem factus est dominus, ac ita restituere non debet, non secus ac possessor bonæ fidei, si consumat fructus ex re aliena perceptos, ipsâ consumptione illos facit suos, ita, ut nihil restituere teneatur. Neque obstat, quòd debitor rei ex contractu, vel quasi contractu, ex delicto, vel quasi delicto superveniente extrema necessitate re consumpta teneatur illius pretium restituere, dum postea factus est ditior. Nam antecedens debitum ex contractu, seu quasi contractu contractum superveniente summâ necessitate non omnino per consumptionem extinguitur, sed solùm suspenditur & sopitur usque ad meliorem fortunam, qua redeunte tenetur ad solvendum illud, in præsente autem

casu,

casu, cùm extrema necessitas res omnes faciat communes & proprias accipientis & consumentis, obligatio restituendi est omnino extincta, quia nemo, quod suum seu proprium factum est, non tenetur restituere ex aliquo anteriore contractu, vel quasi tali. Neque denique obstat *L. Necennius. ff. de negot. gestis.* ubi dicitur, eum, qui alimenta præbuit in necessitate constituto, posse ea repetere, si ea se repetiturum protestatus est; cùm ibi sit sermo de præbenre alimenta indigenti, sed non extremè. Ita ferè Azor. & Pirh. *ll. cit.* Porrò procedere hæc omnia de accipiendo licitè res alienas citra obligationem restituendi, etiam dum quis rem alienam subripit, non ut sibi, sed alteri extremè egenti subveniat, tradit Pirh. *n.* 17. citato D. Thom. 2. 2. *q.* 66. *a.* 7. *ad* 3. & Azor. *l. c. c.* 8. *q.* 8. de quo tamen dubitari meritò potest, num subsistat, si subripiens ad subveniendum alteri sit ipse dives. Item procedunt hæc omnia, modò dominus rei non sit in pari necessitate, tunc enim auferre non licet, quia in pari necessitate potior esse debet conditio possidentis juxta *c. in pari de Reg. Jur. in* 6. Sextò: si inveniens rem aliquam alicubi jacentem accipit animo detinendi, & domino illius comparenti non restituendi, verè furtum facit, & actione furti tenetur, sive sciverit, sive ignoraverit dominum, cùm ad furtum evitandum nihil faciat, quòd, cujus res sit, ignoret: ut habet textus. *L. falsus.* §. 4. *ff. h. t.* ex quo textu & sententia D. Augustini rerum inventarum detentores (intellige cum animo retinendi) æquiparantur raptoribus. *can. si quid invenisti.* 14. *q.* 5. Secus autem est, sive furti non tenetur, qui rem inventam tollit, non ut fraudulenter retineat, sed ut ei, cujus est, comparenti reddat. *cit. L. falsus.* §. 7. tenetur autem inventor de rei domino, si hunc ignoret, diligenter inquirere, v. g. per promulgationem ex cathedra, vel per præconem aut schedulam proprio loco affixam, juxta qualitatem & æstimationem rei inventæ, & si hanc indagationem domini omittens rem retineat, furti tenetur, quia animo retinendi fraudulenter accepisse censetur. AA. mox citandi, facta verò sufficiente tali indagatione, si dominum non resciverit, nullâque spes amplius de domino comparituro apparuerit, potest eam in proprios usus convertere, quia tali casu nullum amplius habere dominium, aut ab eo derelicta esse censetur, adeóque facta primò occupantis, ita cum communiore Sa. *v. thesaurus. n.* 4. Sotus *L.* 1. *de just. q.* 4. *a.* 3. *ad* 2. Zoes. *h. t. n.* 13. Pet. Nav. *L.* 4. *c.* 2. *n.* 59. Castrop. *tr.* 31. *d. unic. p.* 19. *n.* 4. *& seq.* Wiestn. *h. t. n.* 16. Reiffenst. *num.* 20. contra D. Thom. 2. 2. *q.* 66. *a.* 5. *ad* 2. Covar. *l. c. p.* 3. §. 1. *num.* 2. Nav. *in man. c.* 17. *num.* 171. Mol. *de J. & J. tr.* 2. *d.* 746. & alios docentes inventorem teneri, res inventas dare pauperibus, aut ad causas pias erogare, quam doctrinam tanquam in praxi tutiorem suadendam, ait Castrop. *l. c.* & Laym. *L.* 3. *tr.* 1. *c.* 5. *num.* 24. De cætero, si in tali casu res inventas distrahat, aut consumat, non teneri ad restitutionem, ex jam dictis pro nostra sententia bene deducit Castrop. *l. c. n.* 7. His non obstantibus variis textibus juris, inventores non reddentes inventa damnantibus peccati gravis; cùm hi loquantur de inventoribus dominum indagare negligentibus aut nolentibus, non autem de iis, qui cognito domino parati sunt rem inventam restituere; quanta verò diligentia in indagando sufficiat, quantúmque tempus requiratur, & quamdiu inventor notitiam domini exspectare teneatur, de eo certa regula tradi non potest, sed arbitrio prudentis juxta circumstantias dijudicandum. Castrop. *l. c. n.* 5. Septimò: filiusfamilias à patre, uti & servus à domino dolosè aliquid subripiens verè & propriè committit furtum, quia sunt personæ diversæ à patre & domino, & verè contrectant rem alienam, actione tamen furti non tenentur, aut conveniri possunt; cùm enim pater filium, dominus servum domi corripere, & in eos statuere possint, quia sunt in potestate patris & domini, cum illis litigare necesse non habent, nec possunt, uti hæc habentur *L. his, qui. Inst. de oblig. ex delicto. L. nec sunt. L. servi & filii. ff. h. t.* Idem est de uxore subripiente res mariti, contra quam tamen etiam propter reverentiam & honorem matrimonii agi non potest actione famosâ, & turpi furti, sed solùm actione rerum amotarum. *L. si quis.* §. 1. *ff. h. t. L. in honorem.* & *L. rerum. ff. rer. amot. L. manifestissimi.* §. 4. *c. h. t.* ubi additur ratio ulterior, his verbis: quia lex ita atrocem actionem dare in personam tam conjunctam, erubuit. Octavò: socius, si re communi utatur, fit reus furti quò ad partem socii, quâ eo invito utitur. Pirh. *h. t. n.* 9. *in fin.* juxta *L. si socius. ff. h. t.* Denique quamvis, qui beneficium ecclesiasticum sine legitima institutione occupant, vel beneficia, quæ per adeptionem aliorum ipso jure vacant, detinent, furtum propriè non committant, quippe quod in re immobili vel corporali, quæ contrectari aut auferri nequit, non committitur, jure tamen canonico quasi furtum aut rapinam committunt. Pirh. *num.* 10. juxta *c. non furem. 7. q.* 1. *c. dudum de electione. c. sæpe. de rest. spol.* ubi Gl. *v. injustè detinere.* quòd jura pro eodem reputent auferre, & injustè detinere, quamvis possessor malæ fidei fructus beneficii, alteriúsve rei injustè percipiendo verè & propriè furtum committat. Abb. *in cit. c. dudum. num.* 19. Laym. *ibid. n.* 3.

Quæst. 325. *An & quæ actiones ex furto competant domino?*

1. Resp. Sunt sequentes: Prima est actio furti, (intellige in specie, & non latè sumpta) vel est actio criminalis, intendens publicam vindictam. *L. fin. ff. h. t.* vel civilis spectans pœnam actori applicandam, estque utraque quidem pœnalis, sed posterior merè pœnalis. §. 5. *Inst.* & *L.* 48. & *L.* 54. §. 3. *ff. h. t.* competitque omnibus, quorum ex justa causa immediatè interest, rem non esse sublatam, sive domini sint, sive non. *L. cujus interfuit. ff. h. t.* §. 3. & 13. *Inst. h. t.* eorúmque hæredibus. *L.* 1. §. 1. *de privil. del. L.* 47. & *L.* 64. *ff. h. t.* §. 1. *Inst. de perp. & temp. act.* Dicitur *personalis*, quia oritur ex delicto, datur contra furem, etsi res perierit. *L. inter omnes. ff. h. t.* non tamen datur contra hæredes furis, nisi fortè lis super furto cum defuncto fure jam prius fuerit contestata. *L.* 1. *ff. de privatis delictis.* §. 1. *Inst. de perpet. & tempor. act.* juncta *L. pœnalia. ff. de Reg. Jur.* datur insuper contra eos, qui ad furtum consilium & auxilium dederunt, aut rem furtivam receperunt, per *L. eos, qui. ff. h. t.* & dicta à nobis paulò supra; non autem contra servum, filiumfamilias, uxorem, juxta dicta quoque paulò antè. Dum oritur hæc actio ex furto manifesto, datur ad quadruplum, non quidem ipsius rei ablatæ, sed justæ æstimationis illius exigendum, non tamen ante sententiam Judicis condemnatoriam solvendum; si ex furto non manifesto, ad duplum, eò quòd, cùm furtum manifestum præter læsionem proximi contineat scandalum publicè pernicioſum, sit gravius, & ideo majore

pœna dignum, ut Harprech. *in §. pœnam. Inſt. de oblig. ex delict. num. 2. & 3.* Schneidevv. *in §. fin. Inſt. eod.* An verò actio illa furti in duplum & quadruplum adhuc hodiedum locum habeat, inter AA. non convenit, Tabor eam authoritate *Ord. crimin. a.* 157. 158. & 160. ab uſu non receſſiſſe, defendit *ad cit. art. th.* 1. Contrarium poſt multos alios defendunt Berlich. *p. 5. concl.* 43. *num.* 3. Carpz. *pr. crim. q.* 77. *n.* 5. & *q.* 78. *n.* 8. teſtantes de Saxonia, Harprech. *ad §.* 1. *Inſt. h. t.* de Ducatu Würtenb. Gudelin. de Gallia & Hollandia, ubi etiam omnes ferè pœnas pecuniarias jure civili conſtituras furto in uſu eſſe deſiiſſe, teſtatur Vinnius *ad §. 5. Inſt. h. t. n.* 2. ſed cùm hæc actio hodiedum in aliquibus abrogata, in aliis infrequens, nondum conſtare de generali conſuetudine abrogatoria illius per Carolum V. legi contraria, ait citatis aliis Lauterb. *ad ff. h. t.* §. 48.

2. Secunda eſt actio ad exhibendum. Tertia vindicatio rei. Quarta condictio furtiva, quarum duæ poſtremæ ſunt actiones principales, & quarum una vel altera cum actione furti concurrit, & unâ cum hac apud eundem Judicem inſtitui poteſt. Lauterb. *ad ff.* §. 34. Vindicatio rei furto ablatæ eſt actio realis competens domino non tantùm contra furem, ſed etiam contra quemcunque poſſeſſorem talis rei. §. 1. *Inſtit. de actione. &* §. *fin. Inſt. de oblig. ex delict.* idque, ſive bonâ, ſive malâ fide, juſto vel injuſto titulo rem poſſideat. *L. in civilem. & L. civile. c. h. t.* & ſic, ſi rem auferens obierit ante reſtitutionem, etiam hæredibus hac actione extorquenda injuſta poſſeſſio. *L.* 15. *c. h. t. L.* 5. *ff. de calumniator.* tenetúrque poſſeſſor, etiamſi rem furtivam bonâ fide emerit, eam reſtituere domino, licèt hic pretium pro re furtiva expenſum non refundat. *cit. L. in civilem.* datúrque etiam poſt actionem furti, & jam acceptum quadruplum à fure, juxta *L. ſi pignore.* §. 3. *ff. h. t.* Condictio furtiva eſt actio perſonalis, quâ rei furto ablatæ reſtitutio, ſi exſtet, aut aliàs ejus æſtimatio exigitur, & quidem cum omni incremento ſeu intereſſe. *L.* 8. *ff. de condict. furtiva.* competit autem ſoli domino. *L.* 1. *ff. eod. & L. eum, qui.* §. 16. *ff. h. t.* contra furem, & ſi ſint plures, contra omnes in ſolidum, ita tamen, ut ſi unus plenè ſatisfecerit, cæteri ſint liberi. *L.* 1. *c. de condict. furtiv.* datur quoque contra hæredes furis, etiam dum nihil ad illos de re furtiva pervenit; quod conſtitutum ſingulariter in odium furum, ne ii facilè habeant hæredes, per *L. fin. Inſt. de oblig. ex delicto. L. ex re furtiva. L. ſi pro fure. L. in condict. ff. de condict. furtiv.* ita etiam, ut fure affecto ultimo ſupplicio, hac actione hæredes conveniri poſſint, vi *Conſt. crim.* Carol. V. *a.* 51. 207. & 213.

Quæſt. 326. *Quæ pœnæ ſtatutæ ſint jure civili?*

1. RESp. Primò: Præter obligationem reſtituendi gravibus pœnis obnoxia ſunt furta, tam de jure civili, quàm canonico, & quidem de jure civili Juſtinianeo, ſeu veteri licèt prohibitum fuerit, ob furtum ſimplex puniri aliquem pœnâ mortis, aut mutilationis. *Auth. ſed novo. c. de ſervis fugitivis. & Novell.* 134. *c.* 13. *v. pro furto.* Lauterb. *l. c.* §. 49. puniebantur tamen præter pœnam dupli vel quadrupli domino ſolvendi vigore actionis furti pro diverſitate delicti, perſonarum & aliarum qualitatum, vel pœnâ pecuniariâ fiſco applicanda, vel carceris, vel relegationis, vel damnatione ad metalla, aliâve pœnâ corporali. *L. fin. ff. h. t. L.* 1. *& ſeq. ff. de furib. balnear. L.* 1. *& ſeq. ff. de effract. & expilat.*

2. Reſp. Secundò: Jure verò Cæſareo novo ob furta invaleſcentia pœnæ graviores, etiam mortis & mutilationis ſtatuta fuerunt, & quidem præter pœnam dupli vel quadrupli apud pleroſque populos pœna capitalis, ſi furtum eſt magnum vel iteratum. Menoch. *de arb. caſ.* 295. *n.* 9. Zoel. *ff. h. t. n.* 39. Pirh. *h. t. n.* 19. & in ſpecie Fridericus I. Imperat. *L.* 2. *feud. tit.* 27. §. *fin.* ſtatuit, *ut, ſi quis* 5 *ſolidis* (intellige aureis, ſeu 5 ducatis, ut Weſenb. *in paratit. ff. h. t. num.* 15.) *valens aut plus fuerit furatus, laqueo ſuſpendatur, ſi minus, forcipe & ſcopis excorietur & tundatur,* quod tamen genus ſupplicii etiam apud Hebræos in uſu fuiſſe, ex *num. c.* 25. *v.* 4. *Deuter. c.* 21. *n.* 22. conſtare videtur, utì & ante plura ſæcula in Europa uſitatum fuiſſe cum Tacito *de more Germ. c.* 12. teſtatur Beſold. *deliberat. Jur. L.* 47. *q.* 5. & de hac laquei, ſeu ultimi ſupplicii pœnâ à Carolo V. quoque confirmata *in Ord. crim.* juſtitia, etſi dubitent quidam, eò, quòd videatur improportionata delicto, dum quis pro bonis temporalibus, quæ longè inferioris ſunt ordinis, cogitur amittere vitam, à Magiſtratu tamen Chriſtiano obſervari poſſe præter Theologos & Juriſconſultos, paſſim quotidiana & communis oſtendit conſuetudo. Covar. *L.* 2. *var. reſol. c.* 9. *n.* 7. Vaſq. *in opuſc. mor. tr. de reſtitut. c.* 5. §. 1. *du.* 7. *n.* 36. Pirh. *n.* 20. Tabor. *ad Conſt. Carol. a.* 159. *th.* 6. *& ſeq.* Carpz. *pr. crim. q.* 77. Hahn *ad Weſenb. h. t. in fin.* aliique apud Lauterb. *l. c.* §. 46. idque ob tranquillitatem publicam, refrænandámque creſcentem hominum malitiam, avaritiam, rapacitatem, quæ aliis pœnis levioribus coerceri non poteſt, ut teſtatur experientia, quæ ratio tum temporis Carolum V. movebat ad ſic ſtatuendum, non tamen pro unico furto inferri poſſe mortem, contra Covar. *l. c.* Menoch. *de arb. caſ.* 295. *n.* 9. & alios (quorum tamen ſententiam non tantum mitiorem, ſed & probabiliorem, ſecundùm jura recentiora, dicit Reiffenſt. *n.* 43.) tenent Clarus §. *furtum. num.* 9. dicens communem. Farin. *pract. crim. p.* 7. *q.* 167. *n.* 47. Fach. *in L.* 9. *controv. a.* 91. Harpr. §. *pœna manifeſti. Inſt. de oblig. ex delicto. n.* 56. *& ſeq.* citatíque ab iis, eò, quòd nullâ lege aut jure reperiatur cautum, ut quis pro unico furto mulctetur morte, nec Judex debeat eſſe lege rigidior. *L. penult. ff. de pœnis.* ſed neque pœna furti etiam ſecundùm Conſt. Carol. V. eſt indifferenter capitalis, ſed æquitati Judicis multum relinquitur, & pro diverſis locis diverſa placent ſupplicíorum genera. Lauterb. *l. c.* faciendúmque imprimis diſcrimen inter furtum ſimplex & qualificatum, ſeu quod concurrentibus circumſtantiis redditur atrocius. Inter furtum commiſſum à mare & commiſſum à fœmina, quorum prius, ſi magnum, id eſt, continens aut ſuperans quinque ſolidos aureos, punitur ſuſpendio, ſecundùm *Conſt. Carolin. a.* 159. alterum gladio, ſubmerſione, ſuffocatione, quamvis *ibidem in fine.* ob conditionem fœminæ hæc pœna mitigetur, mutando illam in abſciſſionem manûs, (quæ tamen etiam non eſt ampliùs in uſu, ut Tabor. *l. c. th.* 26.) vel narium & aurium, caſtigatione ad numellas & inuſtione ſtigmatis cum relegatione, vel etiam ſuffocatione. Inter manifeſtum, & non manifeſtum, cùm manifeſtum graviùs puniri exigat, & ſi eſt parvum non manifeſtum, præter reſtitutionem rei, punitur pœnâ dupli æſtimationis illius, ſi fur eſt ſolvendo, aliàs pœna carceris. Si eſt parvum, & primâ vice commiſſum,

missum, manifestum tamen, & fur aliàs sit honestæ conditionis & solvendo, appareátque spes emendationis, punitur pœnâ quadrupli, si non sit solvendo, pœnâ carceris corporali, si verò fur vilis est conditionis, damnatur ad numellas, ibíque virgis cæditur, & relegatur; ita Reiffenst. *h. t. n.* 38. citatis *art.* 157. & 158. *Constit. Caroli.* Item faciendum discrimen inter furtum primâ vice commissum, & reitera tum de primo commisso. Jam dictis adde, quòd, si magnum furtum sit, *Const. Carol. art.* 160. non illico, nec regulariter definivit mortis, aliámve certam pœnam, sed reliquit arbitrio Judicis circumstantias (quæ sunt rei furtivæ quantitas, furis qualitas, constitutio & status, ætas, genus & familia, officium, damnum læsi) diligenter examinantis, nec non adhibentis consilium Jurisconsultorum in talibus casibus apprime versatorum, quibus omnibus maturè & solidè examinatis, ad pœnam capitalem deveniri potest. Lauterb. *ad ff.* §. 53. quamvis hodiedum in plerisque Germaniæ locis furtum etiam magnum, sed primum, capitaliter non puniri, nisi aliæ furti qualificati circumstantiæ concurrant, testatur idem cum Hahn *ad Wesenb. h. t. n.* 15. & remittat *ad Carpz. ſ. F. p.* 4. *c.* 32. *def.* 4. qui tamen *in pr. crim. q.* 78. *n.* 13. & 106. asserit, in foro Saxonico, & quibusdam Germaniæ locis, furtum magnum, etiamsi primum, modò excedat 5 solidos, capitaliter puniri, idque magis ex constitutionibus localibus, quàm verbis Caroli V. Furtum simplex secundò commissum parvum, si sumptum collectivè, seu unà cum furto primo parvo non excedat 5 solidos, punitur quoque non pœnâ mortis, sed publicâ ad numellas expositione & relegatione nullâ factâ distinctione inter furtum manifestum, & non manifestum. Lauterb. §. 54. Pirh. *h. t. n.* 22. Reiffenst. *n.* 39. idque, quia aggravat delictum. *L.* 3. §. 9. *ff. de re militari.* eáque potissimùm hoc casu, ut Tiraq. *de pœn. temp. casu.* 10. *n.* 5. si verò sit magnum utroque continente vel excedente summam, vel æstimationem 5 aureorum, secundum circumstantias arbitrio Judicis ex consilio Jurisconsultorum punitur corporaliter & extraordinariè, vel capitaliter juxta modum præscriptum. *a.* 160. *Const. Carol.* Furtum tertiò reiteratum, si certum & exploratum nulla attentâ quantitate & valore rei ablatæ punitur pœnâ capitali, in maribus suspendii, in fœminis suffocationis in aquis. Lauterb. §. 55. frequentia enim delicti ab uno commissi auget malitiam, excluditque omnem spem emendationis. *c. 6. de præsumpt.* & talis fur habetur pro famoso. *cit. art.* 162. juncta *L.* 28. §. 3. *ff. de pœnis. L.* 3. *in fin. c. de Episc. audient.* unica ejus pœna apud omnes ferè populos fuit capitalis. Porrò ut furtum reputetur secundum vel tertium, distinctum esse debet re & tempore à prioribus, aliàs pro continuatione ejusdem actûs reputabitur. Bocer. *tr. crim. c.* 1. *n.* 150. Zoes. *h. t. n.* 31. Tabor. *ad art.* 161. *Const. Carol. th.* 4. *in fin.* quos citat & sequitur Lauterb. §. 56. item Farin. *l. c. n.* 73. Clar. *l. c. n.* 14. Pirh. *h. t. n.* 23. Arg. *L. eum, qui. ff. h. t.* juncta Gl. *v. sed non in toto.* non tamen requiritur, ut omnia tria facta sint in eodem territorio; furta enim commissa extra territorium, in quo ob ultimum seu tertium furtum reus est captus, faciunt numerum, seu computantur cum ultimo facto in ordine ad pœnam mortis inferendam, cùm & alibi commissa affectum & actuum frequentiam indicent, unúmque alterum aggravet. Clar. *l. c. n.* 10. Menoch. *l. c. n.* 18. Farin. *l. c. n.* 51. & 58. Pirh. *n.* 23. Neque etiam refert, quòd fur de prioribus furtis fuerit absolutus, aut illa ex gratia remissa, quia remissio non minuit iteratum crimen, sed potiùs auget. Clar. *l. c. n.* 13. Farin. *l. c. n.* 68. Pirh. *l. c.* Neque refert, quòd propter duo priora fuerit punitus, quin propter tertium sit suspendendus; cùm duo priora non computentur ad ea iterum punienda, sed ad aggravandum tertium furtum, & puniti ob priora delicta, si ea continuent, graviùs sint puniendi. Pirh. *l. c.* cum Claro *l. c. n.* 12. Menoch. *l. c. n.* 19. Farin. *l. c. num.* 64. quin & debere eum esse priùs punitum, ut possit propter ultimum furtum affici pœnâ mortis, defendit apud Lauterb. §. 56. Harpr. eò, quòd sic repertus sit incorrigibilis, contrarium tamen, nimirum posse eum affici morte absque eo, quòd ob priora non sit punitus, tenentibus Theod. *de crim. c.* 2. *aphoris.* 747. Bocero & aliis.

Quæst. 327. *Quinam fures eximantur à pœna capitali?*

RESP. Eximuntur imprimis simpliciter infantes. Carpz. *pr. crim. q.* 143. *n.* 10. & infantiæ proximi. Carpz. *num.* 36. Tabor. *ad art.* 164. *Const. Carol.* Secundò: impuberes pubertati proximi, qui nimirum annum 14 nondum egressi, etiam sine discrimine sexûs. *cit. art.* 164. iísque ibi dictatur pœna arbitraria, quæ hodie plerumque esse solet incarceratio & castigatio cum comminatione pœnæ severioris infligendæ, si non desistant, posse tamen etiam horum furtum esse ita magnum aut periculosum, ut cum iis ad pœnam ultimi supplicii deveniri queat, tradit Berlich. *p.* 5. *concl.* 44. *n.* 34. & *seq.* & tunc Carpz. copulativè requirit duo, nimirum ut impubes mox impleturus sit annum 14. & malitia illius tanta sit, ut non speranda correctio. Tertiò: minores, utpote cum quibus regulariter mitiùs agendum, per *L.* 37. §. 1. *ff. de minorib.* Carpz. *l. c. n.* 61. & *ſ. F. p.* 4. *c.* 38. *def.* 7. & alii apud Lauterb. *ad ff.* §. 58. Quartò: conjunctæ personæ.

Quæst. 328. *Quænam sint pœnæ contra fures statutæ jure canonico?*

1. RESP. Primò: Tenetur fur etiam jure ecclesiastico præter interesse ad solvendam pœnam dupli vel quadrupli post latam sententiam Judicis, tametsi ante illam ad nihil ultra, quod abstulerat, restituendum teneatur Reiffenst. *h. t.*

2. Secundò: Non minùs jure canonico, quàm civili, fur notorius aut damnatus furti, sive Laicus, sive Clericus sit, est infamis. §. *ex quibusdam Inst. de pœna temerè litigant. L. athletas.* §. *fin. ff. de his, qui infam. not.* & ibi Abb. *n.* 14. & Felin. *n.* 2. qui enim secundùm leges civiles sunt infames, etiam tales sunt secundùm canones, nisi contrarium reperiatur statutum. *Can. Euphemium.* §. *hinc colligitur.* 2. *q.* 3. Diaz. *in pr. crim. can. c.* 94. *n.* 2. *in fine.* Pirh. *h. t. n.* 26. ubi etiam, quòd Clericus condemnatus tantùm ad restitutionem rei furto ablatæ per hoc non fiat infamis, quia credi potest, quòd fuerit actum condictione furtivâ, quæ non infamat, & non actione furti, quæ infamat, sicut id in legibus civilibus statutum est.

3. Tertio: Fit quoque fur manifestus aut convictus furti in judicio, & ideo notatus infamiâ publicâ furti, irregularis, ut ad Ordines promoveri, aut in susceptis ministrare nequeat. Abb. *in c. fin. h. t. n.* 3. & 14. Nav. *in man. c.* 17. *num.* 204. Suar. *de censur. d.* 48. *ſ.* 2, *n.* 2. Pirh. *num.* 27.

Wiestn.

Wiestn. *n.* 31. quæ irregularitas, etsi indirectè auferri possit à Principe, aliâve potestate sæculari, tollente directè infamiam à jure civili inductam, in qua irregularitas fundatur. Suar. *l. c. n.* 10. Henriq. *L.* 14. *c.* 5. *n.* 3. Pirh. *n.* 27. directè tamen illam tollere nequit; sed neque ullus alius id potest, & cum eo dispensare ad sacros Ordines præter Papam, quin & ipse id nunquam facere consuevit, nisi priùs abolitâ infamiâ juxta *c. cum te. de sent. & re judic.* ut notat Molin. *tr.* 4. *de J. & J. d.* 10. *n.* 3. Dicitur tamen notanter: *Fur notorius, aut furti condemnatus*; quia sicut fur ob furtum occultum infamiam juris non contraxit, ita neque irregularitatem. Proinde Episcopus ad Ordinum susceptionem, ministrationémque in illis furem occultum, etsi is illud ultro fateatur, admittere potest, modò pœniteat & restituat, post quam restitutionem & pœnitentiam peractam, aut congruam ejus partem fur occultus, etiam Sacrilegus citra dispensationem ad Ordines promoveri potest, prout constat ex *c. fin. h. t.* Pirh. *l. c.* contra quosdam asserentes, etiam ob delictum occultum reddi aliquem irregularem, & hinc egere dispensatione quò ad Ordines. Atque ita, ut fur promoveri possit ad Ordines, citra dispensationem, requiruntur quinque sequentia: spontanea confessio furti, restitutio seu satisfactio, modò eam præstare possit, ut non fuerit publicè infamatus de furto, ut peregerit pœnitentiam, partémve illius etiam imponendam post factam restitutionem.

4. Quartò: Præter pœnam infamiæ & irregularitatis Clericus fur notorius in furto notabilis quantitatis, aut iteratò deprehensus vel convictus, ab Ordine & officio clericali deponendus. *can. presbyter. dist.* 81. & *c. cum non ab homine. de Judiciis.* non tamen adhuc excommunicandus, ut Pirh. *h. t. n.* 25. cum Diaz. *in pract. crim. can. c.* 94. *num.* 1. si verò non resipiscat, excommunicandus est, crescentéque contumaciâ anathemate feriendus, id est, solenniter excommunicandus, ac tandem, si in contumacia perseverans evadat incorrigibilis, tradendus est curiæ sæculari ab ea legitimâ pœnâ puniendus, juxta *cit. c. cum non ab homine.* & *ibi* DD. communiter; ita Tholosan. *Syntagm. Jur. univers. p.* 3. *L.* 37. *c.* 2. *num.* 23. Pirh. *cit. n.* 25. Wiestn. *n.* 32. Reiffenst. *n.* 53.

Quæst. 329. *Quænam sint pœnæ quorundam furtorum in specie, & imprimis furti sacrilegi?*

1. Resp. Primò: Furtum sacrilegum (quod olim de jure civili juxta *L. Severus.* & *L. Sacrilegi. ff. ad Leg. Jul. de pecul.* non censebatur verum Sacrilegium, nec pœnis illius ordinariis subjectum, nisi esset ablatio rei sacræ ex loco sacro, hodiedum verò est, & sumitur etiam vi *Const. Carol. a.* 171. pro ablatione tam rei profanæ ex loco sacro, quàm sacræ ex loco profano, juxta *can. quisque.* 17. *q.* 4. quamvis etiam Azor. *Inst. mor. p.* 1. *L.* 9. *c.* 27. *q.* 6. Less. *L.* 2. *de Inst. c.* 45. *n.* 14. pro Sacrilegio propriè tali non habeant furtum rei non sacræ, seu non benedictæ, nec ad usus ecclesiasticos deputatæ in loco sacro, non securitatis & custodiæ causâ depositæ, vel Ecclesiæ concreditæ, sed casu ibi relictæ & positæ; tale, inquam, furtum sacrilegum sine violentia, seu effractione loci sacri commissum de jure civili punitur pœnâ arbitrariâ extraordinariâ, ita, ut juxta furti, rei & personarum qualitatem etiam ad mortem deveniri possit, furéque sacrilegi vivi comburi, in furca suspendi, vel aliàs capite plecti queant. *cit. c. Sacrilegi.* Host. *in Sum. tit. de crim. Sacril. h. t. n.* 3. Clarus §. *Sacrilegium. n.* 3. Menoch. *de arb. cas.* 289. Farin. *pr. crim. p.* 7. *q.* 172. *n.* 11. Pirh. *n.* 32. si commissum cum violentia verum violatorem Ecclesiæ constituit, & illius pœnam incurrit secundùm dicta.

2. Resp. Secundò: Jure Canonico præter excommunicationem, non quidem ipso jure, seu facto, sed ferendam incurrunt, à quo non absolvendi, priusquam plenè satisfecerint. Arg. *c. fin. h. t.* & *c. conquestus. de foro compet.* incurrunt varias alias pœnas. Primò: mulctam pecuniariam præstare debent Episcopis, Abbatibus, aliísve, ad quos querimonia Sacrilegii justè pertinet, *c. quisquis.* 17. *q.* 4. Secundò: hoc jure quoque, nimirum *can. attendendum. ead. caus. & q.* perpetuâ damnantur infamiâ, quæ tamen non incurritur, nisi post sententiam condemnatoriam furti, ut Farin. *l. c. n.* 22. vel, ut tradantur carceri, aut relegentur in perpetuum exilium. Atque ita furtum sacrilegum est fori mixti, ut etiam, si fur sacrilegus sit laicus, à Judice Ecclesiastico puniri possit, sítque locus præventioni inter Judicem sæcularem & ecclesiasticum. *cit. c. conquestus.* & *c. cum sit. de foro comp.* & *ibi* Abb. *n.* 1. Diaz. *l. c. c.* 91. *in addit. v. definitionem. lit. A.* Farin. *l. c. n.* 3.

Quæst. 330. *Quid sit plagium, & quæ illius pœnæ?*

1. Resp. Primò: Plagium est crimen publicum, quo homo liber, seu sui juris existens, vel etiam servus alienus dolo malo, seu scienter & fraudulenter subripitur, celatur, seu supprimitur, venditur, commutatur, donatur, datur in dotem, vel alio contractu, quo rerum dominium transfertur, traditur aliis. *L.* 1. *& seq. ff. ad Leg. Fabiam. de plagiariis.* Pirh. *h. t. n.* 35. Lauterb. *in ff. ad Lib.* 48. *tit.* 15. §. 1. quod crimen, etsi non sit propriè furtum, (quale tamen est, si proles sub patria potestate constituta patri, non matri, quippe potestate in prolem carenti, ita subripitur. §. *interdum. Inst. de oblig. ex delicto.* quia & ita patri competit actio furti) quia persona libera sub nullius est dominio & commercio, est tamen quasi-furtum, & furtis annumeratur. §. *idem. Inst. de inutil. stipulat.* Pirh. *l. c.* Reiffenst. *h. t. n.* 57.

2. Resp. Secundò: Plagii pœna jure civili olim erat tantùm pecuniaria. *L. fin. ff. ad Leg. Fabiam de plagiar.* postmodum hâc pœnâ abrogatâ, successit pœna arbitraria pro modo delicti, & plerumque exilii, aut damnationis ad metalla, ac demum pœna capitis, & quidem, si ingenuus, gladio perimendus, si servus vel libertus bestiis objiciendus. *cit. L. fin. & c.* 1. *h. t.* desumpta ex jure divino, nempe ex lege veteri *Exod.* 21. *vers.* 17. ubi dicitur: *Qui furatus est hominem, & vendiderit illum, convictus noxæ morte moriatur.* Comprehendit etiam hæc pœna capitalis non solùm scienter vendentem hominem, sed & ementem, utì & non tantùm donatorem, sed etiam donatarium, juxta *c.* 1. *h. t.* Pirh. *n.* 18. juncta *L.* 6. & *L. fin. c. ad Leg. Fabiam*, quæ tamen interdum adhuc in mitiorem, puta exilii, aut metalli mutatur, *L. fin. ff. eod.* Jure verò ecclesiastico acriter puniri debent, sed citra mortem, cùm Ecclesia pœnam sanguinis infligere nequeat. *c. in Archiepiscopatu. de raptor.* vel etiam, ut Pirh. *n.* 37. per mortem intelligendo non naturalem, sed excommunicationem, (quæ est mors quasi civilis, utpote per quam à communicatione fidelium veluti mortuus separatur, juxta *c. per*

venera-

venerabilem, qui filii sint legit.) quam etiam Episcopus pro hoc crimine etiam Laicis infligere potest, utpote illi quò ad hoc crimen subjectis, quia per illud detrahitur Religioni Christianæ. Abb. *in cit. c. 1. h. t.* quamvis per mortem etiam intelligi possit depositio ab Ordine & officio; cùm & ipsa sit mors quædam civilis. Pirh. *l. c.* quin & Judex ecclesiasticus furem hominis liberi tradere potest curiæ sæculari morte puniendum. Harprech. *in §. est & inter. Inst. de publ. judiciis. n. ult.* Porrò has pœnas plagiariorum, tam jure civili, quam canonico statutas non incurri à magnis dominis, dum sibi invicem donant pigmæos, cantatores, morliones & similes, quia non dant illos, ut priventur libertate, sed ut liberi maneant, sicut ante erant apud donantem, tradunt Abb. *in c. 1. h. t. in princ.* Bart. *in L. lege. ff. ad Leg. Jul. peculat.*

Quæst. 331. *Quid sit peculatus, & quæ ejus pœnæ?*

1. Resp. Primò: Est crimen publicum, seu species furti, quo pecunia publica ab eo, cujus fidei & periculo commissa non est, surripitur. *L. 9. §. Labeo. ff. ad Leg. Jul. peculat.* veniuntque nomine pecuniæ publicæ res omnes ad ærarium Reipublicæ, aut fiscum Principis pertinentes. *cit. L. lege.* & §. 9. *Inst. de public. Judic.* quo etiam reducuntur pecuniæ communes, sacræ & religiosæ. *cit. L. lege.* ut autem hæc species furti distinguatur ab altera ejus specie, nimirum furto Sacrilego, aliqui in descriptione illius addunt, *pecunia profana.* Tale itaque crimen loquendo generaliter committunt, qui fraudem faciunt per se, vel per alios ærario publico. *L. 1. ff. ad Leg. Jul. peeul.* & in specie, qui pecuniam publicam auferunt, recipiunt, & in usus suos convertunt. *L. 1. ff. & L. unic. c. h. t.* Item, qui in aurum, argentum, æs publicum aliquid indunt, & immiscent, quo id pejus fiat. Lauterb. *in ff. Lib. 48. tit. 13. ad Leg. Jul. pecul. §. 2.* citans *L. 1. & 9. ff. ad Leg. Cornel. de falsf.* Item Judices, qui authoritate officii pecunias publicas ad se trahunt, & penes se retinent. Lauterb. *l. c.* juxta *L. unic. c. h. t.* Item, qui prædam ab hostibus captam surripiunt. *L. 13. ff. h. t.* plura exempla peculatûs vide apud Lauterb. *l. c.* inter quæ illius reos numerat, qui ad peculatum ministerium suum præbuerunt, vel res subtractas scientes, vel quovis modo committentes peculatum susceperunt. §. 9. *Inst. L. 1. & 6. §. fin. ff. L. unic. c. h. t.*

2. Resp. Secundò: Pœna peculatûs alia est pecuniaria, & quidem quadruplum. *L. Sacrilegii pœnam. in fin.* & *L. is, qui. ff. h. t.* Lauterb. *l. c.* §. 4. Reiffenst. *h. t. n. 62.* Extenditur hæc pœna adversus hæredes committentis peculatum, contráque eos movetur quæstio principalis ablatæ pecuniæ. *L. fin. ff. h. t.* sed non nisi intra annum ejus, qui peculatum fecit. Arg. *L. 2. ff. ad Leg. Jul. reper.* Gilhaus. *arb. crim. c. 2. t. 28. n. 7. in fin.* Lauterb. *l. c.* Alia est corporalis, & quidem in privatis personis deportatio. *L. peculatus. ff. h. t.* quæ tamen pœna hodie in usu non est, sed ei successit pœna arbitraria. Farin. *pr. crim. p. 7. q. 171. n. 5.* Pirh. *h. t. n. 39.* In magistratibus verò, personísque publicis publico officio fungentibus, eorúmque ministris, qui tempore administrationis tales pecunias abstulerunt, est pœna capitalis. §. *item Lex Julia peculatus. Inst. de publ. Judic. L. unic. c. de crim. peculat.* Pirh. Reiffenst. Lauterb. *ll. cit.* eò quòd, cùm hujusmodi personæ plures haberent opportunitates, pecunias publicas intercipiendi, hinc & majoris pœnæ metu fuerint deterrendæ. Menoch. *de arb. cas. 587. n. 6.* Matth. *L. 48. tit. 10. c. 2. n. 2.* Lauterb. *l. c.* Peculatus denique, quem de jure canonico committunt Presbyteri, aliique Clerici bona ecclesiastica sibi appropriantes vel alienantes, punitur excommunicatione, nisi res surreptæ celeriter restituantur. *c. si quis de rebus eccles. non alien.* & si, qui illum commiserunt, restituere non possunt, deponuntur, *c. Diaconi. 12. q. 2.* Farin. *l. c. n. 10.* Pirh. *n. 39. in fin.*

Quæst. 332. *Quid sit furtum de residuis, & quæ pœnæ illius?*

1. Resp. Primò: In strictissimo sensu est delictum publicum, quo pecunia publica ad usum publicum deputata non erogatur ad illum ab eo, cujus fidei & periculo concredita, sed retinetur, vel in alium usum convertitur. Lauterb. *l. c.* §. 9. Reiffenst. *h. t. n. 63.* Sicque residuum differt à reliquo, quod in rationibus privatis restat, ut Harprech. *ad §. 11. Inst. de publ. Judic. n. 36.* sic itaque hoc crimen committitur à dolosis quæstoribus, præfectis, publicanis & similibus officialibus, qui pecuniam publicam ad certum usum delegatam ex proposito retinent, & in usum illum non erogant. *L. 2. §. 4. L. 9. §. fin. ff. h. t.* nisi in aliud commodum publicum expenderint, ut Menoch. *l. c. cas. 586. n. 26.* ubi tamen id ipsum sublimitat in pecunia ad salaria deputata, vel qui ex locatione, emptione alimentaria, aliáve ratione acceptam pecuniam publico non solvunt, vel in usum proprium convertunt. *cit. L. 4. §. 3.* & *cit. L. 9. §. 6.* atque ita de hoc crimine criminaliter accusari possunt, qui pecuniam salario destinatam debito tempore non solvunt, præfecti, qui stipendia militaria militibus non exsolvunt, Xenodochiorum perfidi administratores, Senatores reditus civitatis in suos usus convertentes, qui tamen ex sola culpa, nimirum ex negligentia tantùm (quæ potiùs quam dolus præsumitur) rationes reddere nequeunt, modò defectum resarciant. Lauterb. *l. c.* §. 10. cum Berlich. *p. 5. concl. 57. n. 56. & seq.* sed neque is, cujus fidei pecunia, vel aliud quid cum administratione, sed privata committitur (qualis tutor, curator, institor, negociorum gestor) ob conversionem in alium finem, non tenetur hac ratione residui, nec furti, nisi de animo furandi constet. Berlich. *n. 22. & seq.*

2. Resp. Secundò: Convictus de hoc crimine præter infamiam omnibus delictis publicis statutam. *L. infamem. ff. de Jud publ.* & motionem ab officio, ut Gilhaus. *l. c. n. 9.* Harprech. *n. 38.* Lauterb. *l. c.* §. 11. ultra rem iniquè detentam, vel non debitè erogatam, punitur ampliùs tertiâ parte rei, v. g. qui retinuit 300 florenos. præterea pro pœna solvere debet 100. *cit. L. 4. §. 1. ff. ad Leg. Jul. peculat.* & qui non habet in ære, punitur in corpore, v. g. carcere, vel prout delicti circumstantiæ exigunt, nunquam tamen extra Electoratum Saxoniæ puniri, ut fures suspendio, sed pœnâ extraordinariâ, docent Berlich. *l. c. n. 31.* Carpz. *pr. crim. q. 85. n. 16.* Porrò in hæredes quoque illius, qui residua debent. *L. fin. ff. h. t.*

Quæst. 333. *Quid sit abigeatus, & quæ pœnæ illius?*

1. Resp. Primò: Est species furti, vel quasi furti, & maleficium extraordinarium, quod in pecoribus è stabulis, pascuis, gregibus abducendis committitur, quorum proinde prædatores, abigei,

abigeatores, abactores, subtractores pecorum, dicuntur Christin. *Vol. 4. decis. 203. num. 3.* quales non sunt, sed potiùs simplices fures, qui ovem aberrantem, vel equum in solitudine relictum abduxerint. *L. 1. §. 1. ff. de abigeis.* Lauterb. *l. c. §. 11.* Pirh. *n. 40.* nisi sæpius abegerint etiam unum solùm, vel alterum pecus. *L. fin. §. pen. ff. de abigeis.* Pirh. *l. c.* Lauterb. *§. 3.* quamvis aliàs juxta textum expressum *cit. hujus L.* abigei non sint, qui de grege ovium minùs quàm decem, & de grege porcorum minùs quàm quinque abduxerunt. Tales item non sunt, qui animalia, quæ non veniunt nomine pecorum, ut sunt anseres, anates, gallinæ, columbæ, canes, aliáque animalia domestica, cicurata furantur. Gilhaus. *arb. crim. c. 2. tit. 30. in fine.* Lauterb. *l. c.* unde jam abigeatus describi potest, quòd sit abactio pecorum alienorum fraudulenta, facta lucri gratiâ. Harprech. *disp. de crim. abig. th. 25. & seq.*

2. Resp. Secundò: Cùm hoc crimen majus sit simplice furto & abigei improbiores fures, dum plerumque etiam ferro vel gladio utuntur, ac ita, cùm vi abigunt, graviùs puniuntur. *cit. L. 1. §. 3.* Et quidem abigeatus, quo abiguntur pecora è stabulis, acriùs & pleniùs puniri debet, quia fit cum effractione stabuli, quàm quo ex grege, sylva, pascuis abducuntur. *L. 1. ff. de effractorib.* Harprech. *§. pœna. Inst. de oblig. quæ ex delict. n. 108. & 109.* Pirh. *cit. num. 40.* & qui frequentiùs hoc crimen committunt, ad gladium damnantur; cùm frequentia soleat augere pœnam, eamque mutare in capitalem. *cit. L. 1.* & *ibi* Brunnem. *n. 1.* & *L. 2. ff. de abigeis.* idque præsertim in reis humilioris fortunæ, dum honestioribus irrogatur non pœna gladii, sed relegationis aut remotionis ab ordine. Lauterb. §. 4. Pirh. *l. c.* aliàs pro varietate circumstantiarum, delicti & personæ pœna est arbitraria, puta metalli, damnationis ad opus publicum, aut etiam ad bestias, dum abigeatus commissus vi & cum effractione; receptores verò abigeorum, si socii criminis non sunt, puniuntur decennali relegatione. *L. 3. §. fin. ff. de abig.* Lauterb. *l. c.* quamvis hodiernis moribus in pluribus locis pœna hujus criminis eadem sit, quæ alterius furti, ita, ut usque ad pœnam mortis deveniri possit. Carpz. *pr. crim. q. 86. n. 3.* Lauterb. *l. c. §. 5.* in omnibus tamen his vel maximè consuetudo regionis spectanda. De cætero, etsi jure canonico nulla statuta sit pœna præcisè in abigeos, quia tamen SS. Canones pœnas infligunt, juxta qualitatem & quantitatem culpæ, abigeus autem, ut dictum, fur sit improbior, hoc jure major pœna ei irroganda, quam simplici furi, adeóque Clerico reo hujusmodi criminis pœna depositionis imponi poterit. Farin. *pr. crim. p. 7. q. 167. n. 109.* Pirh. *l. c.*

Quæst. 334. Num fures ad declinandas pœnas gaudeant asylo?

Resp. Furibus, sive cum, sive sine re furtiva confugientibus ad asylum Ecclesiæ ab ea nullam tribui immunitatem, sed illos inde abstrahi, & ad carceres Judicis sæcularis deduci posse, cum Harprech. Covaruvia & aliis defendunt Myler. *de jure asyli. c. 10. num. 11.* & Fromman. *disp. de inquisit. rei furt. th. 16.* apud Lauterb. *in ff. Lib. 47. tit. 2. §. 60.* iis consentientem & citantem *c. fin. de immunit. Eccles.* cujus tamen textus ad summum intelligendus videtur de fure, qui furatus est in Ecclesia, aut rem Ecclesiæ.

Quæst. 335. An & quo jure teneatur fur restituere ablata?

Resp. Non tantùm jure humano, sed & divino ac naturali tenetur restituere ablata, quia ablatio hæc continet gravem injuriam proximi, cui invito res sua fraudulenter aufertur & detinetur, ac proinde ad satisfaciendum proximo pro ea præter pœnitentiam, quâ DEO reconciliatur, pœnámque, quâ satisfit vindictæ publicæ, necessaria est restitutio rei alienæ, & quantumvis hæc restitutionis obligatio vim non habeat, casu, quo fur non potest, & unde restituat, non habet, omnino tamen non extinguitur, sed astringitur ad restituendum pro tempore, quo ad pinguiorem fortunam fuerit reversus; ita AA. communiter.

Quæst. 336. An res furtivæ apud furem a Judice comprehensum restituendæ domino, an verò Judici, officialibus & ministris justitiæ, aut fisco obveniant?

Resp. Indubitatum est, res illas restituendas privativè vero domino, dum de eo constat, uti expressè declaravit Carolus V. in sua *Const. art. 207.* & Frider. *in Recess. de Anno 1559.* qui etiam ambo statuta, & consuetudines contrarias, tanquam veros abusus & corruptelas Jure divino & naturali reprobarunt, ex ea ratione, quòd iniquum, & juri naturali repugnans sit, quòd quis cum jactura & damno alterius locupletetur, & domini res sine facto in alium transferantur. *L. nam hoc. ff. de condictione indebiti.* juncto *c. locupletiores de reg. in 6.* Unde jam etiam non valet, quod opponunt quidam iniqui & avari Judices, nimirum capturam furum, custodiam, alimentationem, torturam, executionem magnas requirere expensas, ad hæc labores Judicis & officialium mereri aliquam mercedem, unde res furtivæ apud furem apprehensum inventæ meritò applicentur in refusionem dictarum expensarum fisco, mercedémque officialium justitiæ, siquidem quæ Judici, Magistratui ex officio incumbunt, qualia sunt à criminibus, malísque hominibus purgare provinciam, ipsi absque alterius privati damno aut præjudicio præstari debent; ita Arg. *L. puta. §. 2. ff. de condition. ob turp. caus.* cum Berlich. *pract. p. 5. concl. 54. n. 32.* Reiffenst. *h. t. n. 45.* præsertim cùm officiales istiusmodi ad hæc aliunde jam sufficiens salarium habere censeantur.

Quæst. 337. An, qui & qualiter edere possint Decretum generale, ut res furtivæ dominis restituantur?

Resp. Potest Episcopus, non item Prælatus illo inferior, multóque minùs potestas sæcularis contra injustum detentorem, uti etiam contra eum, qui rem furtivam ab alio detentam scit, & non revelat, edere Decretum generale, in eóque debitis monitionibus præmissis statuere, ut, qui intra certum terminum rem furtivam magni momenti non restituit, vel etiam sciens non revelat, ipso facto sit excommunicatus, ita Trident. *sess. 25. de reformat. c. 3.* vi tamen talis Decreti ad revelandum vel denunciandum non tenentur illi, qui id absque sua, suorúmve infamia aut gravi præjudicio facere non possunt, uti nec illi, qui rem certò non sciunt, vel saltem per unum testem probare nequeunt. Reiffenst. *n. 48.* citans Engels *de sent. excomm. n. 24.* ac remittens ad Barbos. *de off. & potest. Episc. alleg. 96.*

TITU-

TITULUS XIX.

De Usuris.

CAPUT I.

De Natura, Divisione Usuræ, déque Malitia & Prohibitione Usuræ propriè dictæ.

Quæst. 338. *Usura quotupliciter sumatur, & qualiter dividatur & definiatur?*

1. Resp. Ad primum: Usura dicta ab usu in genere significat usum rei alicujus, in specie verò sumitur, vel pro conventione, seu contractu usurario, vel pro commodo, fructu seu lucro ex hoc contractu, & rei usu proveniente, seu acquisito, sicut & furtum subinde pro actione furandi, subinde pro re furtiva accipitur. Molin. *tr.* 2. *de Just. d.* 303. *n.* 2. & 4. Et adhuc specialiùs pro lucro ex mutuo, unde usura lucratoria dicitur & alio nomine fœnus, éstque ea usura propriè dicta, de qua præcipuè in præsenti, & de qua intelligendi DD. quando absolutè de usuris loquuntur.

2. Resp. Ad secundum primò: Usuræ aliæ sunt compensatoriæ, in quibus paciscitur de solvenda ultra sortem pecunia, aliáve re pretio æstimabili ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, aut ratione periculi, laboris seu expensarum, quæ probabiliter subeunda in mutuo recuperando. Aliæ moratoriæ seu punitoriæ, quibus paciscitur de subeunda pœna, v. g. ultra sortem præstanda, si mutuatarius in mora sit non reddendo mutuum statuto tempore. Aliæ sunt lucratoriæ, quando quid purè ratione & nomine solius mutui exigitur & solvitur, describitúrque passim ab AA. quòd sit lucrum immediatè ex mutuo proveniens, sive sit pecunia, sive res alia temporalis pretio æstimabilis, & aliunde indebita, quam creditor extra sortem vi solius mutui alteri dati exigit, & quasi ex justitia debitam accipit. *Can. plerique. & can. fin.* 14. *q.* 3. Dicitur primò: *Lucrum*; utpote in quo usura propriè locum habet, ut D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. éstque lucrum incrementum, quod vi mutui intenditur & datur ultra quod datum est mutuo, ut, dum pro centum florenis mutuo datis exiguntur centum & decem. Dicitur secundò: *Proveniens immediatè ex mutuo*; seu principaliter ob mutuum; hinc usura non committitur, si mutuanti ultra quod mutuo ab eo accepit, donet quid ex gratitudine, item si mutuans mutuet sub hoc pacto, ut mutuatarius solvat priùs, quod sibi debet vel reddat depositum, vel ne sibi injustè noceat; quia mutuans nihil accipit supra sortem vi mutui. Item dum quis alicui concedit pecunias ad pompam & ostentationem petito certo pretio; quia illud pretium non accipit ultra sortem ex mutuatione, sed ratione locationis. Less. *de Just. L.* 2. *c.* 20. *du.* 3. *n.* 19. & 20. Pirh. *h. t. n.* 4. Item si quis vendat vel locet rem suam supra justum pretium; quia hoc lucrum non provenit ex mutuo, sed ex injusta venditione. Less. *l. c.* Dicitur tertiò: *Sive res proveniens ex mutuo sit pecunia*; sive res alia, puta vinum, frumentum, pretio æstimabilis. Hinc committitur usura, si mutuetur pecunia cum pacto, ut mutuatarius obligatus sit ad obsequia & honorem externum mutuanti, vel ad commendandum se apud alios; quia munus ab obsequio, & à lingua sunt pretio æstimabilia, adeóque materia usuræ, si in pactum deducatur talis obligatio, utpote quæ onus est mutuatario ultra sortem. Laym. *L.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 2. Pirh. *n.* 3. Item si mutuet cum pacto, ut remittat sibi obligationem restituendi famam injustè læsam à mutuante, idem est, si mutuet cum pacto, ut sibi actionem, quam mutuatarius justè intentare potest ob injuriam sibi illatam, remittat; cùm hoc jus agendi sit pretio æstimabile, nisi tamen præsumi possit, quòd mutuatarius gratis & liberaliter condonare velit obligationem satisfaciendi pro injuria ob præstitum beneficium mutuationis. Mol. *l. c. d.* 107. *n.* 8. Laym. Pirh. *ll. cit.* Dicitur quartò: *Sive rei corporalis*; unde si mutuans exigit spirituale, seu annexum spirituali, v. g. orationem, Sactificium missæ, beneficium ecclesiasticum vi mutui, non committit usuram, sed potiùs Simoniam. Wiestn. *h. t. n.* 3. Dicitur quintò: *Res aliunde indebita*; si enim à mutuatario exigitur quid aliunde debitum, v. g. ut debitum solvat, ut depositum reddat ablatum, non committit usuram; quia hæc exigens vi mutui dati necdum onus novum imponit mutuatario, sed solùm petit, ut præstet id, quod sine injuria negare non potest. Molin. *l. c. d.* 309. Less. *l. c. c.* 20. *n.* 18. Wiestn. *h. t. num.* 4. Dicitur sextò: *Ultra sortem*; sors autem dicitur ipsum capitale, seu quod datur mutuo, v. g. 100. floreni, quod suprà datur, usura, seu fœnus vel lucrum, v. g. decem floreni.

3. Resp. Tertiò: Dividitur usura ulteriùs in mentalem & realem: mentalis est, quando quis eo animo & intentione mutuat, ut acquirat lucrum ex mutuo, tanquam ex justitia debitum, nullo interveniente pacto expresso aut tacito de lucro. Quare usura hæc non accipitur pro sola voluntate, & pacto interno usuræ, prout præscindit ab omni actu externo, sed pro actu externo, quo mutuum datur cum spe & intentione accipiendi lucrum ex mutuo, non gratuito, sed tanquam vi mutui dati debitum. Usura realis est, dum quis mutuat cum pacto expresso vel tacito, accipiendi lucrum ultra sortem ex mutuo; Unde subdividitur in expressam & tacitam. Expressa & formalis, seu manifesta usura est, quando expressè exigitur quid ultra sortem, tanquam pretium mutuationis, v. g. ultra 100. florenos creditor, seu mutuò datos exiguntur decem vel quinque, seu paciscitur de illis post annum solvendis; tacita, seu virtualis & palliata, quæ non committitur vi contractûs mutui formalis, seu expressi, sed nomine, seu specie alterius contractûs veluti pallio occultatâ, v. g. dum mercator merces cariùs vel viliùs vendit ob dilatam vel anticipatam solutionem.

4. Resp. Quartò: Dividuntur usuræ reales pro diversa earum taxatione & moderatione, ita, ut aliæ sint centesimæ, aliæ bessales, semisses, quincunces,

cunces, quadrantes, trientes, quarum aliquæ ratione quantitatis sunt & dicuntur mordentes, seu illicitæ, utpote offendentes dilectionem proximi, idque vel propter qualitatem personæ debitoris, v. g. si à persona tenuis fortunæ, vel misera exigantur, vel propter quantitatem usurarum, dum nimirum supra licitum & statutum modum promissæ à debitore postulantur, vel propter iniquitatem conditionis nimis rigorosæ. Aliquæ sunt non moderantes, seu licitæ, quæ exiguntur ab iis, à quibus exigi possunt legitimo modo à Magistratu præscripto & permisso; ita Lauterb. *ad ff. h. t.* §. 9.

5. Resp. Quintò: Dividuntur in usuras simplices, de quibus hactenus, & in usuras usurarum, quæ ex usura, seu lucro usurario non soluto, tanquam ex nova sorte exiguntur, v. g. dum quis mille florenos pro 50 annuatim solvendis in mutuum dat, & de illis 50 florenis debito tempore non solutis, tanquam summa capitali præter priorem usuram novam usuram, v. g. florenum unum cum dimidio exigat annuatim. Usuræ tamen usurarum ampliùs non sunt, si usuræ solutæ denuo mutuo dentur; quia tunc constituunt novum capitale. Brunn. *ad L. fin. C. h. t.* Cothman. *Vol.* 4. *cons.* 38. *n.* 20. Lauterb. *in ff. h. t.* §. 28. & sic *cit. L. fin. de usuris* debitis & debendis, non verò de solutis loquitur. Gl. *ibid. v. ponere*, similiter, si persona debentis usuras mutetur, v. g. si tutor exigat usuras pupillares, eásque in suum usum convertat, tunc harum usurarum usuras præstare tenetur, quia in ejus persona non habent ampliùs locum usuræ, sed sortem constituunt. Lauterb. *l. c.* juxta *L.* 7. §. 12. *L.* 58. §. *fin. ff. adm. tut.*

Quæst. 339. *Usuræ propriè tales, seu lucratoriæ, an & quo jure prohibitæ?*

1. Resp. Primò in genere: Has usuras, sive expressas, sive tacitas, illicitas & prohibitas esse, communis & catholica est sententia. D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. & ita quidem, ut id pertinaciter negare nemo possit sine hæresi post Concilium Viennense relatum in *Clem. unic.* §. *fin. h. t.* ita Sylv. *v. hæresis.* 1. *n.* 7. Farin. *pr. crim. q.* 178. *n.* 85. Wiestn. *h. t. n.* 7. Arg. *cit. Clement.* ubi: *Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuram non esse peccatum, decernimus, illum ut hæreticum puniendum, locorum quoque Ordinariis & Inquisitoribus hæreticæ pravitatis districtiùs injungentes, ut contra eos, quos de istiusmodi errore diffamatos invenerint, aut suspectos, tanquam contra diffamatos, vel suspectos de hæresi procedere non omittant.* Quare usuras esse illicitas, esse de fide ex communi, absolutè pronuntiat de Lugo *Tom.* 2. *de Just. d.* 25. *s.* 2. *num.* 8. & cum eo Pirh. *h. t. n.* 6. *vers. idem colligitur.* licèt aliqui dicant oppositum, nempe non esse hæresim, sed temerarium, periculosum, erroneum, vel errori proximum.

2. Resp. Secundò in specie: Esse eas prohibitas Jure ecclesiastico, liquet passim ex SS. Canonibus. *Can. quoniam. dist.* 37. *can. Apost.* 43. Conc. Nicæn. *c.* 18. & ex decretis Constitutionibus & Rescriptis Pontificiis, tam quinti, quàm sexti Decretalium. *h. t.* utì & ex *cit. Clem. unic.* §. *fin. eod.* verùm Canones illos prohibitivos usurarum non esse omnino generales, sed restringendos ad usuras immoderatas, mordentes & nocivas rectè docent Tusch. *pract. concl.* 336. *n.* 25. *Lit. V.* Piguera. *pr. crim. q.* 30. *n.* 7. Hagen. *tr. de usur. c.* 6. *num.* 31. Hahn. *ad Wesenb. h. t.* quos citat & sequitur Lauterb. *ad ff. h. t.* §. 12. cum communi. Sumiturque hujus prohibitionis sic restrictæ fundamentum ex sacra Scriptura, adeóque ex ipso jure divino positivo, éstque recepta apud omnes gentes, cùm mundus absque usuris omnibus, adeóque & non mordentibus non regatur. Hering *de fid. SS. c.* 30. *n.* 43. Mevius *discuss. Levamin. in op. debitor. c.* 4. *s.* 6. *n.* 15. Cothman. *Vol.* 3. *resp.* 52. *n.* 43. Sùntque tales usuræ etiam Constitutionibus Imperii permissæ, & per *Recess. Imp. de Anno* 1500. 1530. 1548. & 1577. & quincunces moderatæ.

3. Resp. Tertiò: Esse usuras (intellige mordentes) jure divino positivo prohibitas, apertè constat ex S. Scriptura, juxta quod dicitur. *c. quia in omnibus.* & *c. seq. h. t.* crimen usuratum utriusque testamenti pagina condemnari & reprobari, ut dum dicitur *Deuter. c.* 23. *Non fœneraberis fratri tuo ad usuram. Levitici c.* 25. *Ne accipias usuras ab eo, neque plus quàm dedisti.* & infrà: *pecuniam tuam non dabis ad usuram.* Psal. 14. *Quis habitabit in monte sancto Domini? qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Psal. 54. *Vide iniquitatem & contradictionem in civitate &c. non defecit à plateis usura & dolus.* Ezech. c. 18. *Qui ad usuram non accommodaverit, & ampliùs non acceperit, hic justus est, vitâ vivet, ait Dominus.* & infrà: *Si genueris filium ad usuram dantem, nunquid vivet?* Lucæ 6. ubi Christus ait: *Mutuum date nihil inde sperantes*, nempe ultra sortem. Quæ verba Pauli III. in *c.* 10. *h. t.* affert ad probandum, usuram esse jure divino prohibitam. Quorum verborum prima: *mutuum date*; etsi tantum consilium continere videantur, posteriora tamen: *nihil inde sperantes*: continent præceptum, ut, postquam mutuum datum, nihil ampliùs exigatur, quàm quod mutuatum est, prout explicat D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *a.* 1. *ad* 4. Arg. illius, quod dicitur Psal. 75. *Vovete & reddite Domino Deo vestro.* Sed neque in contrarium facit, quòd Lucæ 19. à patrefamilias reprehendatur servus, quòd pecuniam sibi datam non dederit nummulariis, additâ ratione: *Et ego veniens cum usura exegissem eam*; quia, ut D. Thom. *l. c.* usura ibi accipitur parabolicè & metaphoricè pro augmento, & super excrescentia bonorum spiritualium, seu bona applicatione talentorum à Deo nobis concessorum.

4. Resp. Quartò: Usuras has prohibitas quoque esse & illicitas jure naturæ, seu divino naturali, communiter docent Theologi & Jurisperiti, probántque ex eo, quòd Concilia & SS. Pontifices passim eas illicitas esse probent ex veteri testamento, quæ probatio esset nulla, si non essent illicitæ jure naturali; quia nulla præcepta cæremonialia & judicialia legis veteris post mortem Christi ampliùs obligant, sed moralia tantùm, adeóque necesse est obligare ea naturaliter, ac proinde Pontificem in usuris dispensare non posse; ita Mol. *l. c. tr.* 2. *d.* 104. *n.* 14. & cum eo Pirh. *l. c.* Reiffenst. *h. t. n.* 16. & alii. Probatur quoque directè, quia est contra justitiam, cujus obligatio est juris naturæ; vel enim exigitur lucrum pro ipsa sorte, vel pro usu sortis, seu mutui dati, sed neutrum fieri potest absque injustitia; non primum, cùm justitia commutativa exigat æqualitatem in contractibus, sive ut tantum restituatur, quantum acceptum cum onere restituendi, & non plus. Non secundum, quia usus, commodum & lucrum omne rei mutuò acceptæ spectat ad mutuatarium, sicut ipsum dominium rei spectat ad mutuatarium, tanquam de re sua perceptum, iniquum autem est capere lucrum ex re, quæ

jam

jam in dominium alterius transiit, seu facta est res aliena; ita cum Scoto *in quartum. dist.* 15. *q. unic.* §. *de secundo articulo.* Reiffenst. *n.* 17. Sicut iniquum est, pro equo justo pretio vendito exigere quid pro jure utendi, cùm, quando taxatur pretium justum rei alicujus, hoc ipso æstimetur res tota cum jure utendi. Pirh. *n.* 7. ubi etiam, quòd ob onus numerandi pecuniam aliquid exigi nequeat à mutuante; quia hoc onus secum fert ipsa substantia mutuationis, quòd, si tamen labor numerandi foret notabilis, pretium accipi posset, non vi mutui, sed tanquam merces laboris, seu operæ mutuatario locatæ; ut Nav. *in man. c.* 17. *num.* 209. Laym. *cit. c.* 16. *n.* 7. Pirh. *cit. n.* 7.

5. Sed neque his opponas primò: Quòd Deus olim *Deuter.* 23. concesserit Judæis exigere usuras ab alienis, seu non Judæis, ergo hæ non sunt intrinsecè malæ, seu jure naturali prohibitæ, utpote in quo Deus non poterat dispensare; nam per hoc concessum non fuit exercere usuras erga alienigenas tanquam licitum, sed tanquam minus malum ad vitandum majus malum, ne scilicet aliàs, utpote multùm avaritiæ dediti eas à suis fratribus, seu contubernalibus extorquerent; ita D. Thom. *l. c.* vel ùt alii. Deus Judæis reddidit licitum, exigere usuras ab alienigenis, tanquam hostibus suis, auferendo ab iis earum dominium, & transferendo illud in Judæos; quemadmodum concessit olim Judæis, tanquam universorum Dominus, potestatem justè ac licitè spoliandi Ægyptios hostes suos vasis aureis & argenteis, vestibúsque pretiosis accommodatis, ita, ut nihil accipiendo ab illis, tanquam lucrum ex mutuo, sed occasione præsensi mutui exigendo, quod jam erat eorum, ex concessione divina, evitabant usuras. Mol. *cit. d.* 304. *n.* 18. aliíque citati ab eo.

6. Neque secundò: Leges civiles permittentes & approbantes usuras, utpote à sapientissimis Jurisconsultis Romanis conceptas, & ab Imperatoribus Christianis latas & promulgatas, non posse dici continere iniquitatem contra jus naturale; nam licet ex eo, quòd jus civile permitteret usuras, non puniendo illas ad evitanda majora mala, ut volunt nonnulli DD. non sequeretur, illas non continere iniquitatem contra jus naturale, ùt constare videtur à simili consuetudine quorundam locorum, vi cujus non puniuntur meretrices, etsi jure naturæ illicitæ, ad evitanda majora mala, v. g. adulteria, Sodomiam &c. Attamen eo ipso non permittit, multóque minùs eas approbat tanquam licitas, quin & positivè prohibet usuras usurarum. *L. placuerit. ff. h. t.* & *L. fin. c. eodem.* Verùm quidquid sit de hoc, hujusmodi leges civiles omnes tam permittentes, quàm approbantes usuras contra jus naturale correctas esse, & abrogatas per jus canonicum, tanquam antecedenter & in se malas, constat ex *cit. Clem. unic. h. t.* cui Principes & Magistratus Christianos, cæteróque etiam Laicos obedire oportet. Covar. *L. 3. resol. c.* 2. *n.* 6. Azor. *p.* 3. *L.* 5. *c.* 2. *q.* 3. Mol. *cit. d.* 304. *n.* 17.

7. Neque tertiò: Quòd volenti & consentienti (qualis in præsente est mutuatarius) non fiat injuria aut dolus, juxta *L. in donationis. c. de transact.* nam volenti & consentienti non simpliciter & cum plena libertate, sed coactè & invitè, seu mixto involuntario (qualiter necessitate compulsus mutuatarius usuras pro mutuo, quo eget, solvit) adhuc fit injuria. Mol. *l. c. n.* 11. Tholosan. *de usur. L.* 2. *c.* 3. *n.* 8. Pirh. *h. t. n.* 11. Adde, quòd quò ad illicitatem non tam consideretur voluntas solventis usuras, quàm transgressio legis divinæ & naturalis, quæ prohibet præter acceptum mutuo exigi & solvi etiam sponte solventi. Unde acceptio & datio hæc nulla est. *L. non dubium. c. de LL.* & datæ usuræ condici & repeti possunt, non obstante consensu mutuatarii, sicut non obstat consensus mulieris, aut etiam mariti, quominus ab uxore committatur adulterium, & violetur lex divina & naturalis de non committendo illud.

8. Neque quartò: Quòd pro usu vasorum aureorum & argenteorum liceat accipere aliquid, adeóque etiam pro usu nummorum argenteorum, utpote ejusdem quò ad substantiam cum nummis, seu pecunia qualitatis; nam in hoc est disparitas, quòd vasa illa mutuò data ad usum, post usum maneant sine consumptione, secus ac pecunia, unde neque dominium eorum transeat ad impropriè mutuatarium; pecunia verò mutuò data usu consumatur, adeóque ejus dominium transferatur in mutuatarium, ita tamen, ut, si illius dominium non transiret ad mutuatarium, & sine consumptione daretur mutuo, pro usu liceret aliquid exigere & accipi. Pirh. *n.* 12.

9. Neque quintò: Quòd pecunia & opera hominis quò ad effectum parificentur. *L. societates.* §. 1. *ff. pro socio.* adeóque, quod de uno in jure statuitur, etiam in altero statutum censeatur, & consequenter sicut quis pro opera sua alteri impensa exigere & participare potest lucrum, ita etiam pro pecunia sua alteri data mutuò; nam in hoc est disparitas, quòd opera hominis possit fructum & lucrum proferre, pecunia verò, utpote ex se sterilis ad fructificandum, sine opera hominis apta ad hoc non sit. Pirh. *h. t. n.* 8.

Quæst. 340. *An & qualiter usuræ lucratoriæ jure civili sint prohibitæ?*

1. RESP. Primò: Usuras usurarum lucrativas nondum solutas jure quoque civili prohibitas, ita, ut per nullam etiam specialem stipulationem, aut credendi modum validè & licitè exigendo ex illis novum capitale constitui, & exinde exigi nova usura possit, sed quin & soluta condictione indebiti repeti possit, contra Mevium *p.* 4. *decis.* 213. tradunt Brunnem. *in L. fin. c. h. t. n.* 2. Rodericus *de redd. ann. L.* 3. *c.* 7. *n.* 27. juxta claros textus *L. si non sortem. ff. de condict. indeb.* ubi: *Usuræ usurarum nec in stipulatum deduci, nec exigi possunt, & solutæ repetuntur, quemadmodum futurarum usurarum usuræ.* & *L. improbum. c. ex quib. caus. infam. irroget.* ubi: improbum fœnus exercentibus, & usuras usurarum illicitè exigentibus infamiæ macula irroganda est, & *L. nullo modo. c. h. t.*

2. Resp. Secundò: De usurarum lucratoriarum permissione & prohibitione facta per jus civile variè loquuntur AA. imprimis enim Gl. *in Auth. ad hæc. c. de usur. v. cadat.* asserit, quòd, licèt de jure civili antiquo usuræ fuerint toleratæ & permissæ, jure tamen novo non solùm in aliquibus, sed ex toto tollantur. Alii volunt, jure civili esse quidem usuras permissas, in quantum per illud non puniuntur ad evitanda majora mala, non tamen hoc jure esse approbatas tanquam licitas, prout *quæst. præced. n.* 6. dicebamus, contra quam opinionem tamen facit, quòd jure civili concedatur actio ad exigendas usuras, modò per stipulationem earum promissio facta probetur, ut habetur *L.* 1. *c. h. t.* & alibi; unde dici non poterit, eas solùm tolerari. Alii velle videntur, quòd à jure civili solùm

permittantur usuræ compensativæ, hoc est, moderatæ ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, alteriúsve justi tituli, sed de hoc expressè paulò pòst. Verùm quidquid de hoc, quòd spectando sensum genuinum diversarum legum usuræ lucrativæ non solùm videantur toleratæ, sed etiam positivè permissæ, & quasi approbatæ, eo ipso tamen non sint licitæ pro ullo foro vigore juris civilis, utpote quòd correctum sit per jus canonicum, quò ad hoc, tanquam sententiam communissimam & certam, astruit Reiffenst. *h. t. n.* 43.

Quæst. 341. *An non saltem usuræ licitè exigi & accipi possint ob favorem causæ piæ, saltem dispensativè?*

Resp. Non potest, ne quidem sub prætextu redimendi captivos, vel alendi pauperes, similísve causæ piæ exerceri usura, aut ad hoc concedi potestas, non secus, ac pro salvanda etiam vita alterius non licet mentiri, cùm non facienda mala, ut eveniant bona, prout sumitur *ex c. super eo. h. t.* unde jam etiam, cùm illicitum sit exercere usuras, peccabunt illi, qui dant causam, exercendi illas sub prætextu operis boni, quamvis licitum sit, petere mutuum, & accipere sub usuris ab eo, qui jam determinatus est, non mutuare, nisi sub usuris, modò sit justa causa petendi, nimirum necessitas vel utilitas petentis mutuum, vel ut alteri egenti succurrat; quia id non esset cooperari peccato; ita cum D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *a.* 4. *&* 6. Abb. *in cit. c. super eo. num.* 4. Azor. *p.* 3. *L.* 5. *c.* 17. *q.* 12. Pirh. *h. t. n.* 15.

Quæst. 342. *Num legislator aliquis supremus civilis per legem universalem novam, vel alius Princeps per statutum locale in suo territorio possit usuras reddere licitas?*

1. Resp. Tametsi à potestate sæculari lex condi possit, & condita valeat, quâ statuatur pro vitando graviore malo certus modus, & moderatio usuris, v. g. ne usurarii nimium à debitoribus extorqueant, utì factum à Rudolpho II. Imperatore: Anno 1600. dum permisit quinque tantùm pro centum datis mutuo annuatim dari, ùt habet communis, nequit tamen ab ullo legislatore humano, sive sæculari, sive ecclesiastico, etiam Papa, ferri lex communis, aut etiam fieri statutum locale, quo usuræ reddantur licitæ, ideóque nec præcipere potest, ut fiant usuræ, ut Tholosan. *L.* 2. *de usuris. c.* 8. *n.* 1. *&* 2. quia id est cooperari usuris, quamvis permittere possit, ut à Judæis, aliísque infidelibus, aut etiam fidelibus impunè exerceantur ad cavenda majora mala & scandala, quæ oriri possunt, si hìc & nunc Princeps, seu potestas publica eas exerceri impedire conaretur; quin imò præcipere etiam posse videtur, ut non puniantur illas exercentes; quia nec illud est directè consentire peccato, aut illud approbare; non tamen cogere poterit, ut conventæ solvantur, aut sub obligatione seu pacto solvendi sibi magna tributa dare positivè licentiam Judæis exercendi usuras, quo fit, ut ii usuras augere cogantur, & pauperes magìs exhaurian-tur, ut cum Lessio *L.* 2. *c.* 20. *n.* 179. Pirh. *h. t. num.* 17.

2. Neque his obstat primò: Quòd ex causa justa, qualis est bonum commune, seu favor publicus, liceat Principibus per legem aliquam communem subditis auferre jus & dominium, transferendo illud in alium, ut patet in lege præscriptionis, quæ etiam locum habet in foro conscientiæ, & recepta est à jure canonico; nam in hoc est disparitas, quòd præscriptio translativa dominii ab uno in alium tendat ad bonum commune, nimirum ad conservandam pacem communem, & tranquillitatem Reipublicæ, præscindendo infinitas lites, quæ aliàs suboriri possent. Ad hæc leges illæ de præscriptione æqualiter respiciunt magnos & parvos, divites & pauperes, omnésque, qui tempore per leges præscripto neglexerunt bona sua repetere, leges autem usurariæ non tendunt in bonum commune, sed potiùs in grave damnum Reipublicæ, dum vi illarum præcipuè respicientium & gravantium egentes, qui magno numero existunt in communitatibus, eorum fortunæ absorbentur, redactis illis sensim ad summam egestatem, adeóque tales usurariæ leges iniquæ sunt.

3. Neque secundò obstat argumentum ductum ab actu ad potentiam, dum de facto permissæ, & sic redditæ licitæ usuræ saltem moderatæ, nimirum quinque pro centum per noviissimas Constitutiones & Recessus Imperii, scilicet in Comitiis Augustanis Anno 1500. sub Maximil. in aliis Comitiis August. Anno 1530. sub Carolo V. & ibidem sub eodem Anno 1548. in Comitiis Spirensibus Anno 1570. sub Maximil. II. nam harum Constitutionum & Recessuum æquitas & justitia præcipuè fundatur in moderatione usurarum, quæ aliàs per avaritiam hominum excessivè exigebantur, & partim in præsumptione tanti lucri cessantis, vel damni emergentis, vel alterius justi tituli, prout clarissimè patet ex textu Recessus Spirensis sub Rudolpho II. cujus præsumptionis intuitu hæ Constitutiones, quinque pro centum non tantùm permittuntur, sed etiam, ut solvantur, si in pactum deducta sunt, conceditur actio; quæ præsumptio justi tituli in conscientia non juvat dictam usuram quinque pro centum, si justus titulus præsumptus in veritate non subsistat. Arg. *c. super hoc, de renuntiat. & L. Imperator. ff. de prob.* atque ita usura talis redditur licita, non vi harum Constitutionum, sed vi justi tituli, in quo fundantur.

Quæst. 343. *An & qualiter vi consuetudinis usuræ propriè tales reddantur licitæ?*

Resp. Vigore nullius consuetudinis redduntur validæ aut licitæ usuræ propriè tales, seu merè lucratoriæ; cùm hæ usuræ sint intrinsecè malæ, juríque divino ac naturali contrariæ; ut Tanner. *Tom.* 3. *f.* 7. *du.* 3. *num.* 79. Haunold. *de J. & J. Tom.* 3. *tr.* 9. *c.* 3. *controvers.* 10. §. 8. ideóque consuetudo exercendi eas est irrationabilis abusus, & mera corruptela, juxta *c. fin. de consuetud.* & unanimem DD. Nihilominus praxim illam Germaniæ, & totius Imperii Romani consuetudinem pro sorte capitali centum florenorum indistinctè paciscendi & exigendi annuatim quinque, (quod interesse vocant) absque eo, quòd creditor alleget lucrum cessans, damnum emergens, aut periculum sortis principalis amittendæ, vel titulum ullum alium, pro foro externo, non tantùm licitam esse, sed etiam dari actionem contra debitorem morantem vel nolentem solvere illos quinque: quin & Judicem mandare posse, ut solvantur, communem & certam per Germaniam haberi sententiam, ait Reiffenst. *h. t. n.* 57. ex ea ratione, quòd ibi pro foro externo præsumatur saltem, adesse unus ex præfatis titulis; pro foro verò interno seu conscientiæ, sicut

alibi,

alibi, ita etiam in Germania & Imperio Romano esse id verè usurarium, illicitum, & graviter peccaminosum, si nullis ex præfatis tribus titulis interveniret, prout nullus intervenit, dum pecunia hujusmodi mutuò data aliàs sine negotiatione & lucro maneret in cista creditoris otiosa, teneri à plerisque DD. teste Engels *h. t. n.* 10. contra Tanner. & Haunold. *ll. cit.* asserit idem Reiffenst. *n.* 58. cui, si opponas, ex hac doctrina sequi, innumeros in Germania & Imperio viros etiam præclaros, doctos, Deum timentes, tam ecclesiasticos quàm sæculares versari in continuo statu peccati mortalis, utpote qui sine allegatione & reflexione ullius lucri cessantis, imo nullo existente hujusmodi titulo, & per sufficientem hypothecam, pignus, fidejussionem plenè assecurati de sorte passim & liberè absque omni scrupulo quinque pro centum mutuò datorum exigunt & accipiunt, ad id, inquam, responderi posse inquit, quòd præterquam multi ex iis, præsertim doctiores, justum titulum lucri cessantis, damni emergentis, periculi sortis habeant, habere possint intentionem emendi censum ex utraque parte redimibilem, hoc est, jus percipiendi annuatim quinque ex rebus alterius pro pretio centum florenorum, vel celebrandi tacitum vel expressum contractum Societatis, quâ ratione in effectu idem habent, ac si mutuo centum pro quinque annuè darent, ac denique, quòd plures ex rudioribus absque justo titulo laborent ignorantiâ invincibili, sintque in bona fide, ac ita non versentur in statu peccati mortalis, in quo cæteroquin versarentur juxta plerosque DD. si neque justum titulum, neque ignorantiam invincibilem, aut bonam fidem habeant; verùm num hac ratione difficultati satisfaciat Reiffenst. lectori examinandum relinquo.

Quæst. 344. *Num usura compensatoria sit licita, sive an & qualiter mutuans ultra sortem, seu rem mutuò datam exigere & recipere quid possit, imprimis ratione lucri cessantis, & damni emergentis?*

1. Resp. Primò in genere: Usuram compensatoriam, sive lucri cessantis, sive damni emergentis, (quorum utrumque venit nomine *interesse*. Arg. *L. si commissa. ff. rem ratam haberi.* dum ibi dicitur: quod *in tantum competit, quantum meâ interfuit*, id est, *quantum mihi abest, quantumque lucrari potui*) esse licitam, habet communiter fere recepta sententia contra Innocent. & paucos alios, cujus ratio patebit ex mox subjiciendis. Hinc

2. Resp. Secundò: Imprimis ratione lucri cessantis licet ultra sortem reddendam exigere & accipere aliquid, dum quis vi, metu, dolo, vel etiam præcepto Superioris, v. g. Principis ob bonum publicum coactus, dando mutuum amittit occasionem lucrandi suâ pecuniâ, quâ volebat & poterat vel censum, vel domum, aut agrum fructiferum emere, vel negotiatione licitâ aliquid lucrari, & quidem etiamsi illa privatio lucri resarcienda non fuerit in pactum deducta, quia mutuans in hoc casu injustè patitur damnum, ad quod resarciendum tenetur, qui illud intulit, nimirum mutuatarius, iniquè cogens ad mutuandum, non secus, ac fur furando pecuniam, quam mercator quis ad negotiandum paratam habebat, non tantùm tenetur restituere pecuniam ablatam, sed & lucrum, quo furando pecuniam privavit mutuantem; & ita docent Mol. *tr.* 2. *de Just. d.* 315. *n.* 1. Less. *L.* 2. *de Just. c.* 20. *num.* 79. Lugo *de Just. d.* 25. *s.* 6. quos citat & sequitur Pirh. *h. t. n.* 36. Pari modo licitum est ratione lucri cessantis, quanti id prudentis arbitrio æstimabitur exigere, dum mutuans ab initio sponte sine coactione cum mutuatario desuper pactus est, Lugo *l. c. n.* 87. Less. *n.* 80. & 81. Mol. *num.* 11. Azor. *L.* 5. *de usura. c.* 5. *in princ.* Navar. *in man. c.* 17. *n.* 211. Covar. *L.* 3. *var. c.* 4. *n.* 5. Pirh. *n.* 38. cum sententia pariter in praxi & usu recepta. Siquidem lucrum, quod superadditur sorti ob lucrum cessans ratione pecuniæ mutuò datæ, exigitur in casu coactionis, non ratione injuriæ illatæ mutuanti ad mutuandum coacto, sed quia in & per se æstimabile est pretio, & compensativum lucri cessantis, quale quia est, sive mutuum, ob quod datur, coactè sive sponte datum, sicut illud est licitum, ut dictum, ita & hoc ex mutuo sponte facto erit licitum. Neque his obstat, quòd mutuum debeat dari gratis, adeòque, quando quis non tenetur mutuare, non poterit quidquam accipere pro mutuato; nam in hoc sensu mutuum debet gratis dari, quòd pro ipso mutuo secundùm se spectato, nihil ultra sortem exigi possit, non autem, quòd pro spe lucri, quâ quis se privat in gratiam mutuatarii, nihil possit accipere. Less. *l. c. n.* 82. Pirh. *h. t. n.* 38. *in fine.*

3. Resp. Tertiò: Licitum quoque est, exigere quid supra sortem ratione interesse, damni emergentis mutuanti ob datum mutuò, ut cum communi tradunt D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *a.* 2. *ad* 1. Mol. *de Just. tr.* 2. *d.* 314. *n.* 7. & 8. Pirh. *n.* 32. Reiffenst. *h. t. n.* 67. & alii passim; est enim & illud damnum pretio æstimabile, neque est æquitati consentaneum, ut quis ob beneficium mutui, quod præstat alteri privando se ad tempus pecuniâ suâ, reportet damnum, unde poterit se indemnem servare mutuans, ad resarciendum tale damnum, exigendo & accipiendo aliquid ultra sortem à beneficiario seu mutuatario. Azor. *p.* 3. *L.* 5. *de usur. c.* 4. *in pr.* Est autem hoc damnum duplex, intrinsecum, quod quis patitur in ipsa re mutuò data, ùt, si quis mutuet frumentum tempore veris, quando id pluris valet, restituendum in autumno, quando minus valet: vel extrinsecum, seu aliunde ortum, dum quis v. g. pecuniam paratam ad fulciendum suam domum, quæ ruinam patitur, dat alteri mutuam, unde postea ob pecuniæ, quâ restaurari debuerat, defectum corruit. Ad quod utriusque generis damnum resarciendum exigere quid potest ultra sortem. Procedúntque hæc ipsa de resarciendo damno emergente, dum mutuans fuit ad mutuandum coactus, etiamsi nihil de hoc conventum in contractu mutui. Lugo *l. c. d.* 25. *s.* 6. *n.* 74. juxta *L. cum quidam.* §. 1. *ff. h. t.* Idem est, de potestate exigendi, & obligatione solvendi supra sortem, dum damnum ortum ex mora mutuatarii, dum is tempore præfixo non reddidit mutuum, dum poterat, idque etiamsi id in pactum non fuerit deductum, aut etiam is tempore solutioni mutui præfixo de solvendo non fuerit à mutuante interpellatus; cùm ipsa dies interpellet pro homine, nempe creditore, ad solvendum. Less. *l. c. n.* 69. Pirh. *n.* 33. nisi tamen mutuatarius sine sua culpa pro eo tempore redditus fuerit impotens ad solvendum ob infortunium; quia v. g. incendio omnia illius perierint. Less. *n.* 70. quamvis autem mutuatarius ex contractu mutui tacitè obligatus sit ad resarciendum damnum, quod obvenit mutuanti ex mutuatarii mora solvendi tempore debito, non tenebitur tamen

tamen is illud resarcire, si obveniat ante tempus præfixum solutioni; quia is non fuit in mora, nisi hoc ipsum ab initio deductum in pactum. Mol. *cit. d.* 314. *n.* 11. *&* 12. Pirh. *num.* 34. uti etiam præscindendo à damno emergente ratione moræ mutuatarius ad nihil solvendum tenetur, dum neque damnum, neque periculum damni fuerit in pactum deductum. Less. *l. c. n.* 77. Pirh. *n.* 35. De cætero, ut quid licitè exigatur, accipiatur, detur ratione tam lucri cessantis, quàm damni emergentis, requiruntur sequentia; primò: ut mutuum revera sit causa lucri cessantis, & damni emergentis, ita ut, si mutuum non daretur, lucrum perciperetur, & damnum vitaretur. Unde, si quis adhuc haberet alias pecunias pro lucro acquirendo, aut damno avertendo sufficientes, & aliò non destinatas ex præfatis titulis ob mutuum datum, nihil potest accipere. Azor. *cit. c.* 4. *post princ.* Less. *l. c. n.* 73. Pirh. *num.* 34. Reiffenst. *n.* 69. Secundò: ut ratione lucri cessantis, & damni emergentis, non plus exigat, quàm quanti arbitrio viri boni & prudentis, spectatisque omnibus circumstantiis æstimaretur lucrum aut damnum, ne aliàs committatur injustitia, etsi non usura propriè dicta, unde cùm pluris valeat & æstimetur, quod certum est & præsens, quàm quod incertum & absens est, ratione lucri in re, vel certò futuri, plus quàm ratione lucri in spe remota & incerta cessante exigi potest à mutuante. Idem est de damno, quod certò imminet, vel probabiliter tantùm timetur, compensando, plus vel minus exigi potest sorti superaddendum. Item attendendum ad expensas, quibus obtineri debuisset lucrum à mutuante, ita ferè Pirh. *h. t. n.* 40. cum quo etiam *n.* 41. circa hæc notandum, dupliciter lucrum cessans in pactum deduci posse, nimirum vel indeterminatè, ut mutuatarius tantum solvere teneatur, quantum postea deprehenditur, lucrum tantum futurum fuisse, si pecunia non fuisset mutuata, deductis tamen expensis; vel determinatè, & non juxta futurum eventum, ùt si promittatur à mutuatario aliquid certum pro spe lucri, quâ se mutuando privat mutuans, sive postea deprehendatur, lucrum fuisse majus vel minus, vel etiam nullum; quia mutuans, dum mutuaret, vendidit spem illam, quæ ipsa erat pretio æstimabilis; ita Mol. *l. c. n.* 8. Less. *l. c. n.* 97. Tertiò requiritur, ut interesse lucri cessantis non anticipatè, seu statim tempore accepti mutui solvatur à mutuatario mutuanti, sed postea, quando mutuum erit solvendum. Mol. *l. c. n. ult.* Azor. *l. c. c.* 5. *q.* 3. Less. *l. c. n.* 99. Lugo *cit. s.* 6. *n.* 99. Pirh. *n.* 42. Reiffenst. *h. t. n.* 701. ex illa ratione, quòd, si Titius mutuet Cajo mille florenos, cum pacto, ut solvat sibi ratione interesse, seu ratione lucri cessantis aut damni emergentis centum, & illos centum mox detrahat numerando Cajo 900. committatur; quia ex centum illis florenis non potest illi lucrum cessare, vel damnum emergere, ac proinde ex hoc prætextu exigens interesse pro mille, manifestam committit injustitiam & usuram, saltem palliatam; cùm perinde sit, ac mutuare 900. ut postea restituantur mille, quod apertè iniquum est, dum Titio hac ratione non cesset lucrum, nisi ex 900. Secus tamen est, dum Titius mutuat Cajo mille, & is viciſſim statim ratione lucri cessantis, ut conventum, solvat, seu det rem aliquam infrugiferam, valentem tamen centum florenis, quia id licitum est, eò quòd, cùm ex ea re statim tradita mutuanti nihil lucretur, lucrum ex mutuo cessans sit minus, Ita Pirh.

Quæst. 345. *An ratione periculi, cui mutuum exponitur, liceat quid ultra sortem exigere?*

1. Resp. Primò: Mutuans propter periculum, cui verè substat res mutuata, v. g. dum res per mare, in quo communiter sunt pericula, & quod mutuans ex pacto in se suscepit, licitè ultra sortem aliquid exigere potest à mutuatario, ita ex communi tam Theologorum, quàm Canonistarum. D. Thom. *opusc.* 73. *de usura. q.* 35. Sylv. *v. usura. q.* 35. Azor. *p.* 3. *L.* 5. *c.* 6. *q.* 1. Lugo *l. c. d.* 25. *n.* 77. Pirh. *h. t. n.* 44. nam imprimis ipse actus mutui, utpote vi cujus mutuans nihil supra sortem exigit, cùm dominium rei mutuatæ statim ac tradita, transeat in mutuatarium, qui ideo obligatus ad reddendam totam sortem, etiamsi res mutuata pereat; perit enim illa domino suo, nihil usurarii aut illiciti in se continet; neque etiam alter contractus superadditus, nempe assecurationis, in quo mutuatarius timens, ne in itinere periculoso, v. g. obsesso à latronibus vel hostibus, pecunia, résve alia mutuo data intercipiatur, paciscitur cum mutuante, ut se de ea assecuret, toto illo tempore, pro qua assecuratione viciſſim promittit, se ipsi justum pretium ultra sortem soluturum, in se licitus est, cùm periculum hoc rei jam alienæ, quod in se suscipit mutuans, non minus sit pretio æstimabile, quàm si tertius quis, cum quo mutuans non celebravit contractum mutui, assecurationem istiusmodi promisisset.

2. Resp. Secundò: Etiam in casu, quo periculum mutui provenit ex parte mutuatarii, eò, quòd meritò timeatur, ne is fortè vergat ad inopiam, & postea deficiat facultas restituendi mutuum, vel quia is est fraudulentus, aut malæ fidei, idcóque probabile est, mutuum non sine magnis expensis & gravibus molestiis ab eo recipi posse, in eo, inquam, casu probabilius est, posse quoque ob hoc periculum sortis amittendæ exigi aliquid ultra sortem per pactum assecurationis sine usura, modò non exigatur tanquam conditio, sine qua mutuator non vult mutuare, sed mutuatarius sponte, etsi, ad invitationem mutuantis, tale pactum ineat. Mol. *de J. & J. tr.* 2. *d.* 318. *n.* 4. Sylv. *l. c.* 1. *q.* 35. Less. *l. c. n.* 111. Pirh. *h. t. n.* 35. & alii contra Nav. & Tolet. præter alias probationes, quas refert, ad probandum tamen intentum non omnino efficaces, dicit Pirh. *l. c.* efficacior videtur ratio data pro *Respons. ad quæst. præcedentem*, nimirum quod res suas in gratiam alterius exponere periculo, sit quid pretio æstimabile, & nemo gratis teneatur tale periculum subire. Ad *C.* verò *naviganti. h. t.* quod dictis directè adversari videtur, dum ibidem dicitur: *Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem pro eo, quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem usurarius est censendus:* inter alias responsiones, quas à se relatas satìs bene diluit Pirh. *n.* 47. communiores & probabiliores videntur, quas ipse subjungit *num.* 48. cúmque secutus Reiffenst. *h. t. num.* 75. nimirum, quod *cit. c.* Pontifex loquatur de mutuante, qui per tale pactum assecurationis intendit mutuatarium cogere ad dandum supra sortem utendo illo prætextu, quòd id exigat ob susceptum in se periculum sortis, aliàs non mutuaturus, quod usurarium censendum, seu præsumendum in foro externo, seu publico Ecclesiæ (quæ de internis non judicat) declarat Pontifex præsumptione hac fundata in eo, quòd

quòd frequentius contingit, dum utplurimum creditores, seu mutuatores ultro in se recipiunt periculum rei mutuatæ, ut aliquid accipiant ultra sortem, quod aliàs ex mutuo accipere non possunt, ac ita propter usurariam intentionem hanc, quam habere præsumuntur in foro externo usurarii, & statuitur, illos non audiendos, si dicant, se non recipere ut lucrum ratione mutui, sed solùm ratione periculi sortis, nisi aliunde de contrario constet. Quamvis tale pactum mutuo adjectum intrinsecè, & ex natura rei, ac in foro animæ, & quò ad Deum non sit usurarium, atque ita tota quæstio, an pactum hoc sit usurarium, nec ne coram Deo, dependet ab intentione mutuantis, num is intendat recipere ultra sortem ex mutuo, an revera ratione periculi; ita Lugo *cit. d.* 25. *s.* 6. *num.* 78. Fagn. *in c. ult. h. t. n.* 21. & 22. Pirh. *n.* 48. Reiffenst. *h. t. num.* 76. & 77. De cætero, ut contractus ille assecurationis sit licitus, etiam, dum revera ob periculum sortis intenditur, requiritur, ut periculum hoc expressè vel tacitè deducatur in pactum, sicut dictum de damno emergente, & lucro cessante, ita ut, si mutuans nihil de pretio supra sortem dando ratione periculi in se suscepti pactus sit, etsi postea revera damnum patiatur sine culpa mutuatarii, nullam compensationem ab eo exigere possit: Pirh. *n.* 49. cum cit. à se Laym. *L.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 10.

Quæst. 346. *An & quæ usura moratoria seu punitoria sit licita, seu num licitum sit adjectum dationi mutui pactum de certa pœna ultra sortem solvenda, si mutuatarius statuto tempore non solveret mutuum?*

Resp. Affirmativè: Sylv. *v. usura.* 1. *q.* 28. Nav. *in man. c.* 17. *n.* 215. Azor. *p.* 3. *L.* 5. *de usura. c.* 6. *q.* 5. Mol. *de Just. tr.* 3. *d.* 317. Less. *L.* 2. *c.* 20. *dn.* 15. *n.* 128. Pirh. *h. t. n.* 51. Castrop. *tr.* 32. *d.* 4. *p.* 16. *n.* 3. quia constitutio talis pœnæ nihil in se iniquitatis continet; cùm non solvatur ex vi mutui, sed ob moram solvendi mutuum, servítque ad debitam, firmioremque contractûs observantiam, vitandámque injustitiam, quam committit debitor retinendo pro eo tempore, quo quid debetur alteri, contra illius voluntatem, quæ proinde pœna justa est, etiamsi ex mora mutuatarii non emergat damnum, aut cessèt lucrum. Wiestn. *h. t. n.* 20. cum cit. AA. contra Scotum *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. & veteres quosdam. Porrò licita est constitutio & exactio talis pœnæ, sive ea sit legalis, hoc est, constituta per legem aliquam publicam, vel statutum aut consuetudinem debitoribus omnibus & mutuatariis non solventibus debitum vel mutuum statuto tempore; sive sit judicialis, id est, hìc & nunc particulari debitori, vel mutuatario moroso culpabiliter à Judice ad instantiam partis imposita per sententiam; cùm nec talis constitutio & impositio contineat quicquam iniquitatis; sive denique sit conventionalis, id est, ex conventione inter mutuantem & mutuatarium statuta, idque propter easdem rationes, ita præter citatos paulò antè AA. cum Gl. communiter recepta *in c. conquestus. de pœn. in* 6. Abb. *in c. suam. eod. in* 6. Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 6. §. 8. *n.* 5. Scotus *l. c. q.* 2. §. *de secundo artic.* Porrò hæc pœna conventionalis solvi debet ante sententiam Judicis; quia debetur vi pacti inter partes initi ad distinctionem pœnæ legalis & judicialis, quæ non debentur ante sententiam Judicis; quia non vi pacti, sed ex præcepto legis, vel Judicis delictum punientis debentur. Azor. *l. c. c.* 6. Less. *l. c. n.* 135. pœnam tamen etiam conventionalem solvi non debere, antequam exigatur, probabile est, eò, quòd loquendo generaliter moribus hominum non videatur esse consentaneum, pœnam debere solvi ante exactionem. Less. *l. c. num.* 136. Azor. *l. c. q.* 5. minùs tamen probabile, quòd voluntaliqui, pœnam conventionalem in foro conscientiæ non necessariò esse solvendam ante sententiam & condemnationem Judicis, eò, quòd hæc videatur fuisse mens & intentio contrahentium. Pirh. *num.* 52. De cætero his non obstat, quod dicitur *L. pœnam. ff. h. t. pœnam pro usuris stipulari nemo supra modum usurarum licitum* potest; nam lex illa non loquitur de pœna conventionali moderata, sed immoderata excedente modum culpæ & taxæ, seu quantitatis, si quæ legibus aut moribus est definita; ut Barb. *in c. suam de pœn. in* 6. *n.* 4. Haunold. *de J. & J. Tim.* 3. *tr.* 9. *n.* 407. Reiffenst. *h. t. n.* 81. Wiestn. *n.* 20. Sic itaque, ut appositio pœnæ sit licita, requiritur primò: ut pœna sit moderata & proportionata culpæ, cùm alioquin mutuatarius iniquè cogeretur in pœnam consentire, & pœna excedens moderationem, præsumatur appositа in fraudem solius lucri ex mutuo captandi gratiâ. Less. *l. c. n.* 134. Pirh. *n.* 52. Castrop. *l. c. n.* 8. Wiestn. *n.* 22. Arg. *L. fin. c. de pactis.* & *c. significante de pignor.* Secundò requiritur, ut debitor seu mutuatarius verè sit in culpa non solvendi præfixo termino: unde si pro illo tempore redditus est impotens solvendi citra suam culpam, exigi non potest ab eo illa pœna, utpote supponens culpam, secus si suâ culpâ impotentiam contraxit, dilapidando v. g. sua bona, dum prævidit secuturam illam impotentiam exinde; cùm tunc non solvere volitum est in causa culpabili. Tertiò: ut mora sit notabilis spectatâ qualitate negotii, & more provinciæ, ne aliàs pœna sit improportionata culpæ. Less. *n.* 134. Pirh. *n.* 52. *vers. notandum tertiò*: Quartò: ut solutioni non præfigatur terminus nimis brevis, intra quem eam solvi non posse scitur; cùm tunc pœnæ appositæ lucrum & diem potiùs transire, ut pœnâ potiatur, quàm solutionem mutui ad præfixum tempus intendere præsumatur. Mol. *l. c. d.* 317. *n.* 6. Lugo *cit. d.* 25. *s.* 6. §. 2. *n.* 111. Less. *l. c. num.* 131. Pirh. *n.* 52. Wiestn. *n.* 21. Quintò: ut non imponatur pœna in fraudem, seu ad palliandam usuram, dum nimirum ideo solùm hanc pœnam constituit & exigit, ut lucrum, quod directè ex mutuo exigere non poterat, capiat ex eo prætextu pœnæ, non curando, utrùm mutuum solvatur ante terminum, quin potiùs optando, ut solvatur post illum; cùm tunc non ex culpa, quæ nulla esset in non solvendo, sed ex vi mutui censeretur lucrum exigi & expectari. Pirh. *l. c.* Denique requiritur ad exigendam licitè totam pœnam, ut tota summa sortis non fuerit soluta debito tempore, cùm aliàs non nisi ad partem pœnæ correspondentem parti mutui non solutæ extendenda. Gl. *in c. suam. de pœn. in* 6. *v. persolutis.* Abb. *ibid. n.* 1. Mol. *l. c. num.* 9. Castrop. *l. c. n.* 10. Guttier. *p.* 3. *de juram. c.* 17. *n.* 6. quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. n.* 23.

Quæst. 347. *Num usurarium sit adjectum mutuo pactum, ut res mutuata restituatur in eadem mensura & bonitate, etiamsi pretium ejus creverit tempore restitutioni præfixo?*

1. Resp. Primò: Si tempore mutationis æquè dubium est, num res mutuanda tempore resti-

restitutionis plus valitura sit, an non, seu minus, licitè paciſci, & dein exigi poteſt, ut res in eadem quantitate, ejuſdémque valoris, cujus erat tempore mutuationis, reſtituatur; quia tunc æqualis conditio utriuſque contrahentis mutuantis & mutuatarii quò ad periculum, & quò ad lucrum: unde ſi mutuans lucretur acuto valore ſeu pretio, id non provenit ex pacto exigendi in eo caſu ſupra ſortem vi mutui, ſed per accidens, & caſu fortuito, quia tempore ſolutionis auctus eſt valor rei mutuatæ; ita Mol. *tr. 2. de Juſt. d. 311. n. 1.* Azor. *p. 3. L. 5. de uſur. c. 7. q. 5.* Leſſ. *L. 2. c. 20. d. 17. n. 154.* Lugo *Tom. 2. de Juſt. d. 25. ſ. 7. n. 112.* quos citat & ſequitur Pirh. *h. t. n. 54.* cum communi.

2. Reſp. Secundò: Si mutuans rem, v. g. vinum, ſervaturus erat in illud tempus, quo valor ejus excreſcit, licitè, id mutuò dat, in eadem, qua datum eſt, menſura & bonitate reſtituendum cum incremento ſuperaddendo ſorti, ratione lucri ceſſantis, quod habere potuiſſet, ſi vinum mutuò non dediſſet, ſed ſervaſſet uſque ad tempus excreſcentis pretii, modò tamen ex dicto incremento detrahantur ſumptus, quos impendere mutuans debuiſſet in conſervationem illius, uſque ad tempus ſolutionis ſeu reſtitutionis vini mutuati. Mol. *l. c. n. 3.* Lugo *l. c. n. 133.* Pirh. *cit. n. 52.* item cum communi.

3. Reſp. Tertiò: Dum prævidetur certò, vel ſaltem probabiliter vinum minus valiturum tempore ſolutionis poteſt mutuans licitè, & ſine uſura paciſci, ut plures urnæ vini reddantur, quæ ſuppleant defectum pretii tunc futuri, ſeu quæ adæquent pretium exiſtens tempore dati mutuò, ſive mutuans fuiſſet venditurus illud, aut conſumpturus, ſive ſervaturus in tempus minuendi pretii, v. g. pro duabus urnis datis mutuò reddantur quatuor urnæ æquantes, & non ſuperantes pretium duarum illarum urnarum, quia ſic æquabitur pretium dati & recepti mutui, uti etiam æquiparatur, ſi mutuans pro quatuor urnis reciperet tantùm duas, quæ tamen tantundem & non plus valerent ob accreſcens pretium tempore ſolutionis, quanti valebant quatuor urnæ, atque ita mutuans non formaliter, ſed ſolùm materialiter minus reciperet, quàm dedit, ita Leſſ. *l. c. n. 146.* Lugo *l. c. n. 114.* Pirh. *n. 55.* Non verò licitum eſt paciſci, ut in eadem menſura reddatur mutuatum, ſi prævideatur tempore ſolutionis plus valiturum, quàm tempore mutuationis, quia ſic plus ex mutuo acciperetur, quàm datum fuiſſet. Lugo *l. c. ſ. 7. n. 118.* Leſſ. *num. 152.* Pirh. *n. 57.* nisi tamen reſervari potuiſſet ad tempus, quo ejus valor creviſſet ſecundùm dicta.

4. Reſp. Quartò: Illicitum quoque & uſurarium erit pactum, quo mutuans obligat mutuatarium ad reddendum mutuum, non antè quàm valor, ſeu pretium rei excreverit; cùm hac ratione cogatur mutuatarius, ad ſolvendum lucrum ex mutuo, reddendo quidem rem mutuatam in eadem menſura, ſed auctо illius pretio, Lugo *l. c. num. 116.* Pirh. *n. 56.* Item uſurarium erit, mutuare frumentum minus valens, quia ſemicorruptum, mutuatario ex neceſſitate, aliáve cauſa id acceptante ſub pacto reddendi novum. Pirh. *l. c.* Secus eſt, ſi mutuò detur vetus frumentum, ſi illud tempore mutuationis tanti valeat, quanti novum tempore ſolutionis, etiamſi id cedat in commodum mutuantis, utpote qui faciliùs conſervare poteſt quàm novum. Sylv. *v. uſura. 1. q. 17.* Nav. *cit. c. 27. num. 224.* Mol. *cit. d. 311. n. ult.* Lugo *l. c. ſ. 7. num. 117.*

5. Reſp. Quintò: Si in contractu mutui nihil conventum ſeu expreſſum de reddenda re in eadem menſura, vel potiùs de valore rei, & tempore contractus non prævidebatur augendum vel minuendum pretium, præſumitur intentionem contrahentium fuiſſe, ut juxta naturam & conditionem mutui res mutuata reddatur in eadem ſpecie, menſura & bonitate, ſive pretium accreverit, ſive decreverit. Lugo *l. c. n. 122.* ſi verò tempore mutuationis prævidebatur pretium poſtea augendum, vel minuendum, videtur intentio contrahentium fuiſſe, ut non redderetur in eadem menſura, ſed in majore vel minore, in eodem tamen valore. Lugo *n. 123.* ubi tamen iterum diſtinguit, ita, ut, ſi præviſum fuerit, pretium ſeu valorem minuendum cum damno ſolius mutuantis, ſufficiat mutuatarium reddere rem, v. g. frumentum in æquali menſura & bonitate, licet pretium decreverit, eò, quòd mutuans, ſi aliud non exprimat, cenſeatur voluiſſe mutuare juxta naturam puri mutui, nimirum, ut in æquali valore reddatur, quod licitè & abſque injuſtitia facere poterat, & decrementum illius valoris liberè mutuatario condonaſſe; ſi verò vice verſâ præviſum, quòd pretium tempore ſolutionis ſit futurum majus, mutuatarius is non obligabitur regulariter ad reddendum in eadem menſura, ſed in minore, quæ tamen adæquet valorem frumenti, qui erat tempore mutuationis; quia mutuans, ſi prævidit augmentum pretii, non potuit exigere, ut in eadem menſura reddatur; cùm talis injuſta intentio in eo præſumi non debeat, quin etſi mutuans illicitè voluiſſet reddi in eadem menſura, mutuatarius ad hoc non teneretur, ſed poteſt petere, ut talis contractus injuſtus ad æqualitatem reducatur, rejecto onere illo, quod juſtè ei imponi non potuit; ita fere Pirh. *h. t. n. 58.*

Quæſt. 348. *An propter carentiam pecuniæ mutuò datæ, vel ratione obligationis non repetendi eam certo tempore, liceat aliquid ultra ſortem mutuò datam exigere?*

1. Reſp. Ad primum: Id eſſe uſurarium, cùm carentia rei mutuatæ ſit quid intrinſecum ipſi mutuo, ratione autem mutui nihil exigi poſſit: unde inter alias Innoc. XI. meritò damnavit hanc propoſitionem, Anno 1679. *Cùm numerata pecunia pretioſior ſit numerandâ, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.*

2. Reſp. Ad ſecundum: Neque etiam licitum eſt, pro obligatione non repetendi mutuum per aliquod tempus, v. g. per annum; cùm omne mutuum ſecum afferat hanc obligationem, ne aliàs eſſet merum precarium, adeóque dilatio repetitionis ſit de ratione intrinſeca lucri, unde ſicut nihil exigi poteſt ultra ſortem, ita nec ratione hujus obligationis. Lugo *Tom. 2. de J. & J. d. 25. ſ. 3.* Unde jam etiam, dum quis ab initio mutuat, v. g. ad menſem, & poſtea proroget tempus ſolutionis ad annum, adhuc præcisè ratione hujus prorogationis ſeu obligationis non repetendi ante annum, quæ videri poterat ſuperaddi mutuo, nihil exigi poteſt ultra ſortem; quia cenſetur talis prorogatio duplex mutuum, vel continuatio primi, atque ita ſicut nihil exigi poteſt ultra ſortem pro obligatione prima non repetendi, ſic neque pro ſecunda; cùm quælibet obligatio non repetendi tali mutuo ſit intrinſeca. Reiffenſt. *h. t. n. 90.*

Quæſt.

Quæst. 349. *An liceat aliquid accipere ex mutuo ultra sortem proveniens ex mera benevolentia, gratitudine ac liberalitate mutuatarii?*

Resp. Affirmativè: quia talis vi mutui nihil exigit, sed præcisè recipit, quod mutuatarius ex libertate & gratitudine, seu obligatione antidorali præstat; est communis & certa. Illicitum tamen est, & usuram palliatam continet, si mutuans in contractu mutui quid exigat titulo gratitudinis, quia licet tali pactioni adjungatur titulus gratitudinis, non tamen excluditur obligatio justitiæ, & sic contrahitur usura, non secus, ac committitur Simonia, dum petens beneficium ecclesiasticum, non tantùm dicit: *ero gratus*; quod licitum est, sed promitto me fore gratum, ac ita præter obligationem gratitudinis inducens sibi obligationem justitiæ, ad exercendam gratitudinem. Unde damnata ab Innoc. XI. est hæc propositio: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur*, tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solùm, si exigatur tanquam ex justitia debitum. Utì etiam committi usuram, si detur mutuum sub hac conditione, ut mutuatarius apud se porius, quàm apud alios pretio cæteroquin justo emat sibi necessaria, quia per hoc imponitur mutuatario onus pretio æstimabile, dum ei aufertur potestas emendi merces, ubi vult, docent cum D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *a.* 4. Mol. *l. c. d.* 309. *n.* 6. Laym. *L.* 3. *tr.* 4. *c.* 14. *n.* 3. Reiffenst. *h. t. n.* 93. contra Angel. *v. usura.* 1. §. 5.

Quæst. 350. *An usurarium sit absque ulla pactione aliquid ultra sortem intendere solummodò, & separare, vel etiam rogare dandum aut præstandum à mutuatario titulo benevolentiæ & gratitudinis.*

Resp. Affirmativè: si principaliter, vi tamen solius mutui aliquid pretio æstimabile intendatur, & speretur ab aliquo, aliàs non mutuaturo, si tale nihil speratur. Gl. *in c. consuluit. h. t. v. sperantes.* cum communi, tam Theologorum, quàm Canonistarum, juxta expressum textum *cit. c.* dum *ibi* ad quæst. an ille in judicio animorum quasi usurarius debeat judicari, qui aliàs non mutuò traditurus, eo proposito pecuniam credidit, ut, licet omni conventione cessante, plus tamen forte recipiat; Respondet Papa, talem malè agere, & ad ea, quæ taliter sunt recepta, restituenda in animorum judicio efficaciter esse judicandum, secus tamen est, seu non committitur usura, aliúdve peccatum, si dando mutuum sine ulla pactione, secundariò tantùm intendatur, & speretur aliquid, idémque dandum sit, etsi sciretur, id, quod speratur, non obtinendum; siquidem cùm mutuatarius citra usuram dare aliquid possit, imò ex antidorali obligatione mutuatori obligatus sit, poterit hic etiam saltem secundariò aliquid dandum sperare, & intendere; ita cum Gl. *cit.* Barbos. *in idem. c. consuluit. n.* 6. Nav. *man. c.* 17. *n.* 209. Reiffenst. *n.* 95. & alii. Arg. *c. quid prodest. dist.* 61. & *c. officia. d.* 59. Idem est propter eandem rationem, si mutuans sine ulla pactione & obligatione simpliciter roget mutuatarium, ut intuitu mutui sibi dati hoc vel illud obsequium sibi præstet, hoc aut illud gratuito sibi donet, modò minùs principaliter & secundariò, ut dictum, intendatur & speretur aliquid. Less. *L.* 2. *c.* 20. *du.* 8. Castrop. *d.* 4. *de just. commutat. p.* 11. *n.* 2. quamvis fateantur AA. citati, talem rogationem periculosam esse.

CAPUT II.

De usura commissa extra contractum mutui in aliis contractibus.

Quæst. 351. *An & qualiter ob dilatam solutionem pretii sine usura aut injustitia res vendi possit, pluris supra justum aliàs pretium, & minoris ob præstitam in continenti solutionem?*

1. Resp. Ad primum negativè: Ut AA. communiter *in c. consuluit. & c. in civitate. h. t.* eò, quòd sola mora solutionis, nisì damnum inde emergat, aut lucrum cessat, aut dubium sit, num res tempore solutionis sit pluris valitura, non est pretio æstimabilis, adeóque, si ob eam solam quid detur aut exigatur supra pretium justum, contractus est injustus & usurarius in foro conscientiæ, non quidem propriè, quia usura propriè & regulariter non committitur, nisì in mutuo propriè tali, sed virtualiter, seu implicitè, & interpretativè, quatenus, dum ob solutionem dilatam in effectu, & re ipsâ idem est, ac si pretium ab emptore esset solutum, & dein ei mutuatum cum lucro illius quantitatis, in qua pretium conventum valorem verum, seu justum excedebat; in foro tamen etiam externo & contentioso talis usurarius minùs propriè talis conveniri & condemnari nequit tanquam usurarius; ita ferè Pirh. *h. t. n.* 59. & Reiffenst. *n.* 97.

2. Resp. Ad secundum: Pari ratione injustitiam & usuram, etsi minùs propriè talem, committit, qui rem minoris emit, quàm tunc valeat, eò, quòd præsente & numeratâ pecuniâ emat, idque ob eandem rationem allatam pro *respons. ad quæst. præced.* cùm & is, qui rem valentem 12. v. g. aureis emit, 10. aureis ob anticipatam seu præsentem solutionem, in effectu videtur quasi mutuare pretium, quod numerat venditori, ut id, quod justo pretio deest, lucretur supra pretium, seu valorem justum rei emptæ, quod dicto modo usurarium est, & sic mutuum impropriè tale palliatur venditione. Pirh. *n.* 64. citans Abb. *in c. ult. h. t. num.* 6. nisì, ut idem citato Canis. *tr. de usur. c.* 3. *n.* 4. *in fine.* item Wiestn. *n.* 51. dubium sit, an res, quæ præsente pecuniâ emitur, minore pretio, quia venditor differt traditionem illius, plus vel minus valitura sit tempore traditionis, juxta dicta de venditione majori pretio. Circa quæ notandum, quòd utrumque tam quando ratione dilationis exigitur majus pretium justo, quàm dum ratione præsentis solutionis minoris emitur, etsi in foro conscientiæ locum habeat, & damnetur tanquam usura, in foro tamen externo ratò observetur, & vix ut tale damnari queat, eò, quòd in his contractibus deficiat forma mutui, & intentio usuraria sit occulta, nisì

de ea aliunde, quàm ex pretii excessu vel defectu constiterit, v. g. per scripturam vel confessionem ipsius venditoris vel emptoris. Fagn. *in cit. c. in civitate. n. 9.* & DD. alii.

Quæst. 352. *Emere Chirographum, seu debitum alienum infra valorem, quem debitum secundum se habet, an & quando sit usurarium?*

RESp. Debiti etsi liquidi & minimè litigiosi, cujus tamen solutio est ambigua ob debitoris inopiam, vel ob sumptus, aut ob labores & pericula pro ea obtinenda ab emptore, non est usuraria, aut aliter iniqua emptio, utì etiam, quando ex emptione, & præsenti numeratione pecuniæ emergit damnum, vel cesset lucrum, neque usuraria, neque injusta est, est tamen usuraria, (intellige minùs propriè talis juxta dicta, quia non superadditur mutuo) vel saltem injusta, si absentibus dictis titulis fiat dando, v. g. pro debito 100. florenorum 90. sic etiam usurarium est, si debitor v. g. est Princeps, à quo debitum sine magnis laboribus & sumptibus obtinere nequit creditor, emptor autem debiti, quia est præfectus ærarii illius, cujus officium sit debitoribus Principis ex ejus ærario solvere, facilè & sine sumptibus illud potest obtinere. Salas *de usuris. dn. 27. n. 8.* Less. *L. 2. c. 21. n. 78.* qui tamen *n. 76.* cum Mol. *d. 361. n. 10.* contrarium esse dicit, si emptor non est talis officialis, sed alius, qui tamen ob singularem industriam, merita & gratiam apud Principem debitum facilè obtinere potest; quia istiusmodi debitum spectatâ communi æstimatione, secluſâque gratiâ & favore Principis, industriâque emptoris, minus valet.

Quæst. 353. *Quid & quotuplex sit cambium, & num contineat usuram aut injustitiam?*

1. RESp. Ad primum: Est negotiatio, quâ pecunia commutatur cum moderato lucro, quod fit dupliciter, nimirum dum mercatori seu campsori pecunia unius formæ & materiæ, v. g. minutæ monetæ argenteæ pro aureis nummis numeratur, dicitúrque cambium reale, vel etiam minutum; quia frequentiùs minoris formæ nummi pro majoribus permutantur. Item manuale, quia in eo numeratio pecuniæ à manu ad manum, & ferè eodem tempore ac loco fieri consuevit, vel dum campsori numeratur pecunia in uno loco, v. g. Coloniæ, ut in alio, v. g. Viennæ reddatur ejus negotiorum gestori, utì usu receptum propter itinerantes, ne hi magno incommodo & periculo pecunias secum deferre cogantur, ùt cum Covar. *de collat. vel nummis. c. 7. n. 4.* & Mol. *de just. tr. 2. d. 398. à n. 4. h. t. n. 58.*

2. Resp. Ad secundum: Neutra harum negotiationum cambialium continet usuram, aliámve injustitiam, cùm ordinariè non desint justi tituli ex permutatione tali ultra pecuniam permutatam aliquid exigendi, qualis respectu campsorum publicâ authoritate constitutorum est ipsum officium campsoris, & obligatio comparandi, & paratam semper, aut sæpe habendi diversissimæ sortis pecuniam, respectu verò aliorum talem negotiationem exercentium privato & proprio nomine, est lucrum cessans, vel damnum emergens, & aurea vel argentea moneta expensa. Item commoditas negotiationis & deportationis, quam una pecunia præ alia habet. Item, quòd pecunia hujus monetæ alibi pluris valeat, & quævis merces ea facilè comparentur. Item impensæ & pericula subeunda ex pecuniæ ab uno in alium locum trajectione. Item labor in pecunia numeranda, scribendis litteris, & rationibus conficiendis. Item sumptus faciendi in famulos hujus negotiationis peritos. Ac denique æstimatio pecuniæ præ alia ob ejus raritatem, antiquitatem, & materiæ puritatem; ita Wiestn. *l. c.* ex Nav. *in man. c. 17. à n. 282.* Mol. *d. 399. n. 1.* Lessio *l. c. c. 23. a. n. 7.* Laym. *l. c. c. 19. n. 3. & 6.*

Quæst. 354. *Olla fortunæ, ùt in Germania vocatur, quid sit, & num usurarium quid alteriùsve injustitiæ contineat?*

1. RESp. Ad primum: Usus hujus ollæ est, ut, quot quis domino illius, seu exponenti illam numerat v. g. denarios, tot ex ea schedas tollere possit, & quod in eis scriptum, sibi habere sorte omnino incertâ, cùm, quando, qui schedam unicam pro unico denario extrahit, scyphum argenteum, aliámve mercem pretiosam in ea descriptam recipiat, & è contra pro centum denariis schedas extrahat, in quarum nulla quid descriptum inveniat, adeóque nihil præter risum & ludibrium referat.

2. Resp. Ad secundum: Talis quasi ludus, tametsi propter intentionem lucri ultra sortem capiendi usurarius, & propter inæqualitatem inter pecuniam collatam, & rem fortè extractam illicitus & injustus videri posset, talis tamen non est, sed potiùs emptio, quâ non ipse scyphus, aliáve res extracta, sed ejus consequendæ spes cum pari, aut etiam certiore jacturæ periculo conjuncta, ideóque non nisì denario æstimata emitur, & consequenter non plus iniquitatis, quàm alterius lucrosæ spei, v. g. jactus retis, seu capturæ piscium emptio pro exiguo in se continet, & quia huic pretio quandoque major, quandoque minor captura respondet, tam ipsum, quam eo mediante facta emptio justa censetur. Canis. *tr. de usuris. c. 4. num. 8. & 9.* Pith. *h. t. n. 50.* Wiestn. *n. 59.*

Quæst. 355. *Contractus antichriseos, num usurarius & illicitus?*

RESp. Videndum me de hoc *L. 3. q. 456.*

Quæst. 356. *Num & quando usurarium sit, si creditor fructus ex re oppignorata pro mutuo recipiat?*

RESp. Usurarium esse, si creditor fructus hos perceptos & consumptos non computet in partem sortis sibi debitæ, ad eandem extenuandam, vel extinguendam detractis factis à creditore in eos expensis, & exstantes adhuc restituat unà cum pignore soluto debito vel mutuo, ùt constat ex *c. pervenit. h. t.* ubi id Papa decernit de creditore Clerico, & *c. quoniam. h. t.* ubi idem statuit de creditore Laico, compellendo aliàs eodem per censuras ecclesiasticas ad dictam deputationem vel restitutionem, éstque ratio commissæ aliàs in hoc usuræ, quòd, sicut omne incommodum fortuitò accidens in re oppignorata ad debitorem, tanquam ejus dominum, & non ad creditorem, sic etiam omne commodum ex ea proveniens ad eundem pertineat, *L. si inter. §. quicquid. ff. de pignoribus.* adeóque fructus hi ei dari debent, vel in sortem computari, nisì sit alius titulus accipiendi ultra sortem, v. g. lucri cessantis, aut damni emergentis ex credito vel mutuo: item, quòd usura sit, quidquid ultra

sortem

sortem lucratur creditor seu mutuator, fructus autem pignoris sint supra sortem crediti, vel mutuati, nisi in diminutionem illius computentur. *c.* 1. *& 2. h.t.* Sic itaque creditor, dum ei oppignorata est res immobilis, v.g. prædium, potest eâ uti, v.g. elocare, illud locagium tamen inde præceptum, tanquam fructum illius reservando debitori, aut in sortem debiti computando. Item fructus rei immobilis oppignoratæ sibi potest percipere, percepósque etiam ex re aliena (qualis est pignus respectu creditoris consumere vel distrahere, ita tamen, ut in sortem debiti principalis sint computandi, & si illius quantitatem adæquent, illud omnino extinguant. Compensantur autem hi fructus consumpti vel venditi cum sorte non per se, sed ratione æstimationis sui, exstantes verò non computantur in sortem, sed jure pignoris manent apud creditorem non nisi soluto debito unà cum pignore restituendi debitori, ùt Abb. *in c.* 1. *h.t. n.* 3. & *ibidem* ejus glossator Alex. de Nevo. *Lit. D.* Canis. *l. c. n.* 6. Pirh. *h.t. num.* 86. *vers. notand. tertio.* Porrò nomine expensarum factarum in quæstionem, collectionem, conservationem fructuum, quibus detractis, horum restitutio, aut in sortem computatio fieri debent, ne creditor aliàs locupletior fiat cum jactura debitoris, contra *L. nam hoc. ff. de condict. indeb.* & naturalem æquitatem non tantum veniunt expensæ necessariæ, quibus non factis res erat peritura, vel deterior futura, sed etiam utiles, quibus res melior efficitur, non tamen voluptuariæ & superfluæ, potestque creditor retinere tam diu pignus, donec expensas detrahat, aut eæ illi solutæ, quia non nisi, quod iis detractis supereſt, sit fructus. *L. si à domino.* §. *fin. ff. de hæred. pet.* Gl. *in c.* 1. *h. t. v. deductis expensis.* Tholos. *L.* 2. *de usur. c.* 9. *à n.* 9. Pirh. *h. t. n.* 88. *vers. notand. quintò.* prætèrque has est etiam computandus labor ipsius creditoris impensus in dictos fructus. Denique notandum hìc, nomine fructuum computandorum in sortem non tantùm venire fructus perceptos ex pignore, sed & eos, qui ex illo percipi potuerunt, & percepti non sunt, de his enim etiam tenetur debitori creditor tanquam de perceptis. *L.* 2. *C. de pact. pign. c. gravis. de rest. spol.* Abb. *in c.* 1. *h. t. n.* 5. Alex. *l. c. Lit. G.* Pirh. *n.* 88. Quod tamen distinguendum, ait Alex. ut procedat, quando creditori satisfactum per solutionem debiti, vel illius adæquationem per fructus ex pignore perceptos, non verò procedat, quando creditori non est satisfactum, ita, ut tunc debitori tantùm teneatur de fructibus perceptis, non de percipiendis, nisi tamen hi per dolum, vel latam culpam non fuerint percepti, modò oppignoratio facta fuerit gratiâ debitoris principalis tantùm, secus, si facta gratiâ debitoris & creditoris. Pirh. *cit. n.* 88. vide me de his. *L.* 3. *q.* 171.

Quæst. 357. *In quibus casibus non teneatur creditor fructus perceptos ex pignore computare in sortem ad vitandam usuram, aut aliam injustitiam?*

1. Resp. In sequentibus primò: Si v.g. Laicus aliquis injustè detinens prædium, quod spectabat ad beneficium Clerici, dein illud in pignus pro mutuo sibi dato à Clerico eidem obliget, potest citra usuram seu injustitiam percipere ex illo fructus, eósque retinere, absque eo, quod teneatur illos computare in sortem, seu summam capitalem à se mutuò datam, vel credito venditam isti creditori Laico, quia recipit, quod suum est, & per viam occultæ compensationis redimit, quod legitimè ad se spectabat, & quod fortè aliâ viâ recuperare non poterat, nempe prædium suum beneficiale; sumitur ex *c.* 1. *h. t.* ubi dicitur: *nisi forte* (subintellige pignus) *beneficium fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu Laici videatur.* Gl. *ibid. v. beneficium.* idem dicens de Laico habente in pignus rem suam ab iniquo possessore detentam. Clericus tamen habens in pignus mutui vel debiti rem spectantem ad Ecclesiam sibi non assignatam in beneficium, perceptos ex ea fructus non computando in sortem, committeret usuram, vel aliam iniquitatem.

2. Secundò: Si creditori in pignus detur res, in qua is habet dominium directum, & debitor utile, v. g. à Vasallo feudum, fructus ex hoc pignore perceptos creditor non potest computare in sortem. *c.* 1. *de feudis. c. conquestus. h. t.* Idem communiter extendunt DD. ad rem emphyteuticam datam in pignus ab emphyteuta domino proprietatis, qui perceptos ex ea fructus non tenetur in diminutionem sortis computare, fundatúrque licita hæc perceptio & retentio fructuum ex pignore tali, absque eo, quòd in sortem computari debeant, in ipsa natura horum contractuum, feudalis & emphyteutici in prima eorum institutione, ut in certis casibus jure expressis dominium utile redeat ad dominum directum, inter quos est ille casus, ut, si res feudalis vel emphyteutica à vasallo vel emphyteuta detur domino directo in pignus debiti, dominium utile consolidetur, seu conjungatur cum dominio directo pro eo tempore, quo pignus soluto debito non redimitur, ac proinde interea potest dominus directus fructus ex re feudali sibi in pignus data non diminutâ quantitate debiti, seu sortis percipere, ne res etiam quò ad dominium utile existens, apud dominum directum alteri fructificet quasi aliena; ita Pirh. *h. t. num.* 90. citatis Molin. *tr.* 2. *de just. d.* 323. §. *ult.* Less. *cit. c.* 20. *du.* 16. *n.* 139. de Lugo *cit. d.* 25. *s.* 8. *n.* 146. Porrò, ut dominus directus percipere possit dictos fructus ex feudo vel emphyteusi sibi pignori datis, requiritur primò: ut interea non exigat à vasallo vel emphyteuta debitum aliàs obsequium, seu servitium & pensionem debitam. *c.* 2. *de feudis.* & si ea recipiat sine protestatione de non amittendo jure, ad fructus, tenetur eos computare in sortem; quia censetur huic juri tacitè renunciare. Abb. *in cit. c.* 1. *de feudis in fine.* sed &, si vasallus velit debitum obsequium præstare, potest tamen dominus directus illud non admittere, sed recipere fructus ex re feudali pignori data, etiamsi excedant debitum obsequium, & pensionem non computando illos sortem. Arg. *cit. c.* 1. *de feudis,* modò interim vasallus remaneat liber à solito servitio præstando. Gl. *fin. ibid.* Pirh. *n.* 91. Secundò requiritur, ut non percipiat dominus directus ex re feudali, seu emphyteutica oppignorata sibi fructus provenientes ex melioramentis factis per industriam vasalli vel emphyteutæ in feudo, sed eos tenetur computare in sortem, vel reddere vasallo, cùm non censeantur, quò ad illam partem esse ex re feudali. Sylv. *v. feudum. n.* 30. Mol. *cit. n.* 323. Less. *l. c. n.* 140. Lugo *l. c. num.* 149. Pirh. *h. t. n.* 92. Tertiò requiritur, ut feudum & emphyteusis data in pignus non sint empta à vasallo pretio, aut data in compensationem præcedentium meritorum, sed gratis concessa, aliàs fructus illius in sortem computandi. Sylv. Mol. Less. *ll. cit.* Lugo *n.* 150. Pirh. *num.* 93. De cætero, quòd dominus directus eo tempore, quo feudum titulo pignoris possidet, habeat dominium directum & utile in eo,

etsi alias nequeat habere rem propriam quò ad dominium directum & utile, hæc est ratio, quòd in hoc casu dominium utile saltem habitualiter maneat penes vasallum, quatenus is soluto debito possit hoc pignus redimere, & fructus ex eo recipere, sicut antea. Atque ita feudum habet rationem pignoris, quatenus dominus illud possidet cum obligatione illud reddendi vasallo, quamprimum is soluto debito illud redimit. Neque his obstat, quòd dominium utile aliàs spectet ad vasallum, adeóque & fructus ad eum spectare debeant; nam ex speciali dispositione juris, & conformiter institutioni primæ contractûs feudalis, dominium utile feudi non aliter conceditur vasallo, nisi cum hac limitatione, ut, casu quo in pignus datur domino directo, fructus feudi non ad dominum utilem, seu vasallum, sed ad dominum directum pertineant, quamdiu feudum pignori obligatum manet. Lugo *l. c. num.* 148. Pirh. *l. c.* verùm de his vide plura apud me. *L. 3. q.* 172.

3. Tertiò: Fructus pignoris computandi non sunt in sortem, dum maritus pro dote uxoris sibi promissa loco pignoris accipit prædium, rémve aliam, ut ex ea fructus percipiat, donec dotem promissam accipiat. Siquidem interim maritus fructus suos facit sine imminutione dotis, & absque eo, quòd cogatur eos in sortem computare. Pirh. *h. t. n.* 94. juxta *c. salubriter.* de quo vide me ulteriùs *cit. q.* 172. *n.* 2.

Quæst. 358. *Montes pietatis, quid sint, quæ eorum leges, & num immunes ab omni usura?*

1. Resp. Ad primum & secundum: Montes hi sunt æraria, & granaria publica à Principe aliquo vel domino loci aut communitate ex liberalitate, & piorum privatorum largitionibus & eleemosynis constituta pro certo loco in hunc finem, ut semper in promptu sit pecunia, quæ egentibus, (ne hi aliàs magnas usuras cogantur solvere usurariis, præsertim Judæis) non autem divitibus, ac præcipuè ejusdem loci, non exteris, ad certum tempus, v. g. ad annum, vel ad summum ad duos annos mutuò datur sub certi & sufficientis pignoris cautione à mutuatario præstanda, eâ lege, ut, nisi præfixo tempore mutuum reddant, pignus datum vendatur, & mons pietatis ex pretio suam sortem, seu mutuò datum recipiat, residuum verò pretii, si quod esset, mutuatario seu domino pignoris restituatur. Ad hæc annuatim, aut etiam singulis mensibus exiguum quid solvatur monti à mutuatario, non quidem pro lucro seu incremento ipsius montis, sed pro sumptibus ad conservationem montis, puta pro alimentis ministrorum, qui pignora & montem custodiant, administrent, conficiendo & reddendo rationes pro conductione domûs, cæterisque expensis necessariis, quæ, si ex ipsa montis substantia, seu pecunia defumi deberent, facilè is consumeretur; ita fere Azor. *p. 3. L. 5. c. 8. in pr.* Mol. *L. 2. de just. d.* 125. *n.* 1. Less. *L. 2. c.* 20. *du.* 23. *n.* 190. Pirh. *h. t. n.* 99. Reiffenst. *à n.* 118.

2. Resp. Ad tertium: Montes hi cum dictis legibus & conditionibus liciti sunt, nihilque usurarii continent AA. citati, & alii communiter contra Cajetan. *in commentar. de monte pietat. c.* 1. Sotum *L. 6. de just. q.* 1. *c. 6.* & alios quosdam, qui postquam refrigescente caritate, ùt inquit Reiffenst. quâ aliàs isti montes administrabantur gratis à piis hominibus, cœpit modicum quid exigi pro dictorum ministrorum laboribus & sustentatione, scriptis vel verbis contradixerunt his montibus, tanquam usurariis. Unde necesse fuit, hanc controversiam ad summos Pontifices devolvi, per quos omnes, ac tandem in Concilio Lateranensi. *Sess.* 10. per Leonem X. solenniter fuerunt approbati, tanquam liciti, & omni specie mali carentes, ùt patet ex Bulla ejusdem Pontificis, quæ incipit: *Cùm inter nonnullos.* habetúrque inter acta illius Concilii, & *Tom.* 1. *Bullar. Cherub.* ubi etiam §. 5. sub excommunicatione latæ sententiæ prohibetur pro contrario disputare aut prædicare. In Concilio quoque Trid. *Sess.* 22. *c.* 8. *de reform.* inter alia pia opera numerantur hi montes pietatis seu charitatis. Probatur insuper hæc responsio, dum nihil à mutuatariis exigitur, aut datur ultra sortem ratione mutuationis, sed ratione expensarum necessariò faciendarum ad conservationem & administrationem montis, quæ cùm fiant in gratiam & commodum egentium, mutuatariorumne majus malum incurrere cogantur, licitum & pium est, pro iis aliquid exigere & accipere.

Quæst. 359. *An & quis census realis sit licitus aut usurarius?*

1. Resp. Primò in genere: Census (qui propriè loquendo, & prout hìc sumitur, non est ipsa pensio, sed jus eam exigendi & percipiendi) realis (hoc est, in re certa, & frugifera alterius, puta, agro, vineâ, domo constitutus, quíque rem ipsam comitatur, ad quemcunque possessorem ea perveniat, veluti servitus, seu obligatio ratione pensionis solvendæ; ùt Azor. *p. 3. L.* 10. *c.* 33. *in divis.* 1. Laym. *L. 3. tr. 4. c.* 18. *n.* 1. & 2. Pirh. *h. t. n.* 66. per emptionem & venditionem (multóque magis per donationem, legatum) constitutus, ipsâque ejus constitutio, seu emptio & venditio illius nihil usurarii, seu illiciti continet, modò pretium sit justum, scilicet à lege vel consuetudine taxatum, Azor. *l. c. n.* 4. Laym. *n.* 3. Pirh. *num.* 67. cum communi TT. & JC. juxta quod declararunt Martin. V. & Calix. III. in *Extravag. Regimini. de empt. & vendit. inter commun.* Pius V. in *Constit.* Sua. *cùm onus Apostolica.* Et quidem non committitur in tali contractu usura, ùt patet, quia non est contractus mutui, sed verus contractus venditionis & emptionis, celebratus inter venditorem, seu censuarium & emptorem dicti juris, seu censualistam. Sed neque committitur in eo alia iniquitas, dum census est fructuarius, seu consistens in jure percipiendi fructus ex agro, vinea &c. cùm sicut justum & licitum est emere totum prædium, & jus percipiendi omnes fructus illius, vel etiam totum usumfructum illius, remanente dominio directo penes venditorem, ita quoque licitè emi potest pars usûsfructûs, seu jus percipiendi partem fructuum. Arg. *L. necessaria. §. fin. ff. de pericul. rei. vend.* Abb. *in c. in civitate. h. t. n.* 7. Molin. *tr. 2. de just. d.* 385. *à n.* 8. Azor. *l. c. q.* 3. Laym. *l. c. n.* 3. Pirh. *n.* 68. Idem est, dum census est pecuniarius, seu jus percipiendi annuatim certam summam pecuniæ ex agro vel domo aliena; tum quia de hoc potissimùm censu loquuntur citat. paulò ante Extravagantes; tum quia, quando reditus annuus pecuniarius in valore æquivalet censui fructuario, sicut hic, ita & ille æquali pretio emi possunt, unde etiam, sicut ab initio constitui potest pensio in pecunia, ita & constituta in fructibus commutari potest in pensionem pecuniariam, ùt Lugo *cit. d.* 27. *s.* 7. *num.* 111. *in fine.*

2. Resp. Secundò in specie: Emi & vendi, seu consti-

constitui licitè possunt reditus, seù census tam antiqui, seu jam constituti, quàm primò & de novo per ipsam hanc venditionem constituti; cùm inter eos Pontifices non faciant distinctionem; neque de novo constitutæ propterea sint valoris minoris.

3. Secundò: Pensiones seu census reales consignativi, (quales sunt census ex re aliena pretio empti perpetui, qui non finiuntur obitu emptoris, vel venditoris, aut alterius cujusdam, sed transeunt ad hæredes, ita, ut obligatio venditoris solvendi pensionem transeat ad hæredes venditoris, & jus exigendi pensionem ad hæredes emptoris) justè & licitè jure naturæ venduntur & emuntur. Less. *l. c. c.* 22. *n.* 34. Laym. *cit. c.* 18. *n.* 3. Pirh. *cit. n.* 69. idque, sive census sit fructuarius, sive pecuniarius, ùt iidem. Idem est de pensione, seu censu irredimibili, id est, cui nullum pactum redimendi fuit adjunctum, adeóque neque ex parte venditoris reddendo emptori pretium, neque ex parte emptoris reddendo seu resignando censum recepto pretio, redimi seu extingui potest; Ratio utriusque est eadem, nimirum, quòd sicut emptio prædii perpetua & irredimibilis quò ad dominium ejus directum & utile est licita, ita etiam emptio usufructûs illius totus & consequenter pars usufructûs (qualis est census, seu jus percipiendi partem fructuum) non minùs licitè emi, quàm per donationem vel legatum acquiri potest, cùm, quod juris est de toto quò ad totum, idem juris sit de parte quò ad partem. *L. quæ de toto. ff. de rei vindicat.* onus autem etiam illud perpetuitatis & irredimibilitatis censûs impositum venditori cùm acuto pretio compensari possit, hoc facto, in hac emptione evitatur omnis injustitia; quamvis etiam non aucto pretio possit fieri emptio talis censûs, ratione lucri cessantis, aut damni emergentis. Lugo. Pirh. *ll. cit.* De cætero his non obstante, quòd omnes pensiones speratæ, & progressu temporis solvendæ plurimùm excedant pretium pro censu datum, dum v. g. census 50 florenorum emitur 1000 florenis spatio 40 annorum perceptus ascendit ad 2000. & sic in duplo superat quantitatem pretii. Nam non emuntur pensiones annuæ ex re frugifera, sed jus percipiendi pensiones futuras, quatenus sunt in spe, & non in re, quod jus communi hominum judicio minoris æstimatur, quàm si omnes præsentes essent, & simul solverentur, dum multa contingere possunt, ut fructus vel non nascantur, vel non solvantur, pensiones etiam pecuniariæ variis periculis & laboribus acquirendi, successu temporis exponi soleant. Et certè, si obstaret, illicitum quoque foret emere agrum vel domum certo pretio, cùm fructus ex eo percipiendi, inter paucos annos pretium agri vel domûs sint superaturi.

4. Tertiò: Emptio & venditio quoque realis temporalis censûs est justa & licita, sive ad certum tempus, v. g. 10 vel 20 annos, sive ad incertum, v. g. ad vitam ementis constituta, ratio eadem est, quæ præcedentis; non obstante iterum, quòd pretium esse possit majus & minus, juxta dicta paulò antè, Covar. *L.* 3. *resol. c.* 7. *n.* 3. Less. *l. c. du.* 6. *n.* 40. & 41. Idem est de emptione & venditione censûs redimibilis ex parte venditoris, cum aliæ omnes venditiones cum pacto redimendi factæ, ad arbitrium illius sunt licitæ. *L.* 2. *c. de pactis inter empt. & vendit.* sùntque hujusmodi census approbati à SS. Pontificibus, quippe in quos nulla suspicio aut præsumptio usuræ cadit; quin idem probabiliter dicendum de censu utrimque ex pacto redimibili, tenent Less. *du.* 10. *n.* 56. Laym. *l. c.* Pirh. *n.* 71. Gabr. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 12. *a.* 2. *concil.* 4. Reiffenst. *n.* 140. non secus ac in aliis emptionibus agrorum & domorum, quibus emitur totum dominium, cujus veluti pars est jus percipiendi partem, licitè apponi ab utroque potest pactum redimendi censum, ùt habet communis. Et, si venditor potest tale onus revendendi sibi pro arbitrio suo imponere emptori, quia potest ei tale onus compensare censum vendendo minoris, cur etiam emptor non potest imponere venditori onus seu obligationem, ad reddendum sibi pretium datum, & sic juri suo percipiendi fructus renunciare? cùm & is possit illi compensare hanc obligationem, cariùs emendo censum; ita Less. *l. c. n.* 58. non tamen ex eo, quòd venditor obligetur emptori pretium pro arbitrio ejus reddere, sequitur, quòd contractus ille non sit vera venditio, sed potiùs mutuum, ne aliàs omnis emptio cum pacto retrovendendi emptori sit mutuum, præterquam, quòd in contractu census redimibilis ex parte emptoris, hic non det immediatè pecuniam pro pecunia ejusdem quantitatis & valoris reddenda in redemptione, ùti fit in mutuo, sed pro jure exigendi pensionem fructuariam, vel pecuniariam. Ac denique in omni casu mutuum à mutuatario repeti potest, in censu autem redimibili utrimque secluso speciali pacto repeti nequit pretium, seu sors repeti non potest, casu quo res, super qua census fundatus, perierit. Laym. *l. c. n.* 5. Porrò dicta hæc de censu redimibili intelligenda sunt tam de censu temporali redimibili absolutè, quàm restrictè, ita, ut v. g. intra certos annos, v. g. 10 redimi possit, non autem postea, & e contra, ut intra idem tempus redimi nequeat, possit autem postea, utrumque enim ex pacto constitui potest. Observandum autem, quod dictum de jure naturæ, licitam esse venditionem & emptionem censûs redimibilis ex parte etiam emptoris, nam jure humano, civili & ecclesiastico uterque ille census, nimirum tam ex parte utraque redimibilis, quàm perpetuus, & ex utraque parte irredimibilis expressè prohibitus, & prior quidem à Pio V. in *cit. Const. cùm onus.* §. 12. ubi expressè prohibetur, quòd emptor pro libitu suo repetere possit pretium, & à Carolo V. in Comitiis August. Anno 1548. *tit. de usur. contract.* Arg. *Extrav. supra cit.* quatenus redemptionem censûs soli venditori permittunt, idque propter periculum usurariæ intentionis, quæ in hujusmodi censu facilè præsumitur in foro externo; ùt Laym. *l. c. n.* 6. Posterior etiam per *cit. duas Extravagantes & Const.* Pii V. *cùm unus.* & *Const. ejusd. etsi Apostolicæ Sedes.* quas recitat Reiffenst. *h. t. n.* 153. Posse nihilominus, non obstante hoc jure humano licitè & validè utrumque censum, tam irredimibilem seu perpetuum, quàm redimibilem ex utraque parte vendi & emi in locis, ubi præfatæ Constitutiones humanæ, tam juris civilis, quàm ecclesiastici, non sunt usu receptæ, vel per consuetudinem legitimè quò ad hoc præscriptam abrogatæ, ùti res se habere videtur in Germania, ubi testibus Laym. *L.* 3. *tr.* 4. *c.* 18. *n.* 6. Pirh. *h. t. n.* 72. Engels *h. t.* §. 2. *n.* 22. consuetudine inductum, ut census ex utraque parte redimibiles emantur, dando pretium 100 florenorum pro jure singulis annis percipiendi 5. asserit Reiffenst. *h. t. n.* 143.

Quæst. 360. *An & qualiter licitus sit census personalis?*

Resp. Census merè personalis (qualis est, qui fundatur super certa persona obligante se ad annuam

annuam pensionem ex sua industria, arte, opificio præstandam absque ordine ad rem aliquam, ex qua solvatur, licet quandoque securitatis gratiâ fundus aliquis hypothecæ supponatur, ex quo pensio percipiatur casu, quo ea à persona obligata obtineri nequit) hic, inquam, census non solùm ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, sed & secundum se est justus & licitus ex natura rei citra prohibitionem legis humanæ, prout probabiliùs tradunt Abb. *inc. in civitate. h. t. n. 6.* Felin. *L. 1. de censib. c. 8. à n. 4.* Covar. *L. 3. resol. c. 7. n. 5. & 6.* Azor. *p. 3. L. 10. c. 5. q. 5.* Less. *cit. c. 22. du. 4. n. 18.* Laym. *l. c. c. 18. n. 7.* Gail. *pract. L. 2. obs. 7. n. 13.* Pirh. *h. t. n. 74.* Wiestn. *n. 72.* & alij contra Nav. *comment. de usur. n. 8.* Gutt. *L. 2. pract. q. 177. n. 7.* Fachin. *L. 2. controvers. c. 44.* censentes, esse usurarium & injustum; estque ratio, quòd sicut in censu reali potest dominus jus, quod habet ad fructus prædii sui justè vendere, tenetúrque postmodum bonâ fide prædium colere, ne reddatur infrugiferum, ita in censu personali potest vendere jus, quod habet ad lucra & fructus pecuniæ suæ ex laboribus & operis suis provenientes, non secus, ac locare potest pretio suo, aut etiam gratis concedere ipsas operas suas obligando se, suósque hæredes ad eam industriam personalem adhibendam, quâ lucrari operis suis certam summam pecuniæ annuatim emptori censûs solvendam, quemadmodum etiam à lege imponi potest obligatio talis persolvendi decimas personales; juxta *can. decimæ. 16. q. 1. c. ad Apostolicæ. c. non est. c. pastoralis de decimis,* aut emi servitus aliqua personalis. Sed neque dici potest in tali emptione censûs personalis intervenire etiam virtuale mutuum, adeóque usuram palliatam, dum pecuniâ emitur pecunia, seu ex auro nascitur aurum, quod usurarium dicitur. *can. sicut. v. interdum. dist. 47.* cùm emptor censûs personalis irredimibilis, vel redimibilis ex parte venditoris tantùm datam sortem repetere nequeat, id autem possit mutuans. Laym. *l. c. n. 7.* Pirh. *cit. n. 74. in fine.* ad hæc non emitur pensio personalis pecuniaria, sed jus ad eam exigendam. Nihilominus licet emptio censûs personalis, ùt dictum, ex natura rei, seu spectato præcisè jure naturali sit licita, jure tamen ecclesiastico illicitam esse, non tam per *cit.* Constitutiones Martini V. & Calixti III. clausas in corpore juris communis, quàm per *Constit.* Pii V. *cùm onus.* constabit ex dicendis *quæst. seq.*

Quæst. 361. *Quænam requirantur, ut contractus censualis in genere sit licitus?*

1. Resp. Primò: Ut contractus censualis jure naturæ sit licitus, requiruntur quatuor conditiones sequentes: Prima, ut census constituatur in re frugifera, vel quæ pro frugifera habetur, ex qua pensio suo tempore debita, sive immediatè, sive mediatè (ùt fit, quando ex agro solvenda) solvi possit, & ita quidem, ut ordinariè sufficientes detractis expensis & laboribus, in colligendis fructibus factis ad integrè solvendam pensionem fructus ferat, alioquin si annuatim pauciores fructus ferat, census impositus eatenus rei videtur, quatenus minus fert. Azor. *l. c. L. 10. de usur. c. 6. q. 1.* Mol. *l. c. d. 389. n. 12.* Pirh. *n. 78.* Et si sit census personalis, requiritur, ut persona tantùm annuatim labore, industriâ, arte acquirat, quantus est census, vel habeat saltem bona aliqua, unde censum annuum, partémve illius solvat. Medin. *de usur. q. 11.* Less. *cit. c. 22. n. 21.* Wiestn. *n. 74. in fine.* talia autem sunt non solùm bona immobilia, ùt agri, domus, (quin & census perpetuus & irredimibilis, utpote super quo alius census imponi potest) Azor. *l. c. c. 7. q. 1.* Less. *l. c. du. 12. n. 77.* Pirh. *h. t. n. 78. in fine.* sed etiam mobilia, vel se moventia, ùt est pecunia, modò ea sit exposita negotiationi, grex ovium, aliáque, quibus utimur salvâ eorum substantiâ, quæque non statim primo usu consumuntur, & quorum pretia singulis ferè annis non mutantur, ita, ut in iis certa pensio constitui nequeat, ùt contingit in frumentis, vino, oleo. Azor. *l. c. c. 5. q. 4.*

2. Secunda conditio est, ut ematur census justo pretio, quale censetur lege vel consuetudine, aut his deficientibus, virorum prudentum arbitrio taxatum est; utì in Imperio Romano, ex *Const.* Caroli V. edita in Comitiis Augustanis Anno 1548. pensione annuâ quinque florenorum emitur 100 florenis, Tanner. *Tom. 3. de Just. d. 4. du. 4. n. 119.* Pirh. *n. 79.* dum alias in locis, in quibus pretium ita taxatum non est, pretium justum censeri potest, si pro centum solvantur 6. 7. 8. 9. aut etiam plura, cùm rerum pretia pro varietate locorum, temporum, próque copia, vel inopia ementium, vel vendentium aut mercium, vel pecuniæ numeratæ varientur. Pirh. *l. c.* Wiestn. *n. 75.* citatis Nav. *l. c. n. 104.* Less. *du. 14. n. 103.*

3. Tertia, ut, si res censualis in perpetuum reddita sit infructuosa, vel etiam tota perierit citra culpam censuarii, v. g. prædium à flumine occupatum, domus incendio consumpta, obligatio solvendi pensionem extinguatur totaliter, vel pro parte, prout res censualis tota, vel ex parte periit, damnúmque sit censualistæ, secluso speciali pacto assecurationis, cùm res quælibet per se loquendo pereat domino suo, qualis est censualista respectu pensionis, seu juris ad pensionem percipiendam ex re censuali. Mol. *tr. 2. d. 391. n. 3.* Less. *l. c. num. 88.* Tanner. *l. c. n. 121.* Pirh. *n. 80.* Eodem modo extinguitur census personalis, si persona ad lucrum percipiendum reddatur inhabilis, vel amittat bona, ut ad censum solvendum sit impotens. Wiestn. *n. 76.* si tamen res censualis ad tempus, seu uno alteróve anno fructus nullos ferat, tota pensio annua à censuario, seu domino fundi solvi debet, modò reliquis annis tantum ferat, quantum ad pensionem solvendam sufficit, vel etiam ampliùs, ita, ut damnum sterilitatis alio anno compenseturs cùm ex recepta consuetudine census constitutus ex agris quotannis integer solvatur, etsi agri secundo aut tertio anno quiescant, nullum fructum ferant, quia non coluntur. Mol. Tanner. Less. Pirh. *ll. cit.* si autem culpâ censuarii periit, vel omnino reddita infructuosa, tenetur is reddere pretium censûs, vel illum super alia re immobili constituere. Less. *l. c. n. 91.* Pirh. *l. c.*

4. Quarta, ut res censualis, inscio vel invito censualista, non alienetur in alium, à quo solutio censûs vel simpliciter, vel sine magna difficultate solvi nequit; cùm jus censualistæ non debeat fieri deterius. Sotus *L. 6. q. 5. a. 3.* Pirh. *n. 81.* Wiestn. *n. 77.* Addunt aliqui quintam conditionem, ut nimirum non exigatur, seu in pactum deducatur solutio anticipata, utì contingeret, dum venditor sive censuarius cogeretur, pensionem annuam vel semestrem pro primo anno vel semestri statim post pretium numeratum solvere, & emptor seu censualista de numerato pretio detrahere posset censum primi anni, quia hac ratione vendens non reciperet totum, quod debitum est ei pro annuæ vel semestralis pensionis solvendæ obligatione. Less. *l. c. n. 81*

Castrop. *tr.* 32. *d.* 6. *p.* 16. *n.* 9. Haunold. *tr.* 10. *n.* 330. Wiestn. *n.* 78. qui tamen monent, pactum de tali solutione anticipata non fore contra jus naturæ, si talis solutionis præstandæ onus aliâ ratione compensaretur. Superaddunt aliqui aliam adhuc conditionem, nimirum, ut non fiat ullum pactum, vi cujus obligetur venditor, ad redimendum censum ab emptore, quam tamen conditionem verisimiliter non esse necessariam, ait Pirh. *l. c.* remittens ad Tanner. *cit. du.* 4. *n.* 128. *&* 2. *seq.*

5. Resp. Secundò: Præter has conditiones jure positivo ecclesiastico in *Extravagant.* Martini V. & Calixti III. sub aliis insuper conditionibus approbantur contractus censualis, ût, quòd sola res certa, immobilis, frugifera maneat obligata, & non persona censuarii, aliáve ejus bona. Quòd pretium justum solvatur pecuniâ præsente. Quòd venditori relinquatur facultas eodem pretio redimendi censum, sive totum simul, sive per partes. Quòd pensiones non superent æstimationem fructuum rei, in qua census constitutus, non tamen has conditiones omnes necessarias dicunt prædicti Pontifices, aut etiam sine iis initos contractus improbant; ut Covar. *L.* 3. *resol. c.* 7. *n.* 5. *&* 6. Less. *l. c. n.* 75. Tann. *l. c. n.* 123. Pirh. *n.* 82.

6. Resp. Tertiò: In cit. Bulla Pii V. quam referunt Nav. *in man. præl. c.* 17. *n.* 234. Mol. *d.* 789. *& seq.* Less. *l. c. n.* 77. Tann. *l. c. n.* 124. *& seq.* Reiffenst. *h. t. n.* 153. conditiones tanquam necessariæ ad venditionem & emptionem licitam censûs requiruntur sequentes. Prima, ut census non constituatur, nisi super re immobili, aut quæ pro tali habetur, ex natura sua frugifera certis finibus designata, per quod proinde vetatur census personalis. Secunda, ut pretium censûs statim numeretur coram notario & testibus. Tertia, ut non fiant, aut in pactum deducantur anticipatæ solutiones pensionum, sed solùm pro rata temporis constituti elapsi. Quarta, ut neque directè, neque indirectè obligetur censuarius, ad præstandos casus fortuitos, per quod etiam prohibetur pactum assecurationis. Quinta, ut libera maneat censuario facultas rem censualem alienandi, neque cogatur solvere censualistæ laudemium, id est, quinquagesimam aut trigesimam partem pretii illius rei alienatæ. Sexta, ut dominus rei censualis intendens illam vendere, priùs indicet domino censûs pretium & conditiones, quibus res est vendenda. Septima, ut non fiat pactum, quo venditor censûs, si in mora sit solvendi pensionem, obligetur ad ullam pœnam, quamvis jure naturali compensare damna, quæ ex illa dilatione solutionis emptori seu domino censûs obvenerint, debeat, hoc tamen antecedenter in pactum deduci nequeat ob fraudem usurariam, quamvis postea, ut debitum exigi possit. Octava, ut non augeatur census jam constitutus, nec novus fundetur super eadem re ex pensionibus nondum solutis, vel imposterum solvendis, secus, si fuerint solutæ, cum ex additione pecuniæ numeratæ augeri possit census. Nona, ut non fiat pactum, ut solutio onerum non spectet ad censuarium, quæ ex natura contractûs ad eum non pertinebant. Decima, ut, si res censualis ex toto vel ex parte pereat, vel reddatur infructuosa, census ex parte vel ex toto pereat. Undecima, ut census semper eodem pretio, quo emptus est, redimi possit à venditore, nec fiant ulla pacta, quibus directè vel indirectè talis facultas ei adunatur. Duodecima, ut venditor volens censum redimere, ante bimestre præmoneat emptorem, seu censualistam, & post denunciationem intra annum cogi possit ad redimendum. Decima tertia, ut emptor non possit ab invito venditore pretium repetere, seu cogere illum ad redimendum censum, unde ùt Less. *l. c. num.* 92. *&* 94. sequitur, census omnes esse perpetuos, seu irredimibiles ex parte emptoris, quamvis ex parte vendentis semper liberè redimi possit, nisi census irredimibilis justo pretio sit comparatus. Decima quarta, ut pretium censûs semel constitutum non possit augeri ob temporis vel contrahentium qualitatem, vel ob aliud accidens, scilicet in gratiam vendentis, qui semper eodem pretio censum potest redimere, quo vendidit; ita fere Pirh. has conditiones ex cit. Bulla Pii V. excerptas suis verbis proponens, quas adjectis ex eadem Bulla aliis paucis, ita, ut earum numerus ad 20 ascendat, verbis ipsius Bullæ refert, & in paragraphos distinguit Reiffenst. *h. t. à num.* 153. quem vide.

7. Resp. Quartò: Circa has conditiones Bullæ Pianæ notanda sequentia; Primò: inter has conditiones repeti etiam eas, quæ jure naturæ requiruntur, ideóque independenter ab eadem Bulla, etiamsi recepta, necessariò observandæ. Secundò: conditiones cæteras Bullæ non extendi ad contractus censuales initos ante illam, qui etiam iis carentes sunt liciti, & manent in suo vigore; neque ad eos, qui fiunt etiam post Bullam per contractum donationis, vel dotis constituendæ, vel donationis propter nuptias, vel per legatum, fideicommissum, vel aliam voluntatem ultimam. Nav. *in commentar. de usur. num.* 98. Less. *cit. c.* 22. *num.* 96. Pirh. *h. t. num.* 84. Tertiò: Bullam hanc, ubi promulgata, recepta, & contrario usu non iterum abrogata, absolutè obligare. Castrop. *tr.* 32. *d.* 6. *p.* 15. *n.* 4. eóque teste DD. omnes; quia præscribit contractui huic, celebrato per modum emptionis, & venditionis formam, ne prætextu censûs exerceantur usuræ. Unde hi contractus sub alia forma, quàm Bulla præscribit, vi illius censentur usurarii, saltem ob præsumptionem fori externi, etsi fortè à parte rei tales non sint. Less. *l. c. num.* 97. Pirh. *l. c.* Quartò: ubi verò promulgata, vel usu recepta non est, (utì eam non receptam, & contrarium usum hactenus semper perseverasse in Gallia, Belgio, Germania, saltem quò ad plerasque conditiones, testantur Less. *l. c. num.* 98. Tann. *l. c. du.* 4. *num.* 131. Pirh. *l. c.* Reiffenst. *num.* 156.) vel primitùs recepta, & ex post contrariâ consuetudine abrogata, in nullo foro obligare, & hinc tales contractus, non observatis illis conditionibus, liberè exerceri, v.g. emi census ex utraque parte redimibiles, item perpetuos; ita AA. paulò antè citati. Quintò: cum dicta constitutio valde probabiliter fundetur in præsumptione fraudis & intentionis usurariæ; hâc cessante, census licitè constitui sine conditionibus jure humano tantùm requisitis. Nav. *l. c. n.* 106. *in fine.* Pirh. *l. c.*

CAPUT III.

De Obligatione solvendi Usuras, de Dominio & Restitutione earum, nec non de Pœnis & Judice earum.

Quæst. 362. *An debitor ex mutuo teneatur solvere usuras lucratorias promissas, vel pactas, repeteréque solutas?*

1. RESp. Ad primum: Usuras veras, lucratorias ex mutuo solvere non tenetur debitor, seu mutuatarius, etiamsi eas solvere promiserit simpliciter, secus, si se ad eas solvendas obligaverit sub juramento, ùt habet communis & certa; juxta *c. debitores. de jurejur.* quamvis antè juramento se ad hoc obligaverit, adeóque ad eas solvendas teneatur, nisi creditor juramentum remittat, potest tamen creditor adigi ad juramentum, & consequenter ad usurarum solutionem remittendum. Reiffenst. *h. t. n.* 161. & 162. Dixi: *Usuras veras lucratorias*; quia ad usuras compensatorias & moratorias, seu punitorias solvendas, etiam citra juramentum desuper præstitum tenetur in utroque foro, uti etiam illas, quæ aliquo justo titulo veræ & propriè tales usuræ non sunt. Reiffenst. *n.* 165.

2. Resp. Ad secundum: Casu quo fortè debitor vi juramenti solveret usuras, poterit eas in judicio repetere, potéstque ad eas restituendas creditor compelli. *c.* 1. *de jurejur. cit. c. debitores.*

Quæst. 363. *Num usurarius acquirat dominium rerum, quas per veram usuram accepit?*

RESp. Si acceptum per usuram consistens in pecunia, frumento, vino, oleo, aliáve re fruibili, creditor usurarius cum aliis ejusdem rationis rebus suis commiscuerit, ut discerni amplius nequeant, dominium earum acquirit, non secus, ac fur rerum furtivarum cum rebus suis propriis confusarum, manente tamen eodem obligato ad idem in æquivalente restituendum; ita TT. & JC. plerique juxta §. *si duorum. Inst. de rer. division.* & *L. si alicui. ff. de solution.* si verò res usurariæ inconfusæ remanserint illarum dominium nequaquam acquirit. D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *a.* 3. *ad.* 3. Sylv. *v. usura*, 6. *q.* 1. Covar. *L.* 3. *var. c.* 3. *n.* 6. Laym. *L.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 7. Less. *L.* 2. *de Just. c.* 20. *n.* 158. Mol. *tr.* 2. *de J. & J. d.* 326. *n.* 7. Reiffenst. *h. t. n.* 167. cum communiore contra Gl. *in can. si quis usuram*, 14. *q.* 4. Palud. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. *a.* 5. & quosdam veteres, quos secutus est de Lugo *Tom.* 2. *de J. & J. d.* 25. *num.* 208. censentes earum rerum dominium, etsi debile, quia restitutioni obnoxium, acquiri, hac ratione ducti: tum quòd usuras solvens, in hanc translationem dominii consentiat, tum quòd consensu cum traditione conjuncto dominia rerum transferantur. §. *per traditionem. Inst. de rer. division.* & *L. traditionibus. c. de pactis.* Rationes verò pro opposita sententia sunt: quòd ad acquirendum & transferendum rei dominium non sufficiat sola traditio facta à domino rei, sed requiritur præcedens venditio, vel alia justa causa, vel titulus, *L. nunquam. ff. de acquir. rer. domin.* neque adjuncta traditioni mutuatarii voluntas, cùm non censeatur, rem usurariam donare, aut etiam plus juris in mutuantem velle transferre, quàm quod ei facto mutuo ex justitia verè debetur, nihil autem ei ratione mutui absolutè debetur, multóque minus ex justitia. Adde, quòd signum sufficiens non acquisiti dominii sit obligatio absoluta restituendi, usurarius autem, non secus ac fur & raptor rem furto, aut raptu ablatam restituere tenetur, ùt paulò pòst ex professo probabitur; quin &, si res usuraria sit frugifera, tenetur unà cum illa restituere fructus ex ea perceptos, qui aliàs ad dominum rei spectant. Nihilominus rei pecuniâ aliáve re usurariâ comparatæ usurarius verum acquirit dominium, juxta clarum textum *L. si aliena. c. si quis alteri, vel sibi.* quia res per pecuniam usurariam comparatæ non sunt fructus pecuniæ, utpote ex se sterilis, sed fructus industriæ applicantis pecuniam usurariam, non secus, ac propterea depositarius, fur, uxor ex re deposita, furtiva ad filium defuncti perrinente sibi, non aliis, acquirit. *L. si ex ea. C. de R. V. L. qui Vas.* §. 7. *ff. de furtis. L.* 1. *C. si quis alteri, non sibi.* Atque ita usurarius non refert lucrum ex ipsa usura. Notandum quoque hìc, quòd, si res usuraria sit fructifera, fructuum ex ea perceptorum dominium usurarius non acquirit, cùm hi spectent ad dominum, qualis non est mutuans, sed mutuatarius. §. *si quis à domino, Inst. de rer. divis.* si verò rem usurariam vendat, licet dominium in emptorem non transferat. *L. ex empto. ff. de act. empti.* cùm enim illud non habuerit, in alium transferre non potest; sed id manet penes ejus dominum, nempe dantem usuras, qui ubicunque illam invenerit, potest illud rei vindicatione repetere, evadit tamen usurarius venditor dominus pretii pro ea dati ab emptore, si hic est dominus pretii, & consequenter etiam evadit dominus rerum, quas pro illo pretio comparavit; cùm rei usurariæ pretium non sit usurarium, uti nec pretium rei furtivæ furtivum. Wiestn. *h. t. n.* 96. citatis Azor. *p.* 3. *L.* 5. *c.* 12. Mol. *l. c. d.* 327. *n.* 7. qui postremus rectè monet, venditorem illum usurarium hoc casu teneri emptori de evictione, & omnibus damnis ex evictione secutis.

Quæst. 364. *Num usuræ reales re ipsâ datæ sint restituendæ?*

RESp. Certum esse usurarium, qui eas recepit, sive sit Clericus, sive Laicus, teneri in utroque foro eas restituere, prout ex *c.* 1. & 2. *h. t.* quia ab eo detinentur tanquam res non suæ; limitanda tamen responsio ita, ut ad quos aliàs spectat hæc obligatio, restituere non teneantur, si sint notoriè pauperes, & ad restituendum imporentes, donec ad pinguiorem fortunam revertantur. *c. cum hi. h. t.*

Quæst. 365. *Num usura mentalis obnoxia restitutioni?*

1. RESp. Primò: Usura mentalis (cujus nomine hìc non venit nudum propositum usuram recipiendi & exigendi, sed actus exterior, quo datur mutuum cum animo seu intentione recipiendi lucrum,

lucrum, seu ultra sortem vi mutui, ita tamen, ut ista intentio exteriùs non manifestetur, sed in mente retineatur, unde mentalis dicitur) non est obnoxia restitutioni, si mutuatarius ex mera gratitudine, benevolentia & liberalitate dederit aliquid ultra sortem, etsi mutuans tale lucrum intenderit principaliter, utpote alioquin non mutuaturus, nisi ob perspectam sibi gratitudinem tale lucrum speraſſet, quia hac ratione neque intenditur, neque recipitur quicquam vi mutui, sed ex mera liberalitate & gratitudine, ubi autem quis præstando alicui beneficium intendit obventurum sibi ex gratitudine alterius antidorale beneficium, nulla intervenit usuraria, aut alterius injustitiæ pravitas, in qua sola fundatur obligatio restituendi acceptum mutuum, & ita tradunt Nav. *in man. c.* 17. *n.* 109. & *tr. de usur. n.* 21. & 22. Mol. *tr.* 2. *d.* 305. *n.* 3. Azor. *p.* 3. *L.* 5. *c.* 16. *q.* 3. Less. *L.* 2. *c.* 20. *du.* 5. *n.* 39. Lugo *de Just. d.* 25. *s.* 4. *n.* 28. Pirh. *h. t. n.* 133. & alii communiter. Neque his obstat illud Christi, *Lucæ* 6. mutuum date, nihil inde sperantes: vel enim fuit tantùm consilium, si intelligatur, excludi per illa verba spes & intentio obtinendi aliquid ex mera gratitudine & liberalitate, vel, si fuit præceptum, intelligendum est, non de quacunque spe lucri ex mutuo, sed quod est pretium mutui, ùt cum Mol. *cit. d.* 305. *n. ult.* Pirh. *l. c.* neque etiam quò ad hæc est disparitas inter Simoniam & usuram; cùm neque committatur Simonia, dum quis citra pactum ullum defert sua obsequia, quia sperat & intendit sibi ab illo conferendum beneficium ecclesiasticum, ut bene Pirh. *l. c.* Verùm quidquid sit de his, usura mentalis non est, dum quis citra pactum, citráque manifestationem suæ spei seu intentionis intendit, ob mutuo datum recipere aliquid etiam temporale à mutuatario ex mera gratitudine. De cætero

2. Resp. Secundò: Mutuans citra pactum externum, & manifestationem internæ intentionis, quâ intendit lucrum ultra sortem, non ex liberalitate mutuatarii, sed tanquam pretium ex obligatione justitiæ in recompensationem mutui sibi dati debitum, fit usurarius mentalis, sive principaliter, sive minùs principaliter, quia nimirum daret nihilominus mutuum propter amicitiam, quam habet cum mutuatario, intendat lucrum, acceptúmque tenetur restituere etiam in foro conscientiæ, juxta expressum textum *c. consuluit. h. t.* & *ibi* Gl. *v. malè agere.* Pirh. *h. t. n.* 184. junctò *num.* 185. Reiffenst. *n.* 179. cum communi; ratio est, quia accipere aliquid ultra sortem ob mutuum, tanquam debitum ex justitia est ex se & intrinsecè iniquum & usurarium, adeóque etiam, cùm actus morales specificentur ab objectis, usurarium est intendere talem acceptionem, sive intendatur principaliter, sive minùs principaliter, intentio siquidem mali minùs principalis, licet constituat minus peccatum, non tamen ab omni peccato immunis est, mutuatarius quoque dans lucrum ultra sortem ex obligatione justitiæ, (prout & non aliter intendere illud mutuantem accipere ex signis & nutibus, sine pacto & externa manifestatione nosse potest) non vult lucrum donare gratis, rectè inde infertur mutuatorem recipientem non debitum, injustè illud accipere, adeóque teneri ad restitutionem illius.

3. Resp. Tertiò: Si mutuatarius solvat usuram tanquam ex mutuo debitam, & mutuans bonâ fide illam accipit tanquam gratis datam, eò, quòd nullum pactum de lucro præcesserit, statim ac intelligit, mutuatarium illud dedisse tanquam debitum ex mutuo, tenetur illud restituere unà cum fructibus exstantibus ex eo perceptis, quia datio hæc fuit mixtè involuntaria, adeóque insufficiens ad transferendum dominium in accipientem, si tamen perseverante bonâ fide mutuans consumpsit lucrum, nihil tenetur restituere, nisi quod ex eo remanserit, aut ex eo factus locupletior, cùm tunc obligatio non oriatur ex injusta acceptione, sed ex re accepta. Mol. *cit. d.* 306. *n.* 2. Azor. *l. c. c.* 16. *q.* 1. Less. *cit. c.* 20. *du.* 6. *n.* 46. Pirh. *num.* 188. Quòd, si mutuans accipiens aliquid ultra sortem dubitet, an mutuatarius dederit merè liberaliter, & sic plenè voluntariè, an mixtè involuntariè tanquam ex mutuo debitum, usuram committit, & tenetur restituere, sicut qui dubiâ fide cœpit rem alienam possidere, superveniente autem dubio, tenetur ad tollendum dubium inquirere, adeóque ab ipso mutuatario petere, quâ intentione dederit, & si is mortuus sit, vel longè absens, & dubium perseveret ex circumstantiis judicandum, quâ Intentione dederit, ut si is dives sit & liberalis, præsumi potest ex liberalitate datum; si verò pauper, vel parcus seu avarus contrarium præsumendum, nempe datum ut debitum ex mutuo, ideóque restituendum. Pirh. *l. c.* cum Mol. *tr.* 2. *d.* 105. *n.* 6. Si neque ex circumstantiis de intentione mutuatarii constare potest, probabiliùs præsumendum esse, quòd gratuito datum sit, sicut in alio quocunque possessore bonæ fidei, cùm in dubio melior sit conditio possidentis, tenet Pirh. *l. c.* cum Lugo *cit. d.* 25. *s.* 4. *n.* 32. & aliis ab eo citatis, contra Mol. *l. c.*

4. Resp. Quartò: Si mutuatarius det aliquid supra sortem gratis & liberaliter, credens mutuantem, id nolle exigere vi mutui tanquam debitum, mutuans autem id ignorans, seu credens mutuatarium non putare, se illud accipere intentione usurariâ, accipiat illud animo & intentione usurariâ, tenetur restituere acceptum ratione conscientiæ erroneæ, quamdiu eam non deponit; à parte rei tamen non tenetur ad restitutionem, sed postquam scit, mutuatarium liberaliter dedisse, potest retinere, etsi peccaverit intentione usurariâ juxta probabiliorem & communiorem, ut ait Pirh. *n.* 189. citatis Sylv. *v. usura.* 6. *q.* 7. Azor. *l. c.* Mol. *cit. d.* 306. *n.* 9. & 10. Less. *l. c. n.* 42. Lugo *l. c. n.* 33. ex ea ratione, quòd mutuatarius verè habuerit voluntatem dandi liberaliter, adeóque transtulerit dominium in mutuantem, neque mutuans retineat injustè alienum, invito domino. Unde recipiens propter conscientiam erroneam, quâ putavit dari ex mutuo, adeóque injustè, re ipsa tamen injustè non accipit, & sic ad restituendum non tenetur, sicut, qui rem suam, quam putavit alienam, abstulit animo furandi, non tenetur restituere, licet affectu commiserit furtum. His non obstante, quòd *c. consuluit.* dicatur: mutuantem, qui usurariâ intentione accepit aliquid etiam sine pacto, non mutuaturus, nisi illud accepisset, teneri in conscientia acceptum restituere; nam ibi præsumebatur, datum non esse à mutuatario sponte & liberaliter, sed tanquam debitum ex mutuo, cujus contrarium quamdiu non constat, acceptum restitui debet propter malam fidem, & erroneam conscientiam accipientis, putantis, non esse datum liberaliter. Mol. *l. c. n.* 12. Pirh. *n.* 40.

Quæst. 366. *Quænam in specie restitui debeant ab usurario.*

Resp. Primò: Restitui debet ab eo, quod ex pacto ratione mutui accepit ultra sortem à mutuatario, non verò datum, & ab eo non ratione

mutui acceptum à mutuante sine pacto & intentione, seu spe accipiendi ultra sortem, utì nec, quod à mutuante acceptum & exactum supra sortem ratione ejus, quod interest, v. g. ratione damni emergentis, vel lucri cessantis ob dationem mutui, vel ratione pœnæ legalis aut conventionalis, quia hæc non cadunt sub usura prohibita, ùt constat ex dictis. Pirh. *h.t. n.*728. cum communi. Secundò: si, quod datum est mutuanti vi mutui supra sortem, est res frugifera, v. g. domus, prædium, pecus, aut simile quid, restituenda est una cum fructibus perceptis, cùm hi percepti à possessore malæ fidei, imò & fructus, quos mutuatarius percepisset, si rem retinuisset, etsi mutuans illos non perceperit ob culpam vel negligentiam suam, cùm sibi imputare debeat illam non-perceptionem. Arg. *c. gravis. de restitut. spoliat. L. in re. ff. de condict. furt. L. si navis.* §. *generaliter. de r. v. L. restituere. ff. de V. S.* quamvis, sicut & quilibet alius possessor malæ fidei, mutuans detrahere possit expensas necessariò factas pro colligendis & conservandis fructibus; cùm etiam à prædone deduci possint ac retineri. *L.* 1. *c. de fructib. L. si à domino.* §. *fin. ff. de hæred. petit.* Tholos. *L.* 3. *de usur. c.* 9. *n.* 5. sed &, ut Azor. *p.* 3. *L.* 5. *de usur. c.* 15. restituere tenetur fructus, quos ipse percepit, etiamsi dominus illorum, seu mutuatarius eos non percepit, sive ob casum fortuitum, sive ob negligentiam suam, quod probabiliter dici, ait Pirh. *l. c.* contra quosdam apud Tholos. *l. c.* censentes, tales fructus in foro conscientiæ non esse necessariò restituendos, quod ipsum magis certum tradit Azor. *l. c.* si neque mutuans, neque mutuatarius ob negligentiam suam fructus ullos percepisset. Tertiò: usurarius præter usuras restituere debet, omne damnum, quod mutuatarius passus est, ob solutionem usurarum, dum v. g. coactus fuisset, vendere agrum suum, vel accipere mutuum sub aliis usuris. Tholos. *l. c. n.* 6. Azor. *l. c.* imò & lucrum cessans mutuatario, eò, quòd solverit usuras, ùt Zoesius *Comment. in Decretal. h.t. n.* 28.

Quæst. 367. *An & qualiter Judæi teneantur ad restituendas usuras?*

Resp. Tenentur ad eas restituendas jure naturali ac divino; quia ab utroque jure usuræ sunt damnatæ, sùntque ad eas à Christianis extortas restituendas subtractione communitatis Christianorum, vel aliter per Principes & potestates sæculares compellendi, utpote quorum temporali jurisdictioni subjiciuntur, prout statuitur *c. post miserabilem.* & *c. quanto amplius. h. t.* ubi tamen ex eo, quòd dicantur compellendi ad graves & immoderatas usuras restituendas, non rectè infertur à sensu contrario: eos non compellendos ad restituendas moderatas, ut Pirh. *num.* 108. Wiestn. *h. t. num.* 49. quia *c. post miserabilem.* indiscriminatim dicuntur compellendi ad usuras restituendas, quod, etsi intelligendum videri posset de moderatis, juxta taxam in locis, ubi vivunt inter Christianos, nil tamen obstat, quò minùs illis in territorio Ecclesiæ temporali, vel aliorum Principum Christianorum provinciis verum aut quasi domicilium habentibus, adeóque illorum & ipsius Papæ jurisdictioni subjectis usurarium exercitium absolutè prohiberi, & remissio, restitutióque illarum imperari queat, quin & præcipi Christianis Principibus, in quorum territoriis degunt, ne tolerent injustitias & injurias, quas Judæi inferunt, ùt Glos. *in c. post miserabilem. v. Principes.* Vivian. & Barbos. *ibidem à n.* 5.

Quæst. 368. *An & qualiter cooperantes ad usuras exigendas vel solvendas, teneantur eas datas restituere?*

Resp. Omnes, qui ex parte mutuantis sunt causa efficax exactionis & solutionis usurarum peccare & obligari ad restitutionem earum, saltem secundo loco, id est, si ipse usurarius non vult, aut non potest restituere, habet communis; quam sectantur Mol. *tr.* 2. *d.* 331. *n.* 1. Azor. *cit. L.* 5. *c.* 17. *in princ.* Less. *cit. c.* 20. *d.* 21. *n.* 178. & 184. Pirh. *h. t. n.* 114. contrarium, seu non teneri ad restituendas usuras, qui ex parte mutuatarii cooperantur ad eas solvendas, nisi quando, & eo modo, quo mutuatarius peccat ratione scandali eas solvendo, tenent cit. AA. quamvis id ipsum distinguat de Lugo *l. c. s.* 11. *n.*214. ita, ut velit cooperantes ex parte mutuatarii eo graviter invito teneri ad restitutionem, secus si cooperentur eo non invito, sed jam determinato ad solvendas usuras, quia injustitiam non committunt. Unde jam Principes, Judices, domini temporales lege inducentes, vel approbantes usuras, (intellige, immoderatas) vel compellentes subditos debitores ad præmissas usuras solvendas, vel prohibentes aut impedientes, ne usuræ solutæ repetantur aut restituantur, datas restituere tenentur in solidum, si usurarius restituere nequit, aut non possit. Sylv. *v. usura.* 9. *q.* 22. Azor. *l. c. q.* 4. Less. *l. c. n.*179. Mol. *l. c. d.* 331. *num.* 5. Pirh. *n.* 115. juxta *Clem. unic. h. t.* tales cooperationes sub excommunicatione prohibentem, secus, si solùm permittant exerceri usuras ad vitanda graviora incommoda, nullum præstantes ad eas auxilium, aut de iis & peccato quicquam participantes. Quinimò posse ex dispensatione S. Pontificis supremos Principes cogere suos subditos ad solvendas usuras promissas, indicat Nav. *L.* 5. *conf.* 33. *h. tit.* apud Pirh. *l. c.* testans in toto statu ecclesiastico etiam Romæ compelli Christianos ad solvendas usuras Judæis promissas, & Judæos non compelli ad eas solvendas Christianis, quod ipsum tamen intelligendum de compulsione ad usuras, non quà debitas vi mutui, (hoc enim intrinsecè malum est, & contra jus naturæ) sed ob alias causas justas & publicas id exigentes, quæ compulsio licita est, & inducit obligationem solvendi. Lugo *l. c. s.* 11. *n.* 219. *in fine.* Item consulens & persuadens alteri aliàs gratis mutuaturo, ut mutuet sub usuris, vel confirmans aliquem in proposito mutuandi sub usuris, tenetur ad restituendum in solidum in defectum mutuantis, quia consilio suo est causa damni mutuatario. Sylv. *v. usura.* 7. *q.* 2. Azor. *cit. c.* 17. *q.* 1. Pirh. *n.* 16. Item Notarius faciens scienter instrumentum, in quo sub specie liciti contractûs, sive sub nomine alterius debiti palliantur usuræ, ita, ut postea mutuatarius re ipsâ cogatur solvere usuras, peccat contra justitiam, & tenetur mutuatario restituere usuras, si eo invito, seu inscio, & non consentiente, secus, si eo conscio, consentiente & petente fecit tale instrumentum, quia non fecit ei injuriam, utì etiam ad hoc non tenetur, si instrumentum ab eo factum contineat contractum usurarium, quia vi talis instrumenti non potest mutuatarius in judicio cogi ad solvendas usuras. Azor. *l. c. q.* 6. Less. *l. c. n.*180. Idem de testibus (utpote sine quibus non valet instrumentum) secundum datam distinctionem dicendum, ùt Sylv. *l. c.* 7. *q.* 9. Azor. *l. c. q.* 7. Pirh. *l. c.* Item ad restituendum in solidum in defectum usurariorum tenentur Judices, Procuratores, Advocati,

vocati, quorum patrocinio & ope in judicio vel extra scienter exiguntur usuræ, vel datæ non restituuntur, dum repetuntur. Sylv. *l. c. q.* 10. Pirh. *num.* 117. Item famuli usurarii, nomine domini contrahentes cum mutuatario de usuris solvendis, secus, si remotè solùm cooperentur, v. g. recipiendo vel deportando pecunias, conficiendo vel scribendo rationes datarum vel acceptarum usurarum. Less. *cit. c.* 20. *n.* 181. *& seq.* ac denique tutores, curatores, administratores, negotiorum gestores, dum nomine pupillorum, minorum, & quorum negotia gerunt, mutuantur.

Quæst. 369. *An, qui, & quando hæredes teneantur restituere usuras ab usurario defuncto perceptas?*

1. Resp. Primò: Obligatio restituendi usuras injustè acceptas à defuncto, non secus, quàm obligatio solvendi alia illius debita, aut satisfaciendi pro damno injustè illato aliis ab eo transit ad hæredes defuncti, tam extraneos, quàm suos, hoc est, filios. *c. tuanos. h. t.* quia usuræ non fuerunt usurarii, & sicut actiones defuncti activæ, sic etiam passivæ transeunt ad hæredes, ita ut, sicut agere possunt ad compensandum damna illata defuncto, ita etiam ipsi conveniri possint ad compensandum damna à defuncto illata in bonis alterius, etsi conveniri nequeant actione merè pœnali ad solvendam pœnam, quam ob delictum incurrit defunctus, utpote quod morte delinquentis exspiravit. Mol. *tr.* 2. *d.* 332. *n.* 2. Covar. *L.* 3. *resol. c.* 3. *n.* 7. Pirh. *h. t. n.* 110. unde jam bona usuriariorum dicuntur realiter obligata, seu tacitè hypothecata pro usuris restituendis. *cit. c. tuanos.* ita ut, si, quæ ex usuris acquisivit, consumpta sint, teneatur ex aliis bonis titulo speciali, v. g. per emptionem comparata, in usuras solvendas impendere, non tamen ubi ea bona transierunt jam ad alios non hæredes, ii compellendi sunt ad ea dimittenda, ut ex iis restituantur usuræ. Pirh. *l. c.* cum Abb. *in c. tua nos.* contra Gl. *ibidem. v. cogendi.* quod ipsum etiam procedere, si bona illa translata titulo singulari ad alios non hæredes ab usurario comparata fuissent pecuniâ usurariâ, seu non posse, saltem spectato rigore juris, molestari super illis bonis ad usuras restituendas usurarium, tradit Pirh. *l. c.* cum Abb. *l. c. n.* 7. Arg. *L. æris. c. de donat.* quamvis cum eodem Abb. *n.* 8. addat, ex æquitate quò ad bona, quæ priùs pecuniâ usurariâ sunt acquisita, sed postea titulo lucrativo in alium translata, aliud dicendum videri. De cætero hæredes quoque usurarii sub iisdem pœnis, sub quibus defunctus compelli poterat, compelli posse ad usuras solvendas, ideóque per rescriptum impetratum à Principe contra usurarium ad solvendas usuras conveniri posse hæredes illius, etiamsi re integrâ, id est, nullâ adhuc factâ repetitione usurarum ab usurario, maximè si is tempore dati rescripti adhuc vivebat; cùm hæres censeatur una persona cum defuncto, docet Abb. *l. c. n.* 4. & 5. Arg. *cit. c. tua nos.* & *c. significavit. de rescript.* si tamen bona defuncti non sufficiant ad restituendas usuras, hæres ex suo non tenetur eas restituere in foro externo & judiciali, si fecit inventarium, secus, si non fecit, (quia tunc præsumptio juris est, plus fuisse in hæreditate) quamvis in foro conscientiæ (in quo cessat præsumptio, & creditur asserenti contrarium) non teneantur ultra vires hæreditatis, sive fecerint inventarium, sive non. Abb. *l. c. n.* 11.

2. Resp. Secundò: Si plures sint hæredes, singuli non tenentur in solidum solvere usuras, sed singuli solùm juxta portiones, quas ex hæreditate acceperunt. Abb. *in c. tua nos. n.* 6. Sylv. *v. usura.* 6. *q.* 10. *dicto* 2. Azor. *l. c. c.* 17. *q.* 11. Mol. *cit. d.* 332. *n.* 4. Less. *L.* 2. *c.* 10. *du.* 20. *num.* 175. Pirh. *n.* 111. dicens communiorem & veriorem, ex ea ratione, quòd sicut bona defuncti inter hæredes dividuntur pro rata seu portione hæreditatis singulis competente, ita etiam obligationes personales & debita dividi debeant, ita ut, qui ex parte tantùm percipit commodum, onus quoque ex parte solùm sentire debeat, & licet hæredes singuli repræsentent defunctum, non tamen totaliter, sed ex parte tantùm, & simul sumpti totaliter. Limitatur tamen responsio, primò: ita ut, si res aliqua usuraria acquisita in specie adhuc exstet, seu remanserit, post mortem usurarii ea ad quemcunque, etiam legatarium, pervenerit, restituenda sit, quia est aliena. Less. *l. c. n.* 174. Mol. *l. c.* Pirh. *n.* 112. Secundò, ut, si ante hæreditatis divisionem, priusquam cuilibet sua assignaretur portio, ipsorum culpâ contigit, usuras non esse solutas, tunc singuli hæredes in defectum cohæredum nolentium, aut non potentium solvere debent in solidum, eò, quòd tunc ex proprio delicto ad hoc teneantur, ùt Pirh. *l. c.* cum de Lugo *cit. d.* 25. *s.* 11. §. 2. *n.* 237.

3. Resp. Tertiò: Si hæreditas solutis ex ea legatis, & deductâ legitimâ, seu quartâ falcidiâ hæredibus debitâ, adhuc sufficiens maneat ad solvendas usuras, & reliqua defuncti debita, legatarii non tenentur solvere usuras in defectum hæredum, quia debita personalia defuncti non transeunt ad legatarios, nec ad donatarios mortis causâ, sed ad hæredes in universum jus defuncti, adeóque etiam in onera, & debita personalia ejusdem. Less. *n.* 176. Pirh. *n.* 113. Secus est, seu etiam legatarii tenentur contribuere servata proportione, si bona hæreditatis non sufficiant ad usuras solvendas, vel etiam, si non sufficiant, ut solutis debitis integra maneat hæredibus sua legitima, seu quarta; cùm ante omnia legata debeant deduci debita, quin & dicta legitima. Less. *n.* 173. Lugo *n.* 136.

Quæst. 370. *An & quibus exceptionibus usurarii repellere possint & soleant petentes restitutionem usurarum acceptarum?*

1. Resp. Primò: Potest usurarius, qui injustè accepit usuras contra mutuatarium, qui eas solvit, petentem earum restitutionem opponere sibi, ab eo liberaliter eas remissas esse, valétque talis remissio, & liberat usurarium ab obligatione eas restituendi. Gl. *in c. peccatum. de reg. jur. in* 6. *v. restituatur.* Covar. *ibid. p.* 2. *in princ. n.* 5. Canis. *tr. de usur. c.* 7. *n.* 5. Zoel. *in decretal. h. t. n.* 40. quos citat & sequitur Pirh. *h. t. n.* 118. potest enim creditor in aliis debitis, tam civilibus, quàm criminalibus, remittere debitori liberè jus suum, quò ad privatum suum interesse, cùm quilibet rei suæ sit moderator & arbiter. *L. in re. c. mandati.* nisi fortè in casu aliquo jus resistat remissioni.

2. Resp. Secundò: Si mutuatarius, qui juratò promisit, se soluturum usuras, vel solutas non repetiturum, petat ab usurario sibi remitti usuras, vel solutas restitui, & usurarius excipiat, quòd sint debitæ ex promissione jurata, & ideo remissio vel repetitio locum non habeat, non tantùm cogi potest à Judice, ut remittat juramentum, si necdum solutæ, vel eas solutas restituat, ùt constat ex *c.* 1. *de jurejur.* & *c. tuas. h. t.* sed etiam ex parte mutuatarii

replicari, quòd propter juramentum quidem debeat solvere, (quippe quod servari potest sine peccato, seu dispendio salutis æternæ ab eo, qui necessitate compulsus usuras promisit, vel dedit) mutuans tamen sine peccato illas recipere nequeat, adeóque nec eas acceptas retinere, & consequenter illas restituere teneatur, non obstante illo juramento, & licitâ datione mutuatarii. Tholos. *L. 3. de usuris. c.* 12. *n.* 7. Pirh. *h. t. n.* 120. Porrò, quod hìc notandum, tametsi mutuatarius, qui juravit, se non repetiturum usuras, illas repetere intendens priùs petere debeat relaxationem juramenti; si tamen hanc non petat, sed Judex ex officio, utì potest, cogat usurarium ad illas restituendas, non est opùs relaxatione; quia jurans nihil agit contra juramentum, cùm juraverit, se non repetiturum, non autem juravit, se non recepturum usuras, si redderentur. Abb. *in c. tuas. h. t. n.* 4.

3. Resp. Tertiò: Mutuatario repetenti usuras objici potest, quòd ipse vel is, cujus est hæres, vel pro quo repetit usuras, vel à se, vel ab aliis acceperit usuras, eáque non restituerit, & sic per talem exceptionem repelli. *c. quia frustra. v. in legem.* Barb. *ibid. n.* 2. neque valet replicatio mutuatarii petentis sibi reddi usuras, si dicat, se eas non exegisse ab eo, à quo illas repetit, etsi ab aliis exegerit, qui tamen illas non repetunt; nihilominus usurarius contra alium usurarium repetentem à se usuras excipere potest, non tantùm de usuris à se extortis, sed & à quibuscunque aliis, & sic audiri allegans jus tertii, idque speciale est in usurariis, & statutum non tam in favorem eorum, quibus usuræ restituuntur, quàm in odium usurarii, ut se ipsum priùs purget de usura, quàm alium de ea arguat. Pirh. *n.* 122. cum Abb. *in c. quia frustra. num.* 4. Quòd si contra usurarium repetentem usuras ab alio usurario excipiatur, quòd & ipse receperit usuras, & factâ ex officio Judæis publicâ denuntiatione nullus repetat ab eo usuras, præcipi ei potest à Judice, ut usuras restituat saltem pauperibus, aliàs non liberabitur à peccato. *c. cum tu. h. t.* etsi in hoc casu usurario excipiente contra usurarium repetentem usuras non procedatur, Judex ex officio repulso usurario actore debet compellere usurarium conventum, ad restituendas usuras non isti usurario actori, sed quibus reddi debent ab illo actore extortæ, isléque actor tenebitur, postea id ratum habere, quia illius negotium utiliter gestum, & tunc factâ integrâ restitutione audietur actor repetens usuras ab alio usurario. *c. tuas. h. t.* Abb. *in c. quia frustra. n.* 4. Tholos. *l. c. n.* 4. De cætero exceptio contra usurarium repetentem usuras, quòd & ipse non restituerit extortas ab aliis, debet proponi ante litis contestationem, cùm sit dilatoria arcens actorem ab ingressu litis, nisì ipse priùs satisfecerit. *c. quia frustra.* si verò præstita satisfactione fuit admissus ad agendum, contra eum ampliùs excipi nequit; probari autem debet exceptio etiam proposita ante litis contestationem intra octo dies. Arg. *c. 1. de except. in* 6.

4. Resp. Quartò: Quòd, si Clericus repetat usuras non nomine proprio, sed nomine Ecclesiæ suæ, contra eum excipi non potest, quòd & ipse ab aliis usuras extorserit, nec restituerit; quia agit nomine Ecclesiæ, cui suum delictum nocere non debet. Arg. *c. 1. de rest. spol.* utì nec excipi potest contra procuratorem nomine domini sui repetentem usuras, quòd ipse procurator ab aliis usuras receperit. Abb. *l. c. n.* 3.

5. Resp. Quintò: Usurarius conventus super usuris restituendis non potest appellare ad effugiendam restitutionem, si est notorius, (nimirum vel per propriam confessionem in judicio, vel condemnatus per sententiam) *c. quàm perniciosum. h. t.* idque non specialiter constitutum in odium usuræ, cùm etiam nullus alius criminosus appellans à sententia condemnatoria sit audiendus. *c. cùm sit. §. fin. de appell.* idque intelligendum, si appellatio sit manifestè frivola; secus est, si subsit causa justa appellandi, cùm appellatio, utì & alia defensio sit juris naturalis.

Quæst. 371. *Qualiter quis probandus sit usurarius manifestus?*

1. REsp. Probari id potest primò ex evidentia facti, dum palam in conspectu populi multis videntibus, ita, ut nullâ tergiversatione celari possit, commissa usura, quamvis, ut ea sit manifesta, non requiratur, ut quis plures actus usurarios exerceat, sed vel unus actus sufficiat, modò sit publicè gestus ad constituendum manifestum usurarium, ut docent Nav. *in man. c.* 17. *n.* 280. Mol. *l. c. d.* 333. *n.* 2. Azor. *p.* 3. *L.* 5. *c.* 18. apud Pirh. *h. t. n.* 143. contra Menoch. *de arb. cas.* 235. *n.* 6. & 16. requirentem ad hoc actuum frequentiam, ita, ut paratus quis sit, omnibus dare mutuum sub fœnore. Secundò probari potest per propriam confessionem in judicio, vel etiam extra judicium coram Notario, vel coram testibus, ita, ut ad plurium notitiam perveniat. Gl. *in c.* 2. *h. t. in* 6. *v. manifesti.* Covar. *L.* 3. *resol. c.* 3. *n.* 4. Tertiò per legitimos testes saltem duos, vel tres, testantes, se vidisse sæpius aliquem mutuò dantem sub usuris, quales sunt, qui nullum commodum, nec principaliter, nec in consequentiam ex mutuo sub usuris dato sperare possunt, Menoch. *l. c. à n.* 22. Quartò per famem & communem opinionem, modò testes deponant, quòd audiverint apud omnes & majorem partem populi, & concurrant aliqua quoque adminicula, seu indicia; cùm sola fama de usuris exactis & receptis non faciat usurarium manifestum; quia tamen contractus usurarii fraudulenter & occultè iniri solent, ita, ut difficulter probari possint, admittit etiam probationem per conjecturas, indicia & argumenta, saltem gravia, quæ plenam probationem faciant, Arg. *c. cum in diœcesi.* docent Barb. *ibid. n.* 3. Masc. *de prob. vol.* 3. *concl.* 1417. *à n.* 3. Menoch. *l. c. n.* 29. qui posterior ad ipsum requirit, ut inducantur testes, qui de illis conjecturis & indiciis deponant. Talia autem argumenta cum fama sufficientia ad convincendum & publicandum per Judicem usurarium manifestum aliqua refert Pirh. *n.* 146. *vers. Porro per argumenta.* de quibus, ubi constiterit, potest & debet Judex contra illos ex officio procedere liber, id est, nullâ appellatione obstante, & pœnas à jure statutas infligere. Quintò probatur ex libris rationum, utpote qui licèt non probent pro scribente, probant tamen contra eum. *L.* 6. & 7. *C. de probat.* & quidem probatur ex illis usurarius manifestus, si ex hujusmodi rationibus actuum frequentia detegatur. Masc. *l. c. concl.* 1418. *n.* 14. Menoch. *l. c. n.* 30. possúntque, de quorum usuris agitur, eorum hæredes, tam sui, quàm extranei, compelli per censuram ecclesiasticam ad hujusmodi libros exhibendos. Gl. *in Extravag. unic.* §. *cæterum. h. t. v. ipsos.* Abb. *ibid. n.* 16. éstque id ipsum, quòd quis cogatur rationes privatas & instrumenta contra se edere; statutum specialiter in odium usuriariorum, cùm aliàs nemo teneatur producere probationes & instrumenta contra se. *L. qui accusare. C. de edendo. L. nimis. C. de testib.*

Gl. *in*

Gl. *in cit. §. caterum. v. rationum.* Tholos. *L. 3. de usur. c.* 10. *n.* 15. si verò neget usurarius, se habere tales libros rationum, aut eos perdidisse, ejus assertioni etiam juratæ non creditur, nisi probet, se eos amisisse casu fortuito, v.g. incendio, hæredi tamen illius non usurario; aliàs fide digno id juratò asserenti, Gl. *in cit. §. caterum. v. compellendos.* Abb. *ibid. n.* 7. Posse etiam compelli illum per vim ad exhibendos dictos illos libros, ingrediendo domum, effringendo cistam, in qua includi putantur, tradit Pirh. *h. t. n.* 47. *in fine.* citatis Gl. *in cit. §. caterum. v. censura.* & Abb. *ibid. n.* 12.

Quæst. 372. *Quænam sint pœnæ usurariorum?*

1. Resp. Pœnæ hæ, quæ utroque jure variæ statuuntur, & pleræque solos usurarios constringunt, sunt ferè sequentes. Prima: quòd usurarii manifesti sint ipso jure infames, & quidem Laici, juxta *L. improbum. c. ex quib. caus. irrogat. infam. c. infames. §. porrò. 3. q.* 7. Clerici juxta *c. inter dilectos. de excess. Prælat. & ibi* Abb. *n.* 2. quæ tamen infamia ipso facto cessat, casu quo usurarius verè resipiscit, & restituit, ùt Felin. *in c.* 1. *de prob. n.* 19. Salas *de usuris. du.* 47. *n.* 1. Reiffenst. *n.* 184. &, quod hinc sequitur, sunt irregulares, & sacros Ordines recipere nequeunt. *c. maritum. dist. 33. c. seditionarios. dist. 46. c. infames. 6. q.* 1. Diaz. *in pract. crim. can. c.* 92. *in addit. Lit. A.* Covar. *l. c. c. 3. n.* 2. Item tanquam infames arcentur ab omnibus honoribus & dignitatibus, & negotiis gerendis, quæ prohibentur infamibus, ùt à postulando & patrocinio. *L.* 1. *ff. de postuland. L. 3. ff. de testib.* Tholos. *l. c. c. 2. n. 3.* Pirh. *h. t. n.* 148.

2. Secunda: quòd usurarius Clericus, si monitus non desistat exercere usuras, non tantum per sententiam Judicis ad certum tempus, & pro ejus arbitrio suspendendus, ùt constat *ex c. præterea. h. t.* sed etiam ab officio & beneficio ecclesiastico omnino deponendus. *c.* 1. *h. t. c. si quis. dist.* 47. *c.* 17. *caus.* 14. *q.* 4. & ad illud recipiendum, aut ad aliud obtinendum inhabilis. *c. inter electos. de excess. Prælat. c. de Petro. dist.* 47. Fundantur hæ pœnæ suspensionis, depositionis in infamia, unde etiam cessare videntur, si usurarius verè resipuit, & usuras restituit, vel saltem quò ad beneficia obtenta, quò minùs talis resipiscens ea amittat, dispensare potest Episcopus; cùm illis ob infamiam, etiam juris, non sit privatus ipso facto, quamvis quò ad inhabilitatem ad beneficia obtinenda requiri dispensationem Papæ sustineant. Gl. *in cit. c. inter dilectos. v. aleatorum.* Covar. *l. c. n.* 3. quod probabilius censet Pirh. *h. t. n.* 150. contra Gl. *in cit. c. præterea. v. suspendas.*

3. Tertia: quòd usurarius manifestus Laicus sit excommunicandus, quousque debitè satisfecerit. *c. præterea. h. t.* éstque hodiedum talis usurarius ipso facto excommunicatus. *c.* 1. *h. t. in* 6. Tholos. *cit. c.* 3. *n.* 1. Pirh. *n.* 151. quamvis autem Gl. fin. *in c. præterea.* censeat, priùs infligendas esse pœnas contentas in *c. quia in omnibus.* Abb. tamen putat, quòd, cum inter pœnas plures latas in usurarios electio, quam imponere velit, detur Judici. *c. ult. §. fin. ut lite non contestata.* incipiendum esse à pœna excommunicationis, tum quia ea magis timetur, tum quia aliæ pœnæ, ùt privatio sepulturæ, irritatio testamenti infliguntur post mortem, cogítque excommunicatio resipiscere, & pœnitere in vita.

4. Quarta: quòd non admittantur ad communionem altaris, id est, ad perceptionem Sacrament Eucharistiæ, prout statuitur. *c. quia in omnibus. h. t.* juxta quod interpretantur Host. *ibid. v. ad communionem.* Sylv. *v. usura. 9. q.* 4. Mol. *cit. d.* 334. *n.* 3. Pirh. *n.* 152. quamvis textum *cit. c. quia in omnibus.* aliter exponat Abb. *ibid. n.* 2. ejúsque glossator. Alex. de Nevo, nimirum quòd illis interdicatur communio altaris, id est, ùt volunt, ingressus in Ecclesiam tempore, quo celebrantur divina officia, & dignè audientes missam percipiant communionem altaris, id est, Sacrificii, quod fit super altari, ut sic confusi resipiscant, quam tamen expositionem nullo juris textu probari posse, ùt ait de Lugo *cit. d.* 25. *s.* 11. §. 3. *num.* 243. Pirh. *num.* 153.

5. Quinta: quòd usurariorum oblationes non recipiantur ab Ecclesia. *cit. c. quia in omnibus.* tum quia eorum, qui pauperes opprimunt, dona rejicienda sunt à Sacerdotibus. *c.* 2. *dist.* 90. & oblationes raptorum (quibus æquiparantur usurarii. *c.* 10. & 2. *seq.* 14. *q.* 4.) non sunt recipiendæ ab Ecclesia. *c. miror.* 17. *q.* 4. *c. de viro.* 12. *q.* 2. tum quia oblationes dicuntur, quæcunque ex rebus propriis & licitis Ecclesiæ à fidelibus offeruntur. *c. causa. de V.S.* Potest tamen usurarius facere eleemosynas, & hæ recipi ab eo possunt. Abb. *in cit. c. quia in omnibus. n.* 6. hanc dans disparitatis rationem, quòd eleemosyna ordinariè & per se fiat secretò, oblationes verò publicè, & hinc has factas ab usurario rejici ab Ecclesia, ne recipiendo videatur usuras approbare. Illud tamen etiam circa eleemosynas ab usurario factas notat solas apud de Lugo *l. c. n.* 244. eas non ita longè ab eo recipiendas, ut fiat impotens ad restituendas usuras iis, quibus debentur.

6. Sexta: quòd decidentes in peccatum usuræ Christianâ priventur sepulturâ. *cit. c. quia in omnibus. h. t.* quódque is, qui eos sepelierit, suspensus sit ipso facto ab officii sui executione, donec Episcopi arbitrio satisfecerit; quin & postmodum in Concilio Lugdunensi relato *in Clem.* 1. *de sepultura.* ipso facto sit excommunicatus, qui usurarium manifestum scienter præsumpserit sepelire, nec sit absolvendus, nisi priùs ad arbitrium Diœcesani competenter satisfecerit. Sed neque usurarium defunctum sepeliendum in loco sacro, etsi hæres illius velit restituere usuras, vel de iis restituendis caverit, sed requiri, ut usurarius adhuc vivus ipse mandaverit restitutionem, vel de iis restituendis caverit, ita, ut appareat eum pœnituisse, & in peccato usuræ non decessisse, tradit Abb. *in c. 3. h. t. num.* 4. cum Gl. *in cit. Clem.* 1. *v. manifestos.* quamvis ad ecclesiasticam sepulturam obtinendam satis esse ab hæredibus præstari dictam cautionem post mortem usurarii, nisi tamen publicè constaret, hunc in peccato mortali impœnitentem obiisse, asserat Covar. *L. 3. resol. c. 3. n.* 9. cum Gl. *marginali in cit. Clem.* 1. *v. manifestos Lit. A.* Ratio autem, cur ita puniantur usurariorum hæredes, etsi ipsi usurarii non sint, est, quia favere illis videntur, & sic esse criminis participes; quinmò statuitur per *c. quanquam. h. t.* non esse adhuc usurarium notorium sepeliendum in loco sacro, etiamsi is in testamento, vel alia sua voluntate mandárit restitutionem usurarum, donec re ipsâ fiat restitutio ipsis damnificatis, vel eorum hæredibus, vel in defectum eorum loci ordinario (cujus nomine venit habens jurisdictionem episcopalem, vel quasi talem, item Capitulum sede vacante, & quilibet superior ordinarius) vel ejus Vicario, vel loci parocho, ubi testator habitat,

habitat, aut præstetur eis idonea cautio, (cujus nomine intelligitur ea, quæ fit per pignora vel fidejussores, *L. si mandat. §. fin. ff. mandati.* ut sic defraudatis acquiratur actio, idque, quia voluntates ultimæ sæpe implentur, ùt Sayr. *in clavi reg. L. 10. tr. 5. c. 5. n. 31. in fine.* Porrò tametsi spectato jure civili, non possit quis pro alio stipulari, id est, acquirere obligationem, seu pro eo eam acceptare. *§. si quis alteri. & §. alteri. Inst. de inutil. stipul.* potest tamen parochus, utpote qui est persona publica, cùm agitur de restitutione usurarum, stipulari pro aliis, ita, ut cautione ipsi præstitâ de malè partis per usuras utilem actionem acquirat iis, quibus sunt restituenda, ùt sumitur ex *c. 2. h. t. in 6.* quam tamen Notarius publicus in hoc casu stipulando sine mandato Ordinarii in foro externo non acquirit iis, quorum nomine stipulatur. Gl. *in cit. c. 2. v. mandato.* faciendáque hæc cautio coram Ordinario, Vicario, vel Parocho fieri debet coram duobus saltem fide dignis, ut per eos, si opus fuerit, probari possit. Gl. *in cit. c. 2. v. parochia.*

7. Septima: quòd nullus interfit testamentis usurariorum manifestorum conficiendis, item nullus eos ad confessionem admittat, aut illos absolvat, (etiam ab aliis peccatis) priusquam vel restituant usuras, vel saltem prædicto modo cautionem præstiterint de restituendo. *c. quanquam. §. nullus. h. t. in 6.* quibus præstitis potest & debet absolvi à quocunque confessario, utì &, ubi neutrum præstare potest, constitutus in periculo mortis, si supperente tempore juret se præstiturum prædicta, & si adsint aliqui, coram illis protesterur, se illa debere, præcipiátque, ut ex bonis suis illa restituantur, & confessarius ab eo facultatem obtineat ea manifestandi ordinario, ut is illum, si convaluerit, vel si mortuus fuerit, ejus hæredes ad omnia implenda cogere possit. Nav. *l. c. c. 17. n. 280.* Mol. *l. c. d. 334. n. 6.* Pirh. *n. 159.*

8. Octava: quòd testamenta usurariorum manifestorum facta non præstitâ satisfactione aut restitutione, nec præstatione idoneæ cautionis sint irrita ipso jure, juxta *cit. c. quanquam.* & Gl. *ibid. v. aliter facta.* Pirh. *n. 160.* procedítque id ipsum in aliis quoque ultimis voluntatibus, puta, in codicillis, donatione factâ mortis causâ, legatis Gl. *jam cit.* Joan. Monach. *ibid. n. 14.* Pirh. *n. 161.* loquitur enim *cit. c. quanquam.* generaliter dicendo: *in ultima voluntate*: cui aliàs per indirectum facilè fraus fieret ab usurariis. Sed & ipso jure irritum est testamentum factum ad pias causas ab usurario notorio, impœnitente decedente, ùt habet communis, teste Mol. *l. c. n. 11.* valere tamen tale testamentum ad pias causas, si pœnitentiæ signa dedit, etsi non restituerit, nec idoneè caverit, sítque invalidum quoad reliqua, affirmant Sylv *v. usura. 9. q. 7.* Covar. *l. c. in fine.* Mol. *l. c.* ídque ex æquitate & favore piæ causæ; contrarium tenentibus Vasq. *in opusc. mor. tr. de testam. c. 9. §. 1. du. 8. num. 32.* Lugo *Tom. 2. de just. d. 24. s. 4. n. 70.* eò, quòd sit contra expressa verba legis canonicæ, hoc tamen solùm probare, non valere tale testamentum ad pias causas spectato juris rigore, & secus esse de æquitate, ait Pirh. *cit. n. 161. in fine.* Item non valere testamentum factâ restitutione, vel præstitâ idoneâ cautione, si postea denuo exercuit usuras, tenent Abb. *in c. quia in omnibus. h. t. n. 20.* Covar. *l. c. n. 9. §. decimo.* Mol. *l. c. n. 15.* eò, quòd præsumatur pœnitentia & cautio fuisse ficta, & usurarius videatur non destitisse, & delicta nova & repetita pœnâ puniri debeant, juxta *c. 1. de pœnis. & c. mensuram. dist. 1. de pœnis.* quod tamen difficile videtur. Vasq. *l. c. n. 33.* & de quo dubitat Abb. *l. c. n. 11.* eò, quòd talis per occultè repetitas usuras non fiat usurarius manifestus & notorius; unde in foro conscientiæ non valere prius testamentum, si ex relapsu in usuram appareat, fictam fuisse pœnitentiam, secus si ficta non fuit, sed verisimiliter creditur, illum sincerè pœnituisse, & cautionem præstitisse; affirmant Mol. *l. c. n. 5.* de Lugo *cit. d. 24. s. 4. n. 71.* Pirh. *n. 162.* Verùm si talis post factam restitutionem, cautionem, seriámque pœnitentiam iterum relapsus in usuras, & has non restituerit, tanquam manifestus usurarius sit intestabilis. Pirh. *cit. n. 162.* cum Tholos. *de usur. c. 14. n. 2.* testamentum verò ipso jure irritum, quia factum ante restitutionem, & præstitam debitam cautionem convalescit, usurario notorio ante mortem restituente, vel cautionem præstante. Gl. fin. *in cit. c. quanquam.* Sylv. *l. c. q. 6.* Covar. *cit. c. 3. n. 9. §. 9.* Mol. *l. c. n. 14.* Vasq. *l. c. n. 33.* Lugo *l. c. n. 71.* Tholos. *cit. c. 14. à n. 4.* Pirh. *n. 163.* ex ea ratione, quòd testamenti constans valor non dependeat à tempore, quo primò fit, sed à tempore mortis testantis, quo non revocatum confirmatur; cùm voluntas testatoris ad spiritum ultimum sit ambulatoria. His non obstante *regulâ 29. ff. de reg. jur.* quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere, ùt patere videtur in testamento condito ab impubere, ideóque nulliter, non convalescente, pubertate adveniente, & facto à filiofamilias vel servo per emancipationem, vel manumissionem; nam dicta regula procedit tantùm in contractibus & actibus gestis inter vivos, qui statim valere debent, & non possunt suspendi, non autem in testamentis, & ultimis voluntatibus, quæ suspenduntur, & quorum effectus pendet ex tempore futuro. Tholos. *l. c. num. 7.* Neque regulâ *210. ff. eod.* quæ ab initio inutilis fuit institutio, post facto convalescere non potest; nam institutio hæredis tractu temporis convalescere nequit, quando defectus fuit in substantialibus testamenti, ùt dum quis simpliciter prohibitus fuit testari; secus, si defectus fuit solùm in accidentalibus, quæ extrinsecùs solùm impediunt, ùt omissa cautio; tunc enim sublatis talibus impedimentis confirmari potest institutio ab initio nulla. Tholos. *l. c.* Jo. And. *in c. quanquam. h. t. in 6.* Pirh. *n. 164.* Sed neque testamentum validum est, usurario desinente exercere usuras, si non etiam ante mortem eas restituat, aut de restituendis præstitit cautionem. Covar. *l. c. n. 9.* Mol. *cit. d. 334. n. 13.* Tholos. *l. c. n. 12.* Clarus §. *testamentum. q. 26. n. 4.* Pirh. *n. 165.* quia finis pœnæ irritantis testamentum usurarii est restitutio usurarum, ut per eam consequi possit absolutionem à peccato. *c. cum tu. h. t.* ergo tam diu manet hæc irritatio testamenti, quamdiu hæc restitutio facta non est, & consequenter manet semper, si ea ante mortem facta non est. E contra valet probabiliter testamentum factum ab eo, qui ante mortem non erat usurarius notorius, dum post mortem sufficienter probatur, exercuisse illum manifestè usuras, quia testamentum morte testatoris, quo tempore usurarius adhuc notorius non erat, confirmatur, adeóque nullum tunc erat impedimentum, quò minùs testamentum ejus validum esset. Porrò extenditur hæc invaliditas testamenti facti sine restitutione & cautione ad Judæos, qui sunt notorii usurarii, cùm, licèt quò ad pœnas spirituales non subjiciantur Ecclesiæ, bene tamen quò ad pœnas temporales & contractus subjiciuntur

jurisdi-

jurisdictioni Principum, in quorum terris degunt. Covar. *l. c. num.* 9. §. *septimo.* Mol. *num.* 12. de Lugo *cit. d.* 24. *S.* 4. *num.* 70. Pirh. *n.* 167. contrarium tenentibus Azor. Clar. aliisque apud Barb. *in c. h. t. in 6. n.* 10. Alias adhuc pœnas aliquas jure statutas in usurarios vide apud Pirh. *àn.* 168. præter quas pœnas jure statutas etiam pœnis arbitrariis & extraordinariis puniri possunt usurarii à Judice, tam ecclesiastico quàm sæculari, præsertim pecuniariâ, ut in eo, in quo peccarunt, mulctentur. Tholos. *L.* 3. *de usur. c. ult. n.* 4. *&* 7. & sic per constitutiones Imperii mulctantur amissione quartæ partis sortis, Gail. *L.* 2. *obs.* 4. *n.* 1. vel publicatione bonorum, Tholos. *l. c. n.* 8.

Quæst. 373. *Quis sit legitimus Judex criminis usuræ?*

Resp. Usura est crimen mixti fori, ita ut tam Laicus, quàm Ecclesiasticus de eo cognoscere & judicare possit, non solùm ubi est quæstio facti, num hìc & nunc commissum sit crimen, de quo liquidò constat, esse usuram, ùt constat ex *c. post miserabilem h. t.* sed etiam, dum est quæstio iuris, dum nimirum quæritur, num hic vel ille contractus sit usurarius, ùt docent Farin. *prax. crim. quæst.* 8. *n.* 140. Covar. *cit. n.* 3. *c.* 1. Sylv. *l. c.* 9. *in princ.* Pirh. *h. t. n.* 14. Reiffenst. *n.* 194. contra Gl. *in c. cum sit. de foro compet. V. malefactores.* Clarum *V. usura. n.* 8. & quosdam alios; tum quia nullibi in jure canonico interdictum Laico Judici, cognoscere de usura in casu quæstionis juris & in *c. post miserabilem*, sine distinctione inter quæstionem facti & juris conceditur laico cognoscere & judicare de usura; tum quia crimen hoc non tantùm juri ecclesiastico, sed & divino ac naturali adversatur. Neque esse solius fori ecclesiastici, probatur ex eo, quòd sit actus peccaminosus, dèque eo quà tali cognoscere in quæstione iuris spectet ad solum Judicem ecclesiasticum; nam ad eum solùm spectat generali definitione decernere, quæ sint, vel non sint peccaminosa. Quo non obstante potest quoque Judex laicus cognoscere, num hic & nunc hic vel ille actus sit iustus vel iniustus, canonibus & legibus contrarius, Reiffenst. *l. c. n.* 169.

TITULUS XX.
De Crimine Falsi.

Quæst. 374. *Crimen falsi quid sit, quæ ad illud requirantur, & quot modis committatur?*

1. Resp. ad primum & secundum, falsum vel falsitas, strictè acceptum pro falso iuridico, est fraudulenta seu dolosa imitatio vel potius immutatio veritatis facta in præjudicium alterius. *Auth. de instrum. cautela. collat.* 6. *Novell.* 73. *in princ.* & *ibi* Gl. *V. imitatio.* juncta Gl. *margin. Lit. G.* Tholos. *Syntag. L.* 36. *c.* 1. *n.* 2. Haunold. *Tom.* 6. *de j. & j. tr.* 2. *n.* 174. Proinde ad falsitatem requiruntur tria. Primò: ut veritas pervertatur. *cit. Novell.* 73. Secundò: ut fiat dolo malo seu animo decipiendi alium. *L. nec ad exemplum. C. ad leg. Cornel. de fals.* ac proinde falsitas non committitur ab eo, nec punitur, & pro falsario non habetur, qui ex ignorantia vel errore veritatem immutat, falsum testimonium dicens. *L.* 31. *ff. h. t.* Tertiò, ut fiat cum notabili damno alterius, ita ut alteri noceat, vel nocere possit, etsi id fortè impediatur. *L. qui falsas. & L. si falsos. C. de crim. falsi.* Mascard. *de prob. concl.* 739. *n.* 12. Mol. *tr.* 2. *de just. d.* 70. *n.* 3. Pirh. *h. t. n.* 1. horum trium uno deficiente non tenetur quis pœnâ huius criminis, *cit. L. ne exemplum.*

2. Resp. Ad tertium: Committitur falsitas principaliter modis quatuor, dicto, scripto, facto, usu. Hostiens. *in sum. h. t. n.* 2. Farin. *pr. crim. p.* 6. *l.* 5. *s.* 16. *de falsitate. q.* 150. *n.* 6. Mascard. *l. c. n. ult.* Damhoud. *pr. crim. c.* 119. Pirh. *l. c.* Wiestn. *h. t. n.* 3. de horum nunc singulis in particulari.

Quæst. 375. *Qualiter committatur falsum dicto seu verbo?*

1. Resp. Committitur dicto primò & potissimùm per testes in judicio falsum deponentes, vel verum supprimentes dolo malo. *can. quisquis.* 11. *q.* 3. *L.* 1. & *L. falsi pœna. c.* 1. *h. t.* ubi etiam, quòd falsidicus testis tribus personis est obnoxius, primò: Deo, cuius omnium hominum actus & cordium secreta intuentis præsentiam contemnit, Judici, quem mentiendo fallit, ut proinde ab eo, licèt aliàs competens illius Judex non sit, extraordinariè puniri possit, *L. nullum. C. de test.* delicto ipsi jurisdictionem tribuente in delinquentem. *c. fin. de foro comp. L.* 1. *c. ubi de crim. agi oportet.* modò non sit incapax jurisdictionis respectu talis testis falsarii, ùt est Judex Sæcularis respectu Clerici, qui ab eo nec intra nec extra judicium delinquens puniri potest. *c. cit. si Clerici. de judic.* Clarus §. *fin. q.* 38. *n.* 14. Covar. *pract. c.* 18. *n.* 8. Fachin. *Controv. L.* 9. *c.* 2. *V. tertia.* Postremò: innocenti, quem falso testimonio lædit. Est crimen publicum, ita ut quilibet de populo possit de eo accusare, etiamsi suâ nihil interest. §. *item lex Cornelia de falsis Inst. de publ. jud.* Mol. *l. c. n.* 2. Clar. §. *falsum. num.* 1. Item est crimen exceptum, & in generali remissione ac dispositione non comprehensum. Menoch. *de arb. cas.* 306. *n.* 11. Farin. *l. c. num.* 14. Dicitur autem verum supprimere, quando interrogatus super certo articulo dicit se nihil de hoc scire, vel quando iuravit, se veritatem dicturum, quod ad propositum scit, & tamen tacendo veritatem supprimit, secus, si simpliciter juravit se ad interrogata responsurum, si non interrogatus tacet; tunc enim non tenetur crimine falsi. Abb. *in c.* 1. *h. t. n.* 3. Farin. *pr. crim. p.* 2. *tr. de testib. q.* 62. *num.* 230. (qui tamen id limitat, modò sine dolo tacuerit) Pirh. & Reiffenst. *h. t. n.* 4. Item veritatem supprimit, si interrogatus respondet, se non recordari; cùm debeat verisimiliter recordari. Item si per malitiam ex dolo respondet versutè & obscurè. Farin. *l. c. num.* 224. Pirh. *l. c.* Reiffenst. *num.* 6. Secundò per eos committitur falsum, qui testem subordinant, vel donis aut pretio corrumpunt ad dicendum falsum testimonium, aut ad supprimendam veritatem, uti &, qui utitur dicto falsi testis. Clar. §. *falsum. n.* 3. *&* 4. Pirh. *l. c.* Reiffenst. *num.* 5. non tamen per eos, qui donis, corrupti nihilominus contra dantem munera depo-

deponunt, ùt Mynsing. *c. 6. Obs. 67. num. 2.* Lauterb. *ad tit. de leg. Cornel. de falsis §. 8.* imò per eos, qui ad dicendam veritatem munera accipiunt. Lauterb. *l. c.* Tertiò: per Judicem, qui pecuniâ corruptus, vel aliàs dolo malo contra leges vel constitutiones Principum fert sententiam. Arg. *L. 1. §. sed etsi Judex. ff. ad leg. Cornel. de falsis.* Quarto per Advocatum qui parti adversæ causam prodit, & qui vel propriis probationibus dissimulatis vel falsis exceptionibus aut probationibus partem adversam directè vel indirectè adjuvat. Haunold. *Tom. 6. tract. 2. num. 180.* Pirh. & Reiffenst. *num. 8.* Arg. *L. 1. §. 1. ff. ad leg. Cornel. de falsis.* & *L. 1. §. 1. ad S. C. Turpil.*

Quæst. 376. Qualiter committatur crimen falsi Scripto seu Scriptura?

1. REsp. Primò in genere: Falsum scripto committitur ab iis, qui testamentum aliúdve instrumentum falsum scripserint, signaverint, recitaverint, subscripserint, vel signum adulterum sculpserint, vel expresserint scienter & dolo malo &c. prout verborenus habetur §. *item lex Cornel. de falsis. Inst. de jud. publ.* & *ibi* AA. & latè Farin. *pract. crim. q. 150.*

2. Resp. Secundò: Sic itaque in specie falsum scripto committunt in extrajudicialibus, qui nomen vel cognomen, genns, parentes suos fraudulenter commutant. *L. falsi. ff. ad leg. Cornel. de falsis.* Secus, si id faciant citra fraudem & præjudicium alterius; cùm liberum sit libero homini, mutare nomen juxta expressam *L. unic. C. de mutatione nominis.* Item qui falsum titulum Comitis, Baronis, Doctoris, Militis, Notarii, Stemma, Insignia vel Sigilla aliena sibi adscribunt alium decipiendi causâ *L. 27. §. fin. ff. h. t. L. unic. C. ad leg. Visell.* Lauterb. *l. c. §. 5.* qui tamen, ut quis ratione falsi tituli assumpti falsarius habeatur, requiri ait, ut fiat cum effectu, ita ut quis eo prætextu actum dignitati huic convenientem seu similis personæ exerceat, solâ aliàs appellatione ad hoc non sufficiente. Item qui falsò allegant legem in perniciem alterius, quíque signa adulterina, falsa Documenta, Attestationes, Chirographa, Rationes, Epistolas, Contractus, &c. conficiendo, producendo, libellum, vel rationes interdicendo, describendo, mutando, veritatem immutant. *L. 1. §. 4. L. 9. §. 3. L. 16. §. L. 23. L. 27. §. 2. h. t.* Item manum alterius imitando. *L. 23. ff. L. 13. C. h. t.* falsis scriptis utendo. *c. 7. h. t. L. 4. L. 8. eod.* deposita adversariis prodendo, *cit. L. 1. §. 4.* Item curantes vacuas chartas sibi subscribi, & postea alterius manum imitando obligationem suprascribi. Lauterb. *l. c.* Idem est de curantibus sibi scribi apocham, acsi depositum restitutum. *L. 13. c. h. t.* Item committitur falsum in testamentariis seu ultimis voluntatibus, dum quis in testamento vel codicillo in commodum suum sibi adscribit legatum, fideicommissum, &c. *L. 1. §. 7. L. 14. L. 15. h. t.* qui vivi testamentum aperit. *cit. L. 1. §. 7.* idque, etiam si hæres sit; hæres namque illius dominus non est, nisi post mortem testatoris, etsi illud penes se habere possit. Grav. *th. 16. ad tit. testam. quemad. aper. §. 1.* Lauterb. *l. c. §. 6.* Item qui ultimam voluntatem & mentem testatoris quovis modo intervertit testamentum amovendo, celando, comburendo, delendo, superinducendo, mutando verba vel sigilla. *L. 1. 2. 16. 30. ff.* & *L. 8.* & *L. 4. C. h. t.* Item in litteris Apostolicis (quo nomine censentur quæcunque rescripta, Bullæ, Brevia, tam justitiam quàm gratiam, v. g. provisiones beneficiales, dispensationes, indulgentias concernentia, quæ nomine Summi Pontificis expediuntur, & supplicationes eidem oblatæ, ab eo vel S. R. E. Vice-Cancellario, eorúmque vices gerentibus, aut de mandato Papæ signantur, non tamen Literæ S. Congreg. Cardin. S. Pœnitentiariæ, datarii Legati à latere, vel Nuntii à Sede Apostolica missi & similium, ùt Nav. *in man. c. 27. n. 62.* Suar. *de Censur. d. 21. S. 2. n. 45.* Bonacin. *de censur. d. 1. q. 7. p. & n. 1.*) hæ inquam Literæ falsificari possunt; modi autem eas falsificandi enumerantur novem *c. licet. h. t.* quorum plerique consistunt in diversis artificiis radendi dictas Litteras, vel in parte vel in toto, aut vera sigilla falsis Litteris appendendo; ob rasuram siquidem etiam tenuem & modicam paucarum linearum in rescriptis Apostolicis factam in loco suspecto, veluti in narratione juris, in proprio & nominibus Judicum, in annotatione datæ vel indictionis juxta *c. inter dilectos. de fide instrum. c. venerabilis. de religios. domib.* Litteræ papales redduntur & probantur falsæ, Gl. *in cit. c. licet. V. tenuem.* Et sic, si per rasuram & mutationem unius Litteræ vel Syllabæ in Litteris Apostolicis immutetur sensus à Papa intentus, quia in iis asseritur vel negatur, quod ipse non intendebat, vel tacetur aut omittitur, quod ipse proferre intendebat, contrahitur pœna in falsarios decreta; quia gravitas huius peccati non in Litteris aut apicibus, sed in sensu mutato consistit. Suar. *de cens. d. 21. S. 2. n. 46.* Pirh. *h. t. num. 16.* Secus est, si rasura modica facta in loco non suspecto; quin &, si certum sit, rasuram esse factam à Cancellario, vel alio Officiali Curiæ, etiam in loco suspecto, non inducitur falsitas Abb. *in c. ult. h. t. num. 4.* Fagn. *ibid. num. 6. in fine.* Si verò constat, rasuram factam ab impetrante aut utente litteris Apostolicis tum radens est falsarius, etsi rasura modica. *cit. c. licet.* & *ibi* Gl. *V. tenuem.* & facta in loco non suspecto, & sive sit nociva, sive non. Abb. *l. c.* Fagn. *num 8.* Pirh. *num. 18.* Ac denique si dubium, à quo facta rasura, tunc ea modica facta in loco non suspecto non reddit litteras falsas. *c. ult. h. t.* si facta in loco suspecto, in dubio præsumitur per impetrantem, seu utentem facta, uti &, si rasura etsi modica, & loco non suspecto facta alienâ seu alterius manu, cui id non commissum, reddit rescriptum falsum, secus, si eâdem manu, sive illius, qui scripsit litteras, vel cui commissum hoc ministerium; cùm tunc non obsit rasura in quocunque loco facta. Host. *in cit. c. ult. V. usuras.* Abb. *l. c.* & ejus Glossator. Alex. de Nevo. *Lit. C.* Fagn. *l. c. num. 19.* in dubio autem, si rasura reperiatur in loco suspecto facta, præsumitur scripta diversâ manu, & ideo reddit litteras falsas; secus, si loco non suspecto. Abb. *l. c.* Fagn. *num. 20.* De cætero dicta hæc de rasura procedunt, si Litteræ Apostolicæ redditæ sunt apertæ, secus, si clausæ, quia tunc non nocet rasura in quocunque loco facta. Abb. *in cit. c. licet. V. tenuem.* Fagn. *in c. ult. h. t. num. 21.* Pirh. *num. 19.* nisi, ut Idem, character in loco rasuræ sit valde difformis ab alia scriptura & rasura magna. De reliquis modis falsificandi Litteras Papales vide Pirh. *n. 9.* & Reiffenst. *num. 12.*

3. Resp. Tertiò: Falsitas committitur varie facto: Primo: à mercatoribus pondera & mensuras publicè probatas frumenti, vini aliarúmque quarumcunque rerum corrumpentibus. *L. hodie. §. 1. ff. ad Leg. Cornel. de falsis.* Secundò: qui mercibus adulterinam minúsve utilem materiam conjungunt vel admiscent. Mol. *d. 701. num. 1.* Farin. *q. 150.*

q. 150. Pirh. *h. t. n.* 45. Reiffenst. *n.* 16. Tertiò: qui duobus in solidum eandem rem diversis contractibus vendunt. *L. qui duobus. ff. falsi.* Quartò: qui falsò se pro milite gerunt, titules honoris, vel status, v. g. Clerici, Sacerdotis, Doctoris, Nobilis, Notarii falsò assumunt, si tamen, ùt dictum, de quibus *q. præcedent.* aliquos actus competentes talibus personis exercent, aliàs potiùs adscribendi fallariis ex scripto. Farin. *cit. q.* 150. *n.* 85. & 87. Pirh. *l. c.* Quinto: qui insignibus utuntur illicitis, vel alienis. *L. eos, qui L. unic. L. de mutat. nom.* Sextò: qui diplomate & commendatitiis falsis vias commeant. Septimò: qui proposita edicta dolo malo corrumpunt. *cit. L. hodie.* Reiffenst. *n.* 20. Octavò: qui partum alienum alicui supponunt, fingendo illum esse filium illius. *L.* 10. *c. h. t. L.* 1. *ff. de agnoscend. liber.* quo etiam spectat personæ unius pro alia suppositio in testamento, contractu, judicio. Lauterb. *l. c.* remittens ad Menoch. *de arb. cas.* 218. Nonò: in re monetaria vel maximè committitur falsitas, & quidem juxta *ordinationem crim. Carol. V. a.* 3. tribus ferè modis, sicut enim ad veritatem monetæ requiruntur tria, materia, forma, pondus, ita & contra eorum singula committi potest falsitas. *L.* 9. *ff. h. t. L.* 1. *C. de veter. numism.* Circa formam committitur primò: dum quis monetam cudit, non habens potestatem cudendi eam, tametsi cæteroquin probam materiam, justúmque pondus adhibeat, Clasen. *ad Ordinat. Caroli V. a.* 3. *p.* 380. *n.* 4. Carpz. *pr. crim. q.* 43. *n.* 18. & *seq.* Wiestn. *h. t. n.* 18. Reiffenst. *n.* 21. Lauterb. *h. t.* §. 13. siquidem spectat hæc potestas ad formam publicam monetæ, quâ illa destituta falsò fingitur justa, competit autem ea potestas authoritate propriâ cudendi monetam non nisi supremis Principibus, vel Magistratui Superiorem saltem in temporalibus non recognoscenti, utpote ad quos cudere monetam tanquam jus reale spectat. *Feudor. L.* 2. *tit.* 56. *c.* 1. Secundariò tamen etiam ex speciali jure seu privilegio, vel temporis immemorialis præscriptione aliquibus Comitibus & Civitatibus Imperialibus. Secundò: qui quidem potestatem cudendi monetam habent, alterius tamen Principis vel Statûs signum monetæ aliàs quò ad materiam legitimæ imprimunt. Lauterb. *cit.* §. 13. Pirh. *h. t. n.* 43. juxta *Extrav. Joann. XXII. prodiens. h. t.* Circa materiam monetæ committitur falsitas ab iis, qui monetam adulterinam cudunt, fingúntque ex materia falsa, v. g. cupro, vitro, stanno, vel talem materiam falsam materiæ legitimæ admiscent, vel, qui nummos falsos ita tingunt, ut aurei vel argentei appareant. *L.* 9. *ff. ad Leg. Cornel. de falsis. L. quicunque. ff. eod. L.* 1. & 2. *C. de falsa monet.* Clar. §. *falsum. n.* 37. Huc reducitur confectio auri & argenti Arte Alchimiæ; quidquid enim sit de hoc, num verum aurum dictâ arte confici possit, ùt cum Alberto *in L.* 3. *mineral. c.* 9. defendunt Delrio *L.* 1. *Disquis. magic. c.* 5. *s.* 4. & alii, qui huic sententiæ innixi monetam ex tali auro citra crimen falsi cudi, & nequaquam monetæ annumerari posse tenent, contrarium, sive confectionem veri auri humanâ arte superiorem esse tenentibus cum D. Thom. *in* 2. *dist.* 7. *q.* 3. *a.* 1. *ad.* 5. Comitol. *L.* 3. *resp. moral. qq.* 33. *n.* 2. & aliis; quidquid, inquam, sit quò ad controversiam hanc, tale aurum confici, eóque uti, ac præcipuè ex eo cudi monetam sub gravissimis pœnis, (puta infamiæ, & si Clericus, sub privatione beneficiorum, & inhabilitate ad eadem) prohibet Joannes XXII. *in Extrav. spondent. h. t. inter Commun.* & meritò ob periculum falsi, difficultatem maximam, ac imperitiam, si non impossibilitatem, nec non ob non paucorum privatum, & publicum damnum & delusionem, dum ob exiguam fictitii auri particulam veri argenti plurimum decoxerunt. Sanch. *L.* 2. *mor. c.* 40. *n.* 51. Comitol. *l. c.* Pirh. *l. c.* Wiestn. *n.* 21. Reiffenst. *n.* 24. Circa pondus committitur falsitas, justum pondus tondendo, excoquendo, radendo, scindendo, mutilando, aliòve modo diminuendo. *L. quicunque. ff. ad Leg. Cornel. de falsis.* & *ibidem* Lauterb. §. 13. ubi etiam, quòd nequidem monetam justum pondus excedentem reducere liceat, pro quo citat Menoch. *de arb. cas.* 316. *n.* 38.

Quæst. 377. *Qualiter crimen falsi committatur usu, vel potius abusu?*

Resp. Dum quis scienter utitur falsitate ab aliis confictâ, v. g. qui nomen, cognomen dignitatis, familiæ alienæ insignia falsò sibi ab aliis adscripta in sui commodum, vel alterius præjudicium dolosè usurpant. *L. falsi. ff. ad Leg. Cornel. de falsis.* junctâ *L. unic. c. de mutat. nom.* Farin. *l. c. q.* 150. *à n.* 138. Item qui leges & constitutiones diplomata falsificata allegant. *L. fin. ff. eodem.* item qui testimonium vel instrumentum, scriptum falsum in judicio proferunt, & vel maximè, qui monetam adulterinam colligunt, & expendunt scienter & dolosè, Wiestn. *h. t. n.* 23. Reiffenst. *n.* 25. cum communi. Item qui nummos peregrinos & reprobatos important & expendunt, vel qui justi ponderis & monetæ ad peregrinos mittunt, ut deteriores fabricentur. Mev. *p.* 2. *decis.* 267. Lauterb. *cit.* §. 13. *in fine.*

Quæst. 378. *Quæ pœnæ committentium crimen falsi?*

1. Resp. Primò in genere: Olim pœna ordinaria committentium crimen falsi quò ad nobiles erat deportatio cum omnium bonorum publicatione; quò ad personas viles damnatio ad metallum, quò ad servos ultimum supplicium, *L.* 1. §. *fin. ad Leg. Cornel. h. t. L. si quis.* §. 7. *ff. de pœnis.* hodie verò ex arbitrio Judicis prudentis pro diversitate circumstantiarum imponitur pœna. Gl. *in cit. c.* 1. §. *fin. v. eorum.* adeò, ut ea quandoque esse possit pecuniaria, quandoque corporalis, etiam capitalis. *L. ubi falsi. C. ad Leg. Cornel. h. t.* sunt hæ pœnæ variæ pro diversitate criminis falsi: unde

2. Resp. Secundò, in specie: In crimine falsi commisso dicto, primo falsi & calumniosi testes in judicio deponentes falsum, de jure civili puniuntur eâdem pœnâ, quâ alii fallarii, ex ordinatione tamen Caroli V. in causa civili cum juramento dicens falsum, præterquam quòd teneatur ad restitutionem omnis damni inde parti læsæ secuti, & insuper juxta consuetudinem receptam amputantur ei duo digiti, quos in præstatione juramenti contra Deum erexit, in criminalibus verò pœna talionis, sive ea, quâ puniretur reus, si contra eum verè probaretur delictum. *L.* 1. §. 1. *h. t. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* & *ibi* Brunnem. *n.* 3. *ordin. crim. a.* 68. & 107. ad imitationem legis divinæ *Deuter. c.* 19. *v.* 18. & 19. *Dan. c.* 6. *v.* 24. & licèt in aliis pœna talionis regulariter sublata sit, idem tamen non ubivis de crimine falsi dicendum. Grav. ex Millæi *pract. th.* 38. Theodoric. *criminal. c.* 7. *aphor.* 6. *n.* 20. Gilh. quos citat & sequitur Lauterb. *l. c.* §. 11. De jure verò canonico testis quicunque, sive Clericus, sive Laicus in judicio, sive civili, sive criminali fal-

sum committens est infamis per *can. constituimus. 9. q. 1.* Clericus insuper falsum in quocunque judicio committens deponi, & in monasterium detrudi jubetur per *can. si quis Episcopus. 7. dist. 50.* vel ad triremes, perpetuos Carceres damnandus, quæ damnatio hodie detrusioni in monasterium olim consuetæ succedit, ùt Fagn. *in c. cùm non ab homine, de Judic. n. 104.* Farin. *pr. crim. q. 119. n. 55.* apud Reiffenst. *h. t. n. 28.* quæ tamen ordinaria pœna Clerici testis falsi limitatur, & in arbitrariam reducitur, casu, quo non nisi circa accidentalia, vel sine præjudicio tertii falsum committitur. Clar. §. *falsum. num. 9. & 35.* Menoch. *de arb. cas. 306. n. 22.* apud eundem *num. 29.* Secundò: Judicis juxta dicta *quæst. ante hanc 4.* falsum committentis specialis pœna olim erat exilii vel capitis, per *L. Lex Julia. §. fin. ff. ad Leg. Jul. repetund.* hodie pro diversitate circumstantiarum, tam Judicis, quàm partis ejus sententiâ læsæ est privatio officii & dignitatis, inhabilitatis ad judicandum, confiscatio bonorum, vel etiam exilii & capitis. Farin. *l. c. q. 111. à n. 4.* Menoch. *l. c. cas. 342. à n. 7.* Judicis etiam ecclesiastici, qui contra conscientiam & justitiam, prece, pretio, præmio, gratiâ, odio in gravamen partis judicavit, præter ordinariam & compensationem damni illati est suspensio à divinis. *c. 1. de sent. & re judic. in 6. & 160.* Barb. & Laym. *à n. 3.* Tertiò: Advocatus committens falsum juxta *cit. q. 4.* præter obligationem restituendi damni, & pœnam ordinariam arbitrio Judicis pro diversitate circumstantiarum puniri potest vigore *Ordinat. Caroli V. a. 115.* fustigatione, carcere, numellis, relegatione. Haunold. *de J. & J. Tom. 6. tr. 2. n. 180.*

3. Resp. Tertiò: Committentes crimen falsi scripto varias pœnas incurrunt, ac imprimis gravissimæ statuuntur ob criminis atrocitatem pœnæ ecclesiasticæ Litterarum Apostolicarum propriè talium falsariis. Primò: excommunicatio Papæ reservata, ipso facto incurrenda statuitur, etiam Laicis *in c. ad falsariorum. h. t.* juncto §. 6. *Bullæ Cœnæ.* Similem excommunicationem ipso facto, non tamen Papæ reservatam incurrunt ejusmodi falsariorum fautores & defensores. *cit. c. ad falsariorum,* ùt *ibi* notant Barb. *n. 4.* Fagn. *n. 24.* Clerici falsarii dictarum litterarum insuper omni officio & beneficio ecclesiastico perpetuò privantur, & si falsi crimen per se exercuerint, degradandi & tradendi sunt curiæ sæculari, ab ea non secus, ac Laici falsitatis convicti secundùm leges puniendi. *cit. c. ad falsariorum.* quin &, si litteras Apostolicas falsas, etsi à se non falsificatas, scienter impetrant, issve utantur, ipso facto excommunicantur, &, si Clerici, officiis & beneficiis spoliandi sunt. *cit. c. ad falsariorum.* & *ibi* Barb. *n. 16.* Fagn. *n. 54.* Item qui tales litteras ab aliis falsificatas se habere sciunt, easque intra 20 dies non destruunt, vel resignant, excommunicationi per sententiam ferendæ, & postquam ea lata, Papæ reservatæ obnoxii sunt, etiamsi illis non sint usi, aut animum iis utendi non habuerint. *c. dura. h. t.* Barb. *ibid. n. 2.* Procederéque has pœnas, si sensus harum litterarum immutetur falsificatione, licèt nullum aut solum damnum leve oriatur, probabiliùs sentiunt alterius. *L. 2. d. 7. c. 2. §. cum enim.* Bonac. *de censur. d. 1. q. 1. p. 2. n. 5.* Castrop. *tr. 29. d. 3. p. 7. n. 4.* Wiestn. *h. t. n. 13.* Reiffenst. *n. 33.* quia falsificatio hæc sub dictis pœnis prohibetur, non tam propter damnum inde secutum, quàm propter contemptum & injuriam supremæ authoritati, à qua proveniunt, illatam, & ut omnis occasio falsi in iis evitetur. AA. cit. Non tamen committi propriè hoc crimen falsi, & consequenter non incurri prædictas pœnas, si quis litteras Apostolicas juxta mentem Papæ corrigat, dum v. g. in supplicatione facta pro dispensatione impedimenti matrimonialis *affinitatis,* loco illius per errorem à Notario positum: *consanguinitatis,* aut pro Diœcesi Trevirensi positum: Colonienſi, probabiliùs videntur sentire Sayr. *L. 3. Thesau. c. 30. n. 12.* Bonac. *l. c. n. 7.* Castrop. *l. c. n. 5.* contra Suar. eò, quòd talis correctio potiùs tollat falsum, reddátque litteras veras, neque etiam importat eorum immutationem respectu Papæ, utpote cujus intentioni & concessioni videtur conformis. Quamvis tamen AA. cit. ùt Wiestn. *h. t. n. 16.* bene moneant, cavendum, ne hujusmodi correctio facilè fiat propriâ authoritate, sed si potest, fiat per Officiales & Notarios Curiæ.

4. Resp. Quartò: Committentes crimen falsi facto diversis quoque pœnis afficiuntur, & quidem loquendo de præcipuis eorum. Primò: mensuram & pondera publicâ authoritate statuta falsificantes præter pœnam ordinariam falsi ad duplum restituendum, nec non ad Insulam deportandi damnantur. *L. hodie. §. 1. ad Leg. Cornel. h. t.* & insuper pœnitentiâ in pane & aqua agenda plectuntur. *c. ut mensuræ. de empt. & vendit.* Secundò: falsum partum supponentes damnantur ad ultimum supplicium. *L. 1. c. ad Leg. Cornel. h. t.* ubi dicitur, pœna suppositionis partûs esse capitalis, quod tamen in lata significatione, nempe pro deportatione accipiendum, quæ hodiedum mutata sit in fustigationem vel relegationem, cum Carpz. *pr. crim. q. 29. & 30.* ait Lauterb. *h. t. §. 5.* Cujus criminis accusatio, etsi solis parentibus, & quorum interest, competat. *L. 30. §. 1 ff. L. 10. C. h. t.* liberi tamen de hoc matrem non nisi civiliter accusare possunt, *L. 5. c. h. t. L. 11. ff. de accusat.* qualiter verò partus suppositus probetur, Lauterb. *l. c.* remittit ad Theodoric. *in crim. Aphorism. 2. num. 3.* Tertiò: præcipuè corrumpentes & falsificantes monetam pro varietate modorum adulterandi materiam illius variis puniuntur pœnis; & imprimis cudentes scienter monetam Imperialem, Imperiíque Statuum, sive minoris, sive majoris valoris ex falsa seu adulterata materia, puniuntur igne, prius tamen strangulati, & omnes illorum facultates addicuntur fisco. *L. 2. C. de fals. monet.* Lauterb. *l. c. §. 12.* Pirh. *h. t. n. 61.* Reiffenst. *n. 35.* quam legem etsi Gl. *ibid. v. unanimis.* intelligendam velit de nummis tantùm aureis, generaliter tamen illam loqui de nummis falsis, asserunt Mol. *de Just. tr. 2. d. 702. n. 1.* Pirh. *l. c.* & alii communiter. Eandem pœnam ignis incurrere adjuvantes in falsa moneta ex parte materiæ cudendo, eísque faventes & concedentes ad hanc operationem ædes suas aut prædium, per *L. 1. juncta. 2. C. de fals. monet.* tradunt Mol. *l. c.* Pirh. *n. 62.* cùm hoc crimen sit species quædam læsæ Majestatis, ùt Lauterb. *l. c.* addens, ædes illas fisco vindicandas, juxta *L. 1. C. de fals. monet.* & *ordinat. crim. a. 111.* quamvis in Imperio Romano monetam peregrini Principis adulterantes & expendentes hodie non pœnâ ignis, sed gladii plecti, testetur Lauterb. ubi & dicto modo falsificantes monetam minoris valoris, Grav. *th. 45. & 46.* citatus ab eo, ac denique spectandum, num talis monetarius id fecerit in summa paupertate, vel etiam pœnitentiâ ductus non absolverit operationem suam, ita, ut tunc mitiùs puniatur, *L. 19. ff. h. t.* ubi etiam Carpz. *pr. crim. q. 42. n. 28.*

num. 28. & seq. in foro Saxoniæ distinguendum dicit, num quis ipse cuderit & expenderit, num cudens non expenderit, an expenderit ab alio cusam, & in primo casu, igne; in secundo, gladio; in tertio fustigatione puniatur. Idem de afficiendo ultimo supplicio eum (si mancipium sit) qui tondendo & radendo monetam, pondus diminuit, vel auro tingit, ut aurea appareat, dicit Pirh. *l.c.* citans *L. quicunque. ff. ad leg. Cornel. h. t.* Tertiò: eâdem pœnâ, quâ punitur cudens monetam adulterinam ratione materiæ, puniri, qui destitutus potestate cudendi, eam propriâ authoritate cudit, asserit idem cum Gl. *in L. 2. C. de falsi. monet. v. obnoxii.* Covar. *de collat. vet. numism. c. ult. n. 3. §. is verò.* Farin. *cit. q. 115. num. 20.* Quartò; qui monetam falsam expendit sciens, si ea plumbea est vel stannea, incidit in pœnam ordinariam *leg. Cornel. de falsis.* quæ habetur *L. 1. §. fin. ff. de falsi. monet.* si autem sit alterius metalli, ærea, argentea, aurea, & non appareat, quòd sint nummi plumbei vel stannei, pœna extraordinaria arbitrio Judicis imponenda. Arg. *L. lege §. 2. ff. ad leg. Cornel. de falsis.* Covar. *l.c. n. 4.* Mol. *l.c. d. 702. num. 9.* Clarus §. *falsum. n. 38.* Farin. *l.c. n. 132. & 134.* quos citat & sequitur Pirh *h. t. num. 41. in fine.* Ad hæc jure canonico per *Extrav. prodiens. unicam Joann. XXII. h. t.* excommunicationis (intellige majoris) sententiam, à qua non sunt absolvendi, præterquam in articulo mortis, ipso facto incurrunt; qui nullam habentes authoritatem juris, vel consuetudinem vel privilegium cudendi monetas, in Regno Franciæ aliisque locis circumvicinis scienter falsificant in ære seu materia, vel signum proprium suæ monetæ (dum nimirum iis de jure vel consuetudine aut privilegio jus cudendi monetam competit) insculpunt & imponunt monetæ Regiæ, vel qui injusto pondere monetas depravant, vel scienter falsas monetas extra prædictum Regnum emunt, easque postea in dictum Regnum important, vendunt & expendunt, quam tamen constitutionem solùm loqui de Regno Franciæ, ejusque pœnam in falsarios monetarum in aliis regnis non extendendam, ait Gl. *in cit. Extrav. v. ad Regnum prædictum.* De cætero Alchimistarum, qui aurum vel argentum Chimicum conficiunt, vel fieri mandaverint, aut facientibus illud ministraverint, vel auro & argento ab iis conflato scienter usi fuerint, vendendo, emendo, vel dando in solidum pœnæ *in Extrav. Spondent. unic. h. t. inter communes* statutæ à Joann. XXII. ut cogantur tantundem auri vel argenti veri, quantum fuerit Alchimicum in publicum pauperibus erogare.

TITULUS XXI.

De Sortilegiis.

Quæst. 379. Sortes seu Sortilegium quid & quotuplex?

Resp. Sortilegium seu Sortium missio est adhibitio & observatio rerum quarundam veluti signorum facta eo fine, ut, quid hic & nunc faciendum vel futurum sit, vel quod occultum est, innotescat. Ita ferè ex D. Thom. 2. 2. *q. 95. a. 8. in corp.* Azor. *Inst. mor. p. 1. L. 6. c. 21.* & alii. Pro varietate signorum & rerum, per quas exercetur, variè dividitur & nuncupatur, ut ex Bordano Tom. 1. *resol. 4. n. 11.* refert Reiffenst. *h. t. num. 6.* ita ut, si fiat per terram, sit & dicatur Geomantia; si per aerem, Aeromantia; si per aquam, Hydromantia; si per ignem, Pyromantia; si per animalium interiora, Haruspicium; si per avium volatum, Auspicium; si per avium garritum & voces, Augurium; si per pedum inspectionem, Pedomantia; si per inspectionem manuum, Chiromantia; si per hominum voces, omen; si per vivos arreptos; Phylonia; si per corpora mortuorum assumpta, Necromantia; si per inspectionem Astrorum, Astrologia judiciaria; si per signa frontis, Metoposcopia. Communiùs verò ex triplice fine, in ordine ad quem assumuntur, dividuntur Sortes in divinatorias, consultatorias & divisorias. Divinatoriæ dicuntur, quæ adhibentur aut observantur ad occultum quid vel futurum cognoscendum, quale Sortilegium sumitur passim pro ipsa divinatione. Consultatoriæ sunt, in quibus inquiritur & expostulatur Dei vel dæmonis voluntas, quid faciendum, omittendum, seu cavendum sit. Divisoriæ sunt, per quas quæritur, quid cuique, sive in bonis communibus, sive honoribus, sive in publicis officiis tribuendum, cùm idem indivisim pluribus competere nequeat; ita Less. *L. 2. de Just. c. 43. du. 9. num. 57.* Sanch. *L. 2. moral. c. 38. num. 56.* Pirh. *h. t. num. 1.*

Quæst. 380. Num licitum sit uti Sortilegiis divinatoriis?

Resp. Sortilegium divinatorium omne illicitum, & jure canonico sub gravissimis pœnis prohibitum. *Can. Sortes. Can. Episcopi. Can. si quis Episcopus. 26. q. 5.* Quia, dum istiusmodi res & signa de se & ex natura sua neque ex promissione aliqua divina connexionem habent cum eventu futuro, vel detectione rei absconditæ, sunt medium ad talem finem assumptum vanum, improportionatum & superstitiosum. Unde dum sæpius eis adhibitis occulta manifestantur, v. g. quis furtum vel homicidium commiserit, aliúsque effectus speratus sequitur familiaritatem vel pactum aliquod cum dæmone, ejusdémque saltem tacitam invocationem, ut Sortes regat & occulta manifestet, iisdem contineri meritò censentur. Less. *l. c. num. 61.* Sanch. *l.c. c. 38. n. 88.* Suar. *Tom. 1. de Releg. L. 2. c. 12. num. 28.* Castrop. *tract. 17. d. 1. p. 6. n. 12.* Pirh. *h. t. num. 3.* Contineri quoque sæpe in illis sortitionibus divinatoriis præter superstitionem alia gravissima crimina, v. g. injustitiæ, dum ad cognitionem criminis occulti adhibentur, dum ob periculum, quòd Sors in innocentem cadat, notant Suar. *l. c. n. 29.* Sanch. *cit. c. 38. in fine.* Castrop. *l.c. n. 13.* Non tamen videntur comprehendi his conjecturæ, dum hæ desumuntur ex signis quibusdam naturalem connexionem habentibus cum rebus futuris.

Quæst. 381. An & quando liceat uti Sortibus seu Sortilegijs Consultatorijs?

Resp. Per se licitum esse per Sortes tales in accipiti aliquo negotio explorare divinam voluntatem, implorarèque illius in illo directionem, aut veritatis alicujus manifestationem, si modo debito hæc fiant, nimirum urgente necessitate cum debita Deo reverentia, & ex speciali Dei instinctu; cùm his conditionibus positis in adhi-

bitione Sortium nulla appareat malitia; sed potiùs actus Religionis resplendeat, probatúrque idipsum exemplis tam veteris quàm novi testamenti, ùt dum *Josue 7. v. 14.* furtum Achan hâc viâ deprehensum. *1. Reg. c. 72. v. 20.* Saulis in Regem designatio. *Actor. c. 1. v. 26.* S. Matthiæ in Apostolatum loco Judæ substitutio, confirmatúrque illo *Proverb. c. 16. v. 33. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* His verò conditionibus prætermissis, illa Sortium missio regulariter est illicita & prohibita sub anathemate in *c. sortes. 26. q. 5.* cùm sine necessitate speciali prætermissísque providentiæ mediis ordinariis, ad specialem & extra ordinariam Dei providentiam recurrere, consulendo illum per sortes potiùs spectet ad Dei tentationem, ac ita ex communi sententia cum D. Thom. *l. c. q. 95. a. 8. in corp.* tradunt Suar. *L. 2. de Relig. c. 12. num. 18.* Less. *l. c. c. 43. num. 60.* Sanch. *L. 2. in Decal. c. 38. num. 85.* Bonac. *d. 3. de primo decal. præcep. q. 5. p. 3. num. 12.* Castrop. *tr. 17. d. 1. p. 6. num. 10.* Pirh. *h. t. num. 4.* Porrò primariò requisita necessitas adesse censetur, quando aliâ viâ subveniri nequit gravi alicujus spirituali vel temporali necessitati, aut quandoque ex tali alicujus abscondita manifestatione vel negotii alicujus speciali directione divina magnum Ecclesia habitura esset emolumentum. Sylv. *V. Superstitio. q. 5.* Sanch. *l. c.* Castrop. *l. c. num. 11.* Reverentia in eo consistit, ut ad Deum Sortes mittantur, præmissáque oratione ejus specialis providentia exoretur, ùt D. Thom. *l. c.* Suar. *l. c. num. 25.* cujus reverentiæ defectum regulariter solum esse culpam venialem, ait Castrop. *l. c.* cum Bonac. *l. c. num. 14.* qui etiam cum eodem & Sanch. *num. 85.* monet, ad hanc reverentiam spectare, ne in his Sortibus mittendis adhibeantur res sacræ ad res temporales aut lucra captanda, eòquòd id esset rerum sacrarum profanatio; Instinctum specialem Dei tunc tantùm esse necessarium, si velis, ut Deus signo aliquo sensibili voluntatem suam Sortibus ostendat, secus esse, si solùm intendas, ut Deus per specialem suam providentiam Sortes feliciter dirigat, sed sufficere magnam fiduciam in bonitate divina, tradit cum Suar. *l. c. num. 26.* & Sanch. *num. 87.* Castrop. *l. c.*

Quæst. 382. An & in quibus licitum sit uti Sortilegijs divisorijs?

1. RESp. Primò: Sortibus divisoriis uti, dum omnis eventus rei subjicitur fortunæ & casui fortuito, per se non est illicitum, excepto casu electionis ecclesiasticæ, de quo specialiter paulò pòst, ita Azor *Inst. mor. p. 1. L. 9. c. 2. q. unic.* Suar. *l. c. c. 13. n. 3.* Sanch. *l. c. n. 58.* Less. *l. c. n. 98.* Bonac. *n. 12.* Castrop. *l. c. num. 2.* Pirh. *num. 5.* Quia hæ Sortes per se, neque superstitionem aut divinationem continent; cùm non ordinentur ad aliquid futurum, cum quo connexionem naturalem non habent, vel ad occultum quid cognoscendum; neque injustitiam continent, cùm fiant ex contractu seu conventione voluntaria inter eos, qui ad rem aliquam, quæ dividi nequit, jus æquale habent, ut sit illius, cui Sorte obtigerit; neque ulla lege civili aut canonicâ prohibitæ, sed potius in jure civili in multis casibus approbatæ. Sic licitum, id est, controversiam circa hæreditatem, legatum, simile quid Sorte dirimi & mutuo litigantium consensu; cùm sit quidam contractus, in quo unusquisque cedit juri suo prætenso, si Sors alteri obtigerit. Castrop. *l. c. n. 3.* ubi etiam quòd controversia hæc dirimi possit Sorte per Judicem, tametsi litigantes renuant, modò hæreditas & legatum dividi nequeat, neque appareat, quis vincat in jure; cùm Judex ex officio compellere possit, ut in contractu consentiant, pro quibus citat textum *L. si duobus. c. communic. de Legatis.* Sic etiam si pluribus hæredibus vel legatariis data sit optio seu potestas eligendi servum vel rem aliam, & hi discordent in eligendo, res Sorte decidi debet. *L. si duobus. ff. eod.* Ita quoque Sortes habent locum in subeundis functionibus tam honorificis quàm periculosis, v. g. dum Sorte deciditur, quæ legio prior in hostem movere, aut assultum facere debeat, dum in periculo communis naufragii, si necesse sit, ad alleviandam navim aliquos prosilire vel projici in mare, ne omnes pereant, Sorte ex consensu omnium vel etiam invitis aliquibus, gubernatore assumente hoc medium ob commune omnium bonum. Sanch. *l. c. c. 38. num. 26.* Bonac. *l. c. num. 12.* Delrio *L. 3. disq. mag. c. 4. q. 1.* Castrop. *l. c. num. 3.* Pirh. *num. 6.* patétque exemplo Jonæ. Item in pœnis, dum duos vel plures dignos morte simul omnes interfici non expedit, licitum & conveniens, Sorte determinare, quinam necandi, quia in hac Sortitione nemini fit injuria, sed potiùs singulis fit favor, quatenus singulis confertur spes evadendi mortem promeritam, Less. *l. c. q. 58.* Bonac. Castrop. Pirh. *ll. cit.*

2. Dixi tamen: Sortes divisorias esse licitas per se; per accidens siquidem ob circumstantias extrinsecas quandoque concurrentes Sortilegia ejusmodi sunt illicita; primò ex parte intentionis Sortientium, dum quis ab astris sperat obventuram sibi faciliter Sortem, cùm id, quia astra in talem Sortitionem influxum nullum habent, superstitionem magicam, & saltem tacitam dæmonis invocationem contineat vel sapiat. Sic cum D. Thom. *2. 2. q. 65. a. 8.* Delrio *l. c. q. 2.* Suar. *cit. c. 12. num. 16.* Sanch. *l. c. num. 64.* Castrop. *l. c. num. 4.* Pirh. *num. 7.* Item, si eventus meré à fortuna more gentilitio divinam providentiam excludente exspectetur; si tamen à fortuna divinæ providentiæ subjecta speretur, esse peccatum veniale, si absque ulla necessitate id fiat, intercedente rationabili causâ, v. g. honestâ recreatione, lucro ad honestum finem directo, nullam culpam videri, tradit Castrop. *cit. num. 4.* citatis Suar. *l. c.* & Sanch. *num. 65.* Secundò ratione materiæ, si sortiatur super re aliena, quod est injustum. Item si Sortes mittantur ad officia inter dignos & indignos, est injustitia, cùm dignis fiat injuria, si tamen aliqui aliis sint digniores, erit culpa determinare Sortibus electionem, dum dignior necessariò præferendus. Sanch. *num. 67.* Castrop. *l. c.* Tertiò: ratione modi mittendi Sortes, ut si in Sortitione fraus interveniat, cùm tunc peccetur contra justitiam, & sic obtentum tetineri nequit, cùm cesset æqualitas in contractu, & consequenter voluntas contrahendi. Item si ope dæmonis seu aliâ viâ speciali fecerit quis sibi obvenire Sortem. Sanch. *num. 66.* Quartò, si in Sortibus mittendis adhibeantur res sacræ, quod tamen non esse peccatum mortale, nisi magna intercederet irreverentia. Sanch. *num. 69.* Suar. Castrop. Bonac. Pirh. *ll. cit.* Delrio *l. c. q. 1.*

Quæst. 383. An usus Sortium sit illicitus in electionibus ad Prælaturas, beneficia, officia ecclesiastica, litibúsque circa ea obortis dirimendis?

1. RESp. Primò: esse illicitum; *c. cum Ecclesia. h. t.* ubi quia prohibitio fit indistinctè verbis generalibus, extendit se non tantùm ad beneficia

sed

sed & ad quascunque administrationes ecclesiasticas; quin & ad electionem compromissariorum ad eligendum Episcopum. Suar. *cit. c.* 12. *n.* 5. Sanch. *l. c. n.* 72. & 91. Castrop. *n.* 5. Pirh. *h. t. n.* 9. ex ea ratione, tum quia aliàs periculum est, ne sors supra indignum, vel minùs dignum caderet; tum quia talis electio per sortes est contra triplicem formam eligendi præscriptam, in *c. quia propter. de elect.* Esse verò talem electionem per sortes prohibitam solo jure ecclesiastico, & non jure naturali, cum communi tenent Valent. 2. 2. *d.* 6. *q.* 12. *p.* 3. *vers. ex eodem.* Sanch. *n.* 82. Suar. *cit. c.* 12. *n.* 3. Castrop. *n.* 5. Pirh. *n.* 11. Ratio est, quia nulla invenitur deformitas contra jus naturale in eo, quòd controversia in rebus ecclesiasticis, sicut & in civilibus, sorte dirimatur. Sed neque ex eo, quòd *c. ult. h. t.* dicatur, esse multa reprehensione dignum, ad talia per sortes fieri electiones, rectè deducitur, fuisse jam antecedenter id prohibitum jure naturæ, cùm non appareat jus ullum aliud positivum antiquius *dicto c. ult.* usum sortium in his electionibus interdicens. Quæ objectio sufficienter non diluitur à Pirh. *h. t. n.* 12. & aliis, dicendo: prohibitum jam tum fuisse in *c. quia propter.* saltem tacitè seu indirectè, quatenus omnis alia forma eligendi præter ibi præceptam prohibetur & annullatur, quia in *hoc cap.* non prohibetur omnis electio, sed solùm electio compromissariorum facienda per sortes, qui dein eligerent Episcopum, aliúmve Prælatum jurisdictionem ecclesiasticam in causis civilibus & criminalibus habentem, ergo saltem inde deduci non poterat, esse multa reprehensione dignum in aliis electionibus ad beneficia & officia alia ecclesiastica uti sortibus, & consequenter id prohibitum fuisse jure naturæ, quare paulò aliter ad istam objectionem videtur respondendum cum Castrop. *l. c.* nimirum ideo utentem sortibus in compromissarii electione esse dignum reprehensione, juxta *c. ult. h. t.* quia novum usum eligendi ad episcopalem dignitatem in Ecclesiam introducebat; contra *c. quia propter.* cùm in eo non fuerat introductus, (solùm enim in eo interdicta fuit, & annullata electio ad episcopalem dignitatem, quæ non fuerit facta à majore parte Capituli per vota secreta, vel quæ non fuerit facta ab iis, quibus Capitulum commiserit potestatem eligendi) sed erat reprehensione dignus, qui sortibus in hac compromissarii electione utebatur, quia novum usum eligendi, tametsi usque tunc non prohibitum, introducebat.

2. Resp. Secundò: Nequidem electionem per sortes ad istiusmodi beneficia, officia & administrationes esse ipso jure ecclesiastico vi *c. ult. h. t.* irritam, quamvis vi illius irritari possit, probabiliùs docere videntur Gl. *in cit. c. ult. v. ad gratiam.* Pirh. *h. t. n.* 13. eò quòd *cit. c. dicatur.* cassari debuisse talem electionem, quod autem cassari debuit, ipso jure cassum, seu irritum non fuit, quódque in eo *cap.* nullum verbum irritans reperiatur, sed solùm prohibeatur talis usus sortium. Nec obstat *c. quia propter.* etsi ibi dicatur, non valere electionem factam non observatâ formâ ibi præscriptâ; nam in casu *c. ult. h. t.* electio Episcopi facta est secundum formam ejusdem *cap. quia propter.* cùm facta sit per suffragia, & electionem commissariorum, seu compromissariorum, qui est unus ex modis præscriptis eligendi; in *cit. c. quia propter.* quamvis in eo erratum fuerit, quòd in eligendis commissariis adhibitæ sortes, qui modus cùm in *cit. c. quia propter.* non reprobetur, (quippe in quo tantùm præscribitur forma eligendi Episcopos, aliósque Prælatos ecclesiasticos, qui quasi episcopalem jurisdictionem obtinent, & per quorum mortem dicitur Ecclesia viduata suo sponso, non verò agitur de electione aliorum Prælatorum, vel Clericorum inferiorum, in quorum electione non necessariò servanda forma in *cit. c. quia propter.* præscripta, ùt cum Gl. *ibid. v. Ecclesia viduata.* Suar. *cit. c.* 12. *n.* 9. & 10. Castrop. *l. c. n.* 9. Sanch. *cit. c.* 38. *n.* 83. & 84. Pirh. *h. t. num.* 13.) non continet vitium contra formam ibi præscriptam.

3. Resp. Tertiò: Prohibitio eligendi per sortes, extendit se quoque ad casum, dum ex duobus electis æqualibus suffragiis ad beneficium vel officium ecclesiasticum unus determinandus est. Suar. *l. c. n.* 7. Sanch. *l. c.* post alios antiquiores, ex ea ratione, quòd, dum suffragia æqualia sunt, nullus dici possit legitimè electus ad beneficium, quia debet esse electus à majore parte Capituli; unde dum Capitulum consentit, ut beneficium obtineat, & omnibus præferatur, cui sors obtigerit, jam mediis sortibus facit electionem, in *cit.* verò *c. ult.* prohibetur omnis electio, adeóque etiam dicta determinatio inter duos habentes æqualia suffragia per sortes prohibita est, quia est vera electio. Neque dici potest in oppositum, quòd non videatur medium aptius ad talem determinationem faciendam, dum suffragia sunt æqualia, quàm per missionem sortium; nam remedium in tali casu proprium est, ut superior electores compellat, ut intra certum tempus se conforment, seu determinent, alioquin ipse ab iis electionem ad se avocet, ùt cum Gl. *in c. duobus. de rescript. in* 6. *v. teneantur.* Castrop. *l. c. n.* 6. De cætero usum sortium ad componendam litem non tantùm in causis civilibus & profanis, tam inter Laicos, quàm Clericos esse licitum, juxta communem & certam tradit Abb. *in c. ult. h. t. n.* 3. sed & in causis, seu controversiis beneficialibus distinctis ab ipsa electione ad beneficia prohibitum non esse, probabilius videtur, & sic tenet Castrop. *l. c. n.* 7. eò, quòd in solis electionibus sortes prohibeantur, at qui cedit liti, si sors sibi non obtigerit, non eligit ad beneficium, sed definit eum impedire, qui cum illo est electus; item, cui sors in tali controversia favet, non accipit à Collitigante jus aliquod ad beneficium; cùm non sit in ejus potestate, jus beneficiale in alterum transferre authoritate propriâ, adeóque cessio litis ab eo facta, favente sibi sorte, non est electio, & sic non agit contra prohibitionem. *c. ult. h. t.* Non posse tamen etiam hanc sortitionem fieri propriâ authoritate litigantium, eò, quòd in illa interveniat pactum & obligatio cedendi liti, omnéque pactum propriâ authoritate factum, quo via aperitur ad obtinendum beneficium, sit Simoniacum, juxta *c. fin. de pactis. & c. quam pro.* 1. *q.* 1. tradit idem Castrop. proinde hæc sortitio facienda authoritate Judicis, tum ad vitandum pactum Simoniacum, tum ut is, cui sors obtigit, possit beneficium accipere, cùm illud accipere nequeat ex jure à collitigante translato, utpote quod non erat omnino certum, sed litigiosum, ideóque dubium, sed à Judice egebat confirmari.

4. Resp. Denique: Electionem ad officia civilia per sortes prohibitam non esse, quia de hoc nihil in *cit. c. ult. h. t.* & licèt in fine loquatur de electionibus generaliter, tamen id intelligendum juxta materiam substratam. Neque obstat, quòd idem sit periculum eligendi indignum ad dicta officia, quod est ad beneficia ecclesiastica, cùm id solùm prohiberi posse, non autem prohibitum esse, ita

cum

cum D. Thom. 2. 2. *q.* 95. *a.* 8. Cajet. *du.* 1. Archid. Hoſt. & aliis Sanch. *L. n.* 58. Suar. *Tom.* 1. *de relig. L.* 2. *de ſuperſtit. c.* 12. *n.* 15. Tolet. *in ſum. L.* 4. *c.* 15. Delrio *diſq. mag. L.* 4. *c.* 4. *q.* 1. Bonac. *d.* 3. *de primo decal. præcepto. q.* 5. *p.* 3. *n.* 12. Caſtrop. *l. c. n.* 8.

Quæſt. 384. *Quæ pœnæ Sortilegorum, & quis Judex competens in hoc crimine?*

1. Reſp. Ad primum primò: De Jure Canonico Sortilegi Laici, ſi admoniti non emendent, & ſervi vilésque perſonæ verberibus & cruciatibus ſunt afficiendi; ſi verò liberi & honeſtiores, ad perpetuos carceres detrudendi. *can. contra.* 26. *q.* 5. etiam excommunicandi. *can. admoneant. cauſ. ead. q.* 7. poſſunt etiam ab Epiſcopo turpiter dehoneſtati (hoc eſt, capillis antè & retrò inciſis. *c. de benedicto.* 32. *q.* 1.) è Diœceſi ejici. *can. Epiſcopi.* 26. *q.* 5. Sunt quoque Laici Sortilegi hoc jure *can. conſtituimus.* 3. *q.* 5. infames, & ſi Sortilegium admixtam hæreſin habeat, ùt ſi dæmonem invocent, colant, & quæ ſoli Deo competunt, ei negent, puniuntur ùt hæretici, quamvis autem Laici Sortilegi dictis pœnis coerceri poſſint per poteſtatem eccleſiaſticam, in eos tamen exceptâ pœnâ excommunicationis, quando hæreſis ſuſpicio abeſt, ferè procedit curia ſæcularis. Abb. *in c.* 1. *h. t. n.* 3. Sanch. *L.* 2. *mor. c.* 38. *n.* 92. Clarus §. *hæreſis. n.* 25. & ab ea puniuntur quoque publicatione bonorum omnium, &, ſi quidem rei etiam magicæ ſuperſtitionis, ultimo ſupplicio, etiam ignis. *L. nullus. L. nemo. C. de maleficis.* & *Ordinat.* Caroli V. ſi exerceant tales ſuperſtitiones cum damno tertii; &, ſi abſque damno tertii, pœnâ arbitrariâ Judicis, puta, relegatione, carcere, vel etiam ultimo ſupplicio, Hoſt. *in ſum. h. t. n. ult.* Clericorum verò Sortilegorum pœna ordinaria ſecundum Canones in foro externo præter infamiam, quam *cit. c. conſtituimus.* incurrunt, eſt depoſitio ab officio & beneficio, & in monaſterium ad agendam pœnitentiam detruſio. *can. non oportet.* & 2. *ſeq.* 26. *q.* 5. Gl. fin. *in c.* 1. *h. t.* Abb. *ibi, n.* 2. Pirh. *h. t. n.* 17. dum autem in *can. admoneant.* 26. *q.* 7. dicuntur degradandi, id intelligendum de degradatione verbali, hoc eſt, depoſitione à beneficio, & non de reali, ac propterea non tradendus curiæ ſæculari, nisi fortè acceſſerit magia.

2. Reſp. Ad ſecundum: Judex competens criminis Sortilegii, qui de eo cognoſcere, illúdque punire poteſt, eſt Eccleſiaſticus, nempe Epiſcopus, non tantùm quò ad perſonas eccleſiaſticas, ſed etiam quò ad Laicos, ùt conſtat ex *c.* 1. *h. t.* & *can. contra.* 26. *q.* 5. quia redundat in injuriam divinæ Majeſtatis, dum attribuitur creaturæ, quod eſt ſolius Creatoris, ut ſcire omnino occulta, & prædicere futura, éſtque juriſdictio in Sortilegos & magos ſpecialiter attributa Judicibus eccleſiaſticis per *Bullam* Sixti V. 7. *cœli & terræ.* proinde dum Judex eccleſiaſticus Sortilegum & maleficum curiæ ſæculari tradendum invenit, id cum facere poſſit ſine ullo periculo irregularitatis, & ſine obtenta ſpeciali facultate Papæ jure ordinario per citata jura, ita tamen, ut priuſquàm Clericus curiæ ſæculari tradatur, degradetur, ùt Delrio *diſq. mag. L.* 5. *ſ.* 16. *de pœna & ſupplicio maleficorum.* Ita Reiffenſt. *h. t. n.* 19. Non tamen privativè Eccleſiaſticus eſt competens Judex hujus criminis, reſpectu Laicorum, ſed quò ad eos eſt crimen mixti fori, ita, ut ſit præventioni locus inter Judicem Laicum & Eccleſiaſticum. Abb. *in c.* 1. *h. t. n.* 2.

TITULUS XXII.

De Colluſione detegenda.

Quæſt. 385. *Colluſio quid ſit, circa quas cauſas, & inter quos fiat?*

1. Reſp. Ad primum: Colluſio eſt latens & fraudulenta inter actorem & reum conventio, ùt Gl. *in c. audivimus. h. t. v. colluſione.* dum nimirum actor rei partes tacitè adjuvat, tacendo v. g. omittendo vel diſſimulando veras probationes, falſáſque defenſiones & exceptiones admittendo, vel ab accuſatione deſiſtendo, ne reus puniatur. Arg. *c.* 1. *& fin. h. t.* Vocatúrque hæc colluſio à civiliſtis prævaricatio & tergiverſatio; prævaricatio quidem, dum accuſator in judicio proprias probationes diſſimulat, vel falſas rei exceptiones admittit. *L.* 1. *& L. ab Imperatore. ff. de prævaricat.* & hæc dicitur propriè & ſtrictè prævaricatio. Menoch. *de arb. caſ.* 323. *n.* 13. Gilhauſ. *Arb. crim. c.* 2. *t.* 31. *n.* 1. Lauterb. *ad ff. tit. de prævar.* §. 2. ubi & alias ſpecies prævaricationis minùs ſtrictè tales refert. Tergiverſatio verò, quando accuſator ab accuſatione omnino deſiſtit.

2. Reſp. Ad ſecundum: Colluſionem committi poſſe, tam in cauſis civilibus, quàm criminalibus cum Hoſtienſ. tenent aliqui, alii, cum Maſc. *de prob. concl.* 322. *n.* 6. quem ſequitur Reiffenſt. *h. t. n.* 3. non nisi in cauſis criminalibus & beneficialibus, juxta *cit. c. audivimus.* eam dari contendunt, & nequaquam in civilibus, niſi fortè ſint matrimoniales, aut præjudicium tertii concernant; eò, quod in civilibus licita ſit tranſactio, concordia, & amicitia litigantium, vel totalis deſiſtentia à lite; cùm in iis agatur tantùm de privato intereſſe illorum; dum e contra in proceſſu criminali agatur de bono communi exigente, ne delicta maneant impunita. *c. ut fama de ſent. excomm.*

3. Reſp. Ad tertium: Colluſio committi poteſt, tam per Clericos, quàm per Laicos, & quidem non tantum inter Principales, ſed etiam per Advocatos & Procuratores, dum nimirum horum aliquis in præjudicium ſui Principalis cum altero Principali vel Advocato illius colludit, manifeſtando ejus ſecreta, vel diſſimulando, aut non refutando, vel probationes efficaces omittendo &c. nihilominus Advocati ita malè procedentes non tam colluſores propriè, quam impropriè dicuntur, *L.* 1. *ff. de prævaric.* quamvis tamen etiam juxta *eandem L.* ratione talis impropriè dictæ colluſionis ſubſint pœnæ extraordinariæ; ſecus eſt de Notario; hìc enim ab utraque parte requiri poteſt, Lauterb. *l. c.* §. 2. citato Richter *deciſ.* 85. *in fine.* non tamen Notarius in eadem cauſa eſſe poteſt Procurator vel Sollicitator. *manual. notar. L.* 1. *p. m.* 160.

Quæſt.

Quæst. 386. *Quid juris sit in casu commissæ collusionis?*

REsp. Si reus interveniente oollusione absolutus fuit per sententiam, potest denuò accusari, & inquiri contra illum, dum de collusione constat. Arg. *c. fin. h. t.* & *L. prævaricationis. §. 1. ff. de prævar. juncta L. 11. de accusat.* idque, tum ne delicta maneant impunita *L. 35. de sent. excom.* tum ne reus ex sua malitia referat commodum. contra *L. 1. ff. de dolo.* His non obstante, quòd Sententia Judicis absolutoria ita tollat crimen, ut de eo queri non possit ampliùs. arg. *L. si cui. §. 2. & c. de his. ff. de accus.* nam sententia lata per collusionem non est nulla, habétque se, acsi lata non fuisset. *L. cùm non. ff. h. t. L. præses. c. de pignor.* Si verò commissa collusio seu tergiversatio accusatore criminali ab accusatione desistente, potest, imò debet Judex ex officio inquirere & procedere. Arg. *c. 1. & 2. h. t.* ne delicta jam semel publicata maneant impunita. cit. *c. ut fama de sent. excom.* & *L. ita Vulneratus. ff. ad legem Aquil.* Ac denique si reus accusatorem vel Advocatum induxerit, ut secum colluderet, habetur pro victo. *L. fin. h. t.* & Sententia absolutoria rescinditur. *L. 3. §. 1. ff. h. t.* nisi sit causa sanguinis. *L. 1. ff. qui bona eorum, qui ante Sent.*

Quæst. 387. *Quænam sit pœna collusionis?*

1. REsp. Primò: Præterquam quòd pœna collusionis seu prævaricationis (intellige propriè talis) sit arbitraria, seu extraordinaria pro diversitate circumstantiarum, juxta *L. sciendum. ff. de prævaric. juncta L. 1. §. si quis.* & *L. 3. ff. ad S. C. Turpill.* pœnam infamiæ in specie incurrit prævaricator. *L. si is. ff. de prævaricat. L. 1. ff. qui not. infam.* & ab accusandi munere arcetur. *L. 5. ff. h. t.* Menoch. *de arb. cas. 323. n. 12.* Lauterb. *ad ff. tit. de prævaricat. §. 3.* Item propriè talis convictus eâdem pœnâ afficitur, quâ teneretur, si ipse in legem commisisset, quâ reus per prævaricationem absolutus est. *L. 6. ff. h. t.* Lauterb. *l. c.* & in specie, si collusio fiat super beneficio ecclesiastico, uterque colludentium privari debet beneficio. *c. audivimus. h. t.*

2. Resp. Secundò: Prævaricatores minùs propriè tales, nimirum Advocatus & Procurator (idem de accusatore in extraordinariis Judiciis dicit Lauterb. §. 4.) non dictâ pœnâ ordinariâ, sed extraordinariâ & arbitrariâ puniuntur. *L. 1. §. 1.* & *L. 2. ff. h. t.* Procuratores etiam secundum *constit. Carol.* qui ex proposito & dolo malo in causa, sive civili, sive criminali prævaricati, & desuper legitimè convicti, non tantùm omne damnum inde perpessum cum interesse clienti resarcire tenentur, idque actione mandati. Menoch. *l. c. num. 9.* Lauterb. §. 5. verùm etiam in numellis exhibiti fustigatione & relegatione afficiuntur. *L. 38. §. 8. A. 9. ff. de pœnis.* causa verò decisa denuo tractanda. *L. 1. c. de advocat.* quam tamen pœnam non extendi ad Advocatos prævaricantes volunt DD. sed hos arbitrariâ pœnâ pro qualitate personarum & circumstantiarum coercendos, iuxta *L. 1. §. 1. ff. h. t.* Item remotione ab officio, relegatione. *Carpz. p. 1. decis. 91. n. 18.* & *L. 3. resp. 3. n. 4.* non tamen sine nota infamiæ. Brunnem. *ad L. 1, de advocat. n. 2.* aliique citati à Lauterb. *l. c.* qui etiam *n. 9.* hanc infamiam extendit ad Doctorem & Consultum pro utraque parte eodem tempore super jure respondentem; secus prout limitat idipsum Brunnem. *ad L. 3. ff. h. t. num. 3.* si diverso tempore mutatâ facti circumstantiâ vel opinione fiat responsio. De cætero prævaricari non dicuntur, & pœnis dictis non subjacent, qui visis juribus & causæ secretis, se illi patrocinari & simul adversarium adjuvare negant, ùt patet. Menoch. *num. 5.* Hahn. *ad Wesenb. h. t. num. 3.* Item qui memoriâ lapsi, aut in alia causa adversario patrocinantur. Mevius *p. 9. Decis. 173.*

TITULUS XXIII.

De Delictis Puerorum.

Quæst 388. *An & qualiter puniantur?*

1. REsp. Primò: infantes, id est, pueri, qui nondum septimum ætatis annum compleverunt, excusari à delictis, pœnisque iis statutis per leges, cùm doli capaces non sint, &, quid agant, ignorent. *L. sed etsi. ff. ad leg. Aquil. L. infans. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. Clem. unic. de homicid.* Idem dicendum propter eandem rationem de pueris infantiæ proximis, id est, septennium non multùm excedentibus. Farin. *in pr. Crim. p. 3. q. 92. n. 46.* Carpz. *pr. crim. p. 3. q. 143. n. 130.*

2. Resp. Secundò: Pueri propriè tales (quales sunt, qui infantiam, hoc est annum ætatis septimum, egressi, *L. in Sponsalibus. ff. de Sponsal.* nondum tamen annos pubertatis, hoc est, annum 14. si mares sunt, aut annum 12. si fœminæ, impleverunt. Farin. *l. c. num. 6.* Zacchias. *qq. medico. legal. L. 1. tit. 1. q. 4. num. 11.*) si pubertati propinquiores doli capaces (quod Judici arbitrandum ex circumstantiis relinquitur, cùm alios aliis maturiùs judicio pollere contingat) patrantes crimen commissionis, v. g. furtum, mendacium, perjurium, homicidium &c, etsi criminaliter puniri possint, mitiùs tamen puniendi. *c. 1. h. t.* ita ut, si crimen de se sit capitale, ultimo supplicio affici non possint, aut etiam torqueri. *L. 1. §. 33. ff. ad S. C. Silan.* eò quòd ob defectum judicii minùs maliriosè & dolosè delinquere præsumantur. Arg. *L. fere in omnibus. ff. de Reg. Jur.* quamvis, ut Farin. *Tom. 3. de pœn. temperand. q. 92.* Arg. *L. excipiuntur. ff. ad S. C. Silan.* & *Constit.* Caroli V. *a. 164.* si tales crimina prorsus enormia committant, nec spes sit emendationis ultimo supplicio affici queant, quod ipsum ad crimen læsæ Majestatis ab iis commissum extendit Decian. apud Farin. *l. c. n. 107.* sed neque pueri tales puellæque pubertati propinqui, eam tamen necdum consecuti, licet ad copulam carnalem ordinariè apti non sint, adeóque fornicationes, adulteria, similiaque vitia carnis non commisisse, eorúmque pœnas incurrisse præsumantur. Arg. *L. licet minor. ff.* & *L. si adulterium. §. 4. ff. ad leg. Jul. de adulterio.* ab iis tamen absolutè & universaliter loquendo absolvendi non sunt, cùm quandoque, malitiâ supplente ætatem, ad id apti reperiantur pueri puellæque, *c. de illis. de desponsat impub.* & *c. fin. de eo qui consang.* ac proinde, dum de tali eorum aptitudine constat, dictis delictis tenebuntur quamvis mitiore quàm puberes pœnâ propterea afficiendi. Farin. *l. c. num. 93.*

3. Resp. Tertiò: Pubertatem consecuti, minores tamen adhuc 25. annis ob delicta commissionis, etsi pœnâ ordinariâ plecti possint, Arg. *L. si ex causa. ff. de minorib.* & *L. auxilium. §. 1. ff. eod.* regulariter tamen loquendo, & nisi alia delictum aggravantia concurrant, à Judice mitiùs puniri possunt, ac debent, quàm majores. Arg. *L. auxilium. ff. de minor. L. fere in omnib. ff. de Reg. Jur.* Farin. *l. c. num.* 41. Clar. *§. fin. q.* 60. *num.* 3. Dicitur tamen hìc & *præced. resp.* ob crimina commissionis, quia ob peccata omissionis, quæ consistunt in non faciendo, non solùm pueri proximi pubertati, sed etiam puberes, minores tamen, à pœnis criminalibus sunt immunes. Farin. *l. c. num.* 69. & 722. Reiffenst. *h. t. num.* 6. Wiestn. *num.* 9. Arg. *L. licèt. C. si adverſ. delict.* & *L. minorib. C. de his qui ut indigni.* ex ea ratione, quòd imprudentia potiùs omisisse debita præsumantur & sic intret regula cit. *L. fere in omnibus.* nisi tamen probetur in omissione interveniſſe dolum; tunc enim non omnino eximuntur à pœnis, ùt constat ex *L. excipiuntur. ff. ad S. C. Silan.*

Quæst. 389. *Num pater teneatur ex delicto filii pubertati proximi aut minoris?*

Resp. Pater, qui delicti talis non particeps, aut in filii correctione negligens non fuit, non tenetur exinde ad mulctam pecuniariam, ad quam filius talis condemnatur, solvendam ex legitima, aut alimentis filio debitis. *c. referente. h. t.* & *ibi* Abb. *n.* 3. Barb. *num.* 9. Manzius *de legitima. q.* 15. *num.* 10. Covar. *L.* 15. *Var. c.* 8. *num.* 7. Pirh. *h. t. num.* 6. Wiest. *num.* 10. nam generaliter loquendo nemo alienæ culpæ fit succedaneus, juxta *L. crimen. ff.* & *L. sancimus. C. de pœnis.* & specialiter patrem pro filio non conveniendum, pater ex *L.* 1. *C. ne filius pro patre.* nisi pater ex filii delicto factus locupletior. *L. licèt. §. ex furtiva. ff. de peculio.* Ad hæc vivente patre legitima non potest separari à bonis. *L.* 1. *§. impubere. ff. de collat. bonor.* & quamvis pater teneatur filium alere, æs tamen alienum pro eo solvere non tenetur. *L. si quis. §. si mater. ff. de liber. agnosc.* Unde jam, si filius minor delinquens non habeat, unde solvat pœnam pecuniariam, aliter quàm mulctâ pecuniatiâ plectendus, ùt peccatum suum teneat auctorem. *c. quæsivit. de his, quæ à majore.* His non obstante statuto vel consuetudine contrariâ, utpote quæ cum degenere filio patrem spoliandi facultatibus suis licentiam concedit, rectæ rationi non satis consentanea videtur. Menoch. *cons.* 100. *n.* 119. Barb. *l. c. num.* 8. Harprecht. *in §. fin. Inst. de noxal. act. v.* 12.

TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore.

Quæst. 390. *Quotuplex sit Venatio, & quæ prohibita Clericis?*

1. Resp. Ad Primum: Venatio trifariam dividitur à Sylv. *v. venatio.* in oppressivam, sic dictam, quia homines per eam injustè gravantur, & quasi opprimuntur; Arenariam, quæ cum bestiis in arena decertando exercetur; & Saltuosam, quæ etiam silvatica dicitur, quæ ad ferarum & volucrum captionem ordinatur, estque venatio propriè dicta, subdividiturque in clamosam, quæ magnoretium, canum, accipitrum apparatu tumultúque & vehementia apros, cervos, aliásque majores feras, & quandoque etiam aves capiendo exercetur; & in quietam, quæ sine strepitu, laqueis, retibus & paucis etiam canibus exercetur. Pirh. *h. t. num.* 3.

2. Resp. Ad Secundum: Imprimis venationem oppressivam omnibus interdictam nemo negat. *can.* & *§. fin. dist.* 6. Arenaria, præterquam quod illicita quoque sit, infamiam inducit, si cum quæstu exercetur, *L.* 1. *ff. de postulando.* Sylvatica etiam venatio, si clamosa, est clericis ac præsertim religiosis severè prohibita. *c. fin. Clem.* 1. *§. porro. de statu monachor.* Trid. *Sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* & quidem ob eandem sæpius exercitam Episcopi tribus, presbyteri duobus mensibus à communione arcentur. Diaconi ab officio suspendi jubentur, *c.* 1. *h. t.* uti & Subdiaconi, ut Gl. fin. in cit. *c.* 1. Clerici verò minores arbitrariâ pœnâ puniendi, ùt Host. *in Sum. num.* 4. Medices *l. c. num.* 8. & 9. Anchor. &c. ratio hujus prohibitionis est, tum quia talis venatio tumultuosa & clamosa ob feritatem cædésque ferarum referens quandam speciem belli, & hinc à morum gravitate, humanitate & modestia aliena, valde dedecet statum clericalem; tum quia per eam à divinis officiis & spiritualibus occupationibus mentem curasque, à Clericis & Religiosis Deo debitas, ferè omnes avocet, & ad investigandas capiendasque feras traducat, exiguo aut vix ullo tempore occupationibus suo statui propriis relicto. Ita *in cit. c.* 1. *h. t. num.* 7. Gonzal. Medices *l. c. q.* 8. *à num.* 2. plures hujus prohibitiones coacervans. Quòd verò gravior Episcopis, quàm inferioribus Clericis ob exercitam eandem venationem irrogetur pœna; cùm tamen aliàs juxta *c. pastoralis. de offic. deleg.* & *L. Sacrileg. ff. ad legem Jul. peculat.* in infligendis pœnis majoris nobilitatis & dignitatis habenda sit ratio major, inde est, quòd major dignitas in hoc casu magis augeat delictum, crescente autem delicto ex majore dignitate delinquentis, hæc non minuat, sed augeat pœnam. Tiraquel. *de pœn. temperand. caſ.* 37. De cætero

3. Resp. Tertiò: Venatio quieta utilitatis aut corporalis necessitatis, vel honestæ recreationis causâ & rariùs instituta ad capiendos lepores, vulpes, similésque feras minores personis ecclesiasticis non est interdicta. Gl. *in cit. c.* 1. *v. voluptate.* Abb. *ibid. n.* 1. Host. & Barb. *ibid. num.* 2. Sylv. *v. venatio.* Bellett. *disq. Clerical. p.* 1. *tit. de disp. Cler. §.* 19. Pirh. *h. t. num.* 3. cum communi. Sumitur satis patenter à contrario ex Trid. *l. c.* estque ratio, quòd talis venatio ex se sit actus seu res omnino indifferens, & jure naturali permissa, & consequenter debiti temporis, modi, finis, aliarúmque circumstantiarum habita ratione, & seclusâ lege positiva, etiam Clericis licita. Wiestn. *num.* 4. accedit consuetudo, optima legum interpres, quâ constat istiusmodi venationem passim à doctis & timoratis Clerico reputari licitam & exerceri sine scrupulo.

TITU-

TITULUS XXV.

De Clerico Percussore.

Quæst. 391. *An & sub quibus pœnis prohibitum Clericis percutere Laicum?*

1. REsp. Ad primum: Cuivis Clerico, præsertim in majoribus constituto, prohibitum est percutere propriis manibus Laicum, etiam delinquentem, sive fidelem, sive infidelem, ùt constat ex claro textu *can.* 1. & 7. *dist.* 45. *can.* 25. *dist.* 86. & *c.* 1. *h. t.* percussio siquidem repugnat modestiæ Clericali, & mansuetudini Christi, quam imitari debent Clerici, juxta *cit. can.* 7. Excipiuntur Clerici præceptores, moderatores & magistri leviter & moderatè sibi commissos discipulos percutientes. Arg. *can. aut facta. dist.* 1. *de pœnitent.*

2. Resp. Ad secundum: Pœna Clerici percutientis etiam Laicum imprimis est arbitraria à Judice infligenda pro qualitate & circumstantia percussionis notabilis, & si talis percussor se non emendaverit, sed sæpius præsertim ob leviores defectus indignatione & iracundiâ subitaneâ correptus statim ad verbera prosilire soleat, tanquam inhumanus & ferus, Statúque Clericali indignus, deponi potest ac debet. Arg. *c.* 1. *h. t.* & *ibi* Gl. & DD. communiter, inde inferentes propter unam etiam notabilem percussionem Laici Clericum depositionis pœnam non incurrere, nisi, ùt Gl. *in c.* 1. *h. t.* & Host. *ibid.* Pirh. *h. t. n.* 2. Arg. *can. fin. dist.* 25. & *c.* 2. *h. t.* percussio lethalis, vel saltem enormis esset. Reiffenst. *h. t. n.* 4.

Quæst. 392. *An & qualiter Superioribus ecclesiasticis, tam Sæcularibus, quam Regularibus prohibitum aut permissum correctionis gratiâ verberibus castigare, seu punire Clericum subditum?*

REsp. Episcopi & Superiores Regulares Clericos sibi subditos, existentes quidem in minoribus etiam propter leves defectus; constitutos autem in Ordinibus majoribus seu sacris non nisi propter graves excessus (inter quos Reiffenst. *n.* 7. numerat ebrietatem) verberibus castigare possunt. *can. cum latatus. dist.* 45. *can. fin. dist.* 35. & *ibi* Gl. communiter recepta. *v. corporali.* Non tamen possunt Episcopi propriis manibus facere hanc correctionem. *Can. non licet. dist.* 86. sed id committere debent alteri, & quidem non nisi Clerico, ita ut, si id committeret Laico, tam ipse committens, quam commissionem exequens Laicus sint excommunicati. Arg. *c. universitatis. de sent. excomm.* Barb. *ibid. n.* 2. Navar. *h. t. cons.* 42. Pirh. *h. t. n.* 1. Reiffenst. *n.* 7. nisi consuetudo legitimè præscripta alicubi haberet, quòd Episcopi per Laicos castigent verberibus Clericos, prout de Gallia testatur Barb. *l. c.* & eandem passim vigere, rationabilémque & in jure fundatam dicunt alii. Arg. *c. Clerici. de sent. excom.* ubi Superioribus ecclesiasticis permittitur, quòd per Laicos violenter capere & carcerare possint subditos Clericos, cùm difficile sit reperire Clericos, qui hoc munus capiendi, carcerandi, verberandi subire velint. Atque ita etiam Superiores ecclesiastici Episcopo minores, præsertim Regulares, qui aliàs propriâ manu verberare deberent subditos suos Regulares, juxta *cit. c. universitates.* possunt ex privilegio summorum Pontificum Alex. VI. & Leon. X. fratribus minoribus concesso etiam extra casum necessitatis Religiosos suos subditos etiam Clericos per alios suos subditos Laicos curare verberari, quo eorum privilegio etiam alias Religiones uti posse, tradit Castrop. *tr.* 29. *p.* 23. §. 3. *n.* 11. apud Reiffenst. *h. t. n.* 8. sic etiam posse Clericos Præceptores, & artium liberalium Magistros, si verbis nihil proficiant, correctionis gratiâ castigare verberibus Clericos suæ curæ commissos citra privilegium, & absque eo, quòd propterea incurrant excommunicationem; cùm talis percussio non sit violenta, aut facta suadente diabolo. Arg. *c.* 1. *h. t.* & *c.* 1. & *c. cum voluntate. de sent. excomm.* tradunt Abb. *in cit. c.* 1. *n.* 1. Navar. *in man. c.* 27. *n.* 81. Suar. *de censur. d.* 12. *s.* 1. *n.* 40. Idem est de Sacerdotibus, ex zelo devotionis adolescentes in minoribus Ordinibus constitutos divinum officium turbantes leviter percutientibus. *c. veniens.* Abb. & Barb. *ibid. n.* 1. quòd, si tamen hi Sacerdotes, aut etiam Prælati in subditi verberatione propriis manibus correctionis gratia notabiliter excedant, incidunt in excommunicationem Papæ reservatam. *can. si quis suadente diabolo.* juncto *c. cum beatus. dist.* 45. & si ex immoderata & incauta percussione etiam disciplinæ causâ sequeretur mors vel mutilatio, contraheretur irregularitas. *c. presbyterum de homicidio.* Pirh. *h. t. n.* 1.

TITULUS XXVI.

De Maledicis.

Quæst. 393. *Quid & quotuplex sit maledictum, seu maledictio & maledicus?*

REsp. Maledictum seu maledictio, sic dictum à maledicendo vel loquendo, in genere est malè dictum, seu mala locutio de alio, & qui ità malè loquuntur, maledici vocantur; quod quidem loquendo in genere, propriè & congruenter huic titulo sit dupliciter ratione objecti, nimirum vel malum de proximo enuntiando, v. g. quòd sit fur, adulter, vel bonum seu qualitatem ei competentem inficiando, v. g. ingenuitatem, nobilitatem; & utrumque iterum fit dupliciter, nempe vel absente, vel præsente eo, de quo malum dicitur. Unde maledictum trifariam dividitur in detractionem, quâ quis absentis famam denigrat & diminuit; in calumniam, quâ quis præsenti seu in faciem alicui malum objicit, quod etiam, si falsum sit, convitium in illum jacere dicitur,

dicitur, & si de Deo aut Sanctis dicitur, est blasphemia. Huc etiam referuntur, quæ per modum optantis & imprecantis contra alios dicuntur.

Quæst. 394. *Quænam sint pœnæ maledicti, prout comprehendit detractionem & calumniam, in privatum commissi?*

Resp. Præterquam quod ex genere suo sit peccatum mortale, ejúsque reus in foro interno ad famæ & æstimationis lætæ reparationem obligetur, in foro externo obnoxius est actioni injuriarum, *L. item.* §. 27. *ff.* & *L. qui liberos. c. de injuriis.* & consequenter pœnæ arbitrariæ. Illud tamen hìc notandum, quòd in proximum (intelligendum videtur etiam privatum) maledicus Clericus, maximè Sacerdos, olim ad injuriæ illatæ veniam postulandam compellendus fuerit, &, si renueret, degradandus, id est, suspendendus, neque ante præstitam satisfactionem ad officium ecclesiasticum unquam revocandus, ùt sumitur ex *can. Clericus. dist.* 86. juncta Gl. *v. revertetur.*

Quæst. 395. *Quæ pœna maledicentis Imperatori seu Principi sæculari?*

Resp. Maledicere Principi sæculari, quod lege divinâ prohibitum *Exod.* 22. *v.* 28. *Proverb. c.* 20. *v.* 2. ad Titum *c.* 3. *v.* 1. & quo olim censebatur quis reus criminis læsæ Majestatis, teste Arnob. *Lib. de gentibus.* postmodum Christiani Imperatores non facilè ultimo supplicio puniendum statuerunt. Menoch. *de arb. cas.* 377. *n.* 9. Brunnem. *ad L. unic. c. si quis Imperat. maledixerit. n.* 1. ubi Theodos. Arcad. Honor. de maledicto in se effuso inquirunt, *si istud ex levitate processit, contemnendum est: si ex insania, commiseratione dignissimum: si ab incuria id est, condonandum:* nisi maledictum fieret in ipsum officium Principis; tunc enim puniri debet, & quidem graviter, ut pœna illius aliis terrorem incutiat. Arg. *c.* 1. *h. t.* idem est, si maledicta continerent verba spectantia ad seditionem aut acclamationes turbulentas, quibus salus Principis aut status adduceretur in discrimen, aut alia justa ratio, aut exempli necessitas scelus puniri exigeret; tunc enim causam ad Principem remittendam, qui an & quâ pœnâ maledicti crimen puniendum sit, cognoscat, tradunt cum Gl. *in cit. c. unic. v. remittendum.* Menoch. & Brunnem. *l. c. n.* 7. Quin etiam maledicens personæ Principis Supremi non recognoscentis Superiorem, ex proposito, & per incuriam jaciens in illum verbum contumelioſum, seu convicioſum, plectendus est pro arbitrio ipsius Principis, juxta *cit. c. unic. c. si quis Imperat. maledix.* Et quidem gravi pœnâ Pirh. *h. t. n.* 6. talis enim Princeps potest vindicare injurias proprias. Arg. *cit. c.* 1. *h. t.* ex ea etiam ratione, quia nemo tenetur, satisfactionem injuriæ remittere, etsi possit, & laudabiliter ageret remittendo eam illatam suæ personæ, juxta *c. olim. de injur. c. gravis. de restit. spol.* Pirh. *num.* 3. *in fine.* cum Abb. non tamen injuriæ illatæ suæ dignitati. *cit. c.* 1.

Quæst. 396. *Quæ pœnæ maledicentis Papæ, Episcopo, aut alteri Prælato ecclesiastico aut Sacerdoti?*

1. Resp. Primò: Pœna maledicti in summi Pontificis personam jactitati est quoque de jure communi arbitraria pro qualitate delicti, etsi conveniens sit, Papam Christi in terra Vicarium imitari illius mansuetudinem, remittendo talem injuriam. Arg. *Can. inter querelas.* 23. *q.* 4. *L.* 10. *C. de Episc. & Cler.* si enim Principes sæculares personæ suæ maledicentibus ignoscunt, multò magis congruit Pontificem in hac mansuetudine exemplo iis præire, utì fecit Pius V. cujus meminit Barb. *in c.* 1. *h. t. n.* 2. aliique AA. passim, si tamen maledictum jactatum contra ipsam sedem Apostolicam, seu dignitatem Pontificiam, seu officium & primatum illius, pœna, & quidem gravior atque exemplaris necessariò imponi debet, juxta *c.* 1. *h. t.* & *ibi* DD. communiter.

2. Resp. Secundò: Quamvis Episcopus aliquem ob maledictum illatum soli personæ suæ ipsemet punire non possit, ùt Gl. communiter recepta *in can. inter querelas.* tum quia nullus Superiorem habens potest esse Judex in propria causa, tum quia mansuetudo & sanctitas Episcopi requirit, ut injurias suæ personæ illatas remittat. Arg. *cit. L.* 10. *c. de Episc. & Cler.* alterius tamen Judicis sæcularis arbitrio puniendus est, idque, etiamsi ab Episcopo desuper accusatus non sit. Host. *in Sum. h. t.* §. *alii maledicunt.* Farin. *pr. crim. q.* 105. *n.* 402. cùm generaliter loquendo ex officio tales Judices punire debeant quemlibet, qui aliquam injuriam infert locis, aut personis sacris, utì expressè statuitur *cit. L.* 10.

3. Resp. Tertiò: Religiosi aliquem Ecclesiæ Prælatum maledicto offendentes, aut eidem detrahentes jure communi per duos menses subjacere debent istis pœnis, quæ juxta regulas & statuta eorum ob gravia crimina imponuntur; juxta textum expressum. *Clem.* 1. §. *quibus etiam. de privileg.* præterquam dispositionem juris communis per specialia Statuta suorum Ordinum gravissimè puniuntur, quales pœnas statutas in suo ordine strictioris observantiæ iis, qui malè loquuntur de summo Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, aliisque Ecclesiæ Prælatis, nec non sui Ordinis Superioribus refert Reiffenst. *h. t. num.* 14.

Quæst. 397. *Quid & quotuplex sit blasphemia?*

1. Resp. Ad primum: Blasphemia est mala seu contumelioſa locutio in Deum, sitque potissimùm dupliciter, nimirum dum negatur DEO, quod ei competit, ùt dum dicitur, non esse omnipotens, non habere providentiam rerum humanarum; vel asseritur quid ei non conveniens, v. g. quòd sit crudelis, injustus. D. Thom. 2. 2. *q.* 13. *a.* 1. Sylv. *v. blasphemia. q.* 1. Farin. *l. c. q.* 20. *n.* 11. Pirh. *h. t. n.* 7. Ad hæc duo reducuntur sequentia; dum quis creaturæ tribueret, quod soli DEO competit, dicendo, v. g. diabolum æque ac Deum cognoscere secreta cordium, & futura contingentia. Sylv. *l. c. n.* 3. Pirh. *l. c.* dum quis detestatur Deum, imprecando illi, seu optando malum, v. g. ut hominum peccata nesciat, vel non punire possit; quia talia in Deum cadere non possunt; sic omnis maledictio, contumelia, convitium in Deum prolatum est blasphemia; quia sic derogatur Divinæ Majestati & Excellentiæ, honórque divinus diminuitur. Farin. *n.* 3. Pirh. *l. c.* Haunold. *Tom.* 6. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 141. Maledictiones quoque, seu convitia jactata in sanctos dicuntur blasphemia, quatenus saltem ex consequenti & indirectè redundant in DEUM, qui sicut in Sanctis suis laudatur & honoratur, ita etiam in illis vituperatur & contemnitur. Covar. *in c. quamvis. de pactis. p.* 2. *relect.* §. 7. *num.* 8. Clarus *v. blasphemia. num.* 1.

Haunold.

Haunold. *l. c. num.* 140. Pirh. *l. c.* & alii communiter. De cætero

2. Resp. Ad Secundum: Blasphemia præcipuè dividitur in hæreticam, dum nimirum aliquid articulis fidei contrarium de Deo asseritur vel negatur, v. g. dicendo Deum esse mendacem, non esse omnipotentem; Et in non-hæreticam, dum non pronunciatur quid de Deo atticulis fidei contrarium, sed quid per modum imprecationis & detestationis in illum jacitur, v. g. imprecando vel optando, ut non esset.

Quæst. 398. *Quænam sit pœna blasphemiæ de jure divino?*

1. REsp. Primò: Olim in lege veteri, *Levitici c.* 24. *v.* 16. jubebantur affici morte & ab omni populi multitudine lapidibus obrui.

2. Resp. Secundò: Jure Canonico veteri Clerici blasphemantis pœna est depositio ab officio & statu Clericali. *can. si quis.* 22. *q.* 1. quæ tamen pœna depositionis solùm locum habet in Clericis incorrigibilibus & consuetudinem blasphemandi habentibus, nisi fortè tam gravis foret unica blasphemia, ut maximam divinæ Majestati inferat injuriam. Covar. *l. c. num.* 10. Diaz. *in pract. crim. canon. v. blasphemia, c.* 114. *num.* 2. Laicorum verò blasphemorum pœna est excommunicatio ferenda, *eod. can. si quis.* Postmodùm verò iis pœnitentia publica & mulcta pecuniaria decreta. *c. fin. h. t.* circa quam pœnitentiam publicam notanda sequentia: Primò eam non imponi nisi publicè blasphemanti; delicta enim occulta publicè vindicanda non sunt, *can. ult.* 32. *q.* 5. Dicitur autem publicè blasphemare non solùm in judicio desuper convictus & condemnatus, & qui in publica platea vel foro blasphemat, sed etiam qui in domo vel loco privato, multis tamen præsentibus & audientibus, & ad Episcopum deferentibus, modò blasphemans, si neget per idoneos testes convincatur. Pirh. *h. t. num.* 9. cum Host. *hìc v. publicè.* Secundò: hanc pœnitentiam non imponi Clerico publicè blasphemanti, quia Clericus non agit pœnitentiam publicam, cùm eam agentes ad Ordines promoveri non debeant. *c. ex pœnitentib. dist.* 50. *c.* 1. *de bigam.* sed puniendus pœnâ arbitrariâ. Host. *hìc, n.* 4. Abb. *n.* 2. Tertiò: Blasphemus privatur ingressu Ecclesiæ, donec egerit pœnitentiam, & si nolit agere pœnitentiam dictam, privatur sepulturâ ecclesiasticâ. Abb. *in cit. c. ult. n.* 3. Quartò: Ab hac pœnitentia publica absolvere potest solus Papa; ab occulta verò & privata, quam imponere potest Sacerdos proprius, idem absolvere potest. Abb. & Host. *l. c. num.* 9. Notandum denique, quòd in calore iracundiæ vel etiam ebrietate blasphemans publicè, non incurrat pœnam ordinariam, sed puniendus arbitrio judicis. Clarus *v. blasphemia, num.* 6. Menoch. *de arb. cas.* 375. *num.* 33. Farin. *pr. Crim. L.* 1. *tit.* 3. *q.* 20. *num.* 47. Pirh. *h. t. n.* 11. Ac demum in eosdem Laicos & Clericos blasphemos amissio emolumentorum aut fructuum ex officio temporali vel beneficio ecclesiastico, horúmque privatio & ad obtinenda illa inhabilitas, amissio dignitatis, infamis statio ante fores Ecclesiæ, flustigatio, triremes aliæque pœnæ pecuniariæ & corporales pro delicti & personarum delinquentium aliarúmque circumstantiarum varietate ipso facto incurrendæ aut per sententiam infligendæ statutæ sunt per sequentes Pontifices, Leonem X. in bulla incipiente: *Supernæ dispensationis* 7. *hujus Pontificis Tom. 1. Bullarij* Julium III. *in multis.* 23. *illius.* Pium V. *cum primum.* 5. *illius. Tom.* 2. *Bullarii.* quarum Constitutionum tenores per extensum legi quoque possunt, quibus non est copia Bullarii Cherubini apud Reiffenst. *h. t. num.* 18. Quæ tamen, quia usu ferè, aut saltem in omnibus non receptæ in punitione blasphemorum consuetudines & statuta locorum observanda monet Castrop. *tr.* 17. *d.* 2. *p.* 2. §. 5. *num.* 1.

Quæst. 399. *Quænam pœnæ blasphemiæ de jure civili?*

RESp. Est pœna mortis ad exemplum legis divinæ in veteri lege. *Novell.* 77. quam etiam Carol. V. in *constit. crim. à* 106. statuit pro blasphemia gravi, præsertim in Deum, pro leviori tamen in sanctos mutilationem linguæ, fustigationem, carcerationem, mulctam pecuniariam, aliamve arbitrariam pro circumstantiarum & delinquentium diversitate. Quæ pœna capitalis potissimùm locum habet, si quis ex consuetudine blasphemet, & incorrigibilis sit in hoc vitio, ut ait Pirh. *n.* 12. quamvis hodie harum constitutionum rigor fere ubique in desuetudinem abierit, ùt Covar. *l. c.* §. 7. *num.* 10. *in fine.* Clarus *v. blasphemia. num* 3. ubi monet, Principes Christianos peccare graviter, si hoc crimen non puniant severissimè; cùm hoc crimen ob consuetudinem vigentem in aliqua provincia, quæ potiùs abusus & gravis corruptela est, impunitum relinqui non debeat, vel ex eo capite, quia est contra legem naturalem, divinam & humanam, ùt Covar. *l. c. num.* 13. quamvis tamen etiam hodie pœna arbitraria imponatur blasphemiæ, &, si enormis est, etiam pœna mortis ei imponi possit ac debeat. Clar. *cit. n.* 3. Menoch. *l. c. num.* 3. Farin. *cit. q.* 20. *num.* 66. & 67. Pirh. *l. c.* ùti annorum Superiorum exempla docuisse in Bavaria testatur Haunold. *Tom.* 6. *tract.* 2. *n.* 153. Ad hæc blasphemus repellendus est à testimonio ferendo in iis causis, in quibus requiruntur testes omni exceptione majores, modò fuerit saltem semel etiam pecuniâ à Judice mulctatus & condemnatus, eò quòd licet blasphemus non sit ipso jure infamis, sit tamen infamis saltem infamiâ facti, postquam à Judice de blasphemia condemnatus, adeóque jam effectus testis minùs idoneus. Arg. *c. licèt. de probat.* ita Covar. *l. c. n.* 12. Pirh. *num.* 13. Quod tamen in praxi non servari dicit Clarus, *l. c. num.* 4.

Quæst. 400. *Quis sit Judex competens in crimine blasphemiæ?*

1. RESp. Primò: Dum blasphemia est hæreticalis, Judex illius competens est solus ecclesiasticus, cum juxta quod dici & probari solet *tit. de hæretic.* & tenent Farin. *l. c. num.* 39. Barb. *de Off. Episc. alleg.* 51. *num.* 93. Reiffenst. *h. t. num.* 27. & alii passim, quòd in causa hæresis solus ecclesiasticus sit Judex competens; limitat tamen hoc ipsum Reiffenst. *h. t. num.* 29. ita ut vigente consuetudine contrariâ (ùti eam in partibus Germaniæ vigere testatur) Judices Sæculares etiam blasphemiam hæreticalem cognoscant ac puniant, adjectâ eriam hujus ratione, quia nimirum illæ hæreticales blasphemiæ ordinariè potiùs ex mente blasphema, quam hæreticali & errore intellectus procedunt.

2. Resp. Secundò: Blasphemia non-hæreticalis, sed simplex in Deum & Sanctos est mixti fori, adeóque de ea cognoscere potest non solùm Judex Sæcularis, sed etiam ecclesiasticus, & punire, etiam Laicum alioquin non subditum sibi in temporali-

bus, & est inter eos locus præventioni, ita tamen ut punitio ab uno Judice facta in suo foro impedire non possit, quo minus alter in suo foro quoque eundem puniat. Abb. *in c. fin. h. t. num.* 9. Sanch. *L.* 2. *mor. c.* 32. *num.* 37. Farin. *l. c. q.* 30. *n.* 39. Barb. *l. c.* & quòd, si Judex Sæcularis negligens sit in puniendis blasphemiis, possit ad id compelli à Judice ecclesiastico juxta *c.* 2. *h. t.* potéstque etiam Judex ecclesiasticus per se non punire Judæum blasphemum, si Judex Sæcularis in hoc negligens esset, vel etiam si Judæus esset sub temporali jurisdictione Judicis ecclesiastici, aliàs non, Farin. *l. c. n.* 40. *q.* 41. Pirh. *n.* 14.

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante.

Quæst. 401. *Clerici censurati violantes censuram quâ pœnâ afficiuntur?*

1. Resp. Primò: Clericus degradatus verbaliter, hoc est, perpetuò remotus ab ordinibus & gradibus ecclesiasticis propter crimen, si actum Ordinis aut officii, à quo depositus, exerceat, vel in eo ministret, est ab Ecclesia abscindendus, prout statuitur *c.* 1. *h. t.* id est, excommunicandus, seu à communione fidelium & participatione Sacramentorum separandus, ut Host. *in cit. c.* 1. *v. abscindatur.* Abb. *ibid. num.* 1. & 2. Pirh. *h. t. num.* 1. & licèt *cit. c.* 1. non fiat mentio, nisi de Episcopo, Presbytero, Diacono, extendit se tamen hæc pœna ad Clericos constitutos in Ordinibus minoribus juxta *c.* 2. *h. t.* & Arg. *c. cum non ab homine. de judic.* Host. & Abb. *ll. cit.* cum Gl. *in idem. c.* 1. *v. Diaconus.* Item extenditur ad injustè depositos, nisi priùs restituti sint. *c. Episcopus.* 11. *q.* 3. Secus tamen esset, si dicta sententia degradatis lata fuisset contra ordinem juris, cum tunc sit nulla. *can. si quis.* 2. *q.* 6. *c.* 1. *de sent. & re judic.* Gl. *ad cit. c.* 1. *v juste.* Host. *ibid.* Pirh. *h. t. num.* 2. Requiritur tamen, ut præcedat monitio; juxta *c. sacro. de sent. excomm.* Alexander ad Abb. *l. cit. Lit. B.* Pirh. *num.* 1.

2. Resp. Secundò: Multò magis Clericus degradatus actualiter & solemniter, hoc est, ab Episcopo junctis sibi aliis sex Episcopis vel suspensus ab officio perpetuò, si ab Episcopo in actu sibi prohibito ministrare non desistat, excommunicatur ipso jure, utì & alii cum eo communicantes, etsi excommunicatione minore *c. cum excommunicato. caus.* 11. *q.* 3. & *ibi* Gl. *v. statim.* &, si non desiterint communicare cum eo, etiam excommunicatione majore. *c. cum in dubiis.* & *c. ult. h. t.* junctâ Gl. *observandum.* & si hæc contempserit, & Episcopus eum corrigere non potuerit, invocandum est brachium sæculare. *c.* 1. *de Off. Jud. ordinar. c. nec licet. dist.* 14. utraque enim potestas ecclesiastica & Sæcularis se invicem adjuvare debent *c.* 2. *de maledictis.* & si Magistratus Sæcularis requisitus adjuvare noluerit, ad id compelli potest, Gl. *in fin. ibid.* & Host. *v. quod si aliquis.*

3. Resp. Tertiò: Clerici excommunicati, vel suspensi, vel indirecti divina officia celebrantis est depositio perpetua ab officio & beneficio, non quidem ipso jure inflicta, sed per sententiam Judicis inferenda. *c. Clerici. h. t.* & *ibi* Host. Anchoran. Barb. & alii. Et quamvis textus *hujus c.* loquatur de solis excommunicatis & interdictis, extendendum tamen etiam ad suspensos ab officio cum Gl. communiter recepta in *cit. c. Clerici moniti.* tradunt Pirh. *num.* 4. Reiffenst. *num.* 2. & alii, potéstque Episcopus iis hanc pœnam statim infligere absque ulla monitione prævia, ùt cum cit. Gl. Abb. *num.* 2. his non obstante, quòd in *cit. c. Clerici* dicatur: *Nisi moniti sine dilatione redierint;* cùm per hoc aliud non indicetur, quàm quòd Episcopus possit, si velit, prius monere reum, & si is statim se emendet, ei pœnam depositionis dispensativè remittere, adeóque non necessariò præmittenda monitio. Abb. *l. c.* Pirh. *h. t. num.* 5. Reiffenst. *num.* 3. Porrò circa hanc pœnam depositionis notandum, quòd, si plures essent in civitate aliqua Clerici propter eorundem censurarum violationem excommunicati, suspensi, interdicti Sacerdotes, qui quasi factâ conjuratione innodati illis censuris celebrassent divina, mitiùs agendum, parcendúmque multitudini propter scandalum aliamve causam, ita ut, licèt principales hujus delicti authores pœnâ ordinariâ, nempe depositionis, sint plectendi, & reliquis imponenda pœna mitior, ne, si omnes rei in perpetuum deponerentur, Ecclesia nimiam penuriam cum damno populi habeat, prout sumitur ex *cit. c. Clerici.* ubi licèt quòd multitudo extendatur ad 40. pauciores tamen arbitrio prudentis, v. g. 30. in tota diœcesi sufficiant, Host. *l. c.* Glosator, Abb. Alexander de Nevo. *in cit. c. Clerici. Lit. C.* Notandum item, quòd licet suspensus perpetuò ab officio sit etiam suspensus à beneficio, cùm, qui non potest facere officium, non debeat percipere beneficium. *c. pastoralis. de appell. in fin.* Gl. *in cit. c. Clerici. v. ab officio.* & Host *ibidem.* non tamen suspensus ab officio, semper sit suspensus à beneficio, nisi sit suspensio perpetua, & ob grave delictum; secus, si sit ad tempus, vel etiam simpliciter facta sine præfinitione temporis, aut ob leve delictum, Sanch. *L.* 3. *de matrim. d.* 41. *num.* 13. Barb. *l. c. num.* 3. Pirh. *h. t. num.* 7. *in fin.* qui proinde cum Alex. ait, tutius esse, ut in hoc puncto petatur declaratio Judicis.

4. Resp. Quartò: Insuper præsumentes celebrare divina officia in excommunicatione incurrunt privationem beneficiorum ipso facto à *Canone c. fraternitati. h. t.* ita ut Episcopus solam executionem juris facere debeat. Barb. *in cit. fraternitati,* post Tiraquell. *in L. si unquam. C. de revocand. donat. v. teneantur. num.* 167. eò quod talis Clericus ipso jure sit irregularis, de quo mox, adeóque inhabilis ad obeunda munera beneficii, meritò privetur beneficiis.

5. Resp. Quintò: Excommunicatus, suspensus, interdictus actum Ordinis exercens est irregularis ipso jure, ùt de suspenso constat ex *c. Apostolica, h. t. c.* 1. *§. fin. de sent. & re judic. in 6. c.* 1. *§. fin. de sent. excomm. in 6.* de interdicto. *c. is, cui. eod. in 6.* de excommunicatione. *can. si quis Episcopus.* 11. *q.* 3. *juncto c. penult. & ult. h. t.* Requiritur autem

autem ad hanc irregularitatem incurrendam primò: ut exerceat actum verum ac proprium Ordinis, qualis eſt celebratio miſſæ, collatio Ordinis, Confirmationis, adminiſtratio extremæ unctionis. Reiffenſt. *h.t. n. 6.* item benedictio ſolennis impertita ſponſis à Sacerdote. *c. 1. & c. vir autem. de ſecund. nuptiis.* Suar. *de cenſur. d. 11. ſ. 3. n. 18.* collatio baptiſmi cum ſolennitate, cantatio Evangelii cum ſtola, Epiſtolæ cum manipulo. Nav. *in man. c. 27. n. 244.* Sylv. *v. irregularitas. q. 13. dicto 1. & 4.* Item Abſolutio ſacramentalis, quæ fit à ſuſpenſo vel excommunicato etiam vitando; eò quòd, licèt utpote privati juriſdictione, invalidè abſolvant, exerceant tamen actum Ordinis, quantum eſt in ſe. Reiffenſt. *n. 7.* Idem eſt de rebaptizante, etſi baptiſmum nullum conferat; ùt idem citans *can. confirmandum. diſt. 50. can. Afros. diſt. 98. c. litterarum de Apoſtat.* Tales autem è contra ad incurrendam irregularitatem non ſunt actus ſolius juriſdictionis, v. g. diſpenſatio in votis, juramentis, abſolutio à cenſuris facta abſque ſtola, & aliis ceremoniis, prædicatio verbi DEI, aſſiſtentia matrimonii; quia non ſunt actus Ordinis, cantatio Evangelii ſine ſtola, Epiſtolæ ſine manipulo, collatio baptiſmi privata, quia illi actus etiam à non ordinatis exercentur. Nav. Sylv. *ll. cit.* Reiffenſt. *n. 6.* Secundò requiritur ad incurrendam irregularitatem, ut cenſuratus actum, per quem ea aliàs incurritur, exerceat temerè & culpabiliter, quia hæc irregularitas infligitur in pœnam culpæ ſeu peccati. Gonz. *in c. Apoſtolica. h.t. n. 15.* Pirh. *h.t. n. 40.* Arg. *c. ſi quis. 6. cauſ. 11. q. 3. c. 1. de ſent. excomm. in 6. c. latores. h.t.* Hinc illam irregularitatem non incurrunt, qui invincibiliter ignorant, ſe eſſe excommunicatos, ſuſpenſos, vel interdictos. *cit. c. Apoſtolica.* ſecus de iis, qui vincibilem, craſſam ſeu ſupinam illius ignorantiam habent. Arg. *ejuſdem. cap.* Gl. *ibid. v. probabilis.* Abb. *ibid. n. 3.* Item, qui extremâ neceſſitate urgente, v. g. in articulo mortis, ubi alius Sacerdos à cenſura immunis haberi nequit, abſolvant; cùm in eo caſu quilibet cenſuratus validè & licitè abſolvat, juxta Trid. *Seſſ. 14. c. 7.* Item qui in dictis cenſuris exiſtentes ad vitandum grave ſcandalum vel infamiam, exercent actum aliquem Ordinis, v. g. qui ob delictum occultum in excommunicatione exiſtens omitteret exercere actum, ex cujus omiſſione, crimen occultum illius manifeſtaretur; cùm leges humanæ cum tam gravi incommodo obligare non videantur. Pirh. *n. 42.* Reiffenſt. *num. 12.* Item contra quos ſententia cenſuræ lata evidenter eſt nulla. Pirh. *h. t. n. 44.* Reiffenſt. *num. 13.* juxta *Clem. 2. §. ut igitur.* ubi univerſaliter dicitur: non debet is pœnam canonicam ſuſtinere, in cujus damnationem non eſt canonicè prolata ſententia.

Quæſt. 402. *Utrum dubitans, num ſit excommunicatus nec ne, ſtante hoc dubio exercens actum Ordinis incurrat irregularitatem?*

RESP. Pro varietate dubiorum primò: qui ſcit ſe excommunicatum, tantúmque dubitat, num excommunicatio legitimè lata & valida, debet ſe habere pro excommunicato, & conſequenter ſub pœna irregularitatis ab omni exercitio Ordinis abſtinere, eſt communis & certa. Arg. *c. illud. h. t. & c. per tuas, de ſent. excom.* nec juvat, ſi contra jam latam ſententiam appellet; bene tamen, ſi antè contra minas excommunicationis, vel eam ferendam appellet. Arg. *cit. c. per tuas. & c. præterea de appell.* Secundò: ſi dubitet de facto, ſe excommunicatum, ſeu latam contra ſe excommunicationem eſſe, eò, quòd id habeat ex rumore, de quo dubitat, num ſit verus, vel etiam dum dubitat, num actum, cui certò annexa eſt excommunicatio, v. g. homicidium commiſerit, in utroque hoc caſu ſtantibus his dubiis exercens actum Ordinis incurrit irregularitatem. Fagn. *in c. ne innitaris. de Conſtit. n. 171.* Barb. *in cit. c. illud. n. 7.* Garc. *de benef. p. 7. c. 2. num. 18.* quos citat & ſequitur Reiffenſt. *h.t. n. 16.* & quidem quò ad caſum primum. Arg. *c. illud.* quò ad ſecundum *c. ad audientiam. & c. ſignificaſti. de homicidio.* Ratio utriuſque in citatis juribus contenta, pro utroque eſt eadem, nimirum quòd in dubio pars tutior ſit eligenda, dum agitur de periculis animæ, ad quod dum Sanch. *in decal. L. 1. c. 10. n. 11. & 64.* reſpondet, id ipſum eſſe de conſilio, non autem de præcepto, non videtur ſatisfacere; tum quòd ſacri Canones non adhibeant verba ſignificantia ſimplex conſilium, ſed verum præceptum importantia, v. g. dum dicunt: in dubiis debemus eligere tutiorem; in dubiis debet Sacerdos abſtinere à ſacerdotali officio, ſiquæ teſte Fagn. *l. c. n. 171.* apud ſacros Canones quaſi certum Axioma, quod in materia morali, ubi agitur de ſalute & periculo animæ, teneamur ſequi tutiorem, unde etiam *à n. 191.* ait, hanc regulam: in dubio eſt melior conditio poſſidentis, ſolùm procedere in foro judiciali externo, non etiam in morali, dum agitur de periculo animæ, vel etiam, ſi in hac materia procedit, Deum & legem eſſe in poſſeſſione, dum lex divina univerſaliter vult, ut in negotio animæ fugiamus peccatum; tum quòd *cit. c. illud Epiſcopus.* ex eo, quia in ſimili dubio tutiorem partem non eligit, abſtinendo à divinis, de rigore juris deponi debuiſſet, cùm ob transgreſſionem ſolius conſilii deponi non potuiſſet; juxta *can. quisquis. 14. q. 1.*

Quæſt. 403. *An irregularitatem incurrat excommunicatus non vitandus, vel in excommunicatione minore exiſtens, aut etiam exercens actum Ordinis minoris?*

1. RESP. Ad primum affirmativè: Quia jura indiſtinctè loquuntur, adeóque indiſtinctè intelligenda. *c. quia circa. de privilegiis.* His non obſtante Bulla Martini V. *ad abolendam.* utpote per quam ſolis fidelibus non excommunicatis, minimè verò ipſis excommunicatis favorem concedere voluit.

2. Reſp. Ad ſecundum: Exiſtens in excommunicatione minore non incurrit irregularitatem exercendo actum Ordinis alicujus juxta textum clarum *c. fin. h. t.*

3. Reſp. Ad tertium: Cenſuratus exercens actum Ordinis minoris, v. g. acolytatûs cum ſolennitate, & quaſi ex officio incurrit irregularitatem. Abb. *in c. 2. h.t. n. 2.* Jo-And. *ibid. n. 2.* Hoſt. *§. ſed quiſquis.* Barb. *n. 3.* Fagn. *num. 7.* Arg. *cit. c. 2.* ubi generaliter & ſine diſtinctione inter majorem & minorem Ordinem fit hæc diſpoſitio. Verùm limitat hoc ipſum Pirh. *h.t. n. 46.* dum ait: hanc irregularitatem non incurrunt etiam irretiti excommunicatione majore, niſi faciant actum Ordinis, à cujus exercitio per cenſuram ſunt prohibiti ſeu ſuſpenſi. Arg. *c. ſi quis Epiſcopus. 11. q. 3. c. 1. de ſent. & re judic. c. is, cui. de ſent. excom. in 6.* ſi tamen hujuſmodi actum exerceant Clerici ſine ſolennitate,

lennitate, modo, quo eum juxta consuetudinem receptam de facto passim faciunt Laici, irregularitatem non incurrunt. Nav. *in man. c. 27. n. 242.* Sylv. *v. irregularitas. q. 27.* Covar. *in c. Alma mater. p. 1. §. 6. n. 9.* quin & existentes in excommunicatione minore, celebrando seu exercendo præcisè actum Ordinis, non peccare, sed solùm propter susceptionem passivam Sacramenti, quod celebrando suscipit, tradit Pirh. *l. c.* cujus contrarium est in excommunicato excommunicatione majore, quia talis est suspensus ab exercitio seu collatione activa omnium Ordinum, & non tantum à participatione passiva, seu participatione Ordinum & aliorum Sacramentorum. Abb. *in c. ult. h. t. n. 2.* Barb. *n. 4.* Suar. *d. 24. de cens. s. 2. n. 3.* Pirh. *l. c.* Etsi autem ligatus excommunicatione minore peccet, & quidem graviter, celebrando, aliáve Sacramenta suscipiendo, ùt Suar. *n. 2.* nulla tamen pœna certa ipso jure est imposita propter hanc culpam, sed arbitrio Judicis vel Superioris est puniendus. Gl. *in cit. c. ult. v. peccat.* Suar. *cit. num. 3.* Pirh. *l. c.* De cætero excommunicatione minore ligatus exercere non prohibetur ea, quæ ei ratione jurisdictionis, tam civilis quàm ecclesiasticæ competunt, v. g. eligere ad beneficia ecclesiastica, obire officium Judicis; quia jurisdictio non pertinet ad participationem passivam Sacramentorum, quâ sola privat excommunicatio major. *c. ult. de excep.* Abb. *in c. ult. h. t. not. 2.* adeóque alia omnia ei licita sunt, quia non prohibita. Suar. *l. c. num. 4.* licèt quoque eligi possit validè electione non irritanda ad dignitates & officia temporalia, ùt Suar. *l. c. num. 14.* ad beneficia tamen & dignitates ecclesiasticas eligi non potest, eò quòd eorum perceptione sit privatus; cùm beneficium ecclesiasticum ordinetur ad Ordines suscipiendos, à quorum tamen receptione existens in excommunicatione minore est repellendus. Laym. *Theol. mor. tr. 5. p. 2. c. 3. n. 5.* Sicut autem eligi ad beneficia, ita etiam ad ea præsentari nequit, neque ea illi conferri possunt. Laym. Pirh. *ll. cit.* Verùm de his, qualiter peccet excommunicatus excommunicatione minore conferendo beneficia, vel administrando Sacramenta, vide apud Pirh. *à num. 52.* & dicenda à nobis inferiùs.

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato ministrante.

Quæst. 404. *Quas pœnas incurrat exercens actum Ordinis, quem non habet?*

1. RESP. Clericus, v. g. Sacerdos simplex exercens actum episcopalem, conferendo Sacramentum Confirmationis vel Ordinis; Diaconus tantùm, celebrando missam solenniter, baptizando, nuptias benedicendo, quæ non competunt nisi Sacerdoti; Subdiaconus solenniter cantando Evangelium, quod non competit nisi Diacono: Primò incurrit irregularitatem, vi cujus ad superiores Ordines promoveri nequit, v. g. Diaconus ad Sacerdotium, Subdiaconus ad Diaconatum, juxta clarum textum *c. 1. h. t.* ubi: non ordinetur, id est, non promoveatur ad Ordinem, quem nondum habet, nisi cum eo dispensetur; & *c. 2. h. t.* in perpetuum; non tamen fit irregularis respectu aliorum Ordinum, quos priùs habuit, v. g. Diaconus celebrans respectu Diaconatûs & Subdiaconatûs, fit tamen suspensus ab Ordine proximè suscepto, v. g. ab usu Diaconatûs, & quidem ad biennium tantùm vel triennium pro arbitrio Episcopi, ita tamen, ut ulteriùs non duret, etiam Episcopo volente, *c. fin. h. t.* & hac suspensione nondum sublatâ temerè ministrans in suo Ordine, tanquam propriæ censuræ violator contrahit irregularitatem obsistentem omnium jam susceptorum Ordinum exercitio. Suar. *de censur. d. 42. s. 4. n. 4.* Coninck. *d. 18. du. 6. concl. 1.* Gonz. *in cit. c. fin. n. 1.* Pirh. & Wiestn. *h. t. n. 3.*

2. Requiruntur autem ad hanc irregularitatem incurrendam ab exercente actum Ordinis sibi non competentis sequentia. Primò: ùt probabiliter tenent Laym. *L. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 3.* & plures apud illum; item Pirh. *h. t. n. 4.* contrarium tenentibus, seu Laicum exercentem alicujus Ordinis actum non incurrere dictam irregularitatem. Navarro *man. 27. c. 242. in fine.* Suar. *de cens. d. 42. s. 4. n. 10.* Avila *de cens. p. 7. d. 9. du. 13. in fine.* ex ea ratione, quòd *c. 1. h. t.* loquatur generaliter & absolutè de quocunque ministrante in Ordine, quem non habet, qualis est Laicus in aliquo Ordine ministrans, quódque graviùs delinquat, qui nullo Ordine insignitus, Ordinis actum exercet, quàm qui habens Ordinem exercet actum Ordinis, quem non habet, adeóque debeat hæc pœna potiùs statui Laico quàm Clerico, quod fere aliud non habent primæ sententiæ AA. quàm quòd argumentum sumptum à paritate, vel etiam majoritatis locum non habeat in materia irregularitatis, sítque generalis regula juris: quòd, ubi irregularitas in jure non expressè manifesta, ea non incurratur, ùt habet communissima DD. Arg. *c. is, cui. de sent. excom. in 6.* Item quòd frequentiùs contingat, ut Ordinatus ministret in Ordine aliquo, quo caret, quàm Laicus nullum habens Ordinem, actum alicujus Ordinis exerceat, ùt Laym. & Pirh. *ll. cit.* Posse nihilominus Laicum fingentem se ordinatum in hoc casu puniri pœnâ falsi non minùs, quàm Clericum fingentem se habere Ordinem, cujus actum exercet, docent cum Gl. *in c. 1. h. t. v. propter temeritatem.* Diaz. *in pract. crim. can. c. 12.* Pirh. *cit. n. 4.* quin & ab Inquisitoribus ordinariis Laicum celebrantem missam, vel absolutionem sacramentalem impertiri attentantem, tanquam idololatriæ reum omni misericordiâ indignum judicari posse, & debere curiæ sæculari tradi debitis pœnis afficiendum, prout statuit tam de Clericis, quàm Laicis Clem. VIII. in *Constit. sua, etsi aliàs. in Bullario 8.* quam Constitutionem denuo confirmavit Urbanus VIII. suâ *Constitution. Apostolatûs officium inter ejus Constitutiones 79.* asserit Reiffenst. *h. t. num. 13.*

3. Requiritur secundò: ut Clericus hujusmodi actum Ordinis exerceat seriò, saltem quò ad externam actionem, & non jocosè, seu per modum ludicræ & scenicæ actionis, eò, quòd aliàs actum talis Ordinis non tam exercere, quàm repræsentare censeatur, adeóque non evadat irregularis. Sylv. *v. irregularitas. q. 12. limit. 2.* Nav. *l. c.* Suar. *cit. s. 4.* Bonacina *de irregular. d. 7. q. 3. p. 6. n. 1.* Pirh.

Pirh. *h. t. n.* 7. qui tamen cum Suar. id ipsum limitat, dum ait, ad propositum, sufficienter ad vitandam irregularitatem seriò agere illum, qui externam actionem Ordinis seriò producit eo modo ac fine, ut homines decipiat, vel persuadeat, se ex vero ac sincero animo, & internè etiam talem actum Ordinis exercere, etsi revera talem intentionem non habeat.

4. Requiritur tertiò: ut scienter ac temerè illum actum exerceat; unde qui ex ignorantia invincibili putat, se habere Ordinem, cujus actum exercet, non incurrit irregularitatem, quia hæc imponitur tanquam pœna peccati temeritatis; hoc autem abest propter invincibilem ignorantiam; ita Suar. *cit. num.* 16. Avila *de cens. l. c.* Reiffenst. *num.* 8.

5. Requiritur quartò: ut exerceat actum proprium Ordinis sacri, vel actum Ordinis minoris, cum solennitate tamen, & quasi ex officio; secus, si illum faciat sine solennitate, uti illum ex consuetudine facere solent Laici. Nav. *cit. n.* 242. *dicto* 2. Suar. *l. c. n.* 15. Pirh. *h. t. n.* 7. *junctο n.* 9.

6. Requiritur quintò: ut ministrans in Ordine, quem non habet, sit capax irregularitatis, qualis quia non est fœmina, ea exercens actum Ordinis non sit irregularis. Idem dicendum de non baptizato ministrante in Ordine; cùm & hic sit incapax irregularitatis, saltem illius, quæ est lata propter delictum, quia baptizatus non est extra forum Ecclesiæ, ideóque non ligatur legibus illius. Suar. *cit. s.* 4. *n.* 20. Pirh. *h. t. n.* 8. De cætero, quod hic notandum, quòd nullus exercens jurisdictionem, quam non habet, incurrat irregularitatem, v. g. Sacerdos ministrans Sacramentum pœnitentiæ non-subdito.

7. Secundò: Clericus incurrit suspensionem ab Ordine proximè suscepto infligendam ad biennium vel triennium. *c.* 2. *h. t.* non tamen ab Ordinibus antecedenter susceptis Suar. *cit. s.* 4. *n.* 4. Pirh. *h. t. n.* 3. qua illorum Ordinum nullibi fit mentio; dispositio autem pœnalis, qualis est de incurrenda irregularitate, restringenda potiùs quàm extendenda. Arg. *c. odia. de reg. jur. in* 6.

8. Tertiò: incurrit pœnam excommunicationis. *c.* 1. *h. t.* ubi dum dicitur: propter temeritatem abjiciatur ab Ecclesia: per *rò abjiciatur* intelligitur, excommunicationem non ipso facto incurri, sed infligi debere. Suar. *l. c. n.* 2. Reiffenst. *h. t. num.* 5.

9. Quartò: est pœna degradationis, & traditio Curiæ sæculari, de quo vide dicta hac quæst. *n.* 2.

Quæst. 405. *Quisnam dispensare possit in irregularitate contracta per ministrationem in Ordine, quem non habebat?*

RESp. Dispensare olim poterat in ea, & concedere potestatem ascendendi ad Ordines superiores suscipiendos, & in proximè suscepto ministrandi, uti & ad beneficium retinendum solus Pontifex. *c.* 1. §. *fin. de sent. & re judic. c.* 1. §. *fin. de sent. excomm. in* 6. novissimo autem jure Concil. Trid. *Sess.* 24. *c.* 6. *de Reformat.* sicut in aliis extra homicidium, sic etiam in hac irregularitate ex delicto occulto contracta dispensare quò ad hæc potest Episcopus. Ugolin. *de offic. Episc. c.* 57. §. 3. *n.* 1. Bonac. *de cens. d.* 7. *q.* 3. *p.* 6. *n.* 10. Barb. *ad Trid. cit. c.* 6. *n.* 13. Pirh. *num.* 10. Secus, si delictum sit publicum, aut deductum ad forum contentiosum. Reiffenst. *n.* 16. cum communi.

TITULUS XXIX.

De Clerico per saltum promoto.

Quæst. 406. *Quid sit ordinari per saltum, & num Ordo per saltum collatus sit validus?*

RESp. Est prætermisso uno, vel pluribus Ordinibus inferioribus ascendere ad Ordinem majorem, à Subdiaconatu ad Presbyterium, quod licèt graviter prohibitum, & condignâ pœnâ plectendum, est tamen talis Ordo omisso intermedio collatus validè, idque, etiamsi quis nullum habens Ordinem, immediatè promoveatur ad Sacerdotium; ùt Gl. communiter recepta, *in c. sollicitudo. dist.* 52. *v. Subdiaconatus.* Arg. *c. unic. h. t.* dum ibi ei, qui prærermisso Diaconatu susceperat Sacerdotium, non præcipitur repetere Sacerdotium, sed suscipere Ordinem, qui prætermissus est. Idem dicendum de Ordine suscepto absque prima tonsura, etiam dato, eam non esse Ordinem, de quo paulò pòst ampliùs. Contrarium tamen dicendum de Episcopatûs Ordine, nimirum hunc susceptum non præmisso Sacerdotio, utpote qui illud essentialiter prærequirit.

Quæst. 407. *Quibus pœnis subjectus, qui omissis inferioribus suscipit superiorem Ordinem?*

RESp. Sive scienter sive ignoranter id faciens ipso jure & facto suspensus est ab Ordine, quem per saltum suscepit, manètque tam diu suspensus, donec Ordinem inferiorem omissum receperit. Abb. *in c. unic. h. t.* Barb. *ibid. n.* 3. Fagn. *n.* 22. Nav. *man. c.* 22. *n.* 242. Sylv. *v. irregularitas. q.* 11. *n.* 13. Avil. *l. c. s.* 1. *du.* 2. *concl.* 1. *& 2.* Suar. *l. c. d.* 31. *s.* 1. *n.* 45. *& seq.* Pirh. *h. t. n.* 2. juxta *c. unic. h. t.* probabiliùs tamen non est suspensus ab Ordinibus aliis rite & gradatim susceptis, ùt Suar. *l. c. n.* 48. Reiffenst. *h. t. n.* 4. Arg. *c. unic. h. t.* ubi dicitur: promotus per saltum ad Sacerdotium pro usu & exercitio hujus solius dispensatione opus habere. Sic quoque ipso facto suspensus ab Ordinum exercitio, qui eos sine prævia prima tonsura suscepit. Barb. *de off. & potest. Episc. alleg.* 47. *n.* 7. Sperel. *decis.* 114. Pirh. *h. t. n.* 7. juxta quod declaratum à S. Congregatione, quam declarationem refert Gallemart. *ad Trid. sess.* 23. *c.* 14. *de reform.* Rationem addit Reiffenst. *h. t. n.* 6. nimirum, quod, licèt dato primam tonsuram non esse Ordinem, sit tamen primus gradus ad Ordines, eorúmque fundamentum, & instar Ordinum in consuetis Ecclesiæ ordinationibus conferatur, unde etiam à sacris Canonibus vocatur Ordo. *c. cùm contingat. de ætate & qualit. præficiend.* non tamen est suspensus, qui absque Sacramento Confirmationis primam tonsuram vel Ordines suscipit. Avila *de cens. p.* 7. *d.* 9. *s.* 1. *du.* 3. Zoes. *h. t. n.* 5. Pirh. *num.* 10. cum communi, eò,

quòd licèt Trid. *l.c.* præcipiat, ne quis primâ tonsurâ initietur, & consequenter, ne ordinetur, qui Sacramentum confirmationis non suscepit, indéque, qui id fecerit, illicitè agat; non tamen à Trid. aut à Jure communi ullibi ei imponatur suspensio vel irregularitas, & consequenter arg. *c. is, qui. de sent. excom. in 6.* imò non esse peccatum mortale, si quis sine Confirmationis Sacramento suscipiat Ordines etiam Sacros, aut in iis ministret, probabiliùs cum Avila. *l. c. s. 1. du. 3.* docet Pirh. *num.* 10. & plerique recentiores.

Quæst. 408. *An & qualiter per saltum ordinatus incurrat irregularitatem?*

Resp. Incurrit illam, si temerè ante absolutionem à suspensione exerceat actum Ordinis per saltum suscepti, quia violat censuram, nempe suspensionem, non tamen incurrit eam suscipiendo solummodò ordinem per saltum, si ab exercitio talis ordinis abstinet, utpote quæ nullibi in jure expressa. Suar. Fagn. *ll. cit.* Sylv. *l.c. num.* 12. Barb. & alii contra Gonz. *in c. unic. h. t. num. 6.* Sed neque fit irregularis ministrando in Ordinibus, quos legitimè perceperat; quia ab iis non erat suspensus. Barb. *l. c. allegat.* 47. *num.* 10. Avila. *l. c. du. 2. concl. 2. in fin.* Pirh. *h. t. n. 5.*

Quæst. 409. *Quis possit dispensare in pœnis ob ordines per saltum susceptos contractis?*

Resp. Primò: Potest Episcopns dispensare in suspensione seu absolvere ab ea, ita ut in ordine per saltum suscepto ministrare possit, & ordinem omissum recipere, si in eo ordine non ministraverit. *c. unic. h. t.* Trid. *l. c.* idque, sive scienter sive ignoranter fuerit ita promotus; quia Concilium non distinguit, utrùm scienter ex ambitione & malitia, an ex negligentia & ignorantia sic fuerit ordinatus, sed indistinctè & simpliciter dicit, posse Episcopum dispensare, si non ministraverit. Pirh. *h. t. num. 6.* modò tamen priùs ordinem omissum receperit. Quia, ut quis ascendat ad Superiores Ordines, aut in iis ministret, antequam receperit ordines intermedios suppositâ institutione, ut ordines gradatim recipiantur, per se malum est, & repugnans juri divino, ita ut in eo etiam Summus Pontifex dispensare non posse videatur, ùt Pirh. *num. 5. vers. not and. tertiò.* Unde jam in eo dispensare non poterit Episcopus, si in Ordine per saltum suscepto citra dispensationem ministraverit, sive scienter & dolosè, sive ex ignorantia sic ordinatus fuit; quia nec in hoc Concilium distinxit. Suar. *cit. num. 4. in fine.* Barb. *l. c. n. 6.* Lopez. *in pract. can.* apud Diaz. *c. 24. in addit. Lit. D.* Pirh. *num. 6.* apud quem tamen negat Fagn. *in c. unic. h. t. num. 24. & 25.* posse Episcopum cum illis dispensare, qui non ministrarunt, si scienter fuerint per saltum ordinati. Sed neque Episcopus potest dispensare cum eo, qui per saltum promotus, recepit sine dispensatione ordinem prætermissum, ut ministret in Ordinibus susceptis, & ad Superiores ascendat; cùm, etsi vi Trid. *l. c.* prohibeatur solùm Episcopis dispensare cum promotis per saltum, si in ordine sic suscepto ministraverint, adeóque cessante hac conditione, cùm suscipere ordinem prætermissum non sit ministrare in ordine; verùm tamen si ordinatus per saltum recipiat sine dispensatione ordinem omissum, incurrit novum genus suspensionis, quia suscipit illum ordinem censurâ ligatus, cum excommunicato autem aliave censurâ irretito, qui scienter ordines recepit, solus Papa dispensare potest. Pirh. *num.* 5. cum Barb. *l. c. num.* 11. Porrò etsi Episcopus dispensare non possit in suspensione aut irregularitate contracta ex usu taliter suscepti ordinis, si delictum sit publicum, dispensare tamen poterit in ea vi Trid. *Sess.* 24. *c.* 6. si delictum sit occultum. Avil. *l. c. concl.* 2. Pirh. *num.* 5. Reiffenst. *h. t. num.* 10.

TITULUS XXX.

De eo, qui furtivè Ordinem suscepit.

Quæst. 410. *Quis dicatur furtivè recipere Ordines?*

Resp. Sunt ii, qui vel in examine rejecti, vel sine examine simúlque sine consensu & licentia Ordinarii, hoc est, proprii Episcopi ordinatoris dolosè cæteris ordinandis se ingerunt. Item, qui admissi unâ eádemque die ordines minores cum aliquo Sacro Ordine aut duos Sacros Ordines simul contra Superioris inhibitionem vel citra ejus licentiam recipiunt. Sumitur ex *can. quando. dist.* 24. *c. extra. dist.* 64. *c.* 2. & 3. *h. t.* Abb. *in rub. h. t.* Gl. *in c.* 1. *h. t. v furtivè:* Host. *in sum. h. t. num.* 1.

Quæst. 411. *Utrum recipiens ordinem furtivè ordinetur licitè & validè?*

Resp. Etsi talis graviter peccet, utpote contra præceptum Ecclesiæ grave & in gravi materia, valet tamen ordo sic susceptus, ùt habet communis. Arg. *c.* 1. *h. t.* ubi sic ordinatus non jubetur reordinari, & sublatâ censurâ permittitur in illo ordine ministrare, nisi tamen ordinans haberet seriam intentionem non ordinandi dicto modo furtivè se ingerentes. *cit. c.* 1. Rebuff. *in pr. benef. tit. de Cler. malè promot.* Gl. 4. *n.* 19. Pirh. *h. t. n.* 5. Juxta unanimem & certam AA. ad valorem Sacramenti requirentium intentionem conferentes illud. Unde & præmitti solent collationi Ordinum ab Episcopis eorúmve Officialibus hæc aut similia verba: *Non intendimus ordinare non examinatos aut approbatos.* Talem autem intentionem & protestationem tales non ordinandi præmittere non esse consultum, monet de Lugo *de Sacram. d. 8. num.* 119. tum quia est difforme ritibus & praxi universalis Ecclesiæ; tum quia secum trahit gravissima incommoda & pericula, quæ ex dubia & irrita ordinatione oriuntur. Quamvis consultum sit & juri conforme, ut sub excommunicatione prohibear, ne se ingerant non approbati, vel ne aliqui plures ordines eâdem die recipiant. Arg. *c.* 1. 2. 3. *h. t.* Quod verò docent Bonac. *d. Sacram. d. 2. q. 2. c. 4. num.* 6. Laym. *L. 5. tr.* 1. *c.* 4. *num.* 6. Henriq. *L. 2. c. 8. num.* 5. Validè tales furtivè se ingerentes ordinari, non obstante præmissâ protestatione & intentione illos non ordinandi, si Episcopus postmodum nihilominus habeat intentionem ordinandi omnes præsentes, vel faciat intentionem universalem faciendi circa præsentes sistendi se pro Ordinibus suscipiendis, quod facit Ecclesia, verum quidem videtur, si revera haberet illam intentionem

nem, etsi fortè minùs conformiter praxi universalis Ecclesiæ, quia intentio illa posterior prævalet priori, eamque virtualiter revocat, & sic validè ordinari furtivè se ingerentes per priorem aliàs intentionem ab Ordinibus suscipiendis remotos, absolutè tamen eos validè ordinari, ùt vult Laym. eò quòd Episcopus censeatur semper habere actualem & practicam intentionem ordinandi hominem præsentem ad ordines recipiendos, non videtur dicendum Episcopum, sicut habere potuit, ita habuisse seriam intentionem non ordinandi furtivè se ingerentes, vel ex eo constat, quòd verbis manifestarit, eamque in dubio retractasse per contrariam nullo modo manifestatam non præsumatur. Arg. *L. generaliter. C. de non numer. pecunia,* ubi: *Nimis indignum videtur, quod suâ* quisque voce dilucidè protestatus est, id in eundem casum infirmare, propriòque testimonio resistere. Ad hæc in dubio, quando agitur de valore Sacramenti, pars tutior (qualis est tales non censeri ordinatos) est eligenda.

Quæst. 412. *Quas pœnas incurrat furtivè ordinatus?*

RESP. Est ipso jure suspensus ab Ordinibus ita susceptis. Abb. *in c.* 1. *h. t. not.* 1. Pirh. *h. t. num.* 3. cum communi. Arg. *c.* 1. 2. 3. *h. t.* & si Episcopus priùs id prohibuit sub excommunicatione, furtivè se ingerens, nec in furtivè, nec in aliis rite susceptis Ordinibus ministrare valet, hoc ipso, quòd sit excommunicatus, & consequenter, si id fecerit, incurrit irregularitatem, ob quam sine dispensatione promoveri nequit, ad Ordines Superiores. *c.* 1. *h. t.* Barb. *ibid. num.* 5. Abb. *in c.* 2. *h. t. num.* 2. Laym. *l. c. p.* 5. *c.* 3. *num.* 1. Bonac. & alii contra Nav. apud Reiffenst. *num.* 10. qui tamen examinatus & approbatus ad Ordines minores, vel etiam ad majores, duos unâ die suscipit solam suspensionem & non irregularitatem incurrit (intellige si non ministret in simul susceptis) Suar. *l. c. S.* 3. *num.* 5. Castrop. *de cens. d.* 6. *p.* 17. *num.* 1. Reiffenst. *h. t. num.* 11. cum Gl. *in c.* 1. *h. t.* eò quòd contra tali modo suscipientes Ordines non nisi suspensio statuatur in jure.

Quæst. 413. *Quis dispensare possit in pœnis contractis ob Ordinem furtivè susceptum?*

RESP. Si illum suscepit non præcedente prohibitione sub excommunicatione, potest à pœna nihilominus incursa dispensare Episcopus, vel etiam Superior Regularis, si talis post ordinem ita susceptum Religionem ingrediatur, & ibi laudabiliter aliquamdiu vixerit. Reiffenst. *h. t. num.* 12. juxta expressum textum *c.* 1. *&* 2. *h. t.* Secus est, seu solus Papa dispeusare poterit, si contra expressam prohibitionem Episcopi ordinem furtivè suscepit, nisi, ingressus fuerit religionem, in quo casu cum eo dispensare poterit Episcopus, ut in Ordinibus furtivè susceptis ministrare & ad Superiores ascendere possit, *c.* 1. 2. 3. *h. t.* utì etiam eo manente in Sæculo dispensare potest Episcopus, vi Trid. *sess.* 24. *c.* 6. si delictum sit occultum.

TITULUS XXXI.

De Excessibus Prælatorum & Subditorum.

Quæst. 414. *In quibus soleant Prælati ecclesiastici excedere in subditos Clericos?*

1. RESP. Loquendo de excessibus Prælatorum, qui hoc titulo specialiter examinantur, sunt hi plures, & primò quidem, dum in subjectos sibi excessum committunt, indebitis oneribus, taliis seu exactionibus eos gravando; his enim nequeunt eos gravare, nisi jure vel consuetudine iis competat. *c. quæ cognovimus.* 10. *q.* 3. *c. cum Apostolus.* §. *prohibemus. de censib.* ac præsertim si exactam pecuniam impositúmve aliud gravamen non præstent, interdicendo iis divinum officium, vel censuras infligendo, aut aliàs viliter & inhonestè illos tractando, ita ut Laicis reddantur despicabiles. *c.* 1. *h. t.*

2. Secundò: si censuris propter alias causas indebitè & injustè inflictis eos vexent, *cit. c.* 1. circa quod notandum hìc obiter, de quo alibi ex professo: Episcopum non posse excommunicare vel suspendere Clericos, vel eorum ecclesias interdicere sine judicio, id est, consensu Capitnli sui. Pirh. *h. t. n.* 2. *not. Secundò*: cum Gl. *in cit. c.* 1. *v. Capituli.* juxta quòd expresè dicitur de interdicto *c.* 2. *de his quæ fiunt à major. part. capit.* Siquidem, dum agitur de gravi & severa pœna injungenda, inque arduis negotiis per Episcopum requiritur consensus Capituli, quamvis in levioribus non nisì consilium, quod tamen non tenetur sequi. Salzedo *in pract. crim. can. c.* 3. §. *competit quidem.* Rodriq. *Tom.* 2. *qq. regul. q.* 22. *a.* 7. Pirh. *l. c.* ubi tamen addit, de consuetud. *n.* 6. hodiedum valere consuetudinem legitimè præscriptam, ut Episcopus in inquirendis & puniendis criminibus subditorum non teneatur requirere consensum sui Capituli. *c. non est de consuetud. in* 6.

3. Tertiò: Episcopi excedunt, ecclesiam alteri Prælato inferiori subjectam sine legitima causa ab ejus subjectione & obsequio liberando. *c.* 2. *h. t.* sic nequit Archidiaconorum (idem est de aliis Prælatis Episcopo inferioribus) jura, immunitates, jurisdictionem, obsequia subjectionémque præstanda, privilegio, consuetudine, præscriptione acquisita eripere aut diminuere. Gl. *in c.* 2. *h. t. v. diminuit.* ubi etiam, quòd Episcopus nequeat alicui concedere privilegium in judicium alterius. Arg. *can. conquestus.* 9. *q.* 3. Unde etiam, si Episcopi aliíque similes Prælati exigant aut præcipiant aliquid repugnans privilegio subditi, is non tenetur. *c.* 5. *h. t.* ubi & hoc ipsum ei denegare potest propriâ authoritate, juxta *cit. c. cognovimus.* nisì Episcopus aut Superior sit in possessione illius, quod à subdito privilegiato petit; tunc enim non nisì authoritate delegata *cit. c.* id negare potest, Arg. *c. cùm inferior. de major. & obed.* Pirh. *h. t. num.* 10. cum Abb. *in cit. c.* 5. *h. t. in fine.* Quin imò sententia excommunicationis lata ab Episcopo contra subditum, eò quòd non paruerit sibi in iis, quæ contra privilegium ei à Superiore seu Papa concessum non tenet. *c. cum ad quorundam. h. t.* cùm quoad hoc exempti sint subditi à jurisdictione Episcoporum.

4. Quartò: Excedunt, si beneficia & ecclesias indignis

indignis conferunt. *c. inter dilectos. h. t.* de quo in foro benef. utì & ſi Eccleſias & beneficia, in quibus inſtitutionem & collationem habent, ſe ipſos inſtituant, aut ſibi conferant. *c. 3. h. t.* cùm inter dantem & accipientem debeat eſſe diſtinctio perſonalis. *c. fin. de inſtit.* nemo ſibi ipſi in facto proprio præſtare authoritatem. §. *fin. Inſt. de author. tutor.* Item excedunt retinendo ſibi reditus Eccleſiæ, ſeu beneficii, cùm debeant Eccleſiæ vel beneficio providere de Rectore, etiamſi ſit manuale. Abb. *in c. 3. h. t. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 6.*

5. Quintò: Exceſſum gravem committunt Epiſcopi, qui directè vel indirectè cauſam præbent homicidio, fiúntque hoc ipſo irregulares, ita, ut privari debeant officio Pontificali, & ab Epiſcopatûs adminiſtratione amoveri, prout ſumitur ex *c. 10. h. t.* Hinc Epiſcopus in locis, in quibus juriſdictionem temporalem habet, debet conſtituere Judicem Laicum, qui in cauſis criminalibus jus dicat. Arg. *cit. c. 10. h. t.* Azor. *p. 2. L. 3. c. 32. q. 9.* Pirh. *h. t. n. 14.* Et ſi ipſe corporaliter interſit executioni pœnæ temporalis, per quam reus occiditur, vel membro mutilatur, irregularitatem incurrit, quia cenſetur authoritatem, & ſuo modo opem præſtare homicidio, vel mutilationi, juxta *c. 8. diſt. 50.* & Gl. *in cit. c. ex litteris. v. corporalem.* Secus ac eſt in Epiſcopo, alióve Clerico juriſdictionem temporalem non habentibus in tali loco, ubi pœnæ corporales reis etiam ſanguinis infliguntur, hi enim, ſi ibi purè ſpectatores, & nullatenus cooperatores aſſiſtant, etſi peccent contra *c. ne Clerici vel Monach.* irregularitatem non incurrunt. Abb. *in c. ex litteris. n. 2. not. 1.*

Quæſt. 415. Quinam ſint exceſſus ſpeciales & delicta Prælatorum Epiſcopo inferiorum.

1. REſp. Sunt ferè ſequentes, primus: ſi Sacerdotes ſibi ſubjectos cogant ad revelandum peccatorem, vel peccatum auditum in Confeſſione ſacramentali. *c. 13. h. t.* Abb. *ibid. n. 1.* Siquidem ſigillum hoc Secreti eſt de jure divino; unde nec per S. Pontificem Sacerdos ad confeſſum ſibi peccatum revelandum compelli poteſt; Sacerdos etiam, qui confeſſionem peccati excepit, productus in judicio in teſtem, non tantum poteſt dicere, ſe nihil deſuper ſcire, ſed etiam jurare, ſe nihil ſcire de eo, de quo interrogatur. Abb. *in cit. c. 13. n. 5.* Barb. *n. 2.* Pirh. *h. t. num. 17. not. 1.* De cætero Judex poteſt aliquem, cui conſtat extra confeſſionem de furto & fure, compellere ad revelandum hunc & illud, quin & Judex eccleſiaſticus ferre poteſt ſententiam cenſuræ contra non revelantes. Pirh. *cit. n. 17.* Arg. *cit. c. ex litteris.*

2. Secundus: ſi Prælati tales inferiores Epiſcopo ſine illius conſenſu attentent Eccleſias ſibi ſubjectas unire. *c. 8. h. t.* ubi habetur, ſolum Papam poſſe unire Epiſcopatus, ſeu Eccleſias Cathedrales, ſicut autem Papa id poteſt privativè ad Epiſcopos, ita etiam de jure communi & ſecluſo ſpeciali privilegio ſoli Epiſcopi poſſunt privativè ad inferiores Prælatos unire Eccleſias ſuarum diœceſium, licèt cum aliquali quò ad hoc diſcrimine inter Papam & Epiſcopum, quòd Papa unire poſſit Eccleſias etiam ſine cauſa, & ſine conſenſu & conſilio alicujus. Arg. *can. ult. 9. q. 3.* Abb. *in cit. c. 8. n. 2.* Jo. And. *n. 1.* ad faciendam verò unionem, validè ab Epiſcopo requiratur juſta cauſa. *c. 1. de his, quæ à Prælatis.* & conſenſus Capituli. Arg. *c. paſtoralis de donat.* & *Clem. 2. de reb. eccl. non alien.* Sic itaque Epiſcopi propriâ authoritate poſſunt unum monaſterium vel beneficium ſæculare unire alteri, modò utrumque ſit in eorum diœceſi, eorúmque juriſdictioni ſubjectum & neutrum exemptum. Fagn. *in cit. c. 8. h. t. n. 10.* Azor. *p. 2. L. 6. c. 28. q. 6.* Caſtrop. *tr. 13. d. 6. p. 12. §. 2. n. 1.* Abbates verò & Prælati Epiſcopo inferiores Eccleſias & beneficia ſine conſenſu Epiſcopi vi *cit. c. 8.* unire non poſſunt, niſi hoc jus uniendi ex Privilegio aliquo Pontificio, vel legitima præſcriptione acquiſierint; quia hæc poteſtas jure communi conceſſa & reſervata ſolis Epiſcopis. Abb. *l. c. n. 3.* & unio ab Abbate vel Priore monaſterii facta, etiam cum conſenſu metropolitani, ſed proprio Epiſcopo inconſulto nulla eſt. Plura de unione facienda vide apud me *in foro benef. part. 3.* ubi de unione beneficiorum, utì & apud Wieſtn. *h. t. a. 2. per totum.*

3. Tertius: ſi immiſceant ſe hi Prælati cognitioni cauſarum matrimonialium citra ſpecialem conceſſionem ſeu privilegium, & legitimè præſcriptam conſuetudinem, (per quam aliàs, quæ ad juriſdictionem epiſcopalem ſpectant, à Prælatis inferioribus præſcribuntur. Gl. *fin. in cit. c. 12.*) *c. 12. h. t.* Gl. *ibid. v. epiſcopalis dignitatis.* & Hoſt. *v. periculum.* Hodie verò ex decreto Concilii Trid. *Seſſ. 24. c. 20. §. ad hæc.* cauſæ matrimoniales & criminales Epiſcopi tantùm examini, & juriſdictioni reſervatæ, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis & conſuetudinibus, niſi fuerit conſuetudo immemorialis, ùt declaravit S. Congregatio ejusdem Concilii apud Gallemart. *in declarationibus, n. 8.* & Fagn. *in cit. c. 12. n. 6.* Nihilominus excipiuntur Abbates & Prælati, qui ſunt nullius diœceſis, quia omnimodam juriſdictionem, & quaſi ordinariam in clerum & populum habent, excluſis Epiſcopis, & conſequenter poſſunt cauſas matrimoniales cognoſcere, quæ poteſtas iis ablata non eſt per Trid. Secus eſt de Decanis, Archidiaconis, de quibus loquitur Concilium, & quibus Superiores ſunt dicti Prælati exempti.

4. Quartus exceſſus inferiorum Prælatorum eſt, pœnitentias publicas & ſolennes imponere ſine mandato Epiſcopi; cùm id ad ſolum Epiſcopum pertineat. *c. in capite diſt. 50.* & *cit. c. 12. h. t.* & *ibi* Gl. *penult.* juncta Gl. Marg. *Lit. A.* Hoſt. *v. publicas.* Alex. *de Nevo. Lit. F.* Pirh. *h. t. n. 22.*

5. Quintus eſt de jure communi, concedere indulgentias, quia ea poteſtas pertinet præcisè ad dignitatem & juriſdictionem epiſcopalem, ùt conſtat ex *cit. c. 12.* ubi: quòd Abbates concedendo indulgentias manus extendant ad ea, quæ ſunt dignitatis epiſcopalis; & ita tenent Azor. *p. 2. L. 3. c. 55. q. 3.* Pirh. *l. c.* alíque communiter contra Rodriq. *Tom. 22. qq. regul. q. 87. a. 3.* quatenus docet, id competere Prælatis Religioſorum, habentibus poteſtatem ordinariam quaſi-Epiſcopalem, ùt Generales, Provinciales Ordinum regularium exemptorum; cùm ea non ſit Ordinis Epiſcopalis aut Sacerdotalis. Unde & indulgentias concedere poſſunt Epiſcopi non conſecrati, nec Sacerdotes, ùt D. Thom. *in 4. diſt. 20. a. 3. q. 2.* cui ſententiæ obſtare *cit. c. 12.* negando expreſsè, hanc poteſtatem competere Prælatis, defendit Pirh. *l. c.* quamvis *n. 23.* addat, probabile eſſe, quòd non ſolùm ex privilegio, ſeu conceſſione ſpeciali Papæ, ſed etiam ex conſuetudine præſcripta legitimè Prælati inferiores Epiſcopis acquirere poſſint poteſtatem concedendi indulgentias, cùm talis conſuetudo tribuat juriſdictionem. Arg. *c. ult. de off. Archid.* & *c. cùm contingat. de foro compet.* & ita docent Gl. *fin. in c.*

in c. accedentibus. 12. *h. t.* & Host. *ibid. v. legitima causa.* & probabiliter censet Laym. *Th. mor. L. 5. tr. 7. c. 4. n. 4.*

Quæst. 416. *Quales excessus committere contra Religiosos, seu qualia gravamina iis inferre quandoque soleant Prælati, Rectores & Canonici Ecclesiarum Cathedralium, aliique Ecclesiastici?*

Resp, Sunt ferè sequentes 15. qui continentur *c.* 16. *h. t.* & enumerantur à Pirh. *h. t. n.* 24. & à Reiffenst. *h. t. n.* 7. Primò: volendo invitis Religiosis eorum confessiones audire, & injungere pœnitentias. Secundò: volendo eis Eucharistiam seu Communionem præbere. Tertiò: nolendo in eorum Oratoriis asservari Eucharistiam. Quartò compellendo fratres Religiosos defunctos sepeliri apud suas Ecclesias, & ibi exequias eorum celebrari, cùm tamen vi *c.* 1. 16. *q.* 1. omnes Religiosi in Cœmiteriis propriorum monasteriorum sepeliendi. Quintò cogendo, ùt, si qui fratrum (intelligendo id non de fratribus Religiosis, sive oblatis, sed de confratribus manentibus in sæculo, vel de professis alibi remotè à suo monasterio defunctis) sepulturam in aliis, quàm suis Ecclesiis elegisset, funus priùs ad suas Ecclesias deferretur. Sextò: non permittendo eos habere campanam in Ecclesiis, seu Oratoriis suis publicis. Septimò: non permittendo eos habere Cœmiterium benedictum pro suis fratribus vel confratribus & oblatis, si apud eos se sepeliendos elegerint. Octavò: certis tantùm diebus permittendo iis celebrare divina. Nonò: volendo in domibus Religiosorum certum numerum Fratrum, Sacerdotum, Clericorum, conversorum vivere. Decimò: taxando pro voluntate sua certum numerum cereorum, lampadum & ornamentorum. Undecimò: exigendo cereorum residuorum reliquias, dum novi apponuntur. Duodecimò: non permittendo novos eorum Sacerdotes alibi, quàm in suis Ecclesiis (scilicet sæcularium Clericorum) primitias celebrare. Decimo tertiò: compellendo eos, ut in missis quotidianis, quas Religiosi in suis locis & altaribus celebrant, oblationes ad opus suum reciperent & reservarent, velut servi eorum. Decimo quartò: contendendo extorquere quidquid Religiosis oblationis nomine, dum missarum solemnia intra domorum suorum ambitum celebrarunt, pro fidelium oblatione donabatur. Decimo quintò: vindicando sibi quidquid Religiosis, tam in ornamentis altaris, quàm libris ecclesiasticis donatur. A quibus omnibus, ut desistant, & suos subditos compescant, universis Ecclesiæ Prælatis sæcularibus seriò mandat Gregorius IX. Præter hos excessus & gravamina 30. alia, quibus Episcopi, iisque Superiores, puta Archiepiscopi, Patriarchæ &c. aliique Prælati Ecclesiarum Religiosos inquietabant, proposuit & prohibuit Clemens V. in *Clem. frequens. unic. h. t.* quæ in ipso textu legi possunt. Insuper excessus & gravamina alia 12. Fratribus Prædicatoribus & Minoribus inferri à Prælatis ecclesiasticis sæcularibus, in specie enumerantur & prohibentur in *c. nimis prava. h. t.* quæ quoque verbotenus inde descripta referuntur à Pirh. *h. t. n.* 25. à Reiffenst. *n.* 8. Notandum tamen hic, quòd in nonnullis casibus Episcopi, tanquam Apostolicæ Sedis delegati, non obstantibus Regularium privilegiis, possint contra illos procedere vi Concilii Trid. ubi etiam per aliquas Constitutiones Pontificias aliqua eorum privilegia revocata, de quibus paulò pòst.

Quæst. 417. *Qualiter excedant Prælati, tam Regulares, quam Sæculares violando clausuram monasteriorum?*

Resp. Qualiter ii, aut etiam alii inferiores utriusque sexûs excedant hanc clausuram ingrediendo, vel eâ egrediendo, satìs constat ex dictis suprà, præsertim ad *L.* 3. *tit.* 35. quæ vide.

Quæst. 418. *Quinam sint excessus subditorum?*

1. Resp. Sunt ferè sequentes, primo: dum delinquunt in suos Superiores, non servando interdicta ab iis lata, qui etiam excessus cadunt in Episcopos, dum interdictum latum à Papa non servant. *C. tanta.* 18. *& ult. h. t.* circa quem excessum notanda sequentia: quòd subditi, qui interdictum tale Superioris violant, perdant omnem jurisdictionem, etiam ecclesiasticam sibi competentem, cùm ipso facto sint suspensi ipso jure ab officio, adeóque & ab usu jurisdictionis, sibi ratione officii competentis; ùt sumitur ex *cit. c. tanta.* ubi, quòd sententiæ excommunicationis & interdicti, collationes beneficiorum, & institutiones factæ ab Episcopo post violatum ab eo interdictum sint irritæ, ùt cum Gl. *in cit. c. v. irritas.* Abb. *ibid. n.* 1. *not.* 4. Covar. *in c. alma. p.* 2. §. 2. *n.* 2. factæ tamen ante interdictum ab eo sententiæ, collationes valent. Arg. *cit. c.* Item interdictum ecclesiasticum non servans incurrit irregularitatem, à qua non nisì à Papa liberari potest, *c.* 1. *de sent. & re judic. c.* 1. *&* 18. §. *ult. de sent. excom. in* 6. eò, quòd interdictus simpliciter, vel respectu certi loci, cùm sit suspensus ab officio & omni potestate clavium, si violet hanc suspensionem, v. g. celebrando in loco interdicto, fiat irregularis. Abb. *num.* 4. Covar. *l. c.* Pirh. *h. t. n.* 30. non tamen violator ipso facto est privatus suis beneficiis, sed privandus per sententiam, sumitur ex *cit. c. tanta.* & Abb. *ibid. n.* 2. *&* 4. Sed neque irregularitatem incurrit, nisì exerceat actum proprium alicujus Ordinis, à cujus exercitio est suspensus. Abb. *n.* 5. Covar. *l. c.* neque eam incurrit exercendo ea, quæ sunt jurisdictionis, non Ordinis, ùt si aliquem excommunicet. Abb. *cit. n.* 5. Pirh. *l. c.* De cætero hæc inhabilitas violatorum ob exercitum actum proprium sui Ordinis non tantùm se extendit ad acquitendum beneficium de novo, sed etiam ad beneficium acquisitum retinendum. Arg. *cit. c. tanta.* Barb. *ibid. n.* 6. cùm hæc sit pœna non servantium interdictum, quòd amoveri debeant à beneficiis obtentis. *c. postulastis.* §. *quæsivistis. de Clerico excom.* junctâ Gl. *in c. tanta. v. amotis.*

2. Secundò excedunt seu delinquunt Clerici, qui accepto ab Episcopo seu Prælato beneficio aut dignitate, præstiterunt eidem juramentum fidelitatis & reverentiæ, ac obedientiæ, negando illum esse dominum suum. *c. gravem. h. t.* quia agunt contra obedientiam & reverentiam ei promissam, & hinc puniri possunt, vi *cit. cap.* ùt Gl. *ibid. v. homagii.* Host. *v. eod.* Abb. *not.* 1. non tamen graviter delinquunt, nolendo illum vocare dominum suum, modò aliàs non negent ei reverentiam aut obedientiam promissam, nec propterea puniri possunt, cùm etsi honestum sit, appellare eum dominum, non tamen id absolutè necessarium est, sed sufficiat appellare eum Prælatum. Pirh. *h. t. num.* 31. Arg. *c. cavendum.* 10. *q.* 3. & *c. ita subjectus.*

3. Tertiò, si in causa spirituali vel ecclesiastica illum trahant ad judicium sæculare, vel ejus adversarios iniquos contra ipsum consilio vel auxilio juvent, *c. gravem. 15. h. t.* ubi etiam Archidiaconus de his duobus excessibus (intellige non necessariò conjunctis, sed etiam disjunctivè, seu uno eorum seorsim sumpto, ut cum Gl. *fin. in cit. c.* & Host. *ibid. v. ipsum.* Pirh. *h. t. n. 32. not. 2.*) convictus, jubetur privari beneficiis, ac ita iis non ipso jure, sed per sententiam privatus existit, non tamen propterea tradendus Curiæ Sæculari, cùm Papa in *cit. c.* Archidiaconum illum Ambianensem non mandet abscindi ab Ecclesia universali, sed solùm ab Ecclesia Ambianensi, etiamsi conspirasset contra proprium Episcopum, nisi persistat incorrigibilis. Ita cum Abb. in *cit. c. gravem. num. 2.* Pirh. *l. c.* contra Hostiensem & alios quosdam.

4. Quartò: Excedunt & delinquunt Clerici & Singulares subditi alicui Prælato seu Superiori, v. g. beneficiati in aliqua ecclesia, si sine illius consensu se congregent collegialiter in ordine ad unum Collegium vel Capitulum constituendum & commune aliquod sigillum seu insigne sibi proprium de novo concipiant, fabricent & assumant, eóque utantur in præjudicium dicti Superioris, prout id expressè prohibetur *c. dilecto. h. t.* Secus tamen est, si Collegii proprióque sigillo utendi jus Apostolicâ vel saltem episcopali authoritate acquisiverint, vel longo tempore collegialiter convivendo illud legitimè præscripserint. Abb. *in cit. c. num. 1.* Barb. *num. 2.* Pirh. *h. t. num. 34.* De cætero quemlibet privatum assumere sibi posse sigillum & insigne proprium, constat, dum id alteri non præjudicat, utì præjudicat illi, dum quis illius insignia assumit, iisque utitur tanquam propriis. Abb. *in cit. c. dilecto. num. 4.*

Quæst. 419. *Qualiter excedant regulares ædificando de novo monasteria aut transferendo vel mutando antiqua?*

1. Resp. Primò: Excedunt FF. Prædicatores, Minores, aliíque Religiosi, mendicantes in civitate aliqua, Castro, Villa ædificando de novo aut contra præscriptam à jure & constitutionibus Apostolicis formam monasteria, aliáque ad habitandum collegialiter loca, aut hactenus recepta mutando, vel ea venditionis, permutationis, donationis, alteriúsve tituli gratiâ in alios transferendo citra specialem Sedis Apostolicæ aut saltem episcopalem concessionem, quia peccant contra expressam iis factam desuper prohibitionem à Bonifa. VIII. in *c. ex eo. h. t. in 6.* & ante illum à Gregor. X. & postea à Clem. V. in *c. cupientes de pœnis.* sub pœna nullitatis & excommunicationis aliísque, hujus prohibitionis; causâ existente, quòd ex hujusmodi nova constructione, receptione, permutatione, translatione varia proveniebant scandala, & hinc frequentes ad Sedem Apostolicam deferebantur Clamores, ùt dicitur in cit. *c. ex eo unico, in 6.*

2. Dicitur itaque primò, prohiberi id dictis Religiosis mendicantibus, comprehendendo per hoc solos & omnes mendicantes, partim expressè & specificè, partim sub clausula generali, ùt cum Suar. *de censur. d. 23. S. 5. n. 33.* Pirh. *h. t. n. 40.* quamvis vi constitutionis Clem. VIII. quæ incipit: *Quoniam Papæ licentiam non exigentis constitutionem. cit.* Bonifa. VIII. *cit. c. ex eo.* quæ eam exigit extendi solùm ad mendicantes, quibus victum tribuit incerta mendicitas, quia reditus & possessiones ex regula habere nequeunt, ùt sunt FF. Minores de observantia & Capucini, dicat Wiestn. *num. 26.*

3. Dicitur Secundò: *In civitate aliqua, Villa vel Castro*; quia ùt constat ex ipso *cit. cap.* textu existente expressè eos, qui cupientes vitam ducere eremiticam & solitariam, cùm Superiorum licentia extra urbes castellaque in loco aliquo ab hominum Sæcularium propinqua frequentia cellas seu habitacula & domus de novo acquirunt, aut illuc transferunt; cùm in tali loco deficiente hominum multitudine cessent Scandala, adeóque & causa prohibitionis. Pirh. *h. t. num. 39.* cum Gl. Marg. *ad cit. c. v. eremiticam.*

4. Dicitur Tertiò: *De novo ædificando seu acquirendo*: Quia iis prohibitum non est, etiam sine licentia Papæ aut Episcopi, domos antiquas, monasteria, ecclesias, quas in civitate habebant, reficere, reædificare, augere, etiam in alia forma; quia id non est alia loca aut jus novum acquirere, adeóque non prohibitum *cit. c.* cùm prohibitio sit strictè accipienda. Donatus *p. 2. tr. 1. q. 23.* Rodriq. *Tom. 2. qq. regul. q. 49.* Reiffenst. *h. t. num. 14.* Pirh. *l. c. not. 1.* cùm Gl. *in c. can. monachus, 18. q. 2.*

5. Dicitur Quartò: *Ad habitandum*; Quia neque prohibitum est illis in civitate vel oppido de novo acquirere domum recreationis, hospitii, aut ad alios usus quàm ad habitandum ibidem constanter. Gl. *in cit. c. v. ad habitandum.* Suar. *l. c. num. 35.* Pirh. *l. c.*

6. Dicitur Quintò: *Aut contra formam in constitutionibus Apostolicis præscriptam ædificando*; qualis forma præscribitur à Clem. VIII. *in constit.* illius *quontam.* & innovatur ab Urbano VIII. *constit.* quæ incipit: *Romanus, edita 21. Sept. Anno 1624.* nimirum, quòd ædificari nequeant, nisi vocatis & auditis aliorum in iisdem locis conventuum Prioribus, aliísque interesse habentibus, & constiterit novos conventus in iis erigendos sine aliorum incommodo posse sustentari; quam formam etiam observandam in ædificatione quorumcunque monasteriorum, etiam non mendicantium, imò & monialium, tradunt Barb. *Jur. eccles. L. 2. c. 12. num. 6.* Tamb. *de jure Abbatiss. d. 33. q. 1. n. 4.* Dian. *p. 8. tr. 4. resol. 68.* Donat. *tr. 1. q. 21. num. 1.* testans sic declarasse S. Cong. Card. *ad cit. c. 3. Trid.* Servandam tamen non esse necessariò in antiqui monasterii ampliatione, reparatione, & dejecti reædificatione, quia per hoc jus novum non acquiritur, & de quo nihil memorant antiqua jura, utì nec *cit. constit.* Clem. aut decretum Trident. asserunt Suar. *de cens. d. 23. S. 5. num. 33.* Tamb. *l. c. q. 1. num. 9.* Rodriq. *l. c. q. 49. a. 9.* Wiestn. *l. c. num. 31.* apud quem de observatione hujus vide plura.

7. Dicitur Sextò: *Vel transferendo in alium locum*: Quod etsi non de loco alio minùs commodo & sano ad alium magis commodum & sanum intra eandem civitatem, adeóque ad hoc non requiri consensum Episcopi, censeat Rodriq. *l. c. n. 9.* contrarium tamen tanquam probabilius tenent Donatus *l. c. q. 26.* Bordon. *Miscellan. decis. 125.* quos citat & sequitur Reiffenst. *h. t. num. 17.* ex ea, ùt ait, ratione; quòd ad talem etiam translationem requirebatur dictus consensus Episcopi jure antiquo, *can. si quis ult. can. 16. q. 7.* ubi dum dicitur, ad hoc requiri consilium Episcopi, per id *Consilium* intelligatur consensus, ùt ibi DD. communi-

muniter teste Donato; jura autem antiqua, cùm per jura nova correcta non sint, ab iis interpretationem accipiant, accedátque super hoc bina declaratio, teste Donato *l.c. num.* 7.

8. Dicitur Septimò: *Citra specialem Papæ aut saltem Episcopi concessionem.* Non posse religiosos mendicantes ædificare de novo monasteria, ecclesias, aut transferre ad alia loca, quod quidem loquendo de licentia Papæ, patet ex *cit. c. ex eo.* posse tamen idipsum eos per privilegia desuper à Sede Apostolica iis post dictam *cit. c.* constitutionem concessa, est quoque extra controversiam; quale privilegium expresè esse concessum minimis, testantur Suar. *l.c. num.* 34. Mirand. *in man. q.* 33. *a.* 1. *concl.* 2. & consequenter tacitè quoque omnibus Reliquis Ordinibus Religiosis, qui cum iis in privilegiis communicant, ùt cum iisdem Pirh. *l. c. not.* 2. de quo vide *compend. privileg. Societatis. v. bona.* §. 6. & *v. ecclesia.* §. 4. cui etiam Gregor. XIII. 30. *Octob. annò* 1576. speciale concessit privilegium, quæcunque collegia, domos, ecclesias, aliaque ædificia ubicunque locorum erigendi, & per se inhabitandi, nec non quæcunque loca sibi quomodolibet relicta vel oblata recipiendi, emendi, & possidendi. Quod verò attinet ad Episcopos post Trident. *Sess.* 25. *c.* 3. *de regular. in fine.* sine eorum prius obtenta licentia non possunt Religiosi in eorum diœcesibus nova loca ad habitandum erigere, hæc tamen illorum licentia non sufficit carentibus privilegio pontificio, sed requiritur quoque ad hoc obtenta specialis Papæ licentia, citata siquidem constitutio decretalis Bonifac. VIII. hanc Papæ licentiam requirit, quam constitutionem Trident. non revocavit, sed addidit, ut insuper petatur, & obtineatur licentia Ordinarii, prout declaravit S. Congr. Concil. apud Gallemart *ad Trid. cit. c.* 3. *num.* 5. & Zerol. *in prax. episcop. v. monachi.* §. 2. Tamb. *de jure Abbat. Tom.* 3. *d.* 5. *q.* 4. *num.* 3. Barb. *de Off. Episc. alleg.* 26. *num.* 4. contrarium non minùs probabiliter tenentibus Rodriq. *Tom.* 3. *qq. regular. q.* 49. *a.* 2. Sorbo. *comp. privileg. mendican. not.* §. 2. Fagn. *in c. non amplius. de Instit. à num.* 62. quos citat & sequitur Wiestn. *h.t. num.* 26. *& num.* 27. additâ hac ratione: quòd verisimile non sit, eos, qui dicta loca erigendi licentiam impetrarunt à Papa, ad eam etiam ab Episcopo impetrandam obligari; cùm licentia papalis licitum reddat, quod antea licitum non erat, eaque ab Ordinarii diœcesani arbitrio dependere non debeat. Arg. *c. bona. de postul. Prælat.* illud saltem verius, quòd religiosi habentes ad hoc speciale privilegium Pontificis ædificandi nova loca seu domus, vel illa mutandi & transferendi præter licentiam Ordinarii opùs non habeant ulteriùs recurrere ad Pontificem, cùm privilegia ab eo accepta per Trident. non sint revocata. Porrò hæc forma non ædificandi nova monasteria aut ea transferendi citra licentiam Ordinarii servanda, ubi ædificanda in loco exempto à jurisdictione Ordinarii, Cochier. *de jurisdict. Ordinar. p.* 2. *q.* 45. *num.* 36. Donatus *l. c. q.* 40. Reiffenst. *h. t. n.* 16. juxta *c. authoritate. de privileg. in* 6. ubi expresè: *Inhibemus, ne in locis exemptis hoc ipsi exempti facere audeant.* & Arg. Concil. Trident. *l.c.* Secus est, seu nullius Episcopi licentia ad prædicta servanda opùs est, dum novi conventus, domus, ecclesiæ construendæ, transferendæ in loco nullius diœcesis, quia neque antiqua, neque nova jura talem consensum, aut alia ad talem novam ædificationem &c. requirunt, cùm Trident. solùm requirat consensum illum Ordinarii ad Constructionem monasterii in ejus diœcesi. Constitutio verò Clem. VIII. *quoniam.* §. 1. tantùm pro locis ejus jurisdictioni ordinariæ subjectis. Ita de Franch. *p.* 1. *controversiar. inter Episc. & regul. num.* 495. quem refert & sequitur Reiffenst. *h.t. n.* 15.

TITULUS XXXII.

De Operis novi Nuntiatione.

Quæst. 420. *Quid sit operis nuntiatio, & quotuplex?*

1. Resp. Ad primum: Opus novum nuntiare aliud nihil est, quàm illi, qui de novo in alterius præjudicium ædificare intendit, aut in opere jam cæpto pergit, legitimè inhibere, ne inchoet, aut in eo inchoato pergat, donec de jure ædificandi constiterit, aut præstita sit eo nomine satisdatio. Unde nunciatio hæc breviter definiri potest: legitima prohibitio novum opus in alterius præjudicium paranti facta ad id: ne in eo pergat, donec de ejus jure constet; ita ferè Host. *in sum. h. t. num.* 1. Zoes. *in ff. eod. n.* 2. Wiesenb. *in paratit. ff. h. t. num.* 6. Pirh. *h.t. num.* 1. Sumitur itaque nunciare pro prohibere, & ædificare non solùm pro constructione, sed & pro destructione, ampliatione ædificii, & mutatione faciei illius, v.g. novam fenestram aperiendo. Arg. *L.* 1. §. *opus novum. ff. h.t.* possunt enim hæc omnia cedere in præjudicium alterius. Per opus novum non intelligitur opus jam factum, sed faciendum, siquidem nunciatio non extendit se ad præterita, sed ad futura, ne fiant. Unde, si quid operis novi factum, quod fieri non debuit in præjudicium alterius, cessat nunciatio, & locum habet interdictum, *quod vi aut clam*, vel quid simile, quo restituatur, quod illicitè seu in præjudicium alterius constructum seu factum est. *L.* 1. §. *hoc autem. h. t.* Per opus novum intelligitur illud, quod cohæret seu conjunctum solo seu in ordine ad remanendum in eo construendum, ac proinde hoc remedium nunciationis locum non habet; seu fieri non potest nuntiatio novi operis ei, qui messem alienam colligit, arbores succidit, vineam putat, sed alio remedio arceri debet, uti hæc dicuntur expresè *c.* 1. §. 12. Per Satisdationem denique intelligitur cautio de opere suis sumptibus demoliendo in casum, quo injustè ædificatum pronuncietur, quæ cautio, si à nuntiante opus novum recipiatur, poterit intendens opus novum construere, statim incipere ædificare, vel inceptum opus continuare; quam tamen cautionem post opus constructum oblatam non tenetur nuncians acceptare. *c. significantibus. & c. ult. h. t.* quia ubi semel ædificatum est, durior causa redditur, & difficiliùs ad demolitionem devenitur. Quod autem dicitur *L. Prætor ait. ff. h. t.* oblatâ, & non receptâ cautione posse aliquem licitè ædificare; ita cum Gl. *in c. ult. h. t. v. non obstante.* intelligendum conformiter. *L. unic. c. h. t.* quòd oblatâ cautione de demoliendo post tres men-

menses quis possit ædificare, alioquin si statim vel intra menses nuncians novum opus velit probare suum præjudicium, audiatur non obstante sibi cautione. Reiffenst. *h. t. num.* 7.

2. Resp. Ad Secundum: Dividitur ea multifariam, nimirum ratione personarum à quibus sive per quas, & quibus ea fit, ratione modi, quo fit, & ratione objecti, circa quod fit; de quibus in particulari *quæstionib. sequent.*

Quæst. 421. *A quibus fiat hæc nuntiatio?*

1. Resp. Primò in genere: Potest fieri à quocunque interesse habente, ne hoc vel illud novum opus fiat, ùt habet communis & certa. Arg. *L.* 1. §. 16. *ff. h. t.* Econtra nunciare non possunt, ad quos res non pertinet, seu qui jus in re non habent, sed solùm rem propter jus ad rem detinent, seu tantùm sunt in possessione, ùt inquilini & simplices conductores, utpotè quibus nullum jus in re conducta competit. *L.* 30. *ff. loc. cond.* Lauterb. §. 17. ac ita nuntiatio facta à persona notoriè inidonea est ipso jure nulla, & liberè sperni potest, *c.* 1. & 2. *h. t.* Carpz. *L.* 1. *resp.* 7. *à n.* 2. Fachin. *L.* 8. *controv.* 44. Lauterb. *l. c.*

2. Resp. Secundò in specie: Nuntiatio fieri potest à prætore (qui & causa remota est hujus juris inducti, idque complexus interdictis duobus *L.* 1. *in pr.* & §. 9. *ff. h. t.* & hodiè à quovis Magistratu, Lauterb. *in ff. h. t.* §. 11. idque vel coram seu per se ipsum, vel ejus jussu per nuncium v. g. apparitores, ut idem, Arg. *L.* 16. *ff. h. t.* præsertim dum causa finalis est publica, seu concernit interesse Reipublicæ, & nunciatio fit juris publici conservandi vel mali publici avertendi gratiâ, v. g. ne quid fiat in loco Sacro vel Religioso aut publico, in foro, flumine, vel ripa fluminis. *cit. L.* 1. §. 26. & 27. *h. t.* vel ne fiat quid contra leges & edicta Principum. *L.* 1. §. 17. *ff. h. t.* Dicitur hæc nuntiatio publica ex duplici causa, tum ratione talis causæ publicæ, tum quia fit authoritate prætoris vel Magistratûs, etiam, dum fit per illum seu mandato illius ad instantiam privati habentis interesse, Lauterb. *l. c.* §. 4. & 5. Potest quoque fieri à quocunque privato habente interesse, seu cui inde imminet damnum, extrajudicialiter, id est, propriâ & non speciali authoritate prætoris, & hæc dicitur nuntiatio privata, Lauterb. §. 6. Pirh. *h. t. num.* 5. qui etiam nunciare potest, etiamsi dominium loci, in quo ædificandum, habeat minùs plenum vel tantum utile, ùt creditor qui prædium nomine hypothecæ habet. *L. creditori, ff. h. t.* Lauterb. *l. c.* §. 14. item Vasallus, utpote qui servitutem prædio feudali debitam vindicare potest, ùt idem §. 13. vel etiam, qui dominium tantùm utile habet, ut feudatarius emphyteuta, imò superficiarius. *L.* 3. §. *si ego. h. t.* item, qui in fundo, in quo de novo ædificandum, servitutem realem saltem urbanam, imò & rusticam haber. *cit. L.* 3. §. *penult.* & *L. non solùm. in pr. ff. eod.* cum in his omnibus juri privati nocetur, Pirh. *l. c. n.* 5. cum Host. *in sum. h. t. n.* 5. Zoes. *ibid. num.* 6. Secus est de eo, qui habet solùm servitutem merè personalem, qui non potest opus novum nunciare suo nomine adversus dominum seu proprietarium prædii, si is in eo aliquid attentet, quia usufructuarius, cùm non nisi usumfructum habeat in re, æquum fuit, ut ei solùm concederetur nunciatio nomine & loco domini, Pirh. *l. c.* cum Molin. *de Just. tr.* 2. *d.* 706. *num.* 25. *in fine.* Sic etiam, quibus hoc jus nunciandi competit, illud etiam per alios exercere possunt, v. g. per negotiorum gestores, si speciale ad hoc mandatum habeant & procuratores, etiam, dum speciale ad hoc mandatum non habent; sed generale tantùm. Quamvis, si de ejus mandato dubitetur, volens nunciare de rato principalis cavere debeat, aliàs nuntiatio omnino remittitur, ita Lauterb. §. 16. citans Bachovium *ad Treutler. v.* 1. *d.* 9. *th.* 8. *Lit. B.* item per tutores pupillorum, etsi & per se id ipsum possint, dum habent ad hoc sufficiens judicium; non nisi tamen interpositâ tutorum authoritate, qui nequidem in proprio fundo tertio alicui novum opus molienti nunciare possunt, *L.* 5. *pr. h. t.* Lauterb. §. 15. idem dicens cum Bachovio & Bardili de minore habente curatorem, Arg. *L.* 3. *C. de in integ. rest.* cæterùm, ùt idem, tutores & curatores soli absentibus pupillis & minoribus opus novum rectè nunciant. *L.* 7. §. 1. *ff. h. t.* Econtra à nunciando excluduntur, dum in publico opus novum ædificandum, omnes, quibus actiones populares non competunt, non enim nisi idoneis pro civitate agere licet. *L.* 4. *ff. de Act. popular.* tales sunt peregrini. *L.* §. 12. item deportati, & ab Imperatore vel Camera Imperiali proscripti, ùt idem, & Gail. *de pace public. L.* 2. *c.* 12. *n.* 29. hinc à contrario nunciare possunt etiam principaliter omnes cives, *L.* 3. §. 4. *ff. h. t.* Lauterb. *cit.* §. 12. item omnes parochiani, si opus ædificandum in fundo Ecclesiæ, ex quorum tamen pluribus concurrentibus prætor eligit magis idoneum. *L.* 2. *ff. de act. popul.* Idem cum Brunnem. *ad cit. L.* 3. *num.* 5. item, minùs tamen principaliter, incolæ, utpote qui civibus quò ad functiones publicorum munerum assimilantur. *L.* 29. *ff. ad municipal. L.* 1. 4. 5. 6. *C. de incol.* Bachov. *ad Treutl. v.* 1. *disp.* 18. *th.* 2. *Lit. A.* imò forenses, si quid ædificetur in via publica, *L.* 2. & 11. *C. de servit. & aq.* Bachov. Lauterb. *ll. cit.* item conductores vectigalium ob utilitatem publicam. Arg. *L.* 1. *ff. de loco pub. fruend.*

Quæst. 422. *Quibus fieri possit denunciatio seu prohiberi opus novum?*

Resp. Primò: Fieri potest socio seu adversùs socium, Vicinum *L.* 3. §. 1. *ff. h. t.* in eum tamen finem, ut valeat nunciatio respectu nunciantis, & non respectu aliorum, Lauterb. §. 13. non tamen contra socium in loco communi, *cit. L.* 3. nisi alter neget rem esse communem, *ibid.* si tamen locus, in quo fit opus novum, sit plurium denunciatio uni facta, censetur facta omnibus. *L.* 5. §. 5. *ff. h. t.* & si unus non cessaverit ab ædificando, is in solidum obligabitur *cit.* §. 5. & *L.* 18. *ff. eod.* Lauterb. §. 19. Secundò fieri potest etiam adversùs Superiorem in præjudicium subditi sui molientem novum opus, ita expressè *L. non solùm. ff. h. t.* Tertiò non solùm ipsi nomino fundi, sed etiam omnibus, qui in re domine Domini aut ratione rei faciendæ præsentes existunt. *L.* 5. §. 3. *ff. h. t.* ùt sunt, quicunque sunt de domini familia, item fabri & opifices. Lauterb. §. 18. Pirh. *h. t. num.* 6. qui idipsum quoque extendit ad fœminas & pueros. *L. de pupillo. ff. h. t.* imò ad infames & furiosos modò adsint alii, qui intelligant, quid agatur. *c. cuilibet. ff. h. t.* Gl. *ibid. v. etsi furiosum*, quia nunciatio fit rei, non personæ. *L. operis. ff. h. t.* quæ nunciatio, mox ùt facta, obligat dominum, etsi ei non vel tardius facta, quia procedit etiam contra absentes, ignorantes & invitos. *L.* 1. §. 1. *ff. h. t.* Lauterb. *l. c.* citans Vivium *comm. opin. Lit. N. num.* 6. cùm, ùt dictum, fiat impersonaliter in rem, & non in personam, *L.* 10. *ff. h. t.* Unde, si opifices dolo malo vel negligentiâ non cessaverint ædificare, dominus re intellectâ, quod

ædifi-

ædificatum est, tenetur destruere, cùm *cit. L.* 5. §. 3. nunciatio in genere pronuncietur valida, adeóque legitimum effectum habere debeat, nullâ domino mentione de nunciatione facta, qui, etsi sciens se parare opus novum, sibi imputare debeat, quòd tales adhibuerit opifices, habet tamen contra illos non carentes culpâ regressum ad interesse, Lauterb. *l. c.* Arg. *L.* 27. §. 9. *ff. ad Leg. Aquil.*

Quæst. 423. *Ubi & quo tempore fieri debeat nunciatio?*

1. Resp. Ad primum: Debet fieri in re præsenti, seu in loco, vel prope locum, ubi fit vel intenditur opus novum. *L. de pupillo. ff. h. t.* Pirh. *h. t. n.* 6. Lauterb. *in ff. h. t. n.* 26. Ut nimirum confestim ab opere discedatur, *cit. L. de pupillo*, §. 2. *&* 3. idque, etiamsi in diversis locis opus fiat. *cit. L.* §. 16. Unde si nunciatio fiat alibi, v. g. in foro, est inutilis, *cit. L.* §. 4. Lauterb. *l. c.* & si opus fiat in locis pluribus dissitis, plures nunciationes sunt necessariæ. Lauterb. §. 24. Porrò à loco, in quo facienda nunciatio, dicitur totalis vel partialis; totalis illa, quæ fit pro toto simpliciter loco, in quo facienda, partialis, quæ fit pro parte loci, & tunc nuncians necesse habet demonstrare, in qua parte loci fieri prohibeat ædificium. Lauterb. *n.* 9. 2. Resp. Ad secundum: Fieri debet tempestivè, & antequam opus perficiatur. Lauterb. *cit.* §. 26. cùm ad opus jam perfectum non extendat se ampliùs nunciatio, ne fiat, sed interdictum, *quod vi aut clam. L.* 1. §. 1. *ff. h. t.* Lauterb. §. 10. De cætero perinde est, quo die fiat, & sic etiam die feriato fieri potest. *L.* 1. §. 4. *junctâ L.* 2. *&* 3. *ff. de fer.* Lauterb. §. 26. qui tamen addit, id à Christianis ob præceptum divinum non accipi, nisi de casu necessitatis.

Quæst. 424. *In quibus rebus seu operibus locum habeat hæc nunciatio?*

Resp. Præter ea, quæ dicta sunt de hoc in genere supra *quæst.* 1. *h. t.* nimirum quòd fieri non debeat, nisi in rebus soli seu immobilibus, sive quæ sola conjuncta, aut conjungenda sunt. Item, quòd se extendat tantùm ad opera futura, seu quæ nondum facta sunt tempore nunciationis, ne fiant vel perficiantur, locum ea habet in ædificatione novæ Ecclesiæ, cùm ea exstruenda non sit in præjudicium alterius Ecclesiæ, juxta *c.* 1. *h. t.* ubi conceditur nunciatio novi operis contra ædificantem capellam in præjudicium baptismalis Ecclesiæ, (quod ipsum videtur locum habere, dum ædificium Ecclesiæ cedit in præjudicium alterius privati) nisi tamen id fiat ex justa causa per Episcopum cognita & approbata, eóque permittente, v. g. ob numerositatem populi, amplitudinem parochiæ vel hujusmodi, prout habetur in Trid, *Sess.* 21. *de Reform. c.* 4. sic extendit se quoque ad ædificationem quorumcunque aliorum, quæ cedere possunt in præjudicium alterius, cùm aliàs regulariter loquendo quisque pro libitu construere possit in suo fundo quælibet, ita, ut à vicino prohiberi non possit, ùt Barb. *in c. fin. h. t. n.* 6. Mol. *de J. & J. Tom.* 3. *d.* 109. *à princ.* idque, etiamsi vicinus ex eo incommoditatem aliquam sentiat, quia v. g. domus ejus redditur obscurior, vel quia liberior aspectus adimitur. Reiffenst. *h. t. n.* 37. juxta *L. altius. c. de servitut.* nisi tamen vicinus in domo ædificantis servitutem habeat urbanam, v. g. non tollendi altius, non officiendi luminibus aut prospectui, acquisitam ex pacto, testamento, præscriptione, qualis tamen non censetur acquisita per hoc, quòd quis longo tempore non ædificaverit, cùm ædificare in suo sit actus merè facultativus, ex quo non nascitur præscriptio.

Quæst. 425. *Ex quibus causis fieri possit nunciatio novi operis?*

Resp. Causa generalis in genere est præjudicium alterius, unde earum tres assignantur in *L.* 1. §. 6. *h. t.* nimirum causa conservandi jus suum, quod novo opere violatur, amolitio præjudicii seu damni ex novo opere orituri, tuitio juris publici seu Reipublicæ, cujus causæ tamen cognitio non requiritur ad actum nunciationis, sed ad ipsius nominationis justificationem coram prætore faciendam. Arg. *L.* 1. §. 1. *ff. h. t.* Lauterb. *l. c.* §. 27. ubi tamen, quod si is, cui nunciatur, causam prohibitionis petat, ea sit exprimenda.

Quæst. 426. *Quibus modis fiat nunciatio?*

Resp. Primò: Fit verbis solis, vel in scriptis, ùt Mol. *l. c. d.* 706. *num.* 15. quorum tamen certa forma non requiritur, sed sufficiunt quælibet verba intentionem prohibentis, seu nunciantis satis exprimentia; potéstque ea fieri per alium nomine illius, cui jus nunciandi competit; quocunque autem modo fiat, consultum est, ut fiat coram testibus, ut probari possit, eam factam esse; utimur autem verbis, seu nunciatione verbali, dum quis aliquid novi operis facit in suo, contra servitutem tamen, quam in eo habet nuncians, adeóque in præjudicium ejus. Lauterb. §. 8. Secundò per manûs appositionem, vel jactum lapilli in locum, ubi novum opus intenditur, aut inchoatur, in solenne testimonium prohibitionis. Mol. *de J. & J. Tom.* 3. *tr.* 2. *d.* 706. *num.* 15. aliíque maximè Hispani. Alii aliter hanc projectionem, nimirum, quòd fiat pluribus lapillis, vel materiâ pro ædificando paratis ex loco, ubi quis opus novum parat, ab eo, vel mandato illius, qui jus prohibendi habet dispersis coram Notario & testibus Carpz. *L.* 1. *Resp.* 6. *n.* 4. quem modum, etsi aliqui cum Gothofr. *in not. ad L.* 5. §. 10. *ff. h. t.* negent, esse ampliùs in casu, plures tamen cum Grænevv. *de LL. abrog. ad cit. L.* 5. Hahn *ad Wesenbec. h. t.* apud Lauterb. §. 6. tenent contrarium. Constituítque hæc projectio lapilli, vel lapillorum nunciationem realem, tametsi projiciens verbis, alióve signo æquivalente indicare debeat, fieri illam projectionem intentione prohibendi opus, cum non quivis projicieus lapidem in illum locum, aut manum ædificio imponens intendat nunciare novum opus, ùt Host. *h. t. n.* 8. Pirh. *h. t. n.* 7. Gonz. *in c. fin. h. t. num.* 4. Wiestn. *h. t. n.* 4. Tertiò per Prætorem seu Judicem, dum nimirum is, cui jus nunciandi competit, apud eum instituit, ut ipse suâ authoritate prohibeat novum opus. *L. de pupillo.* 5. §. 10. *ff. h. t.* & *L.* 20. *ff. quod vi vel clam.* quamvis autem horum modorum singuli sufficiant ad nunciationem, consultius tamen & melius est, eam fieri per unum ex duobus posterioribus, eò, quòd utens simpliciter verbis contra molientem ædificare in nostro, amittat eo ipso possessionem, faciátque molientem, seu adversarium possessorem, ita juxta expressum textum *cit. L.* 5. §. 10. Pirh. *l. c.* Lauterb. §. 8. qui propterea verbalem nunciationem meticulosam dicit, quam tamen, quia violenta, à nunciante posse statim recuperari per interdictum, *unde vi*, cum Vivio. *comm. opin. Lit. N. n.* 3. & Scacc. *de appellat. q.* 17. *lim.* 6. *memb.* 6. *n.* 12. asserit Lauterb.

terb. *l. c.* utì &, quòd utile sit, & hodie receptum, nunciationi tam verbali quàm reali adhiberi Notarium & testes. De cætero dictam differentiam horum modorum parùm in praxi observari, & in decernendis processibus non attendi cum Hahn *l. c. v. cùm in suo.* dicit Idem.

Quæst. 427. *Quis sit effectus nunciationis novi operis?*

1. Resp. Primò: Effectus respectu nunciati utroque jure statutus est, ut ædificans desistere debeat à cæpto opere per tres menses, intra quos nuncians probare debeat suum præjudicium, alioquin quidquid ædificatum est post nunciationem, totum demoliri debeat expensis ipsius ædificantis, à quo ædificatum sit juxta clarum textum *c. 1. h. t.* idque, etiamsi ædificium sit pium aut sacrum, v. g. Ecclesia. *c. 2.* & *L. fin. ff. h. t.* Lauterb. §. 30. item, sive jure seu justè, sive injuriâ seu injustè ædificatum sit, *cit. c. 1.* & *L. prætor. ff. h. t.* Circa quæ notandum primò, quòd nunciatus seu is, cui nunciatio facta, desistere debeat ab ædificio necdum cæpto, vel jam inchoato ante omnem cognitionem judicialem, an jus haberet ædificandi, an justè vel injustè nunciatum. *L. 1. §. sed si. ff. h. t.* tum quia nunciatio habet se per modum appellationis, quâ pendente nihil innovandum, tum quia ubi semel ædificatum, causa demoliendi redditur durissima, meliúsque sit jura intacta servari, quàm post causam vulneratam remedium quærere, unde etiam nuncians non tenetur ad exspectationem, cautionem de opere novo destruendo, si ædificans de jure ædificandi non docuerit, sed tenetur ædificans exspectare per tres menses, ut nuncians suum præjudicium ex ædificatione sibi imminens probare valeat. *c. fin. h. t.* Notandum secundò, non sufficere, nunciantem pati opus novum destrui, sed requiri, ut id fiat propriis sumptibus ædificantis. *c. 2. h. t.* & *ibi* Gl. *in not.* & Abb. *not. 2.* faciendúmque id ipsum à successore ædificantis post nunciationem, modò tamen successor ratam habuerit ædificationem cæptam aut perfectam post nunciationem, vel sciens factam nunciationem, ipse prosecutus fuerit ædificationem; sicut enim conceditur hoc interdictum hæredi nunciantis, sic datur contra hæredem nunciati, seu prohibiti ædificati. Host. *in c. 2. h. t.* Gl. *ibid. v. expensis.* Abb. *n. 8.* Pirh. *h. t. n. 9.* juxta *L. prætor. §. hoc interdictum. ff. h. t.* quin etiam transit in singularem successorem, v. g. in emptorem, dum, postquam nunciatus prædium vendiderit, emptor tenetur destruere, quod in eo ædificatum post nunciationem, quia non in personam, sed in rem datur. *L. fin. ff. h. t.* Lauterb. §. 29. Notandum tertiò, quòd, si is, cui opus novum nunciatum, velit probare sibi jus ædificandi competere, admitti non debeat ad probandum ante destructionem novi operis, seu priusquam omnia reducat ad pristinum statum, non secus, ac spoliator volens probare, jus proprietatis sibi esse in re, quâ alium spoliavit, audiendus non est ante restitutionem spoliati in possessionem; ita Pirh. *n. 10.* Notandum quartò, quod teneatur nuntiatus desistere ab ædificando, &, quod ædificatum est, destruere, non tantùm, ubi justè nunciatus seu prohibitus est, utpote jus nullum ædificandi habens, sed etiam, quando injusta fuit nunciatio, id, inquam, publicæ pacis & tranquillitatis causâ ita statutum, ne, si post nnnciationem licitum esset nunciato excipere contra eam, & paratum se offerre ad jus suum probandum, ac ita remorandi destructionem, dum interim si nuncians negaret hoc jus, occasio daretur rixarum, & facilè ad arma deveniretur; item ne, si spretâ titulo injustitiæ nunciatione pergeretur ædificari, incurratur contumacia contra Prætorem seu Judicem, quem adeundo pro remissione operis viâ juris, se tueri poterat nunciatus, in cujus contumaciæ pœnam suis sumptibus tenetur destruere opus novum. Mol. *l. c. d.* 706. *n.* 2. Gail, *L. 1. obs. 16. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 12.*

2. Resp. Secundò: Effectus nunciationis respectu nunciantis unus est amissio possessionis, de quo paulò antè; alter, est, quòd, si injustè nunciaverit, teneatur actione injuriarum. *L. 13. §. fin. ff. de injur.* & quod ob turbatam possessionem conveniri possit, v. g. interdicto: *uti possidetis. L. 8. §. 5. ff. si Serv. Vindic.* Lauterb. *l. c. §. 29.* De cætero, dum facta nunciatione utraque pars se committit jurisdictioni Prætoris seu Magistratûs, ut desuper cognoscat, effectus consistit in duplici interdicto, quo & nuncianti & nunciato subvenitur, nimirum demolitorium vel restitutorium, quod competit nuncianti, ejúsque hæredibus & successoribus contra nunciatum, dum is post nunciationem aliquod opus facit, aut illi opus factum ratum habuerunt. *L. 20. ff. h. t.* Lauterb. §. 30. ad demoliendum quidquid ædificatum, quantum autem post nunciationem, nuncians ex instrumento, quod peractâ nunciatione desuper à Notario, si is cum testibus adhibitus, nuncianti demonstrandum, aut si illud deficiat, aliunde probandum, Lauterb. *n. 29.* Et alterum interdictum prohibitorium, quod conceditur nunciato contra nunciatorem, ad hoc, ut prohibeatur impedire opus, si intra tempus constitutum, de jure prætenso non docuerit, aut ei cautum sit, is autem oblatam cautionem idoneam ob illegitimam causam non acceptavit. *L. 20. §. 9. & seq. ff. h. t.* Lauterb. §. 32. quem vide.

Quæst. 428. *Num effectus nunciationis sit, posse eâ factâ & spretâ nunciatorem propriâ authoritate violenter impedire ædificationem, aut ædificationem destruere?*

1. Resp. Primò: Si quis in eo fundo, quem quis possidet, aliud novum opus ædificare molitur, & post nunciationem ab opere non desistit, potest possessor seu nuncians propriâ authoritate, etiam per vim tale opus impedire, & factum destruere, modò id fiat non ex intervallo, sed in continenti, quin & ipsum poterit absque ulla nunciatione operis. Zoes. *in L. 3. §. 9. ff. de vi & vi armata.* & alii communiter, Arg. *L. sed si. ff. de servit. urban.* ex ea ratione, quòd in tali casu vis vi repellatur, quod omni jure permissum. *c. si verò. de sent. excom. L. 1. §. 27. ff. de vi & vi armata.* idque tamen non tam vi nunciationis, quàm vi interdicti, *quod vi vel clam.*

2. Resp. Secundò: Si quis in suo opus novum ædificet, quod tamen in alterius præjudicium cedit, hic propriâ authoritate in continenti ante factam à se nunciationem, illud violenter impedire, aut destruere nequit. *L. de pupillo. §. 10. ff. h. t.* quia in suo ædificans ante nunciationem alteri vim inferre non censetur.

3. Resp. Tertiò: Ædificans in suo & post factam ei nunciationem pergens ædificare, potest etiam vi adhibitâ propriâ authoritate à nunciante impediri, & quod ædificatum destrui, idque non tantùm in continenti, sed etiam, dum nunciatus auditâ nuncia-

nunciatione ad tempus ab opere cessavit, donec nuncians discedat, ac postea nunciante inscio pergit denuo ædificare; quia talis nunciatus in hoc casu adhuc vim injustam infert nuncianti, non obstante ad tempus cessatione illâ, & postea reassumptâ ædificatione sine permissione nunciantis, ut fusè citatis textibus *L.* 1. *&* *L.* 20. *ff. quod vi aut clam.* probat Reiffenst. *h. t. n.* 25. *& seq.* quem vide, secundum verò omnes leges & jura licitum est, vim injustam vi repellere.

Quæst. 429. *Quibus casibus & modis cesset nunciatio novi operis, ita, ut vim & effectum non habeat?*

1. Resp. Primò: Nunciatio alia ab initio est nulla, nimirum ex defectu unius vel alterius ad illam requisiti, aut quia hìc & nunc locum non habet, & de hac quæri non potest, qualiter cesset, quia nunquam fuit, & talis est, dum jus ædificandi est notorium, & consequenter nunciatio frivola, injusta, & nullum effectum habens, adeóque impunè contemnitur citra factum hominis. Zoes. *h. t. n.* 3. Abb. *in c.* 1. *h. t. n.* 10. Mol. *l. c. n.* 2. Gail. *l. c. obs.* 16. *n.* 4. Pirh. *n.* 4. ex ea ratione, quòd leges & jura nolint favere deceptionibus & injuriis, qualiter illis faverent, si vellent, ut nunciatus cesset ædificare, etiamsi notoriè jus haberet ædificandi, & nuncians nullum jus prohibendi, ùt Abb. Mol. Pirh. contra Fachin. *Controv. L.* 8. *c.* 44. non obstantibus legibus 1. *&* 20. *ff. h. t. & L.* 1. §. *parvi. ff. quod vi aut clam.* quibus dicitur, nunciationem habere locum & effectum, sive fiat jure, sive injuriâ, quia similia jura intelligenda non de nunciatione manifestè & notoriè injusta, sed de ea, de qua aliquo modo dubitatur, num sit valida & justa, an verò injusta, quo casu, etsi appareat, vel æstimetur injusta, nihilominus obligat nunciatum desistere ab opere. Pirh. *l. c.* Reiffenst. *n.* 30. & alii communius.

2. Resp. Secundò: Alia nunciatio, quæ ab initio erat valida, quæ morte & remissione interveniente cessat, seu extinguitur, morte quidem nunciantis, si is moriatur re adhuc integrâ, seu priusquam quid ædificatum; secus si is moriatur, postquam cœptum ædificare aliquid, tunc enim effectus illius, scilicet interdictum restitutorium & demolitorium transit ad hæredes nunciati. *L.* 20. §. 6. *ff. h. t.* morte verò nunciati non extinguitur nunciatio quò ad obligationem cessandi & demoliendi, quod ædificatum; ratione hujus diversitatis existente, quod nunciatio ex parte nunciantis sit personalis, adeóque hujus morte extinguitur, nisi quis suo & hæredum nomine nunciaverit, respectu verò nunciati, sit realis, quia fit in rem, juxta *L. operis. ff. h. t.* ac ita distinguitur. *L. non solùm. ff. h. t.* junctâ Gl. *v. etiam hæredis.* Pirh. *h. t. n.* 15. Lauterb. §. 33.

3. Resp. Tertiò: Remissione, eáque privatâ vel publicâ, extinguitur nunciatio. Privatâ quidem, quæ fit propriâ authoritate domini nunciantis, aut per Procuratorem illius instructum speciali ad hoc mandato. *L.* 13. §. 1. *&* 2. *ff. h. t.* & *L.* 7. §. 1. *ff. quib. mod. pignus solv.* motu spontaneo vel pacto, & conventione inter eos, quorum interest, nimirum inter nunciantem & nunciatum. *L.* 1. §. 10. *ff. h. t. L.* 20. §. 2. *ff. quod vi aut clam.* Lauterb §. 34. Posse quoque cognatis competere jus privatâ authoritate destruendi, quod alias habet dominus, si alius in fundo ab illo possesso ædificat, non obstante *L.* 13. *ff. quod metûs causâ.* tradit Lauterb. §. 37. cùm legislatores quandoque ob necessitatem & privatorum utilitatem possunt concedere aliquid privatæ authoritati. Arg. *L.* 3. *ff. de J. & J.* De cætero fieri quoque potest hæc remissio, seu extinctio interveniente facto denunciati, dum nimirum is præstat satisdationem de opere propriis sumptibus destruendo, si apparuerit, jus sibi ædificandi non fuisse, vel etiam cautionem de super: sicut enim prætor nuncianti dedit jus privatum prohibendi ædificationem, ita & nunciato concessit remedium extra judicium privatim præstandi vel offerendi satisdationem de præstando, quanti res illa erit, quo casu poterit nunciatus opus continuare, & sic utrique parti consulitur. Lauterb. §. 35. juxta *L.* 1. §. 2. *L.* 5. §. 17. *L.* 8. §. 2. *L.* 12. *L.* 20. *ff. h. t.* Idem esse dicens, & cessare nunciationem, juxta *cit. L.* 5. §. 17. *&* *L.* 20. §. 5. si nunciatus arbitrio boni viri paratus sit ad satisdandum, sed ex causa insufficiente per nunciantem steterit, quò minùs satisdetur; procedítque idipsum, etiamsi constiterit, nunciatum jus non habuisse ædificandi, si nunciatus satisdationem recepit. Pirh. *h. t. n.* 16. ùti etiam, quando periculum in mora ex dilatione ædificii imminet volenti ædificare, cùm tunc denuntians teneatur admittere cautionem, multóque magis satisdationem oblatam. Abb. *in c.* 2. *h. t. n.* 9. Gail. *L.* 1. *obs.* 16. *n.* 8. Mol. *cit. d.* 706. *n.* 45. Arg. *L.* 5. §. 12. *ff. h. t.* quam aliàs non tenetur admittere, si constiterit de non-jure ædificantis, neque apparente ædificantis iniquitate etiam post tres menses admitti potest satisdatio aliàs idonea, sine nota injustitiæ, multóque minùs obtrudi nunciatori invito, volenti statim probare non-jus ædificantis. De cætero Judicis arbitrio relinquitur, quando satisdatio admitti debeat. Lauterb. *cit.* §. 35. citatis Struv. & Carpz. Publicâ, quæ fit vel immediatè à lege, quando nimirum impunè spernitur à nunciato, v. g. ob publicum interesse vel moram damnosam volenti ædificare, de quo paulò pòst plura, vel quia fit in loco jam per litispendentiam controverso. Mev. *p.* 2. *decis.* 180. Lauterb. *l. c.* qui etiam huc reducit nunciationem notoriè frivolam & injustam, legibus in his casibus extinctionem statuentibus, vel quæ fit interpositâ authoritate Prætoris vel Magistratûs, dum nimirum is nunciante volente, in nunciantis justificatione præstare petitum à se juramentum calumniæ, quod nunciationem non faciat ex odio & invidia, aliáve periculosâ & perversâ intentione remittit. *L.* 5. §. 14. *ff. h. t.* & *ibi* Brunnem. *n.* 11. Lauterb. §. 36. Item, si quis procuratorio nomine nunciavit, & non satisdedit, dominum seu principalem id ratum habiturum. *L.* 5. §. 18. *&* *L.* 13. *ff. h. t.* Item Prætor ipse, si causâ cognitâ nunciantem non habere justam causam nunciandi, & alterum habere justam causam ædificandi, potest nunciationem factam remittere. Lauterb. *l. c.* juxta *L.* 1. *&* 21. § 2. *ff. h. t.* Unde etiam ante cognitionem, si appareat de non-jure, nunciationem prohibere potest, non tamen inscià parte. Lauterb. *l. c.* siquidem, ùt Idem cum Mevio, in hac materia nunciationis regulariter conceditur appellatio à sententia, quâ tamen durante, non datur permissio ædificandi, quæ tamen appellatio in casibus ædificiorum propter interesse publicum excluditur in pluribus locis, nisi fortè opus novum planè insolitum exstruatur, ùt Mevius *p.* 3. *decis.* 379.

Præter dictos modos inhibendi nov m opus datur etiam nunciatori actio negatoria & confessoria, de quibus vide Lauterb. §. 38.

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis & Excesibus Privilegiatorum.

CAPUT I.

De Privilegii Natura, Varietate, Acquisitione, Communicatione.

Quæst. 430. *Quid sit Privilegium?*

Resp. Privilegium non acceptum (uti quandoque accipi solet) pro rescripto & instrumento, in quo gratia, beneficium, indulgentia Principis continetur, nec pro ipso actu, quo conceditur, etsi is dicatur beneficium, sed pro ipso jure, gratia seu beneficio concessis alicui à Principe, latè quidem sumptum dicitur lex privata, quâ certæ personæ particulari, Collegio, Universitati, Monasterio, Religioni, Ecclesiæ, Civitati (quæ personæ fictæ seu mysticæ dicuntur *L.* 4. §. 3. *ff. de censib.* Lauterb. *in ff. Lib.* 1. *tit.* 4. *de constitutionib. Princip.* §. 28. *in fine.*) ex Principis favore & gratia conceditur facultas aliquid agendi vel omittendi aut percipiendi præter vel contra legem seu jus commune; magis verò strictè seu propriè sumptum Privilegium definitur; quòd sit facultas seu jus singulare vel speciale contra vel præter jus commune concessum agendi, &c. ad distinctionem legis, quippe quæ propriè talis respicit bonum commune & obligationem inducit; Privilegium verò bonum & commodum privati nullam obligationem inducens respectu illius, cui datur, cùm nemo beneficio sibi concesso uti cogatur, sed ad summum respectu aliorum, quibus vi Privilegii præcipit, ut illud servari faciant, vel prohibetur, ne privilegiatum impediant, ob quam rationem veluti secundariò dici posset lex. De cætero dicitur: *Contra vel præter jus commune*; quia quod jure communi competit frustra per privilegium impetratur. Arg. *L.* 1. *C. de thesau.* & quamvis quandoque aliqua à jure permissa à Principe denuo concedantur ob majorem nimirum eorum confirmationem & securitatem, non sunt tamen Privilegia propriè dicta, sed potiùs declarationes juris communis, vel naturalis, tametsi specialem favorem & beneficium contineant. Pirh. *h. t. num.* 3. Reiffenst. *num.* 8. Unde etiam à Suar. & aliis rationem privilegii habere dicuntur. Differunt autem privilegia contra jus à privilegiis præter jus in eo, quòd privilegia contra jus consistant in exemptione ab iis, quæ jure communi præstanda sunt, v. g. à solvendis decimis, à jurisdictione Ordinarii & similibus, & hæc magis strictè privilegia sunt, quorum quidem materia jure non est prohibita, sed tamen non nisi certis personis jure permissis conceditur, quale privilegium est potestas absolvendi à reservatis, dispensandi &c. & dicitur potiùs beneficium Principis. Reiffenst. *h. t. num.* 7. differunt quoque in eo, quòd privilegium, quia est contra jus, sit strictæ interpretationis, *c. porrò. & c. sanè h. t.* Privilegium præter jus verò, cùm sit meræ gratiæ ac beneficium Principis citra ullam juris communis læsionem, latè interpretari debeat, Reiffenst. *num.* 9.

Quæst. 431. *Qualiter igitur Privilegium differat à dispensatione?*

Resp. Differre ex eo volunt aliqui cum Rebuff. *praxi benef. tr. de concordat. tit. forma mandat. Apost. v. dispensationum*, quòd ad dispensandum causa requiratur, ita ut eâ non existente dispensatio sit nulla, quod tamen universaliter verum non esse ait Pirh. *h. t. num.* 5. eò quòd privilegium quoque, saltem quod est contra jus, sine causa dari non possit, unde asserit privilegium in communi differre à privilegio tanquam genus à specie, non differre autem dispensationem à privilegio accepto specificè pro privilegio contra jus, idque procedere, si concedatur dispensatio per modum legis privatæ ad operandum ordinariè & stabiliter contra jus aliquod commune, cùm tale privilegium sit permanens dispensatio; secus, si dispensatio concedatur ad abstinendum pro uno alterove die à carnibus, cùm talis dispensatio non possit dici privilegium, quia per modum legis non stabilitur, nec jus permanens conceditur, sed est quid facti quasi transeuntis, non secus ac præceptum temporaneum non est lex, & consequenter dispensatio in eo non est privilegium, ita ferè Pirh. *l. c.* cum Laym. *L.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *num.* 5. confirmans idipsum exemplo dispensati v. g. ab impedimento matrimonii, qui dici non potest privilegiatus, quia eo impedimento semel sublato operatur juxta communem.

Quæst. 432. *Quotuplex sit privilegium?*

1. Resp. Primò: Privilegium variè dividitur; nam aliud est personale, aliud reale, *c. mandata de præsumpt. L. privilegio. ff. de R. I.* Aliud mixtum. Personale est, quod proximè, immediatè & directè confertur personæ quâ tali in favorem & ratione personæ, eique tanquam subjecto inhæret, & absque ulteriore extensione ad hæredes sive sui sint, sive extranei cum ea extinguitur. *L.* 14. *L.* 16. *ff. de LL. L.* 13. *ff. solut. matr. L.* 68. & *L.* 169. *ff. de R. I.* Lauterb. *l. c.* §. 28. Pirh. *h. t. num.* 6. Conceditur autem non tantùm certo individuo personæ, v. g. Titio, Mevio &c. quod privilegium dicitur singulariter personale, sed & certo personarum generi, v. g. Clericis, Doctoribus, Scholaribus, Militibus, Minoribus, Pauperibus, Fœminis, &c. Lauterb. Pirh. *ll. cit.* hæc tamen privilegia etsi & hæredes non transeant vel transferantur, per benevolam tamen interpretationem & ob specialem rationem juris, ne inutilia sint iis, quibus concessa, ad personas iis adhærentes quandoque extenduntur, juxta *c. licet. h. t. in* 6. Lauterb. §. 29. Sic, ut Idem §. 30. Salvus conductus concessus domino extenditur ad famulos ei ad serviendum necessarios. Sic privilegium fori & immunitatis competens Clericis ad eorum famulos

mulos & colonos extenditur, si sine hac extensione Clerici hoc suo beneficio frui non possunt, præsertim si famuli obligati sint servire perpetuò Clericis, *L.* 2. §. 1. *& fin. c. de Episc. & Clericis.* sic privilegio immunitatis, quod habet Princeps in bonis suis, fruitur colonus & emphyteuta, *L.* 10. *C. de exc. muner.* Item medici militum fruuntur eorum Privilegiis. *L.* 33. §. 2. *ff. ex quib. caus. maj. &c.* licet autem dictarum personarum servi familiares, domestici fruantur effectu privilegii dominorum &c. hoc tamen illis concessum dici nequit. *c. fin. de V. S. in 6.* Lauterb. §. 31. & dicta extensio privilegii ad illos per mortem domini, cui principaliter concessum erat, in famulis exspirat. Reale privilegium est, quod proximè & directè confertur rei, loco, muneri, dignitati, causæ, & in consequentiam personis, quæ rem, locum, officium, causam habent, unde ad hæredes quosvis & alium quemcunque transit tale privilegium, ad quem res illa v. g. prædium, munus, dignitas, causa, pervenit *cit. L.* 68. *& L.* 196. *ff. de R. I.* Privilegium mixtum dicitur, quod partim personale, partim est reale, quia multùm de natura Privilegiorum participat, qualia sunt, quæ conceduntur certo corpori aut collegio personarum (unde & aliquibus privilegia corporalia vocantur) quæque non tantùm competunt illis, qui de facto in tali corpore vel collegio vivunt, sed transmittuntur etiam ad eorum Successores. Reiffenst. *h. t. n.* 14. Pirh. *num.* 6. qui etiam huc refert privilegia, quæ certo personarum generi competunt, eò quòd, licet communiter personalia vocentur secundum dicta paulò suprà, non tamen merè respectu personæ, sed etiam ratione rei intervenientis læsionis vel ratione statûs & dignitatis, officii, muneris aut conditionis ipsis adhærentis competunt, unde etiam ad Successores in officio vel dignitate transeunt, quod proprium est privilegiis realibus, qualia esse dicit Pirh. Privilegium SCti Velleiani concessum fœminis, ne ex fidejussione obligentur, & SCti Macedoniani concessum filiisfamilias, ne ex mutuo sine consensu patris accepto obligari possint. Huc quoque reduci potest Privilegium Prælationis in dote, vi cujus uxor omnibus Creditoribus mariti, etiam expressam anteriorem hypothecam non æque privilegiatam habentibus præfertur, juxta *L.* 12. §. 1. 2. *qui pot. in pign.* & juxta quod in Camera Imperiali judicatum esse, refert Mynsing. *centur.* 4. *obs.* 13. *num.* 4. *& seq.* De cætero in dubio, an privilegium sit merè personale vel reale, ex materia, causa & tenore illius colligendum, ita ut, si natura, qualitas seu materia privilegii ordinariè personis solùm particularibus congruat, dum v. g. facultas agendi conceditur propter singularem personæ industriam, prudentiam, item, si in personam dirigantur verba, etiamsi fiat mentio officii, quod gerit, dicendo v. g. concedimus Titio Præposito Ecclesiæ Trevirensis. Item, si causa impulsiva concessionis sint merita personæ vel majorum illius, censenda sint personalia; si verò intuitu rei sine expresso nomine personæ & transitura in successores in re, seu officio, censenda sint realia. Et si his omnibus consideratis adhuc perseveret dubium, considerandum, num sit merè favorabile, hoc est, neque derogans juri communi, neque alteri præjudicans, præsumitur reale, utpote quod tanquam merum beneficium, quod perseverare oportet, juxta *L. fin. ff. de constit. Princip.* an verò odiosum seu exorbitans à jure, vel alteri præjudiciosum, & hinc non transiturum ad alios, & hoc regulariter habendum pro personali, Arg. *c.* 28. *de regul. juris. in 6.* Ac ita ferè docent Suar. *L.* 8. *de ll. c.* 3. *num.* 18. Castrop. *tr.* 3. *d.* 4. *p.* 2. §. 1. *num.* 6. Haunold. *tr. proœm. n.* 160. Donat. *Tom.* 1. *prax. regular. tr.* 4. *q.* 3. *num.* 2. Gail. *L.* 2. *obs.* 2. *num.* 13. *&* 14. Franzk. *in ff. de const. Princ. num.* 39. *& seq.* Lauterb. *ibid.* §. 36. Pirh. *h. t. num.* 7. Reiffenst. *n.* 16. Wiestn. *num.* 18.

2. Resp. Secundò: Privilegium aliud est merè gratuitum, quod ex mera concedentis gratia absque intuitu & compensatione meritorum proficiscitur, habet tacitè hanc conditionem, ut tam diu duret, quamdiu Principi ejúsve Successori placuerit. Aliud remuneratorium, quod datur in remunerationem meritorum, v. g. laborum, molestiarum, fidelitatis, expensarum in bello, conversione infidelium præstitorum seu exantlatorum, qualia privilegia etsi in dubio, quin & ex natura sua, cùm exigant & supponant merita, quæ in Successoribus & Hæredibus deficiunt, censeantur personalia, quatenus regulariter non egrediuntur personam benè meriti, Arg. *L.* 1. *ff. de const. Princip.* & juxta paulò antè dicta. Pet. Barb. *in L.* 14. *ff. solut. mat. num.* 14. possunt tamen quandoque esse realia, quatenus aliquando ob merita unius possunt & solent toti familiæ, religioni, provinciæ, ac ita perseverare, personâ bene meritâ defunctâ & personam illius adæquatam non egrediuntur. Wiestn. *h. t. n.* 20.

3. Resp. Tertiò: Privilegium aliud per se est perpetuum, quod vel rei de se perpetuæ adhæret, vel conceditur sine limitatione temporis, non quòd amitti non possit, sed quia per se durat, donec revocetur, vel alia de causa amittatur. Aliud est temporale, quod datum est pro determinato tempore, v. g. ad decennium, vel ad dies vitæ privilegiati, quo etiam spectat privilegium datum sub conditione, quæ lapsu temporis finitur; Item datur à Principe, donec decesserit, vel sub clausula: Usque ad placitum meum, quod beneplacitum, & consequenter privilegium morte concedentis exspirat. *c. si gratiose. de rescript. in 6.* Secus si privilegium conceditur ad Sedis Apostolicæ beneplacitum, quia hæc Sedes non moritur, ideóque tunc privilegium perpetuò durat, usque dum à Successore Papæ concedentis revocetur, *cit. c. si gratiosè.* ita Pirh. *n.* 7. Reiffenst. *num.* 18.

4. Resp. Quartò: Privilegium aliud est purum, quod nullâ conventione & reciprocâ obligatione interveniente conceditur, & conventionale, quod aliquâ pactione interveniente conceditur, ratione cujus quodammodo emi, & per contractum onerosum comparari censeatur, quæ divisio etsi displiceat Baldo *in l. fin. c. unde liberi. n.* 33. eò quòd privilegium sit gratia, passim tamen ab aliis admittitur; cùm de essentia privilegii non sit esse merè gratiosum, sed concedi quid contra vel præter jus commune, sive illud sit meræ liberalitatis, sive remunerationis, sive debiti compensandi causa id fiat, & ita cum Castrop. *l. c.* §. 3. *num.* 2. Suar. *l. c. c.* 4. *num.* 2. tenent Wiestn. *h. t. num.* 21. Reiffenst. *num.* 19.

5. Resp. Quintò: Privilegium aliud est commune seu communitatis, quod primò ac per se respicit bonum ac favorem communitatis, etsi etiam in ejus membra redundet, quæ huic favori publico renunciare nequeunt, tale est privilegium fori, canonis, competentiæ toti Statui & Ordini Ecclesiastico concessum. Aliud privatum seu singulare, quod primò ac per se respicit bonum & favorem personarum particularium, etsi mediatè redundet

in bonum communitatis, cujus interest imbecillos & injuriis obnoxios defendi, cui favori quilibet privatus renunciare potest, nisi fortè hìc & nunc renuntiatio cederet in præjudicium tertii, sine cujus proinde consensu ea fieri non potest, tale privilegium est beneficium restitutionis in integrum concessum minoribus. Abb. *in c. si diligenti. de foro compet.* Suar. *l. c. c. 6. n. 1.* Haunold. *l. c. n. 168.* Wiestn. *n. 22.* &c.

6. Resp. Sextò: privilegium aliud est clausum in corpore juris, quod certis rebus aut certo personarum generi, vel etiam uni in particulari personæ vel loco, etsi aliàs contra vel præter tenorem juris communis concessum, ejus tamen corpori insertum reperitur. Aliud extra corpus juris, quod per speciale rescriptum, aut literas Principis alicui personæ vel loco concessum, citra quòd ejus de eo jure fiat mentio.

Quæst. 433. *Utrum Scripturæ ad substantiam seu valorem privilegii sit necessaria?*

RESp. Regulariter non requiritur. Arg. *c. institutionis. 25. q. 2.* & *ibi* Gl. v. *præsentia.* & *Clem. 2. §. nos enim. de sepult. ubi:* universa privilegia, gratias, indulgentias verbo seu scripto concessa &c. juncta Gl. *v. verbo.* Sylv. *v. privilegium. num. 14.* Azor. *p. 1. l. 5. c. 23. q. 11.* Suar. *L. 8. de il. c. 2. num. 2.* Mol. de *J.* & *J. tr. 2. d. 599. num. 1.* Laym. *L. 1. tr. 4. c. 23. num. 15.* Pirh. *h. t. num. 4.* nullum siquidem jus positivum, nec etiam jus naturæ illam scripturam requirit ad valorem vel effectum privilegii, sed sufficit potestas & voluntas concedentis declarata, sive verbo sive scripto; quamvis interdum requiratur scriptura ad probationem & firmitatem privilegii. Arg. *c. porrò h. t.* Unde & gratia ante literarum expeditionem in ordine ad probationem dicitur imperfecta. Castrop. *tr. 3. d. 4. p. 3. §. 1. n. 2.* quin & in quibusdam privilegiis requiritur ad eorum valorem, hinc dixi: *regulariter non requiri*; sic enim non tantùm collationes, confirmationes, uniones beneficiorum factæ à Sede Apostolica (quæ rationem privilegii propriè talis non habent; idem est de designatione Judicum à Papa delegatorum, qui sine literarum expeditione judicium inchoare non possunt. Mol. *l. c. num. 2.* Sanch. *L. 8. de mat. d. 29. num. 10*) sunt irritæ, apprehensâ eorum possessione ante expeditas desuper literas, ita ut beneficiatus tanquam intrusus & violentus possessor fructus non faciat suos, & privetur ipsis beneficiis obtentis. *Extrav. injuncta. inter com. de election.* Azor. *p. 1. Inst. mor. l. 5. c. 2. q. 5.* Haunold. *tr. proœm. num. 178.* verùm etiam privilegio indulta facultas non residendi in beneficiis curatis non valet, nisi in scripto data ab ordinario ex decreto Trid. *sess. 23. de reform.* item facultas ingrediendi clausuram monialium, quæ rationem privilegii habet, absque licentia obtenta in scriptis: Trid. *Sess. 25. c. 5. de regular.*

Quæst. 434. *An ad substantiam & valorem privilegii requiratur causa illud concedendi?*

RESp. Tametsi ad concessionem illius licitam requiratur causa, ut habet communis & indubitata, cùm facta contra jus absque causa adversetur justitiæ distributivæ, imò & legali exigentibus, ne quis à communi obligatione eximatur sine causa, sapiatque talis exemptio prodigalitatem & acceptionem personarum, ut cum Suar. *l. c. c. 22. num. 2.* & Castrop. *l. c. p. 5. num. 1.* Wiestn. *h. t. num. 11.* etsi autem hinc præsumatur causam adfuisse, hâc tamen deficiente validè esse factam, cum item communi tenent iidem Suar. *l. c. num. 3.* Castrop. *num. 2.* ex ea ratione, quòd, cùm lex eo ipso, quòd dependeat à voluntate legislatoris, etiam nullâ causâ exigente tolli potest respectu omnium, ideoque non sit ratio respectu personæ vel loci particularis, & ea eximi possit speciali favore & privilegio. Neque contrarium deduci potest ex concessione indulgentiarum, quæ etiam validè à Papa concedi nequeunt sine causa, ùt habet ferè communis Theologorum cum D. Tho. *in supplem. q. 25. a. 2.* nam illas etiam Papa concedit, non tanquam dominus, sed tanquam dispensator thesauri meritorum Christi, qui non censetur consentire in dispensationem, nisi factam salubriter, id est, ex rationabilibus causis, secundùm *Extrav. unigenitus. 2. inter comm. de pœnis & remiss.* Castrop. *l. c. p. 5. num. 2.* Gobat. *tr. de indulgent. n. 86.* Wiestn. *n. 12.*

Quæst. 435. *An & quæ requiratur promulgatio & notitia publica concessi privilegii?*

RESp. Respectu aliorum, ne hi in privilegii usu impunè privilegiatum impediant, certum & indubitatum videtur, requiri promulgationem aliquam & notitiam publicani, quia respectu illorum rationem legis obtinet, quæ, ùt obliget, manifesta esse debet, idque præsertim, si privilegio juri tertii derogetur, v. g. dum persona vel monasterium eximitur à jurisdictione Ordinarii, in quo casu notitiam illius publicam, quæ sine promulgatione illius non habetur, etiam ad valorem necessariò requiri, eò quòd Papa præsumatur non velle aliquem non monitum & omnino insciùm privare jure suo per aliquem istius juris ignarum, non sine turbatione tranquillitatis Reipublicæ Christianæ asserit Wiestn. *num. 13.* citatis pro hoc Suar. *l. c. c. 24. num. 6.* & Castrop. *l. c. p. 3. §. 2. num. 8.* Respectu verò privati res se sic habet, ita ut, si is sit communitas, sufficit illi innotuisse privilegium impetratum à Superiore illius acceptatum, v. g. potestas absolvendi à reservatis, censuris, dispensandi in votis, juramentis &c. ita ut gaudeant singula talis communitatis membra talibus privilegiis, etsi nihil sciant de iis collatis; si autem privilegiatus sit persona aliqua particularis, illi quidem ignoranti concedi potest privilegium à Principe motu proprio seu citra petitionem privilegiati, de facto tamen regulariter vim & effectum habere non censetur, nisi cùm ei innotuit & acceptatum fecit. Quòd autem ante impetrationis notitiam utendo privilegio, qui illud petiit, peccet, non obstat valori privilegii, ùt patet in eo, quid dispensationem ad matrimonium cum consanguinea petiit; qui etsi peccet contrahendo illud ante notitiam impetrationis, validè tamen contrahit, si revera dispensatio fuerit impetrata, ùt Wiestn. *num. 15.* citatis Sanch. *L. 3. de mat. d. 36. num. 8.* & Haunold. *cit. tr. proœmial. num. 179.* De cætero dixi: *regulariter* non habere effectum ante notitiam concessionis privilegii; nam excipitur casus, dum Princeps per se & motu proprio concedens privilegium vult illud statim à die concessionis habere suum effectum, quod non excedit potestatem Principis, modò tamen postquam innotuit privilegiato,

vilegiato, acceptetur ad exemplum legati, quod relictum in testamento secutâ ex post facto notitiâ & acceptatione illius cedit & debetur legatario à die mortis testatoris, juxta *L. si tibi homo. ff. de legat.* item exemplo collationis beneficii factæ ignoranti, quæ etsi non tribuat jus in re ante notitiam & acceptationem, bene tamen jus ad rem, secundum plures A. A. ita ut sine dissensu seu repudiatione illius, cui collatum, non possit conferri alteri, juxta *c. si tibi absenti. de præbendis in 6.* & tum denique jus in re, ubi collatio innotuit collatario, isque eam acceptavit, & sic in genere in rescriptis gratiæ non attenditur tempus præsentiæ, sed tempus datæ, ita ut statim ac datæ habeant suum effectum, juxta *c. eam te. de rescript.* & talia sunt privilegia propriè talia, quæ tantùm à privilegiato auferunt onus aliquod, v. g. solvendi pœnam, decimas &c. his enim mox, ùt expedita fuerunt, liberatur ab onere privilegiatus. Item privilegia ad supplicationem ipsius privilegiati, aut intervenientе ejus Procuratore impetrata, cùm eo ipso, quo privilegiatus aut ejus Procurator supplicat, jam adsit ejusdem etiam ignorantis concessionem acceptatio, ex altera parte adsit voluntas concedentis, adéoque privilegium jam sit perfectum.

Quæst. 436. *An acquiri possit privilegium per legitimè præscriptam consuetudinem?*

Resp. Affirmativè, juxta *c. novit. de judiciis.* juncta Gl. ubi consuetudo & privilegium æquiparantur; & *c. super quidam. de V. S.* ubi: quòd jus exigendi pædagia & tributa acquiri possit per consuetudinem; & *c. de quarta.* & *c. cum olim. de præscript.* ubi idem dicitur de exemptione à talibus, quod etiam consuetudine acquiratur. Item Arg. *c. duo simul. de offic. Ordinarii.* & *c. cum contingat. de foro compet.* ubi: quòd consuetudine acquiratur jurisdictio. Non tamen omnia, quæ acquiri possunt privilegio, acquiri possunt consuetudine. Fagn. *in cit. c. cùm contingat. n.* 8. & 11. Sunt enim nonnulla, quæ Privilegio Apostolico acquiri possunt, non tamen consuetudine seu præscriptione, idque præcipuè, ubi consuetudo est jure reprobata, Arg. *cùm instantia. de censib.* ubi: quòd Privilegio Apostolico possit quis eximi à Procurationibus, non autem præscriptione & consuetudine.

Quæst. 437. *An & qualiter privilegium acquiri possit communicatione?*

Resp. Primò communicatione, (quæ consistit in participatione & concessione quadam, quâ Superior privilegium priùs concessum uni tantùm personæ vel communitati reddit commune, seu concedit quoque alteri, seu extendit ad alium) utique acquiritur ab eo, cui conceditur, non secus ac concessione Principis factâ alicui primò: Fitque vel absolutè, plenè ac perfectè, dum personæ vel communitati communicatur de se, ac sine respectu ad alios, quibus jam concessum, ita, ut illa per se & independenter ab aliis eo frui possit, non secus, ac si specialiter & primò illi concessum fuisset, qualem pleniſſimam communicationem privilegiorum hodiedum inter se habent omnes Ordines Religiosi mendicantes, teste Reiffenst. *h. t. num.* 55. juxta quod patet ex Constitutionibus variorum Pontificum, ac præsertim Julii II. Leonis X. Pii V. & Clem. VIII. quæ posterior incipit: *Ratio pastoralis*; éstque dicti Pontificis 51. *in Bullar. Tom.* 3. & refertur ad fusum à Reiffenst. *n.* 57. Atque ita in specie asserit Reiffenst. *n.* 63. Ordines mendicantes communicare cum privilegiis Societatis Jesu, etiam non obstante, quòd aliqua privilegia Societati concessa sub clausula, ne communicentur aliis Ordinibus mendicantibus, quale est illud de Ordinibus suscipiendis à Gregorio XIII. concessum in Bulla: *Utile & pium.* 77. *in Bullar.* cujus tenorem vide apud Reiffenst. *l. c.* qui pro hoc suo asserto citat Dian. *p.* 3. *tr.* 2. *resol.* 81. Rodriq. *Tom.* 1. *qq. q.* 55. *a.* 7. Mirand. *man. Prælat. Tom.* 2. *q.* 46. *a.* 5. *concl.* 2. Herink *d.* 4. *de LL. q.* 6. *n.* 75. Donat. *p.* 1. *Tom.* 1. *tr.* 7. *q.* 8. additque rationem, quòd subsequentes Pontifices de novo sine dictis limitationibus pleniſſimam fecerint communicationem, & confirmationem privilegiorum mendicantibus, quem vide de hoc ulterius. *n.* 65. vide de hoc me *Lib.* 1. *q.* 583. Vel fit imperfectè & relativè, dum nimirum fit aliquibus non propter se, sed ob connexionem, quam habent cum aliis per se, seu perfectè jam privilegiatis, v. g. certarum Religionum Advocatis & Medicis; ita Donat. *p.* 1. *Tom.* 1. *tr.* 7. *q.* 1. cum communi. Non tamen privilegium concessum uni Religioso communicatur aliis Religiosis etiam ejusdem Ordinis, quia tale privilegium est personale, quòd juxta *Reg.* 7. *Juris in 6.* sequitur personam, & cum eadem extinguitur; & plerumque in aliis cessat ratio concessionis, v. g. prærogativa meritorum & habilitatis, & quod uni prodest, sæpe alteri nocet. De cætero, si privilegium primò communicatum restringatur, aut usu contrario aboleatur, restringitur aut aboletur idem privilegium existens apud alios. Secundò, sive per communicationem ex ea ratione, quòd hoc privilegium communicatum à primò collato quidem dependeat in produci, non tamen in conservari; cùm privilegia statim, ùt concessa uni, sint propria Religioni alteri habenti communionem cum priore, possúntque quoque Religiosi communicantes in privilegiis uti in judicio privilegio communicato contra alios Religiosos, quibus illud primitus concessum, modò Religiosi communicantes sint rei, vel agant de damno vitando, cùm factâ semel privilegiorum communicatione, quælibet Religio æqualiter & independenter ab aliis participet illa privilegia. Reiffenst. *n.* 70. His non obstante communi Jurisconsultorum dicto: *Privilegiatus contra privilegiatum non utitur privilegio*: nam id procedit, quando utriusque par est causa, secus, si utriusque causa diversa est, & unus certat de lucro captando, alter de damno vitando, in quo casu indemnitatem cupiens prævalere debet, alteri quærenti alienum lucrum. Reiffenst. *num.* 71. qui *n.* 72. aliam ab aliis allatam dicti axiomatis dilutionem refert.

E contra Religiosi communicantes in privilegiis, non communicant in pœnis & prohibitionibus alterius Ordinis; juxta *Reg. Juris in 6.* odia restringi, & favores convenit ampliari, & communem DD.

Quæst. 438. *A quibus conferri possint privilegia?*

Resp. Privilegium propriè & in rigore dictum, quod est contra commune, omnes & soli concedere possunt, qui leges generales condere valent, tum quia juxta dicta suprà est lex quædam privata, unde potestatem condendi leges in concedente supponit, tum quia ab obligatione legis, seu juris communis, quis per privilegium eximitur, quod nemo potest, nisi qui legem condere, & conditam

potest

potest abrogare, per Sylv. *v. privilegium. q.* 2. Suar. *de LL. L.* 8. *c.* 8. *n.* 2. Pith. *h. t. n.* 9. Lauterb. *ad ff. de Const. Princip.* §. 39. cum Gl. communiter recepta *in can. quod autem.* 25. *q.* 2. & communi AA. Idem est de privilegio minùs strictè accepto, pro gratia & beneficio præter seu ultra jus, quia & illud solus concedere potest, qui est supra jus, & qui in eo limites ponere, & præter illud operari potest; unde potestates publicæ tam sæculares, quàm ecclesiasticæ tantùm in rebus iis privilegia concedere possunt, de quibus disponere, & legem ferre queunt. Pirh. *l. c.* cum itidem communi. Sic Papa extra suam ditionem temporalem per se ac directè tantùm in spiritualibus, & quæ illis annexa, ùt sunt decimæ, contractus matrimoniales &c. Prælati verò inferiores Papâ concedere possunt privilegia eximentia à legibus à se aut suo antecessore conditis, utì & in rebus ad se pertinentibus, quæ sunt præter & contra jus commune Pontificium, privilegia concedere possunt; in jure enim canonico communi dispensare nequeunt, nisì quatenus id eis de jure vel consuetudine concessum est, non est autem id eis concessum; ita cum Suar. *cit. c.* 8. *n.* 7. 9. 10. Pirh. *l. c.* similiter Imperator, aliique Principes supremi sæculares in temporalibus tantùm privilegia dare possunt, inferiores verò Principes sæculares superiorem in temporalibus recognoscentes, privilegia propriè talia concedere non possunt, nisì quatenus id iis specialiter à superiore Principe concessum. Suar. *n.* 11. Pirh. *l. c.* qualis concessio tacita colligitur quoque ex eo, quòd præsumitur ex diuturnis moribus, dum nimirum inferior diu jure singulari aliàs sibi non competente usus fuerit, Imperatore vel Principe id sciente, & non contradicente. Lauterb. §. 41. Et hæc in genere, quod verò attinet modernum statum Imperii Romani, etsi Imperator inconsultis & ignorantibus Imperii statibus extra comitia concedere possit privilegia, & nonnullas personas & causas universalium legum vinculo solvere & eximere, ùt Carpz. *de L. Reg. c.* 8. *n.* 8. Paurmeister *de Jur. Imp. Rom. L.* 1. *c.* 4. *n.* 6. quos citat & sequitur Lauterb. *ad ff. de Constitut. Princip.* §. 40. juxta quod quotidianâ constat experientiâ, modò tamen talia privilegia non tendant in magnum Imperii detrimentum, aut non pertinent ad Jura Statibus cum Imperatore communia, maximè in comitiis peragenda, in quibus necessarium esse consensum Statuum, docet Carpz. *cit. tr. c.* 13. *f.* 8. *n.* 15. ipsúmque à pluribus observatum esse, refert Lauterb. *l. c.* Quin &, quòd Principes & Status Imperii ad exemplum Imperatoris habeant jus & potestatem privilegia & immunitates concedendi in suis districtibus vi superioritatis territorialis, carere omni dubio, asserit idem citatis pro hoc Mevio *ad Jus Lubec. q.* 1. *prælim. num.* 39. Myler. *de Princip. & Statib. Imp. Rom. p.* 2. *c.* 46. *n.* 1. *&c.*

Quæst. 439. *Quid & quotuplex sit confirmatio & innovatio privilegii?*

REsp. Nihil est aliud, quàm privilegii jam antè legitimè habiti corroboratio, quæ fit dupliciter, nimirum vel in forma communi, seu ordinaria, vel in forma speciali, seu ex certa scientia. Prior est, quâ jus seu privilegium, prout hìc & nunc reperitur, relinquitur in suo statu ab illo, qui conscius illius tollere vel mutare posset, sive validum sit, sive invalidum, cùm jus nullum novum tribuat, neque, si prius invalidum, revalidet. Confirmatio in forma speciali est, dum superior, qui primò illud concedere poterat, perspectâ rei naturâ, & consideratis considerandis circumstantiis positivè in suo robore permanere jubet, vel, si per non-usum, vel usum contrarium amissum, aut à jure communi, vel ab homine, & per constitutionem in corpore juris communis non clausam revocatum, revalidat; æquivalet siquidem talis confirmatio novæ concessioni, & supplet omnes defectus, qui suppleri possunt, ac solent, éstque in re & effectu nova concessio. Porrò circa confirmationes privilegiorum illud notandum, quòd, si in una Bulla confirmatoria minùs quàm in alia, quæ confirmatur, ponatur, & aliqua privilegia aut favores in una Bulla non confirmentur, per hoc omissa non censeantur revocata, sed relinquantur in suo vigore, quem hìc & nunc habent, & consequenter plenè valeant, si posteriore aliqua Constitutione revocata non sint, aut Decretis Trid. non adversentur. Reiffenst. *h. t. n.* 59.

Quæst. 440. *Num aliis quàm subditis privilegia concedi possint?*

REsp. Non solùm verè & absolutè subditis suis Princeps concedere potest privilegia, sed etiam exteris & non-subditis, si privilegia sint facultatis concessivæ, & meræ gratiæ, solúmque præter legem, & in materia subjecta jurisdictioni Principis, non verò, si sint facultatis dispensativæ, & contra jus; ita Suar. *de LL. L.* 8. *c.* 9. *à num.* 2. Gastrop. *tr.* 3. *d.* 4. *p.* 4. *num.* 2. Pith. *h. t. num.* 10. Ego *L.* 1. *q.* 110. *num.* 2. Ratio prioris est, quòd collatio talis privilegii præter jus non supponat in concedente jurisdictionem, sed est actus meræ liberalitatis, nec privilegium ipsum continet vim coactivam privilegiati, nec vim illius directivam, quia non obligat illum ad culpam aut pœnam, cùm is rem sibi indultam pro libitu potest omittere, adeóque nullam subjectionem infert privilegiati respectu concedentis privilegium, nec hujus superioritatem respectu ejusdem. Sic Princeps in suo territorio tribuere potest potestatem conscribendi militem externo, venandi, exportandi arma, importandi merces alias suis subditis prohibitas, & immunitatem à solvendis vectigalibus; cùm hæc omnia substent ejus jurisdictioni, unde horum omnium privilegiorum capax est non-subditus illius, non secus ac cujusvis donationis sibi factæ ab eo; Ratio prioris est, quòd privilegium contra jus sit privilegium facultatis dispensativæ, quam erga non subditum, utpote non obligatum ejus legibus, exercere nequit.

CAPUT

CAPUT II.

De Privilegiorum Uſu, Interpretatione, Extenſione.

Quæſt. 441. *Num poſſit privilegiatus uti ſuo privilegio in quolibet loco, etiam extra territorium concedentis?*

1. Reſp. Certum eſt primò, & in eo conveniunt AA. quod ſicut privilegii conceſſi abſolutè & abſque ulla limitatione uſus licitus eſt pro omni territorio & loco concedentis, cùm tunc non ſit major ratio pro uno loco, quàm pro alio, & ne aliàs, ſi privilegium non intelligendum pro omni loco, tanquam ambiguum & incertum foret inutile, & ſi voluiſſet privilegians pro aliquo loco ſibi ſubjecto illicitum eſſe, id declaraſſe debuiſſet, cùm aliàs prudenter præſumatur, illum voluiſſe pro omni loco licitum eſſe. Arg. *Reg. Juris. 55. in 6.* & ita expreſsè Suar. *L. 8. de LL. c. 26. n. 1.* Caſtrop. *tr. 3. d. 4. p. 6. n. 1.* Bonac. *d. 1. q. 5. n. 1.* Wieſtn. *h. t. n. 27.* Ita e contra certum eſt, uſum privilegii conceſſi limitatè & determinatè pro certo tantùm loco, invalidum & illicitum eſſe pro alio loco, cùm valor & licitus uſus illius omnino dependeat ab intentione concedentis; ita Caſtrop. *l. c. n. 2.* & cæteri AA. cit. Hæc verò limitatio vel conſtat expreſsè ex verbis, &, ſi hæc ſint dubia & indifferentia, colligenda eſt ex fine & materia conceſſionis juxta tenorem litterarum privilegii.

2. Reſp. Secundò: Certum quoque eſt, uſum privilegii extra territorium concedentis ad actum ſpecialiter ibidem prohibitum, v. g. comeſtionis carnis etiam licitum eſſe pro territorio alieno, in quo is jure communi licitus eſt, cùm quis etiam legibus & ſtatutis propriæ patriæ extra hanc exiſtens non aſtringatur, juxta *c. fin. de Conſtit. in 6.* etiam ſecluſo privilegio uti poſſit, ita e contra in alieno territorio, ubi talis actus legibus communibus, aut ſtatutis ſpecialibus, vel mandatis prohibitus eſt, uſus privilegii non eſt licitus in ſententia eorum, qui docent, exterum tranſeuntem iſta loca ligari eorum Conſtitutionibus, eò, quòd concedens privilegium non habeat poteſtatem remittendi obligationem impoſitam tranſeuntibus talia loca per Superiorem illorum, cùm non ſit Superior illius, prout docent Suar. *l. c. à n. 7.* Salaſ. *d. 17. ſ. 10. n. 54.* Bonac. *l. c. q. 3. p. 6. n. 4.* quos citat ac ſequitur Caſtrop. *l. c. n. 6.* Secus eſt in ſententia docentium, non minùs probabiliter tranſeuntes illa loca per ſe non ligari illorum legibus ſpecialibus, niſi quandoque per accidens ob vitandum ſcandalum, perturbationem Reipublicæ, aliàque incommoda, & tunc etiam in hac ſententia per accidens uti non poterunt privilegio ſuo. Nihilominus tamen Caſtrop. *l. c.* cum Salaſ. *l. c. n. 56.* Bonac. *l. c. q. 3. p. 7. n. 7.* Suar. *l. c.* cenſet ex benigna interpretatione voluntatis Superioris loci, quà quis tranſit, illum præſumere poſſe, ſe obligatum non eſſe ejus legibus, à quibus in territorio proprio exemptus eſt, & ſpecialiter non ſunt illius loci propriæ.

3. Reſp. Tertiò: Si uſus privilegii non ſit contra conſtitutionem alieni territorii, quod quis transit, ſed adverſetur legi, tam in proprio, quàm alieno territorio obliganti, v. g. comeſtio carnium in quadrageſima privilegiatum uti poſſe liberè privilegio in utroque loco, quia obligatio illius legis in utroque loco eſt eadem, adeóque, ſi vi privilegii exemptus quis eſt ab ea in uno loco, etiam exemptus in altero, probabiliùs cenſent Suar. *cit. c. 26. à num. 15.* confirmans id praxi. Salaſ. *cit. ſ. 10.* Bonac. *l. c. p. 6. n. 4.* Sanch. *de mat. L. 8. d. 31. n. 17.* Azor. *L. 5. c. 23. q. 6.* Caſtrop. *l. c. verſ. ſi autem.* Pirh. *h. t. n. 182.* Wieſtn. *n. 30.* quæ in contrarium reddentia ſententiam oppoſitam, ùt inquit Caſtrop. ſatìs quoque probabilem, ſunt fere ſequentia. Primò: quòd, ſi prohibita jure communi utriuſque loci prohiberentur ſpeciali conſtitutione vel mandato ſuperioris loci iſtius alieni, privilegium habitum à ſuperiore loci proprii non liberaret privilegiatum ab obligatione contracta per ſpecialem prohibitionem ſuperioris alterius loci, adeóque nec liberaret ab obligatione, quando ſolùm jure communi utriuſque loci ſunt prohibita, quia ſpecialis prohibitio non addit ſpecialem obligationem, cùm aliàs graviùs peccaret is, cui idem à diverſis Superioribus prohibitum, ad quod tamen reſpondetur, prohibitionem quidem factam per ſtatutum ſpeciale non ſuperaddere obligationem ſpecialem diverſam, quòd ad eos, qui communi lege ligantur, quia jam omnem obligationem, quæ eis induci poteſt, habent à lege communi, iis tamen, qui exempti ſunt à lege communi, quò minùs per ſpecialem illam prohibitionem inducatur obligatio, nihil eſt, quod impedire poſſit. Secundò: quòd Superior loci alieni poteſt prohibere tibi uſum privilegii, quod habet à proprio Superiore, cùm reſidens etiam tranſeunter in ejus territorio mandatis illius obedire tenearis, & vel ſic privilegio tuo integrè non deobligaris ab obſervatione & obligatione præcepti communis. Verùm talis poteſtas negatur ſuperiori loci alieni, niſi is ſpecialem & honeſtam cauſam habeat, quemadmodum prohibendo impedire poteſt uſum dicti privilegii, dum privilegiatus arguitur de eo obtento per ſubreptionem, quouſque ſe purget manifeſtando privilegium, ad quem manifeſtationem eum obligare poteſt, ùt Suar. *cit. c. 26. n. 17.* Tertiò: quòd tranſiens aliena loca per habitudinem etiam tranſeuntem fiat pars illorum locorum, adeóque tenetur obſervare ſtatuta & leges illorum, ne pars à toto diſcordet. Verùm, etſi id verum, quia tamen ab obligatione legis communis habet privilegium exemptionis, lege communi non tenetur.

4. Reſp. Denique, ſi privilegium conceſſum ad actum ſecundum ſe quidem nulli juri repugnantem, ad licitum tamen & honeſtum ſui exercitium Principis, Epiſcopi, Parochi facultatem exigentem, ùt eſt actus concionandi, miſſas dicendi, confeſſiones excipiendi, ſine illorum licentia hoc ipſo exerceri nequit extra concedentis territorium, eò, quòd concedentis juriſdictio extra ſuum, ac proinde ad alterius territorium non extendatur. Wieſtn. *h. t. n. 2.* juxta *c. fin. de Conſtitut. in 6.*

Quæſt. 442. *Utrum quis uti teneatur ſuo privilegio?*

Reſp. Juxta communem, neminem teneri ſuo privilegio ſibi ſpecialiter conceſſo uti. *c. ſi de*

terra. h.t. cùm, quod in favorem alicujus conceſſum eſt, retorqueri non debeat, contra illum, juxta *Reg. 61. de Reg. Jur. in 6.* Neque huic reſponſioni obſtat, quòd Clericus uti debeat Privilegio fori & Canonis, ſi caſus occurrerit, quia coactus uti Privilegio conceſſo ſtatui clericali in genere, quem à ſe abdicare non poteſt, non cogitur uti privilegio ſibi ſpecialiter conceſſo. Ita Caſtrop. *l. c. p. 7. n. 1.* ſed neque cogitur quis uti privilegio ſuo in caſu, quo actus prohibitus, ideóque illicitus, per privilegium redditur licitus, uti hoc exemplo probare nititur Bonac. *d. 1. q. 2. p. 4.* dum prohibito tempore interdicti audire miſſam per privilegium ſpeciale conceditur, non obſtante illo interdicto, illam audire, hoc ipſo jam utpote ad hoc obligatus præcepto Eccleſiæ, tenetur uti ſuo privilegio & audire miſſam; nam obligatio audiendi miſſam in hoc caſu non oritur ex privilegio, ſed ex præcepto Eccleſiæ, quod ſublato interdicto per privilegium pergit urgere privilegiatum, ita Caſtrop. *l. c. num. 2.* ſecutus Suar. *L. 8. de LL. c. 28. num. 9. circa finem.*

Quæſt. 443. *Utrum Privilegiatus uti poſſit ſuo Privilegio adverſus pariter Privilegiatum?*

1. RESP. Primò: Dum duo ſunt privilegiati quò ad rem eandem, v. g. quò ad non ſolvendas decimas, uterque non obſtante alterius privilegio uti poteſt ſuo privilegio, ſeu neuter derogare poteſt alterius privilegio derogando illi, vel illud quò ad uſum impediendo, cùm aliàs implicaret, duobus concedi idem privilegium exemptionis, ùt patet, ita Covar. *in Reg. Poſſeſſor. 2. p. §. 2. num. 4.* Suar. *l. c. num. 3.* Caſtrop. *l. c. p. 8. num. 1.*

2. Reſp. Secundò: Dum duo ſunt privilegiati in re diverſa & oppoſita, v. g. unus qnoad exigendas omnes decimas totius Parochiæ, alter totaliter exemptus à ſolvendis decimis ejusdem Parochiæ, & non appareat, qualiter illi duo privilegiati, eorúmque privilegia contraria reduci poſſint in concordiam, ut utrumque valeat, videndum, quodnam illorum ſit antiquius, vel conceſſum ab altiore Prælato, illúdque pravalebit, & alterum ceſſabit. Neque enim cenſendus eſt Princeps poſterius concedens privilegium velle per illud præjudicare privilegio alterius oppoſito antiquiori, nisi illius expreſsè meminerit. Neque etiam Prælatus inferior præjudicare poteſt privilegio conceſſo à Prælato Superiore. Suar. *l. c. num. 5. & 6.* Caſtrop. *l. c. num. 2.* Quòd ſi tamen Privilegium unius ſit generale & alterius ſpeciale, ſpeciale prævalet; quia per ſpeciem derogatur generi, per *Reg. 34. de Reg. Juris.* & ſic habens privilegium generale, eo uti nequit contra habentem ſpeciale in eadem materia, v. g. generaliter privilegiatus ad exigendum à quovis decimas contra ſpecialiter exemptum à ſolvendis decimis, quia in generali lege ſolvendi decimas non comprehenduntur ſpecialiter exempti ab iis. Rodriq. *qq. Regul. Tom. 1. q. 9. a. 11.* Salas *d. 17. S. 14. num. 74.* Caſtrop. *l. c.*

Quæſt. 444. *Privilegium qualiter interpretandum?*

1. RESP. Primò: Dum verba Privilegii intentionem concedentis clarè & ſufficienter exprimunt, opùs non eſt interpretatione, quia hæc requiritur ad deprehendendam voluntatem concedentis, dum verò de mente illius ex manifeſtis conjecturis conſtat aliud, quàm quòd verba ſonant, inhærendum potiùs menti quàm verbis illius, juxta *c. in his. de V. S.* & *c. Martinus. 1. q. 1. c. ſedulo diſt. 38.* Azor. *L. 5. c. 23. q. 2.* Sylv. *v. Privile. gium. q. 3.* Salas. *d. 17. S. 8. num. 45. & d. 10. S. 10. num. 9. §. quarto.* Dum verba ſunt indifferentia, obſcura, incerta, attendenda eſt ſupplicatio, cum Princeps ſoleat ſe accommodare precibus ſibi factis. *L. ſi preces. ff. de LL. c. inter dilectos. §. cæteri. de fide inſtrum.* Gutt. *pract. qq. L. 3. q. 17. & 18. num. 42. & 43.* Salas. *d. 7. S. 9.* Bonac. *d. 1. q. 3. p. 71. num. 3.* Suar. *l. c. n. 28. n. 19.* Caſtrop. *l. c. p. 9. num. 1.* Item attendendum initium indulti, cùm juxta illud reliqua ſoleant adjungi. *L. fin. de hæred. inſtitut.* item materia ſubjecta, ac denique privilegium aliud ſimile. Et, ſi his attentis, adhuc intentio conducentis manet dubia, conſuli debet concedens, niſi periculum ſit in mora, quo caſu interpretatio facienda, juxta quod prudenter pro loco & tempore viſum fuerit, Caſtrop. *l. c. p. 4.*

2. Reſp. Secundò: In Privilegii interpretatione ſervanda eſt Verborum proprietas, ne aliàs in Privilegiis nihil ſit firmum. Salas. *d. 7. S. 8. num. 47. & 49.* Suar. *l. c. num. 15. & 16.* Sanch. *de diſpenſ. L. 8. d. 1. n.* Caſtrop. *l. c. n. 3.* Hæc autem proprietas verborum ſpectanda eſt juxta uſum & ſtylum concedentis, ut, ſi Privilegium ſit regium, attendendus ſit ſtylus Regis, ſeu Cancellariæ Regiæ, ſi Pontificium, Stylus Pontificius. Bald. *in L. ſi quando. C. de bon. Vacant.* Sylv. Azor. Caſtrop. *LL. cit.* Salas *l. c. n. 49.* Suar. *l. c. n. 16.* qui variis exemplis id ipſum declarant, v. g. ſi privilegium concedatur Epiſcopo pro ſuis familiaribus, uti ſit in Trident. intelligendum de familiaribus actu familiaribus, & non de iis, qui per litteras ad famulatum recepti ſunt, Caſtrop. *l. c.* juxta *c. ult. de V. S. in 6.*

3. Reſp. Tertiò: Nunquam ita ſtrictè facienda eſt interpretatio privilegii, ut ſit inutile. *L. non dubium. C. de ll.* cùm non deceat Principem inutilem & fruſtraneam actionem facere. Caſtrop. *l. c. n. 4.* Unde etiam cùm privilegium tendat ad concedendum Privilegiato aliquid, quod aliàs ei non licebat, ſemper ita eſt facienda illius interpretatio, ut, quantum fieri poteſt, hunc effectum conſequatur. Salas. *de LL. d. 17. S. 8. n. 46.* Suar. *de LL. c. 28. num. 2.* Caſtrop. *l. c.* Idque etiam obſervandum in odioſis, ut Privilegium ſeu diſpenſatio ita extendenda ſit ad ea, quæ ei ita connexa ſunt, ut ſine iis effectum habere non poſſit, Suar. *l. c. L. 6. c. 11. num. 10.* Sanch. *de mat. L. 8. d. 1. num. 9.* Bonac. *d. 1. q. 3. p. 7.* quos citat & ſequitur Caſtrop. *l. c.* Sic diſpenſatus ad plura beneficia, diſpenſatus eo ipſo eſt in reſidentia utriusque; diſpenſatus, ut in minore ætate beneficium parochiale habeat, diſpenſatus quoque eſt in obligatione aſſumendi intra annum Sacerdotium.

4. Reſp. Quartò: Privilegium in nullius præjudicium cedens latè eſt interpretandum. *c. olim. de V. S.* quia eſt purè beneficium Principis, quod admittit latam interpretationem. *L. beneficium. ff. de Conſtit. Princip.* quia juxta Reg. Juris favores ſemper ſunt ampliandi. & *L. hoc modo. ff. de condit. & demonſt.* non obſtante, quòd concedens privetur per hoc facultate illud idem concedendi alteri, quia is propriâ voluntate ſe privat illâ facultate, exercendo ſuam liberalitatem, ſed neque per hoc nocet aliis, ſed potiùs prodeſt, dum hi per hoc incitantur ad ſimile privilegium promerendum. Ita Suar. *l. c. c. 27. num. 3.* Salas. *cit. d. 17. S. 6. n. 44.*

5. Reſp. Quintò: Privilegium derogans juri communi regulariter eſt ſtrictè interpretandum. *c. ſanè.* & *c. porrò. h. t.* tum, qua parte derogat

juri

juri communi, includit dispensationem, quæ strictè est interpretanda, bonúmque commune præferendum bono particulari, ideóque in dubio interpretario facienda pro jure communi, & quò ad minimum lædit jus commune. ita Abb. *in C. quod dilecto. & de consanguinit. & affinit. c. citra. h. t.* Sanch. *l. c. num.* 1. & 5. Suar. *l. c. num.* 5. Salas. *l. c.* Castrop. *l. c. num.* 2. sic privilegium concessum illegitimo ad Ordines suscipiendos, interpretandum est de Ordinibus minoribus. Extendendaque hæc ad privilegium derogans statuto vel consuetudini singulari, ut & illud strictè interpretandum, cùm tale statutum & consuetudo sit instar juris communis, modò statutum, & consuetudo non contrarietur juri communi. Suar. *l. c. num.* 16. Bonac. *l. c. num.* 8. Castrop. *l. c. num.* 4. contra Salas. *S.* 8. *num.* 52. Azor. *l. c. c.* 23. *q.* 2. sic dispensat Sylv. *v. Privilegium. q.* 9. *Bart. in L.* 2. *ff. de jure communit.* tunc enim eo ipso derogat juri communi. Item nisi Privilegium cedat in favorem Religionis vel piæ causæ, cùm summum jus faciat pro religione. *L. sunt personæ. ff. de Religione. & Sumptibus funer.* Tiraq. *tr. de pia caus. num.* 160. Castrop. *n.* 5. Tale est Privilegium concessum Militibus, Religiosis; quia expedit maximè reipublicæ, Religioni & bono communi, favere hujusmodi personis, & per hoc tollitur vulneratio juris communis. Bonac. *d.* 2. *q.* 3. *p.* 9. §. 1. *num.* 5. Sanch. *de mat. L.* 8. *d.* 1. *num.* 33. Roderiq. *Tom.* 1. *qq. Reg. q.* 11. *a.* 6. Item latè interpretandum, si insertum juri communi, quia tunc privilegium non est absolutè contra jus commune, cùm jus commune constituat. Suar. *l. c. c.* 27. *num.* 8. Sanch. *l. c. num.* 7. Castrop. *l. c. num.* 7. Unde omnia Privilegia in perpetuum concessa Religionibus latè explicanda, non tantùm quia favent Religioni, sed etiam quia ob perpetuitatem reputantur quasi inserta corpori juris. Sanch. *l. c. num.* 13. Bonac. *l. c. p.* 7. §. 1. *num.* 6. & 7. Henriq. *L.* 7. *de indulg. c.* 22. *num.* 3. Item Privilegium concessum motu proprio vel ex certa scientia. *c. si motu proprio. de prabend. in* 6. quia tali modo concessum, cùm sit proprium beneficium Principis, decet ejus honorem & liberalitatem lata interpretatio. Sanch. *l. c. num.* 5. & 6. Suar. *l. c. num.* 8. Salas. *d.* 20. *S.* 10. *num.* 90. Castrop. *num.* 7. Porrò ad derogandum juri communi per Privilegium non requiri clausulam expressam derogatoriam juris communis; cùm Princeps præsumatur scire jus commune. *c.* 1. *de constit. in* 6. adeóque dans Privilegium derogativum illi, censetur velle ei derogare, cùm aliàs præsumeretur nihil velle concedere, probabiliùs contra alios censet Castrop. *l. c. num.* 9. modò tamen, ùt addit. *num.* 10. jus commune non teneatur tali privilegio, derogando seu revocando illud.

6. Resp. Sextò: Privilegium derogans juri alterius est restringendum, quantum patitur proprietas verborum, quia Princeps non præsumitur velle derogare huic juri, nisi id expresserit, Arg. *L.* 2. §. 1. *ff. ne quid in Loco publ. L. nec avus. C. de emancip. Lib. c. licèt in corrigendo. de Off. Ordinar.* Abb. *inc.* 1. *de Judic.* Sanch. *l. c. d.* 7. *num.* 6. Suar. *num.* 9. & *c.* 28. *num.* 10. Salas. *l. c. S.* 8. *ad finem.* Castrop. *l. c. num.* 8. qui huc reducit Privilegium concessum ad lites propter occasionem litigandi & vexandi alios, & minuendi inferiorum Judicum potestatem. Ut verò tale Privilegium vim habeat derogandi juri alterius vel statuto aut consuetudini speciali, requiritur clausula derogatoria istius juris, statuti & consuetudinis, etiam concessum motu proprio, quia, ùt dictum, Princeps nunquam præsumitur velle derogare istiusmodi juribus specialibus, nisi id expresserit. Suar. *l. c. c.* 28. *num.* 8. *num.* 10. Sá *v. gratia. n.* 14.

Quæst. 445. *An Privilegium favorabile extendatur ad alios, quàm qui in eo expressi sunt?*

Resp. Negativè: Cùm enim tota efficacia privilegii pendeat à concedentis intentione significata, eaque significetur verbis, ultra verborum expressionem fieri nequit extensio. Castrop. *tr.* 3. *d.* 4. *p.* 12. *num.* 1. variis exemplis id ipsum declarans. Sic Privilegium concessum Religiosis, etiam sub nomine masculino, comprehendit Religiosas ejusdem Ordinis, in his, quorum eæ capaces sunt, quia *Verbo: Religiosi*, satis eæ exprimuntur. ita Suar. *de LL. L.* 8. *c.* 10. *num.* 7. Bonac. *d.* 1. *q.* 3. *p.* 7. §. 1. *num.* 2. Rodriq. *Tom.* 1. *Regul. qq. q.* 13. *a.* 22. si autem in privilegio dicatur: *Viris Religiosis*, fœminæ excluduntur, ut Suar. Bonac. Castrop. *LL. jam citatis.* Sic privilegium concessum filiis comprehendit filias. Matienzo *L.* 5. *Recopil. tit.* 7. *L.* 11. *à num.* 5. juxta *L. justa. L. filius.* si tamen privilegium dicat: *Filiis masculis*, excluduntur filiæ, Rebuff. *in L.* 1. *de V. S. v. masculos.* Suar. Bonac. *LL. cit.* contra Sá. *v. gratia. num.* 11. ubi dicit: Nomine *marium* comprehenduntur fœminæ; & *v. interpretatio. num.* 3. ubi, quòd in favorabilibus masculinum comprehendat fœmininum, secus in contractibus. Sic privilegium concessum fratribus est commune sororibus, nisi aliunde appareat restrictio. Arg. *L. Lucius.* §. *quæsitum. ff. ad legat.* 3. ubi: quòd in testamento nomine fratrum veniant quoque sorores. *L. tres fratres. ff. de pactis.* Tiraq. *L.* 1. *de contract. Lign.* §. 1. *Gl.* 9. *n.* 200. Suar. *l. c.* Bonac. *l. c. num.* 4. Nomine verò filiorum regulariter non intelliguntur nepotes. Barb. *in L. maritum. ff. soluto mat. num.* 80. nisi ex juris dispositione aut aliâ viâ de mente concedentis appareat aliud. Suar. *l. c. c.* 116. dicens sic nomine filiorum intelligi nepotes, *in auth. si quid. c. qui potiores. in pign.* Porrò hìc notandum, privilegium adhuc extendere se ad virtualiter in eo comprehensos, quales sunt, sine quibus privilegium concessum redditur inutile, v. g. concessum Sacerdoti Sacrificanti tempore interdicti ad ministrum illius, concessum domino ad familiares & servos, qui eum comitari solent, *c. licet. h. t. in* 6. Castrop. *l. c. num.* 2. Item privilegium nobilitatis concessum marito ad uxorem, patri ad filium, non quidem vi privilegii, quo maritus & pater nobilitantur, sed ex alia juris dispositione, quâ cavetur, quòd, quoties marito vel patri privilegium nobilitatis conceditur, uxor & filius eo gaudere possit. *L. fœmina. ff. de Sacerdotib.* & *L.* 1. *c. de dignitatib.* quod privilegium, si adveniat marito aut patri ex officio, estque perpetuum etiam renuntiantibus officio ad uxorem & filios, etiam mortuis marito & patri transit. Suar. *cit. c.* 11. *à num.* 2. vide de his pluribus *L.* 1. *num.* 2. *vers. ad secundum.*

Quæst. 446. *An Privilegium extendatur ad casus alios vel personas, in quibus est similis vel efficacior ratio?*

Resp. Negativè cum Salas. *d. LL. d.* 20. *S.* 11. *num.* 120. Suar. *l. c. c.* 18. *num.* 11. Bonac. *de LL. d.* 1. *q.* 3. *p.* 7. §. 1. *num.* 15. Castrop. *l. c. p.* 13. *num.* 1. *junctò n.* 4. quia, cùm, ùt dictum, effica-

efficacia privilegii tota pendeat ex voluntate concedentis significata per verba, hæc autem non significent, seu exprimant, ne virtualiter quidem, casum aut personam similem, ad eos extendendum non est privilegium, idque non tantùm in odiosis juxta *reg. Juris in 6. quæ à jure communi exorbitant, non sunt ad consequentiam trahenda*, sed & in favorabilibus, tametsi ea à jure sint concessa, & in iis exprimatur ratio concessionis; cùm enim expressio rationis solum motivum concedentis declaret, ob quod privilegium concedi possit, non tamen facit concessionem illius de facto se extendere ad plura. Sic itaque, si Titio ob ejus merita in privilegio expressa concedatur pluralitas beneficiorum, vel privilegium non solvendi decimas aut tributum, ex eo non infertur, ea privilegia concessa quoque alteri, etsi hujus merita sint æqualia, vel etiam majora. Item, si moniali ob eius infirmitatem expressam in privilegio concedatur egressus ex monasterio, non exinde etiam aliis, etsi æquè infirmis, concessus est ille egressus, ùt Felin. *in c. postulasti. de rescript. limit.* 1. *n.* 9. Neque his contrarium evincitur, primò: ex eo, quòd lex favorabilis extendatur ad casum, in quo est eadem ratio; nam præterquam quòd lex non pendeat à ratione, & privilegium non à ratione, sed à voluntate concedentis, lex nunquam extenditur ad casum non comprehensum in lege, etiamsi in eo sit similis ratio, quæ est in lege, sed ex uno casu per legem decisо alius similis à Judicibus decidendus venit, non ex necessitate, sed ex quadam æquitate & convenientia, solumque probatur, quòd id sufficiat, ut Princeps idem decernat & simile privilegium concedat. Neque secundò contrarium infertur ex *c. ex parte. de decimis*, dum ibi decernitur privilegium percipiendi decimas de laboribus terræ parochialium extendere se ad novalia, quia concesso majore, ùt ibi ait Pontifex, concessum esse videtur, quod minus est; nam id verum est, si in majore includatur quod minus est, qualiter attentâ proprietate verborum ibi novalia, utpote non minus terra Abbatis cui concedebantur decimæ, ex terra parochiarum suarum includebantur in illo privilegio, ac proinde non erat extensio de uno casu ad alium ob similitudinem, sed casus in privilegio comprehensus, Castrop. *l. c. num.* 4. Neque ex *c. per venerabilem.* ubi Pontifex probat dispensationem concessam illegitimo ad actus spirituales extendi ad actus temporales tanquam quid minus; nam verum hoc est, si penes concedentem legitimationem in temporalibus sit quoque potestas legitimandi in spiritualibus, non quia privilegium de uno casu ad alium extenditur, si casus sint separabiles, dum verò ex decentia & æquitate separari non possunt, sed unius concessio secum trahit alterum, cùm tunc in concessione unius aliud virtualiter comprehendatur, uti fit in præsente casu, dum legitimatio in temporalibus annectitur legitimationi in spiritualibus, ne indecens & monstrosum videatur, ùt ait in *cit. c.* Pontifex, si legitimus ad actus spirituales remaneret illegitimus ad actus temporales. Neque quartò: ex eo deducitur, privilegium extendi ad alia ob paritatem rationis, quòd privilegium dispensandi in votis extendatur ad vota jurata & commutationem eorum, quòd privilegium testandi extendat se ad faciendum codicillum, & donationem mortis causâ; nam extensio illa ad vota jurata non fit ob paritatem rationis, sed quia dispensatio ad vota jurata & commutationem eorum est quid accessorium ad dispensationem in votis, similiter privilegium testandi extenditur ad codicillum & donationem mortis causâ tanquam ad accessoria testamento, & nomine testamenti comprehensa, uti de hac dicitur. *L. Marcellus. ff de donat. causâ mortis* adeoq; in his non fit ad alium casum extra privilegium, sed ad casum in privilegio comprehensum, & ita docent Mandos. *in praxi signatur. grat. v. licentia. vers. aliàs etiam.* Molin. *Tom.* 1. *de just. tr.* 2. *d.* 141. *ad finem*, Suar. *cit. c.* 28. *num.* 15. Sanch. *l.* 8. *d.* 1. *num.* 28. Salas. *de LL. d.* 20. *s.* 10. *num.* 96. Bonac. *d.* 1. *q.* 3. *concl.* 7. §. 2. *num.* 11. quos citat & sequitur Castrop. *ctt. p.* 13. *n.* 4. *vers. ad quartum.*

CAPUT III.

De Cessatione & Amissione Privilegii.

Quæst. 447. *An & qualiter ex solo lapsu temporis, aut etiam per unicum actum exspiret privilegium?*

1. Resp. Primò: Privilegia ad certum tempus in iis expressum restricta, eo elapso exspirant, ita communis. Arg. *c. de causis. de off. delegati. l. quoties. C. de precib. Imp. offer*; cùm enim privilegium vim suam habeat à concedentis voluntate, ultra tempus ab ea determinatum extendi seu durare nequit, unde ùt Lauterb. *ad ff. tit. de constit. Princip.* §. 54. regula deducitur concessa ad tempus post illud prohibita censetur.

2. Resp. Secundò: Hinc quoque privilegium concessum ad tempus existentis & durantis conditionis alicujus, v. g. si & quamdiu studuerit Theologiæ, cessante hac conditione cessat, cùm etsi non exprimatur in eo certum tempus formaliter, virtute tamen continet illud, quatenus annexum, & idem est cum existentia & duratione conditionis. Suar. *L.* 8. *de ll. c.* 29. *num.* 4. & 5. Laym. *L.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *num.* 17. Castrop. *tr.* 3. *d.* 4. *p.* 14. *num.* 7. Pirh. *h. t. num.* 167. Porro si conditio teneat se ex parte concessionis privilegii; privilegium dependet ab ea in fieri, quia solùm ad concedendum privilegium fuit necessaria; si verò teneat se ex parte privilegii, hoc ab ea dependet in conservari, & illud tamdiu durat, quamdiu durat conditio præscripta à concedente, & consequenter quamdiu durat voluntas concedentis illud, Castrop. *l. c. num.* 3. ubi etiam, quòd si conditio sit talis, quæ semel cessans facilè redire possit, eâ cessante non statim omnino cesset privilegium, sed potiùs suspendatur quò ad ejus usum, donec redeat conditio.

3. Resp. Tertiò: Dum privilegium absolutè concessum ad aliquid agendum vel omittendum, nunc cesset peracto seu finito unico actu, in eo non conveniunt A. A. nam primò censet Castrop. *num.* 4. quòd, si verba privilegii clarè se extendant ad unum tantùm actum, indubitatò finiatur isto actu peracto. Si verò actus fuit invalidus, non extingui per illum, quia talis actus habetur pro non seu necdum facto, juxta regulam vulgarem: quod nullum est, nullum sortivi debet effectum, docet cum

Sá *v. interpretatio. num.* 12. aliisque mox citandis, nisi tamen voluntariè & scienter invalidè factus, perdit enim tunc privilegium, quia nemo ex iniquitate sua reportare debet commodum, tradit cum Tiraquel. *in L. boves. §. hoc sermone. limit. 2. a. n.* Anchar. *in c. 1. de filiis presbyt. in 6. q. penult.* & Franco. *ibidem num.* 13. dum autem verba privilegii sunt ambigua & indifferentia, & de cætero actus validus non finiri unico actu censent apud eundem Sanch. *l. 8. de mat. d. 31. num.* 8. Suar. *l. c. c. 29. num.* 8. Salas *de ll. d.* 20. *s.* 19. *num.* 129. quod ipsum tamen limitat Sanch. distinguendo, nimirum finiri unico actu in odiosis, secus in favorabilibus, Felino *in c. 2. de treuga & pace.* Nav. *in c. placuit. de pœnit. dist. 6. num.* 166. Azor. *l. 5. c. 23. q. 3.* Rochus *de jure pat. v. honorificum. q.* 10. Henriq. *l. 12. de mat. c. 5. à num.* 7. cum communiore, cui adhæret Castrop. *num.* 6. & pro majore illius declaratione plures adfert casus *num.* 8. de quibus vide illum ibidem.

Quæst. 448. *An & qualiter cessante causâ finali, ob quam concessum, cesset privilegium?*

1. Resp. Primò: Cessante causâ finali non quidem impulsivâ tantùm, sed principali, sine qua Princeps nullo modo concessisset, & à qua valor privilegii in fieri & conservari dependet. & quæ reddit privilegium justum & honestum, & sine qua tale non esset, cessat & amittitur privilegium; quia cessante causâ cessat effectus. *c. cessante. de appell.* Abb. *in c. suggestum. de decim. num.* 5. Suar. *l. c. c.* 30. *num.* 1. Gutt. *qq. can. l. 2. c.* 15. *num.* 30. Pet. Barb. *in l. 1. ff. solut. mat. p. 1. à n.* 83. Pirh. *h. t. num.* 168. Verùm hæc ita generaliter dicta varias admittunt & requirunt limitationes & distinctiones. Unde

2. Resp. Secundò: dum privilegium non est contrà, sed solùm præter jus, seu continet meram gratiam & beneficium Principis, quamvis ad concessionem sui licitam requirat causam aliquam legitimam, ùt volunt aliqui, negantibus idipsum aliis, ad conservationem tamen sui non requirit causam, sed eâ cessante, non cessaret vel ex hoc, quia decet beneficium à Principe concessum remanere, juxta *reg. Juris. 16. in 6.* ùt patet in eleemosyna data pauperi, quæ firma manet, tametsi is, cui data, desinat esse pauper, dum verò derogat juri communi, vel privato alterius tertii, requirit causam non tantùm in fieri, seu ipsâ concessione, sed & in conservari, adeoque eâ, quæ primitus erat, cessante, cessat tale privilegium, ita Suar. *l. c. num.* 2. cum communi. Quod posterius nihilominus sublimitandum seu subdistinguendum, ita ut, si privilegium vel etiam dispensatio data ad unum actum, sive consistat in ipso actu v. g. datâ ad contrahendum matrimonium cum consanguinea, sive datâ per modum potestatis, v. g. ad dispensandum in tali matrimonio, eo matrimonio contracto, aut factâ ad illud contrahendum dispensatione, cessat privilegium vel dispensatio, utpote producto & consummato suo effectu, quamvis potius dici posset in eo effectu, utpote qui iterari aut retractari nequit, virtualiter remanere, & non cessare privilegium aut dispensatio; etiam cessante causâ finali concedendi privilegium, ùt patet in dispensatione voti, quod non denuo obligat, in dispensatione illegitimitatis, quæ non redit, etsi causa, ob quam in eo dispensatum, mutetur seu cesset, cùm legitimè factum non retractetur aut mutetur, etsi postmodum deveniatur ad statum, in quo dispensari non potuisset, juxta *regul. Juris 73. in 6.* Castrop. *tr. 3. d. 4. p. 15. num.* 3. Pirh. *l. c. num.* 169. *vers. limitatur secundò.* cum Suar. *l. c. cit.* 10. *num.* 4. Econtra itaque cessat seu amittitur privilegium cessante causâ, quando habet tractatum successivum, hoc est, datum per modum potestatis ad plures actus, seu ad operandum successivè, v. g. ad absolvendum à casibus reservatis, ad dispensandum in genere in votis, in impedimentis matrimonii, ita ut causa cesset non tantùm quò ad actus præteritos, sed & quò ad futuros. Suar. & Pirh. *ll. cit.* ad quod tamen requiritur, ut causa non cesset tantùm negativè, qualiter ea cessare dicitur, quando ratio finalis principalis, quæ movit Principem ad concedendum, non subsistit quidem ampliùs, usus tamen privilegii non est injustus aut illicitus, ùt patet, dum monasterio concessum privilegium non solvendi decimas ob ejus inopiam, illud non exspirat eodem cessante paupertate redeunte ad sufficientes, imò & abundantes reditus, sed potest pergere uti suo privilegio, quia hic usus non est iniquus seu injustus. E contra ad cessationem privilegii requiritur, ut ejus causa cesset contrariè, qualiter ea cessare dicitur, quando mutatis circumstantiis usus redditur illicitus, utpote cedens in detrimentum privilegiati aut communitatis, quia jam est privilegium de re illicita, adeóque nullum. Ita Suar. *l. c. n.* 6. Laym. *th. mor. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 19.* Pirh. *l. c. vers. limitatur tertiò.* Reiffenst. *h. t. n.* 187. Wiestn. *à num.* 46.

Quæst. 449. *Pro quo tempore verificanda causa finalis privilegii & dispensationis, an nimirum tempore, quo impetratur, v. g. Romæ, an quo expeditur, seu datur executioni in partibus ab Ordinario vel Confessario?*

Resp. Probabilius videri eam verificandam utroque tempore, ùt docet Castrop. *l. c. p. 15. n.* 2. contra Garciam *de benef. p. 6. c. 2. n.* 263. quatenus tenet, non requiri, ut verificetur tempore, quo impetratur Romæ, & contra Mascard. *de prob. concl.* 1128. *n.* 22. quatenus negat, necessarium esse, ut verificetur tempore, quo expeditur in partibus, quem sequuntur Rebuff. *in præfat. de rescript. n. 56. vers.* 14. Sá *v. gratia. n.* 9. & 10. quorum ratio esse potest, quòd Ordinario & Confessario committatur executio, hæc autem supponat, jam factam & existentem esse Romæ aut alibi. Verùm probatur utriusque contrarium, & quidem primò, quòd necesse sit, verificari existentiam causæ pro tempore, quo conceditur, ex eo, quòd tunc verè sit concessio & donatio, & fiat dispensatio ob finem allegatum, qui, si falsò, utpote tunc non existens, allegetur, nulla est concessio ex defectu intentionis in concedente juxta decisionem factam in *c. quia circa. de consanguin.* Probatur quoque secundum ex eo, quòd ordinarius vel confessor expediens ea seu exequens privilegii concessionem aut dispensationem, verè dispenset & donet privilegium, ùt constat ex verbis, quibus in hujusmodi decretis Romanis datis ad Ordinarium vel Confessarium dicitur: *si preces veritate nitantur, cum illis dispenses*, adeoque tunc adesse & verificari debet causa dispensandi, & ita Covar. 4. *decretal. p. 2. c. 6. §. 9. num. ult.* Mandos. *prax. signat. tit. de dispens. vers. dispensatio est.* Gallego *de cognat. spirit.*

spirit. c. 3. n. 23. Sanch. *L. 8. d. 30. n. 12.* Castrop. *l. c. p. 15. n. 2. vers. probabilius.*

Quæst. 450. An & qualiter cesset privilegium aut dispensatio per renunciationem illius factam à privilegiato?

1. Resp. Primò: Privilegium concessum directè in favorem solius alicujus personæ particularis, utì & dispensatio, cessat per liberam & expressam ab ea factam illius renunciationem, seu abdicationem juris & potestatis aliquid agendi vel omittendi vi privilegii competentis accedente acceptatione renunciationis ab eo, qui privilegium concessit, vel ab eo, qui ad hoc à concedente commissionem habet, facta, aut etiam ab eo, in cujus utilitatem cedit renunciatio, v. g. juris exigendi ab eo decimas, liberum enim est cuique renunciare juri suo. *c. si de terra. h. t. L. si quis. c. de pactis,* sive contemnere, quæ pro se inducta, juxta *L. 41. ff. de minoribus,* modò illa renunciatio non cedat in præjudicium alterius. De cætero dicitur primò: *Per renunciationem liberam*; id est, non coactam. Castrop. *cit.* §. 15. *n.* 5. Dicitur secundò: *Per renunciationem expressam*; sicut enim ad acquisitionem privilegii requiritur concessio per signum externum expressa ex parte concedentis privilegium, & acceptatio illius, cui conceditur, ita etiam ad amissionem illius renunciatio externè expressa ab eo, cujus interest, & non sufficit sola voluntas interior, utpote quæ exteriùs non manifesta nihil operatur. Suar. *de LL. L. 8. c. 33. a n. 15.* Zoes. *ad h. t. n.* 34. Pirh. *h. t. n. 173.* Dicitur tertiò: *Accedente acceptatione illius, cui concessum*; siquidem sicut jus privilegii pendet in fieri à voluntate concedentis, & acceptatione illius, cui conceditur, ita etiam in conservari à remanente hac voluntate illius non consentientis amittitur. Dicitur quartò: *Vel ab eo, qui ad hoc à concedente commissionem habet*; qualem commissionem non habere censetur executor privilegii & dispensationis, quia non est delegatus ad revocandam dispensationem, sed potiùs ad exequendam illam, ut Sanch. *L. 8. d. 32. n. 4.* Dicitur quintò: *Et ab eo, cujus interest*; qualis est, in cujus utilitatem cedit renunciatio privilegii, quia renunciatione illius confertur vel remittitur illi v. g. in privilegio non solvendi tributa, exigendi decimas; sic Gl. & AA. mox citandi. Unde privilegiatus, postquam etiam externè & palàm renunciavit privilegio, & quamdiu dicta renunciatio legitimè à dictis personis non est acceptata, potest mutatâ voluntate pergere uti privilegio suo. Gl. *in c. cùm venissent. de eo, qui mittitur in possess. v. obtulit.* Bald. *ibidem n.* 8. Pontius *de mat. L. 8. c. 18. n.* 17. Pirh. *l. c.* Wiestn. *h. t. n.* 42. Reiffenst. *n.* 189. Arg. *c. licet. de procurat.*

2. Resp. Secundò: E contra privilegio concesso principaliter in favorem alicujus communitatis, dignitatis loci, v. g. Civitatis, Ecclesiæ, Monasterii, singulares personæ cum ejusdem præjudicio renunciare non possunt cum effectu, etiamsi renunciationem juramento confirment, quia non sunt propria privilegia singularium, seu cujusque. *L. cum publicum. ff. de pactis. c. si diligent. de foro compet.* Castrop. *l. c. n.* 2. huc referens, si privilegium pluribus pro indiviso concessum, ut non possit quilibet ei renunciare, quia unus alterius privilegio præjudicare nequit. Sic Clerici renunciare nequeunt privilegio fori aut Canonis juxta citatas leges, nec Religiosi privilegiis concessis monasterio sui Ordinis, quibus v. g. exempti sunt à jurisdictione Ordinarii, renunciare queunt sine consensu Papæ, Arg. *c. cum tempore de arb.* & *ibi* Abb. *n.* 2. Suar. *l. c. c. 33. n.* 2. Pirh. *n.* 174. Neque etiam Prælatus & Conventus monasterii renunciare potest privilegio immunitatis à solvendis decimis. Suar. *Tom. 1. L. 1. de Relig. c. 20. n. 2.* ita, ut si vel unus solus de Capitulo aliis contradicere possit, & renunciationem impedire. Innoc. *in c. accedentibus, h. t.* Alex. de Nevo *ibid. in addit. ad Abb.* Potest tamen Prælatus & Capitulum renunciare privilegiis, aliisque juribus, dum non sunt utilia, vel etiam dum indifferentia. Arg. *c. cum illorum. de præbend. c. cùm accessissent. de Constit.* Laym. *ibid. num.* 20. Pirh. *l. c.* Et, si privilegium sit nocivum, per se cessat, juxta *Reg. Jur. 61. in 6. quod ob gratiam alicujus concessum est, non est in ejus dispendium retorquendum.* Potest tamen etiam tota aliqua communitas, v. g. Civitas, Ordo religiosus de communi consensu Capituli renunciare privilegio utili; quia tunc communitas habet se per modum unius personæ particularis, adeóque locum habet regula: quòd is, cui competit privilegium, favori suo renunciare possit. Arg. *cit. c. cum illorum.* Laym. *in c. cùm accessissent. n.* 12. Pirh. *l. c. in fine.* Huc quoque referuntur minores, utpote à quibus renunciari non potest privilegio restitutionis in integrum, quia id iis concessum, non ut singulis personis, sed potiùs statui minorum ab eorum imbecillitatem, & pericula deceptionis, quæ illis occurrere possunt. Salas. *de LL. d. 17. s. 13. ad finem.* Castrop. *l. c. p. 17. n.* 2. quamvis autem Bonac. *d. 1. q. 3. p. 8. §. 5. n. 8.* velit, illos posse renunciare huic privilegio, si addiderint, se non usuros hoc privilegio, vel si impetraverint à Principe veniam ætatis; censet tamen Castrop. addito solo illo juramento non renunciari isti privilegio, esto, juramentum servandum sit, dum non relaxatur, quia hâc relaxatione obtentâ, possunt agere beneficio restitutionis in integrum. Item de muliere idem, nimirum quòd renunciare non possit privilegio Vellejano, quod est de non intercedendo aut fidejubendo pro aliis, eò, quòd illud introductum non sit in favorem cujusque, sed statûs muliebris, ut imbecillitati mulierum ob earum in hoc pronitatem & facilitatem, indéque iis orta damna, prospiceretur, tradit Castrop. *cit. n.* 2. cum Salas. *l. c.* Azor. *Tom. 1. inst. mor. L. 2. c. 22. n.* 10. Gomes *Tom. 2. var. c. 13. n.* 17. quamvis addat ex Sanch. *L. 4. de mat. d. 9. n.* 15. firmam esse earum renunciationem, si eidem addatur juramentum solvendi, fiátque instrumento publico, sciátque mulier, se absque tali juramento non teneri; cùm juramento firmentur contractus, & purgetur deceptio, aut etiam, si renunciatio facta coram Magistratu, prout statuitur *L. fin. §. fin. ff. ad Vellejanum.* vide de hoc Lauterb. *ad ff. tit. eodem. §.* 24. Quod verò attinet filiosfamilias, hoc est, qui sunt sub patriâ potestate, eos non posse renunciare Privilegio Macedoniano, non quidem, quia id iis concessum in genere, seu ratione Statûs communis, quem constituunt, sed quia concessum in favorem parentum eorundem, cum SCtum Macedonianum sit jus à Romano Senatu constitutum, quo cavetur, ne creditoribus, qui filiisfamilias pecuniam mutuam dederunt, efficax actio detur. *L. 1. ff. ad SCtum Macedonianum.* nullus autem renunciare potest privilegio, ubi renunciatio cedit in præjudicium alterius. Et sic docent cum Gl. aliisque in *L. tametsi. ff. ad SC. Macedon.* Azor. *Tom. 1.*

L. 5.

L. 5. *c.* 12. *q.* 10. Salas. *l. c. s.* 2. *n.* 25. Bonac. *d.* 1. *q.* 3. *p.* 8. §. 6. *n.* 11. quos refert & sequitur Castrop. *l. c.* item Lauterb. *ad ff. L.* 14. *tit.* 6. addens, talem renunciationem juramento confirmati non posse. Arg. *L.* 7. §. 16. *ff. de pact. L.* 5. *c. de LL.* sicque etiam dispositum à jure canonico videri per *Reg.* 58. *de Reg. jur. in* 6. ne scilicet ansa peccandi malis moribus præbeatur, publica disciplina turbetur, jus parentum lædatur, & sic juramentum vinculum iniquitatis efficiatur. Quin & filium familias, qui pecuniam contra SC. Macedonianum acceptam mutuo non restituit, sed exceptione hujus SC. Macedoniani se defendit, tutum esse in conscientia, pro quo citat Zoes. *ad h. t. n.* 6. *C.* de Lugo *de J. & J. d.* 25. *s.* 1. *n.* 3. Mantic. *L.* 8. *tit.* 7. *à n.* 40. addita etiam ratione: quòd, licet filius familias in hoc casu naturaliter & civiliter sit obligatus, nihil tamen obster, quò minùs lex positiva illius obligationis efficaciam impedire justa ex causa, & adversùs creditorem contra legem peccantem exceptionem condere possit.

3. Resp. Tertiò: Renunciatione tacitâ (qualis dicitur, quæ arguitur ex actibus, qui non videntur stare posse cum animo non utendi dispensatione vel privilegio, v. g. dum dispensatus ad contrahendum cum Maria contrahit cum Catharina, dispensatus ad obtinenda beneficia, contrahit matrimonium) non amittitur dispensatio, quia potest talis retinere animum utendi privilegio, vel dispensatione pro tempore, quo ejus usus licitus est, verúmque id est, etiamsi tales actus habeantur animo renunciandi privilegio, non deficit exinde privilegium vel dispensatio, quia etiam in renunciatione expressa effectum habet, etiamsi acceptata à concedente privilegium. Castrop. *l. c. n.* 12. Unde, si dispensatus ad ducendam consanguineam duxisset aliam, vel votum castitatis emiserit, poterit uxore illâ mortuâ, vel castitatis voto relaxato, uti privilegio & dispensatione, quia prior non fuit amissa, idque etiamsi ruperit instrumentum continens dispensationem vel privilegium, cùm id non invalidet concessum. Sanch. *l. c. d.* 32. *n.* 6. Pontius *L.* 8. *c.* 18. §. 20. Castrop. *n.* 13. Item si illegitimus dispensatus ad beneficia nuberet, non amittit dispensationem, sed mortuâ uxore potest obtinere beneficia, quia matrimonium non reddit cassam dispensationem, sed ejus usum suspendit. Sanch. *de mat. L.* 7. *c.* 42. *n.* 9. Castrop. *n.* 14.

Quæst. 451. *An, qualiter & intra quod tempus amittantur privilegium & dispensatio per non-usum?*

1. Resp. Primò: Dispensationes & privilegia affirmativa, hoc est, quæ respiciunt actum positivum, seu continent potestatem agendi aliquid, v. g. comedendi carnes, eligendi ad beneficia &c. (in his enim solùm non-usus locum habet) amittuntur per non-usum, ùt tanquam regulam supponunt AA. Gl. Abb. Felin. Decius *in c. cum accessissent. de Constit.* Azor. *L.* 5. *c.* 4. *q.* 8. Salas. *de LL. d.* 17. *s.* 13. *à n.* 63. Suar. *L.* 8. *d.* 34. *n.* 2. Castrop. *l. c.* voluntarium & liberum, quem non usum vocari privativum, seu omissivum, ait Castrop. Dicitur autem non usus voluntarius & liber, quando quis datâ occasione utendi privilegio, eo non utitur; si enim eo usus non fuit, quia se non obtulit occasio utendi illo, vel etiam oblatâ occasione eo uti non potuit, non amittitur tali non-usu privilegium. Arg. *L. unus ex sociis.* §. *ult. ff. de servit. rust.* ubi, quòd non amittatur servitus mihi debita de aqua ducenda in meum fundum, si eâ usus non fuerim, quia fons exaruit. Sic, si Universitati concessum privilegium promovendi Doctores, & per decennium vel longius tempus neminem promovit, quia nullus promoveri voluit, non amittit privilegium, nisi, ùt addit Castrop. Universitas causam dederit, cur nullus promoveri voluerit, cùm tunc idem sit, ac si noluisset promovere volentem. Sic per privilegium habens jus gladii id non amittit, etiamsi longo tempore nullus fuit affectus capitali supplicio, quia nulla fuit occasio. Ad hæc, ut dicatur non usus liber, requiritur, ut oblatâ occasione non utens privilegio sciat se habere privilegium, si enim inculpabiliter id nesciat, non-usus non est voluntarius. Pirh. *n.* 175. Donat. *Tom.* 1. *p.* 1. *tr.* 12. *q.* 6. *n.* 6. Reiffenst. *h. t. n.* 206.

2. Resp. Secundò: Per non-usum etiam longissimi temporis non amittitur privilegium affirmativum, seu agendi aliquid, si privilegium non cedat in gravamen alterius, sed sit meræ gratiæ, v. g. comedendi carnes in quadragesima, absolvendi à reservatis, dispensandi in irregularitatibus. Gl. *in c. ut privilegia. h. t. v. semel in anno.* Laym. *L.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 22. Pirh. *h. t. n.* 176. Castrop. *l. c. n.* 3. nullæ enim sunt leges statuentes, talia privilegia amitti per purum non-usum, cùm non respiciant alios privando illos suo jure, aut onus novum illis imponendo; unde nec viâ præscriptionis amitti possunt, neque etiam per tacitam renunciationem, cùm quilibet uti vel non uti possit re suâ, & non-usus non inferat tacitam renuntiationem, nisi adjunctum habeat actum ipsi privilegio contrarium, de quo paulò pòst. Nihilominus privilegium nundinarum amittitur per purum non-usum intra decennium citra præscriptionem, ita positivè statuente. *L.* 1. *ff. de nundinis.* quæ lex, cùm odiosa sit, ad alia privilegia affirmativa non est extendenda, & Principe specialiter hoc privilegium sub dicta conditione concedente, ùt Pirh. *n.* 177. cum Laym. *l. c.* & Suar. *l. c. à n.* 18. uti etiam Pirh. cum Gail. *L.* 1. *obser.* 60. *n.* 9. quòd privilegia aliquid faciendi, concessa in arbitrium privilegiati non amittantur per non usum, v. g. facultas ab Imperatore concessa nobili ædificandi pro suo libitu molendinum.

Quæst. 452. *An & qualiter amittantur privilegia per præscriptionem & actum privilegio contrarium?*

1. Resp. Primò: Privilegia cadentia in alterius gravamen tam negativa, seu consistentia in non agendo, v. g. in non solvendis decimis vel tributis, in non præstando subjectionem Ordinario, quàm affirmativa amittuntur per præscriptionem nimirum 20 annorum inter præsentes, vel 30 aut 40 annorum, inter absentes, v. g. dicto tempore non exigendo decimas ex privilegio debitas, non accipiendo obsequia à vasallo suo, etiam cùm esset occasio & potentia illas exigendi & accipiendi, non eundo vel currum ducendo per fundum alienum, dum id ex privilegio competebat, altero interim rem suam ab illo onere liberam possidente, & sic contra privilegiatum præscribente, cùm etiam aliæ, servitutes, tam reales, quàm personales, aliæque alio modo quàm privilegio acquisitæ sic amittantur. Azor. *p.* 1. *L.* 5. *c.* 22. *q.* 8. Suar. *l. c. n.* 5. & 6. Gail. *l. c. num.* 2. Laym. *l. c. c.* 23. *n.* 21. Pirh. *n.* 175. plura de præscriptione hac *quæst. seq.*

2. Resp. Secundò: Privilegia negativa non cedentia in gravamen alterius non amittuntur per non-

usum

usum aut usum seu actum directè contrarium privilegio à privilegiato etiam scienter exercitum, ùt patet in privilegio non jejunandi, non recitandi horas, utpote merè gratiosis. Suar. *l. c. c. 35. n. 22.* Pontius *l. c. c. 18. n. 25.* Castrop. *l. c. p. 19. n. 1.* siquidem contrarius usus privilegii, dum non cedit in gravamen alterius à nullo præscribitur contra privilegiatum, nec infert renunciationem privilegii, quia fieri potest ob alium finem, v. g. ob vitandam litem, in gratiam alicujus personæ, & quotiescunque adest alia levis alterius finis præsumptio contrarii actus, excluditur renunciatio, quia ea est odiosa & restringenda, ùt Suar. *l. c. n. 12.* Pontius *l. c. c. 18. §. 3. num. 28.* Amitti tamen etiam privilegia etiam affirmativa non habentia tractum successivum, sed concessa ad unicum actum per actum etiam unicum illi privilegio contrarium, verissimam & communem esse sententiam DD. in *c. cùm accessissent. de constitut.* cum Gl. *in c. exore. de his quæ fiunt à majore. v. renunciasse.* asserit Castrop. *l. c. num. 2.* Privilegia verò negativa cedentia in gravamen alterius tractum successivum habentia, v. g. privilegium non solvendi decimas, privilegium exemptionis à jurisdictione Ordinarii possunt per actum privilegiati privilegio contrarium, v. g. per solutionem decimarum amitti, non tamen amittuntur per actum talem unicum, neque etiam per plures actus contrarios, nisi ex parte illorum, qui gravati sunt privilegio, detur præscriptio contra privilegium. Pars prior probatur ex eo, quòd, dum habens privilegium v. g. non solvendi decimas, nonsolvit eas ex una alterave vice, possit imposterum nolle eas solvere, non contradicit hac ratione toti privilegio suo, adeóque non amittit illud; ita Arg. *L. 2. de privileg. veteran.* ubi dicitur: non labefactari privilegium immunitatis ab oneribus civitatis, esto, quòd quis aliqua eorum subeat, tradunt Suar. *cit. c. 35. num. 20.* Bonac. Salas. Pont. & alii, quos citat Castrop. *l. c. n. 3.* qui tamen *num. 4.* addit, quòd respectu & ratione illorum actuum, quibus quis contradicit suo privilegio, illud cesset, ita ut illud allegare non possit contra valorem illorum, quod item sentiunt Gl. *in c. gratum. de off. deleg.* Salas. Suar. Pont. Bonac. apud eundem. Arg. *L. 2. & 3. C. de his, qui sponte onera subeunt,* & ex ea ratione, quòd in eo, in quo quis contradicere vult privilegio, possit velle uti illo. Verùm hæc de amissione privilegii per usum contrarium illi ut procedant, requiritur, ut sit ex iis, quibus utpote directè in sui favorem concessis, privilegiatus renunciare potest. Abb. *in c. cùm accessissent. de const. num. 8.* Felin. *ibidem. num. 28.* Laym. *L. 1. tr. 4. c. 23. num. 12.* Suar. *cit. c. 35. num. 5. & 8.* Castrop. *cit. num. 4.* Pirh. *h. t. num. 181.* nam qui non potest per expressam renunciationem privilegium tollere, is etiam id non potest per tacitam renunciationem exercendo actus contrarios privilegio, sed & advertendum, communites; aut etiam Episcopo cum Capitulo, Generales Ordinum cum Congregatione generali renunciare posse privilegio tacitè, & sic amittere privilegium per actum contrarium ab iis exercitum, nisi accedat præscriptio. Abb. *l. c.* Felin. *l. c. num. 29.* Laym. *l. c.* Gail. *obs. 60. n. 13. & 14.* quos citat & sequitur Pirh. *l. c.*

Quæst. 453. Quantum tempus requiratur, ut amissum censeatur privilegium ob tacitam renunciationem per actus contrarios?

Resp. Etsi de hoc clarè non statuant jura probabiliter hâc ratione amitti privilegia regulariter eodem tempore, quo per actus contrarios derogari solet juri communi, est enim privilegium quasi lex privata, unde si juri communi derogari potest tanto vel tanto tempore, multò magis id dici posse de privilegio, astruit Reiffenst. *h. t. n. 227.* cum Engels. *h. t. num. 9.* Sic itaque privilegio, quod est contra jus civile, dicto modo derogari potest per actus contrarios per decennium, quo præscribitur contra legem civilem. Arg. *L. 1. c. quæ sit long. consuet.* Privilegio concesso Ecclesiæ vel personis ecclesiasticis, dum illud aliquando usu receptum, non nisi spatio 40. annorum, Arg. *c. accedentibus. h. t.* quia tantum tempus requiritur ad præscribendum legibus ecclesiasticis, Arg. *c. auditis. de præscript.*

Quæst. 454. Qualiter Privilegium amittatur per abusum?

1. Resp. Primò: Amittitur privilegium propter delictum seu defectum commissum in ipso usu privilegii tribus modis. Primò: Dum contra intentionem concedentis extenditur ad non concessa, nimirum utendo illo alio loco vel tempore, circa alias personas vel materiam. Secundò ex privilegio v. g. immunitatis à jurisdictione seu subjectione Superioris sumendo ansam liberiùs peccandi seu delinquendi. Tertiò: Agendo directè contra finem in concessione indulti intentum, dum v. g. Canonicus aliúsve Clericus beneficiatus obtinens privilegium non residendi in sua ecclesia ad prosequenda studia literarum, nihil minus ageret, sed tempus otio vel inutilibus, & à fine privilegii alienis exercitiis absumeret. Porro propter quemcunque horum modorum meretur quis amittere privilegium. Suar. *l. c. c. 36. à num. 4.* Salas. *de LL. d. 17. S. 13. num. 80.* Castrop. *l. c. p. 20. num. 2.* juxta *c. ut privilegio. h. t. c. contingt. de Sent. excom. c. licet. de regul.* Ideoque quandoque perditur privilegium totaliter, scilicet, quòad jus utendi illo etiam in futurum seu ad actus futuros, juxta *c. privilegium. 11. q. 3.* quandoque tantùm amittitur quòad Valorem & actum præsentem, qui fit cum abusu privilegii pro una vice v. g. jure eligendi, & non quòad alios actus futuros. Suar. *l. c. num. 5. & 6.* Pirh. *h. t. num. 185.*

2. Resp. Secundò: Regulariter propter abusum non amittitur privilegium ipso facto, cùm in citatis textibus tantùm dicatur abutentem mereri amittere privilegium, id est, dignum esse, qui amittat illud. Suar. Salas. *LL. cit.* Castrop. *l. c. num. 3.* Dixi tamen, regulariter non amitti ipso facto, ad significandum, quandoque tamen sic amitti, idque ex verbis privilegii colligendum, ita ut nisi expressè in eo dicatur id *ipso facto, eo ipso,* illico amitti vel invalidum reddi exprimatur, vel indultum sit, donec quis eo abutatur, amissio censeatur ipso jure & facto incursa, ùti etiam ipso jure tollitur, etiamsi hæc non exprimantur, si abusus consistat in repugnantia cum ipso fine concessionis privilegii, quamvis tamen Suar. *l. c. num. 7.* Castrop. *num. 3.* & alii. Arg. *c. fin. de vita & honest. c. cum secundum. de hæret. in 6.* pro praxi moneant, etiam in casibus, quibus privilegii amissio in pœnam delicti à jure inducta est, & ipso facto incurritur, ad amissionem ejus actualem ordinariè sententiam criminis declaratoriam requiri; quod intelligi videtur non tantùm de delictis distinctis ab ipso abusu privilegii, sed etiam de iis, quæ in ipso abusu consistunt.

stunt. Atque ita delinquens ante hanc sententiam non tenetur abstinere ab usu privilegii. Suar. *l. c. num.* 8. Bonac. *d.* 1. *c.* 3. *p.* 8. §. *ult. num.* 1. Castrop. *l. c. num.* 3.

Quæst. 455. *An & qualiter finiatur Privilegium per mortem privilegiati & concedentis Privilegium?*

1. Resp. Primò: Privilegium personale unà cum persona, cui concessum, finitur, quia personæ adhæret, & non transit ad hæredes aut Successores illius. *L. privilegium. de Reg. Juris in* 6. *L. in omnibus.* & *L. privilegia. ff. eod.* Privilegium reale, concessum nimirum ratione dignitatis, officii, loci aut rei, deficiente personâ per mortem vel amotionem à dignitate, vel officio, vel re amissâ non deficit, sed ad Successores in dignitate & officio (non verò ad administrantes idem officium vacans. Laym. *in c. quoniam. de Offic. Jud. delegati*) transit. Azor. *p.* 1. *L.* 5. *c.* 22. *q.* 6. quia, quæ ratione dignitatis conceduntur, mutata personâ non mutantur, *c. si gratiosè. de rescript. in* 6.

2. Resp. Secundò: Privilegium semel absolutè & sine limitatione concessum & acceptatum non amittitur morte concedentis. Arg. *c. si cui. de prab. in* 6. *c. si super. de off. deleg. in* 6. quia privilegium est quædam liberalis donatio, quæ semel facta, non exspirat per mortem donantis, & sic etiam precarium, quamvis ex mera liberalitate dantis proficiscatur, hujus morte secutâ pergit durare. Lauterb. *ad ff. de precario.* Idque procedit non tantùm in privilegio merè favorabili, sed & in odioso, per quod derogatur juri communi, vel præjudicatur juri alterius privati, quia jura loquuntur absolutè de gratia, & privilegium etiam odiosum est vera gratia respectu ejus, cui conceditur. Item extenditur, ita ut non tantùm sit locus non-exspirationi, si res non sit integra, sed etiamsi sit adhuc integra, id est, si privilegiatus necdum cæperit uti privilegio, cùm neque talis limitatio addatur in citatis juribus, & gratiæ non sint restringendæ. Suar. *l. c. c.* 31. *num.* 2. Pirh. *h. t. num.* 171. cujus contrarium est in rescriptis justitiæ seu ad lites, in quibus delegatur jurisdictio contentiosa fori externi, quæ exspirat morte delegantis, si res sit adhuc integra. *c. relatum. c. gratum. c. licet. de Off. Jud. deleg.* limitandum tamen hoc ipsum ad privilegium aliamque gratiam jam factam, & non extendendum ad faciendam per executores, hæc enim re adhuc integrâ exspirat morte concedentis. Gl. communiter recepta *in cit. c. si cui. de prab. in* 6. Dicitur autem gratia facta, quando directè concessa alicui in proprium favorem ipsius, etsi mera executio ab alia persona dependeat. Suar. *l. c. num.* 18. & 19. facienda verò, dum nihil directè concessum ei, in cujus favorem tendit, sed delegato v. g. Episcopo vel confessori directè mandatum, ut talem gratiam concedat, v. g. causâ cognitâ, dispenset, ita Pirh. *l. c.* cum Suar. *l. c.* & Laym. *cit. c.* 22. *n.* 48. Item limitanda hæc ad casum, in quo Princeps concessit privilegium dicendo: *Ad beneplacitum nostrum.* Arg. *L. locatio. ff. locati.* cum talia verba significent perseverantiam ejusdem voluntatis, quæ cum vita concedentis finitur. Suar. *l. c. c.* 32. *n.* 2. Pirh. *num.* 172. quamvis addat, citans pro hoc Gail. *L.* 2. *obs.* 60. *num.* 16. moderno usu observari privilegia etiam concessa à Principe sub hac forma: *ad beneplacitum nostrum:* Morte concedentis non exspirare, ex ea ratione, quòd non prohibeamur stare ei, quod expressè non mutatur, uti dicta voluntas concedentis non mutatur morte, etsi extinguatur, quod à potiore procedere videtur, dum Princeps concessit privilegium dicendo: *donec revocavero*: quorum aliam rationem reddi non posse ait Laym. in *cit. c. gratiosè.* quàm quòd per verba hæc: *Concedimus ad beneplacitum nostrum* (quod idem dicendum videtur de verbis: *donec revocavero*) Princeps solùm intendat cavere & admonere, privilegium non transire in contractum seu pactum, & per talem concessionem nullam sibi vel Successoribus suis obligationem imponi, sed liberè revocari posse.

Quæst. 456. *Qualiter pereunte re, cui Privilegium annexum, pereat Privilegium?*

Resp. Privilegium reale seu locale v. g. concessum religioni, collegio, dignitati, officio, iis penitus suppressis seu extinctis perit, uti & concessum loco, puta ecclesiæ, monasterio, castro, civitati, fundo, quibus tanquam subjecto citra respectum ad personas, eorum possessores aut inquilinos inhæret, destructis sine spe reparationis aut reædificationis exspirant. Arg. *Reg. accessorium. de reg. jur. in* 6. Gl. *in reg. privilegium eodem. v. personale.* Innoc. *in c. cum ex injuncto. de novi oper. nunc.* quod limitant Reiffenst. *num.* 172. & alii, ut procedat, si authoritate Superioris, habentis ad hoc authoritatem, destruatur sine spe reædificationis, secus est, seu pergit inhærere fundo non secus ac consecratio loci sacri adhæret pavimento. *L. ade Sacra. ff. de contract. empt.* ubi spes est reædificationis. *c. pastoralis.* 7. *q.* 1. Idem est, si ecclesia aut monasterium ideo destruatur, ut alio commodiore loco ædificetur, tunc enim retinet privilegia prius habita, cum ecclesia alibi reædificata censeatur eadem cum destructa, quippe comparatur personæ, quæ concessa sibi privilegia secum defert, sic etiam, ubi privilegia concessa non ratione situs, sed ratione alterius tituli transcribilis, v. g. ratione confraternitatis vel reliquiarum alicujus Sancti ibi depositarum, tunc enim his translatis aliò, etiam privilegia transferuntur aliò, & ita tenent Felin. *in c. cum dilecta. de rescript. n.* 25. Azor. *p.* 1. *L.* 5. *c.* 22. *q.* 11. Suar. *de LL. L.* 6. *c.* 5. *à num.* 5. quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. num.* 41. Item cum monasterium privilegiatum hostiliter desolatum unitur alteri monasterio, unitur enim tunc cum omnibus rebus & juribus & actionibus, quæ competunt ei. Arg. *c. quia monasterium. de relig. domib.* & consequenter cum omnibus privilegiis suis, quibus dein alter Abbas Monasterii, cui unitur, uti potest per habitudinem ad monasterium destructum, Reiffenst. *num.* 175.

Quæst. 457. *An & qualiter Privilegium amittatur per revocationem?*

1. Resp. Primò: Privilegium consistens in facultate & licentia delegata ad usum aliquem contra vel præter legem communem concessum subdito potest validè, etiam sine causa revocari à concedente illud ejúsque Successore pro libitu. Abb. *in c. novit. de Judic. num.* 23. Felin. *ibid. num.* 8. Sanch. *L.* 8. *de dispens. L.* 8. *c.* 13. *num.* 1. Suar. *l. c. c.* 37. *num.* 10. Salas. *d.* 17. *S.* 14. *num.* 70. Bonac. *d.* 1. *q.* 3. *p.* 8. §. 3. *num.* 1. Pont. *L.* 8. *de mat. c.* 19. *num.* 11. Castrop. *tr.* 3. *d.* 4. *p.* 21. §. 1. *num.* 1. Pirh. *h. t. num.* 86. cum communi, quia talis privilegii concessio est quasi quædam delegatio, quæ à delegante revocari potest. Dicitur primò:

Concessum subdito: quia sicut potest subditum à lege eximere per privilegium, ita potest eundem iterum subjicere legi per revocationem privilegii, eique denuo imponere præceptum, quod per legem sublatum est, cum non amiserit potestatem jurisdictionis in illum. Dicitur secundò: *Validè etiam sine causa:* ex eadem ratione, nimirum ratione retentæ jurisdictionis, quod tamen ubi fecerit, peccabit venialiter, ut sentiunt Salas. *l. c.* Sanch. *n.* 11. Molin. *de primog. L.* 4. *c.* 3. *num.* 20. Castrop. *l. c.* quia mutare voluntatem levitatis & inconstantiæ est, & contra naturam beneficii Principis, quod decet esse mansurum. Privilegium tamen transferens dominium in privilegiatum, sive concessum sit subdito, sive non-subdito revocari nequidem validè potest sine causa, ubi jam accceptatum à privilegiato, quia donatio acceptata revocari nequit, cùm nemo re suâ, qualis est privilegium concessum & acceptatum, privari possit sine causa, adeóque nec Princeps privilegium, v. g. exigendi tributum aliquod à se concessum tollere potest à privilegiato tanquam illius bonum proprium. Castrop. *l. c. n.* 2. nisi fortè concessum à Rege sine consilio Procerum, dum damnosum est regno, ùt Idem *n.* 3. Porrò causa revocandi privilegium sufficiens est eadem, quæ est causa revocandi donationem perfectam, qualis est, si donatio cederet in gravem jacturam Regis & regni, aut communis boni. De cætero

2. Resp. Secundò: Privilegia conventionalia per pactum seu contractum onerosum, v. g. pro pretio, vel sub onere alicujus operis faciendi, aut etiam in renuntiationem aut compensationem meritorum, concessa etiam subdito, revocari à concedente sine gravi & bonum publicum concernente causa non possunt. Suar. *l. c. c.* 37. *num.* 7. Bonac. *l. c. num.* 2. Salas *l. c.* Sanch. *l. c. d.* 33. *n.* 9. Vasq. *in opusc. c.* 6. §. 1. Less. *l.* 2. *de Justit. c.* 33. *du.* 4. *n.* 35. Pont. *l.* 9. *de mat. c.* 19. §. 2. *num.* 13. Castrop. *l. c.* §. 2. *num.* 1. Lauterb. *ad ff. de constit. Princip.* §. 50. ex ea ratione, quòd Princeps servare teneatur pacta & conventiones cum subdito initas, cùm exinde oriatur obligatio justitiæ etiam adversùs Principem, à qua obligatione semel contracta recedere, & inde jus quæsitum subdito suâ pœnitentiâ auferre, ùt ostendit Anton. de Petra *tract. de jure quæsit. non toll. per Principem. c.* 32. *q.* 3. *num.* 45. Unde in Camera Imperiali mandata pœnalia contra Principem & Status Imperii, qui privilegia conventionalia ex causa onerosa impetrata revocant, impetrantur. Arg. *Ordin. Cam. p.* 2. *tit.* 23. testatur Lauterb. *l. c.* Privilegium etiam remuneratorium obsequiorum & meritorum debitum, & non gratis datum censetur, & affine est dato ex conventione. Wiestn. *h. t. num.* 59. Ad hoc autem, ut revocari nequeant, requiritur, ut meritorum in specie fiat mentio, & non sufficit dicere: *ob merita tua concedimus tibi*, &c. quia privilegium debet adæquari meritis, de quo constare nequit, nisi merita in specie exprimantur. Castrop. *l. c. num.* 6. si autem specialiter sint expressa, sufficienter censentur probata, & sufficit, quòd concedens id affirmet, secus, si in genere tantùm dicat: *ob merita, vel quia bene meritus.* Castrop. *num.* 7. Jason. *conf.* 227. *vol.* 9. quod tamen qualiter limitandum, vide apud Castrop. unde etiam privilegium absolutâ donatione à Principe concessum subdito revocari nequit, cùm per illam donationem acquiratur ei dominium & jus. Quòd si verò Princeps ob gravem justámque bonum publicum concernentem causam privilegium revocavit, tenetur restituere pretium, si quod in concessione privilegii intervenit, aut, si quod opus ei exhibitum, æquivalentiam operis illius reddere, ne aliàs revocatio sit nulla, utpote injusta, tradunt Suar. *l. c.* referens alios. Sanch. Salas & alii apud Castrop. *l. c.* iis consentientem, qui etiam *num.* 2. cum Sanch. *num.* 13. Bonac. *num.* 12. Pontio *num.* 13. & aliis inde infert, dispensationes in gradu prohibito ad matrimonium contrahendum concessas à Pontifice non revocari, nisi causa justa intercedat, & insuper reddatur pretium ei, cum quo fuit dispensatum. Item *num.* 3. cum Henriq. *l.* 7. *de indulg. c.* 21. *num.* 7. Manuel. *in exposit. cruciatæ.* §. 12. *num.* 13. Sanch. *d.* 33. *num.* 10. Salas. Bonac. & aliis asserit, non revocari per jubilæum privilegia in Bulla cruciatæ concessa, licet etiam Pontifex dicat, se revocare omnes gratias, privilegia & facultates singularibus personis, quacunque dignitate fulgentibus, quâcunque de causa concessa, quia in Bulla cruciatæ concessa sunt sub contractu oneroso, nimirum dandi certam eleemosynam, cujus debebat fieri specifica mentio.

Quæst. 458. *Quâ ratione facienda revocatio privilegii vel dispensationis, ut effectum secum habeat?*

1. Resp. Primò: Hæc revocatio fieri potest expressè, nimirum verbis expressis, vel tacitè, dum Princeps facit actum, qui cum privilegio stare non potest; sufficit autem, dum fit expressè, clausula generalis, quâ dicit Princeps: velle se privilegium vel constitutionem aliquam valere, non obstantibus quibuscunque privilegiis in contrarium, hoc ipso enim abrogantur seu revocantur quæliber in contrarium privilegia. Limitandum tamen id in privilegiis concessis per modum contractus sive onerosi, sive remuneratorii; cùm enim sint irrevocabilia, & per ea jus quæsitum, nisi causa publica & compensatio intercedat, nullo modo præsumi debet eorum revocatio, nisi in ea exprimantur etiam per contractum concessa. Sicar. *l. c. c.* 38. *num.* 3. Sanch. *cit. d.* 33. *num.* 8. Azor. *L.* 5. *c.* 22. *q.* 11. Pont. *l. c. num.* 16. Salas. *de LL. d.* 17. *s.* 14. *num.* 71. 73. & 79. Castrop. §. 4. *num.* 3. Item in privilegiis habentibus clausulam, ut revocari non possint, nisi eorum specifica mentio fiat, cùm tunc in revocatione addi debeat aliqua clausula, quâ hæc privilegia contineri videantur. Castrop. *num.* 4. qui tamen cum Suar. Salas. Bonac. Pont. aliisque à se citatis addit, sufficere, si Princeps dicat: se revocare privilegia in contrarium sub quacunque forma concessa; quia hæc verba operari aliquid debent, ac proinde debent esse revocatoria privilegiorum habentium clausulam revocatoriam quorumcunque privilegiorum. Ac denique in privilegiis insertis corpori juris, quæ cùm non tantùm sint privilegia, sed & canones & leges, quousque canonum & legum fiat derogatio, non censentur derogata, ita Suar. Salas. *LL. cit.* Castrop. *num.* 5. Jason. *in L.* 1. *ff. solut. mat.* cum Gl. *in L.* 3. *C. de silent. & decurionib.* Quin etsi privilegium ab aliquo Concilio generali statutum, non sufficere ad derogationem illius clausulam derogatoriam quorumcunque privilegiorum, sub quacunque forma concessorum, sed exprimi debere insuper Concilium vel saltem sub generalibus verbis dicendo: non obstante quacunque constitutione in Concilio generali edita. Arg. *c. ult. de capell. monach.* & *c. nonnulli. de rescript.* Covar.

var. 4. *var. c. 26. num. 16.* Menoch. *vol. 3. conſ. 294. num. 11. & 12.* Mol. *de juſt. tr. 2. d. 173. verſ. occaſione.* Sanch. *L. 3. d. 26. num. 7.* Caſtrop. *cit. §. 4. num. 6.* Imò ſi ſit Concilium generale modernum, ùt eſt Tridentinum, non ſufficere clauſulam derogatoriam cujuſcunque Concilii, ſed requiri ſpecificam talis Concilii moderni, v. g. Tridentini, mentionem cenſent Sanch. Henriq. *L. 7. de indulg. c. 26. num. 3.* Vivald. *in candelab. p. 3. c. 12. n. 12.* quod tamen carere fundamento, cùm omnia Concilia generalia ejuſdem ſint authoritatis, ait Caſtrop. qui etiam *n. 7.* cum Claro *L. 3. receptar. §. teſtamentum. q. 99. verſ. cæterum.* Sarmient. *L. 3. ſelect. c. 14. num. 7.* Henriq. *l. c.* Covar. *in Rub. de teſtam. p. 2. n. 19.* Sanch. *L. 3. d. 26. n. 7.* & aliis à ſe cit. tradit, factas jam limitationes ſic ſublimitandas: nisi aliter conſtet de mente derogantis, eò, quòd ſi clarè conſtet, Principem velle ſub verbis generalibus dicta privilegia revocare, ſeu eis derogare, erunt revocata, etiamſi formam communem clauſulæ derogatoriæ non ſervent.

2. Reſp. Secundò: Quod attinet revocationem tacitam, ſi privilegium contrarium priori concedatur ex certa ſcientia & notitia prioris, hoc revocatum cenſetur ex ea parte, in qua eſt contrarium ſecundo; ſic, ſi ab habente privilegium non ſolvendi tributum exigatur de voluntate Principis tributum, reputandum eſt illud exigi pro illa vice, ſeu pro illo anno, ac ita derogabitur privilegio quò ad iſtam partem, & integrum manebit pro annis ſequentibus, quia derogatio eſt, & provide reſtringenda; ita Suar. *l. c. c. 38. n. 6.* Pont. *de mat. L. 8. c. 19. §. 2. n. 17.* Bonac. *d. 1. q. 3. p. 8. n. 4.* Caſtrop. *n. 8.* ùt ait, cum communi, ſcientia verò & notitia prioris privilegii, quæ requiritur, ut derogatio ſit libera & voluntaria. Arg. *c. nonnulli. de reſcriptis. c. 1. de Conſt. in 6.* & *L. Idem Ulpian. §. Sunt & alii. ff. de excuſat. tutor.* præſumenda eſt, ſecundum triplicem modum, quo ſit dicta derogatio, nempe vel per legem aliquam generalem contrariam privilegio, vel per privilegium contrarium aliis conceſſum, vel per ſententiam datam contra prius privilegium, quod ſpectat primum, ſi privilegium derogandum clauſum eſt in corpore juris, illud revocatum manet tali lege univerſali, quia inſerta corpori juris non præſumuntur ignorata à Principe. Arg. *c. 1. de Conſtit. in 6.* eſtque privilegium tale lex communis, lex autem communis aliâ lege communi contrariâ abrogatur abſque eo, quòd præcedentis fiat mentio, juxta *L. ſed & poſteriores. ff. de LL.* & Gl. *in cit. c. 1. v. revocare. & v. noſcatur.* Si autem privilegium derogandum eſt extra corpus juris, ei non derogatur lege univerſali contrariâ illius mentionem non faciente, quia illius ſcientia utpote jus ſpeciale & privatum non præſumitur in Principe, juxta *cit. c. 1.* & ita quò ad utrumque cum communi docent Salaſ. *de LL. d. 17. ſ. 14. n. 74.* Bonac. *l. c. n. 15.* Suar. *l. c. c. 39. num. 2.* juxta *c. cum ordinem. de reſcript.* Quod ſpectat ſecundum modum derogationis privilegii per aliud privilegium, ſi prius inſertum corpori juris revocatur per ſecundum ei contrarium, etiamſi primi mentionem non faciat, quia primum præſumitur ſcitum à Principe, idque ſive ſecundum derogans ſit ſpeciale, ſive generale, ſive inſertum corpori juris, ſive non. Bonac. *n. 17.* Suar. *l. c.* Salaſ. *n. 75.* Pont. *num. 19.* E contra, ſi prius ſit extra corpus juris, nunquam ei derogatur per ſubſequens, nisi hoc faciat mentionem prioris, quia ſecundum præſumitur conceſſum ex ignorantia prioris. *cit. c. 1.* Suar. *n. 6.* Salaſ. *cit. n. 74.* Pont. *n. 21.* idque, ſive utrumque ſit ſpeciale, ſive primum ſpeciale, & ſecundum generale, ùt iidem, ſi tamen primum ſit generale, & ſecundum ſpeciale, prævalere videtur primum, ſi illius mentio non ſit facta in ſecundo, tum quia ſemper præſumitur ignoratum eo ipſo, quòd inſertum non ſit juri communi, cujus tantùm ſcientia præſumitur, tum quia per primum videtur jus quæſitum privilegiato, cui non cenſetur Princeps velle derogare, nisi illius faciat mentionem ſpecificam. Verùm huic poſtremo contrarium, ſive prævalere ſecundum non obſtante priore, etſi generali, probabiliùs cenſet Caſtrop. *n. 14.* eò, quòd regula expreſſa in jure ſit; generi derogari per ſpeciem, præſertim ſi ſpecies ſubſequatur. *Reg. 44. de Reg. Jur. in 6.* Suar. Bonac. Pont. apud Caſtrop. modò tamen privilegiatus virtute privilegii acquiſiverit jus in re, circa quam conceditur ſecundum privilegium. Quid verò reſpondeat Caſtrop. ad rationes pro oppoſito, vide apud illum *à num. 15.* quod ſpectat ad tertium modum derogandi privilegio per ſententiam privilegio contrariam revocari illud per eam, ſi lata ab eo, qui privilegium revocare poteſt, tenent Azor. *L. 5. c. 22. q.* Bonac. *l. c. §. 3. n. 16.* Salaſ. *d. 10. ſ. 14. n. 72.* Caſtrop. *n. 16.* eò, quòd ſententia æquiparetur juri & legi, ſed jure & lege contrariâ derogatur privilegium, modò tamen ſententia ſit juſta, tunc autem revocatur per ſententiam, quando privatur quis eo in pœnam delicti. De quo plura vide apud Caſtrop. *num. 17.*

Quæſt. 459. *An & quæ publicatio revocationis requiratur, ut privilegium revocatum cenſeatur?*

1. REſp. Primò: Si privilegium per legem latam revocetur, illa publicatio revocationis privilegii requiritur, quæ neceſſaria eſt ad legis conſtitutionem. Unde ſicut lex civilis publicationem ſui diverſam à publicatione legis canonicæ requirit, nimirum, ut lex civilis pro diverſis provinciis Imperatoris legibus ſubjectis lata publicetur in earum ſingulis, & ſi pro earum una in ea ſola ſufficiat publicari, & exſpectandi duo poſt publicationem menſes, ut effectum ſuum habeat; legem verò canonicam, ut obliget omnes, ſufficiat publicari Romæ, & in notitiam ſubditorum deveniat, aut commodè devenire poſſit, ita quoque loquendum diverſimodè de publicatione revocationis privilegii per legem civilem, & facta per legem canonicam. Suar. *l. c. c. 40. à n. 1.* Salaſ. *de LL. d. 17. ſ. 17. n. 80. & 82.* Bonac. *l. c. n. 20.* Caſtrop. *l. c. §. 5. n. 1.* contra Soto *L. 1. de juſt. q. 1. n. 4.* Medin. *L. 2. q. 90. a. 4. poſt. 5. concl.* Sa *v. gratia. n. 17.* & alios docentes publicationem legis canonicæ revocantis privilegium debere fieri in qualibet diœceſi, ſed ſine fundamento, ut inquit Caſtrop. dum videmus revocari privilegia ob legem contrariam Romæ ſolùm publicatam.

2. Reſp. Secundò: Revocatio privilegii privatim nimirum mandato concedentis, vel alio privilegio contrarium effectum non habet, quouſque innoteſcat privilegiato, quia ad rectam Reipublicæ & Eccleſiæ gubernationem ſpectat, ut velit Princeps privilegiatos uti ſuis privilegiis, quouſque cognoſcant ea revocata, ne aliàs vellet plures actus invalidos fieri; ita Sylv. *v. gratia. n. 4.* Azor. *L. 5. c. 12. q. 7.* Suar. *l. c. n. 6.* Pont. *l. c. n. 14.* Salaſ. *n. 82.* Bonac. *l. c.* Caſtrop. *n. 2.* Soto *l. c.* cum

communi. Hanc revocationem non necessariò faciendam per nuncium aut epistolam à revocante missam, sed sufficere, ut quocunque modo de ea certus fiat privilegiatus, docent Suar. *l. c. n.* 7. & Bonac. *l. c.* eò, quòd hic modus notitiæ ex natura rei sufficiat, & nullibi jure positivo alius modus sit præscriptus. Quod ipsum, etsi probabile dicat Castrop. *n.* 4. probabilius tamen esse censet cum Portio *cit. n.* 14. Sá *v. gratia, n.* 1. hanc revocationem fieri debere per rescriptum, epistolam vel nuncium ad hoc destinatum, eò, quòd revocatio privilegii non secus, ac lex ejusque revocatio debeat à revocante procedere, cùm aliàs non sit publicatio authentica, & consequenter non firmet publicationem.

Quæst. 460. *A quo fieri possit revocatio privilegiorum gratuitorum, onerosorum, remuneratoriorum, casu, quo revocabilia sint?*

1. Resp. Primò: Dubium non est, fieri eam posse à successore concedentis, cùm privilegium solam concedentis jurisdictionem spectet, quam eandem cum illo habet ejus successor. Posse quoque concedentem privilegium contra jus proprium validè revocare, sine legitima causa satis certum videtur ex dictis suprà. Posse etiam inferiorem dispensantem, vel concedentem privilegium contra legem Superioris, quando ei indulta est potestas dispensandi, validè sine causa revocare dispensationem à se factam, censet Bonac. apud Castrop. *l. c.* §. 3. *n.* 2. qui ipse tamen cum Sanch. Salas. Pont. Franco, &c. probabiliùs censet contrarium, nimirum inferiorem sine causa validè revocare non posse dispensationem à se factam, posse autem cum causa, eò, quòd sicut inferior non potest validè concedere dispensationem in lege Superioris absque causa, ita non possit validè sine causa revocare dispensationem à se factam, cùm enim ex voluntate Superioris concedentis illi potestatem dispensandi operetur, non est, unde colligatur, voluntatem Superioris esse, ut sine causa validè revocet dispensationem à se factam, cùm tamen absque causa non possit concedere dispensationem. Sic itaque non poterit Episcopus revocare dispensationem à se factam parocho ad non residendum, aut ad differendum Ordines ratione studii, quia est dispensatio in lege Superioris, quam, postquam dispensavit in ea, denuo stabilire, seu ejus obligationem reducere non potest.

2. Resp. Secundò: Tametsi Papa revocare possit dispensationem factam ab inferiore Prælato vi collatæ ei potestatis dispensandi ab ejus Superiore, quia cùm omnis jurisdictio pendeat à Papa, is potest denuo ablatam legem & obligationem imponere, & subditum ab alio exemptum eidem rursus subjicere. Superior tamen alius inferioris Prælati non videtur ab eo datam dispensationem revocare posse, quia injustum videtur privare inferiorem usu suæ jurisdictionis ordinariæ; ita Sanch. *cit. d.* 33. *n.* 7. Suar. *de LL. c.* 37. *n.* 17. *in fine.* Pont. *l. c. n.* 15. *in fine.* Castrop. *l. c. n.* 5.

Quæst. 461. *Privilegia vivæ vocis oraculo, quæ dicantur, cujus valoris, an & quæ revocata?*

1. Resp. Ad primum: Sunt privilegia, quæ Pontifex vel Princeps solâ voce seu oretenus concedit, quamvis subinde, ut pro foro externo probari & practicari valeant, postmodum in scriptum redigantur, & testimonio authentico ab iis, quibus incumbit ex officio, fide digna reddantur. Reiffenst. cum communi. *h. t. n.* 194.

2. Resp. Ad secundum: Gratiæ & privilegia vivæ vocis oraculo concessa sunt ejusdem valoris pro foro interno, cujus sunt concessa in scriptis, *c. institutionis.* 25. *q.* 2. ad essentiam enim & substantiam privilegii, adeóque nec ad vim & efficaciam privilegii requiritur scriptura juxta dicta suprà; pro foro tamen externo, ut valeant practicari, non sufficit oretenus solùm concessa, sed insuper requiritur, ut testimonio authentico, adeóque in scripto eorum concessio probetur, juxta *Reg. Cancellar.* 57.

3. Resp. Ad tertium primò: Omnia & singula privilegia quibuscunque Capitulis, Collegiis, Ordinibus vel personis eorum à quocunque tandem Pontifice usque ad Urban. VIII. vivæ vocis oraculo concessa hodie pro utroque foro sunt revocata, ita, ut nec in foro interno, nec externo iis privilegiis liceat ampliùs uti, etsi ad supplicationem Regum sint concessa, ac de iisdem verè concessis Cardinales propriâ manu scriptum testimonium ferant, nisi per Officiales & ministros illos, quibus incumbit ratione officii gratiis, privilegiis & favoribus per Pontifices vivæ vocis oraculo concessis, aut imposterum concedendis fidem facere & authentizare, quibus proinde fides haberi solet & debet, sint authentizata; ita verbotenus Reiffenst. *num.* 152. testans, hanc esse hodie communem & certam sententiam ob claras & expressas revocationes factas à Gregorio XV. & Urban. VIII. cujus prioris Constitutio incipit: *Romanus Pontifex in specula*; estque illius 27. & habetur *Tom.* 3. *Bullarii Cherubin*, quam etiam ad fusum recitat Reiffenst. *n.* 153. in qua Constitutione, tametsi contrarium paulò antè dictis habeatur, dum expresse excipiuntur privilegia vivæ vocis oracula concessa ad supplicationem Regum, nec non illa, de quorum concessione Cardinales in scriptis testimonium ferunt, hodiedum tamen & hæc non amplius valent, eò, quòd Urban. VIII. in Constitutione sua, quæ incipit: *Aliàs felicis recordationis Gregor. XV.* estque illius 21. *in Bullar. Cherub.* illa quoque revocavit hisce expressis: *Omnia & singula vivæ vocis oraculo, S. R. E. Cardinalium quorumcunque manu firmata &c. quibuscunque etiam intuitu, contemplatione, ad instantiam Regum & Principum quorumcunque, cassamus & annullamus &c.*

4. Resp. Ad tertium secundò: Privilegia illa vivæ vocis oraculo, quæ per dictos Officiales & Ministros authentizata non sunt revocata, sed omnia & singula à quocunque Pontifice concessa, in utroque foro adhuc valent, validéque ac licitè practicari possunt, prout declaravit Urbanus VIII. in Constitutione sua, quæ etiam incipit: *Aliàs felicis recordationis*; quatuor annis post præcedentem ejus Constitutionem edita, illius 141. *in Bullar.* cujus verba refert Reiffenst. *n.* 156. circa quæ notanda sequentia. Primò: quod inter dictos Ministros & Officiales esse quoque possint Cardinales, adeóque licet absolutè loquendo Cardinalis cujuscunque testimonium de privilegio vivæ vocis oraculo concesso non sufficiat pro valore illius, sufficiat tamen, si alicui Cardinali, ut de illo testetur, commissum specialiter, vel si sit protector Ordinis, de cujus privilegio testatur, quia etiam tali ex officio ei à Pontifice commisso incumbit de iis saltem, quæ talem Ordinem concernunt, testari, ita Reiffenst. *n.* 157. cum Donato *Tom.* 1. *p.* 1, *tr.* 16. *q.* 12. Secundò:

idem

idem eſſe, quòd confirmatio privilegiorum conceſſorum vivâ voce non valeat pro foro externo, nisi & ea facta verbotenus authentizetur per dictos Officiales & Miniſtros, ſecus eſt, ſeu valent tam dicta privilegia, quàm confirmatio eorum facta verbotenus, ſi confirmentur & innoventur per Bullam *ex certa ſcientia*, cùm tunc novam naturam & novum eſſe acquirant, quia ex vivæ vocis oraculis evadunt privilegia ſcripta, eorum naturam aſſumunt, Reiffenſt. *n.* 160. cum Pelliz. *tr.* 8. *c.* 1. *n.* 132. Tertiò: quòd privilegia conceſſa vivæ vocis oraculo poſt Urban. VIII. & quidem pro foro interno omnia ac ſingula, de quibus ſufficienter conſtat eſſe conceſſa, etſi de iis teſtimonium authenticum à ſupradictis officialibus non habebant, ſed alii fide digni Superiores, Generales, Provinciales, Procuratores Generales, aut alii hujusmodi, in quorum præſentia Papæ privilegium verbotenus conceſſit, de iis teſtimonium ferunt, eò quòd par in parem non habeat imperium, & conſequenter conſtitutiones Gregor. XV. & Urban. VIII. manus Succeſſorum non ligent, nec ad eorum conſtitutiones novas ſe extendant, procul dubio hujusmodi ſubſequentes Succeſſorum conceſſiones vivæ vocis oraculo factæ in foro conſcientiæ valeant, ſi de iis quocunque teſtimonio fide digno conſtet. Reiffenſt. *num.* 163. Quartò: Quòd, ut talia privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa etiam pro foro externo valeant, non ſufficiat teſtimonium cæteroquin fide dignum de eorum conceſſione, ſed requiratur non tale, quale ad probandum in foro externo aliàs requiritur, & ſufficit, quamvis neceſſe non ſit teſtimonium doctorum Officialium, cùm probatio per horum teſtimonium præſcripta ab Urban. VIII. ſolùm ſe extendat ad probanda oracula præcedentia, non vero ad ſubſequentia ejusdem conſtitutionem oracula. Reiffenſt. *n.* 164.

Quæſt. 462. *An & quæ privilegia regularium revocata vel non revocata per Concilium Tridentinum?*

1. RESP. Primò: Sicut falſum eſt per Concilium Tridentinum revocata eſſe omnia regularibus ante illud conceſſa privilegia, ita certum eſt eorum plura ab illo revocata eſſe. Quod attinet ad primum, conſtat ad ipſum ex ipſo Trid. dum *Seſſ.* 25. *de regular. c.* 20. *ad finem* ait: *in cæteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia & facultates, quæ ipſorum perſonas, loca & jura concernunt, firma ſint & illæſa.* quod confirmatur non univerſali praxi Ordinum plurimis eorum libere utentium, utì & pluribus à Summis Pontificibus poſt Tridentinum confirmatis. Quod attinet alterum, omnia & ſingula regularium privilegia ante Concilium conceſſa, quæ adverſantur decretis illius contentis *Seſſ.* 25. *de regul.* revocata ſunt ab eodem Concilio, ac proinde licitè non obſervanda, nisi poſt Trid. deſuper novum impetratum privilegium, prout conſtat ex verbis Trid. *l. c. c.* 22. præcipientis obſervari decreta derogatoria, quibus privilegia utique regularium abrogavit, dum dicit: non obſtantibus eorum omnium & ſingulorum privilegiis, ſub quibuscunque verborum formulis conceptis, ac mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non conſuetudinibus vel præſcriptionibus immemorabilibus. &c. Idémque proinde eſt de privilegiis ante Trid. regularibus conceſſis, quæ adverſantur alicui cujuscunque ſeſſionis decreta habenti hanc ſimilémve clauſulam: *non obſtantibus quibuscunque privilegiis.* Reiffenſt. *h. t. num.* 138. quamvis etiam privilegia decretis aliarum ſeſſionum, exceptâ *Seſſione* 25. non habentibus dictam clauſulam derogatoriam: *non obſtantibus.* contraria non cenſeri derogata ab eodem Concilio doceant probabiliſſimè Rodriq. *qq. reg. Tom.* 1. *q.* 8. *a.* 7. Mirand. *in man. Prælat. Tom.* 2. *q.* 42. *a.* 3. *verſ. ſed alii.* Suar. *L.* 6. *de LL. c.* 18. *in fine* apud Reiffenſt. *num.* 139. contra Donat. *Tom.* 1. *p.* 1. *tr.* 11. *q.* 15. *à num.* 4. Peyerin. *in declar. privileg. Tom.* 2. *in conſtit.* 1. *Gregor. XIII. num.* 3. docentes, privilegia adverſantia ſimpliciter cuicunque totius Concilii decreto etiam deſtituta dictâ clauſulâ revocata à Trid. cenſeri ſaltem tacitè, ſiquidem nulla lex, conſtitutio vel decretum, etſi generaliter vel univerſaliter latum, derogat particularibus locorum aut perſonarum ſtatutis, conſuetudinibus aut privilegiis, niſi id exprimat, ùt Barboſ. *in c.* 1. *de conſtit. in* 6. cum communi D. D. ergo nec Trid. per Decreta ſua generalia id non exprimentia & deſtituta clauſulâ generali derogatoria.

2. Reſp. Secundò: Regulares hodiedum etiam in foro conſcientiæ uti non poſſunt privilegiis ſibi conceſſis expreſsè à Trid. revocatis, quia ſententia oppoſita ab Alexand. VII. his terminis expreſſa: *Regulares uti poſſunt privilegiis, quæ ſunt expreſsè revocata à Concilio Tridentino*, damnata eſt; expreſsè autem ab eo revocata ſunt omnia & ſola ea privilegia regularium, quæ ſunt contraria alicui ex decretis à Trid. *Seſſ.* 25. *de regul.*

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica.

Quæſt. 463. *Quid ſit Purgatio Canonica, & qualiter fiat?*

1. RESP. Ad Primum: Purgatio, de qua hìc, in genere eſt oſtenſio innocentiæ de objecto crimine, alia eſt vulgaris, de qua *ſeq. tit.* alia canonica, quæ eſt oſtenſio innocentiæ criminis alicujus, quod alicui objectum, vel de quo quis graviter infamatus vel ſuſpectus, facta canonicè ſeu juxta SS. Canonum præſcriptum, ſumitur ex *can. ſi mala.* 2. *q.* 5. juncta Gl. *v. deficientibus.* & *c. dilectis. h. t. v. nos inter.* Purgatio quoque canonica fit ſuper macula, defectu aut impedimento obſtante v. g. promotioni ad Ordines & beneficia eccleſiaſtica. Arg. *c. accedens.* & Gl. *ibid. v. purgaitone.* & Abb. *num.* 1.

2. Reſp. Ad Secundum primò: Fiebat purgatio canonicè olim variè, nimirum primò per juramentum factum ad ſepulchra vel reliquias Sanctorum præſertim, ubi illi magìs clarebant miraculis tam à reo quàm accuſatore præſtitum, ùt conſtat ex *can. habet. c. Mennam. c. quanto.* 2. *q.* 7. eò quòd harum reliquiarum virtute & meritorum Sanctorum illorum intuitu Deus ſæpe patefaceret reorum vel diffamatorum innocentiam, & accuſatorum vel diffamantium perjurium, ut teſtantur plures SS. Patres apud Baronium *ad annum Chriſti* 412. *à n.* 24. Secundò: per ſuſceptionem Euchariſtiæ vel celebrationem miſſæ, arg. *can. ſæpe & can. fin.* 2.

q. 5. eò quòd præsumebatur, neminem conscium criminis, de quo accusabatur aut infamabatur, tam fore temerarium, ut auderet in judicium & condemnationem sui tam horrendum facinus admittere, præsertim dum, ùt quandoque fiebat, adhibebantur imprecationes repentini interitûs secuturi ex tali temeraria susceptione Corporis & Sanguinis Christi, atque hâc ratione Gregor. VII. Simoniæ insimulatus publicè se purgavit coram Henrico III. Imperatore apud eundem instans, ut, si innocentem se crederet de probris sibi objectis, per sumptionem Sanctissimi Sacramenti se purgaret, quod ab eo deterrito exemplo Lotharii & aliorum, malâ fide in sui perniciem id ausorum & celeri interitu pereuntium non obtinuit. Wiestn. *h. t. num.* 3. referens se ad Chronicon Sigeberti *Anno* 870. & Baron. *Anno* 1077. Tertiò: per indicium criminis, vel per sortes vel tesseras ad S. Crucem jaci, vel in Altari S. Cruce insigni deponi, & post varias precationes inde extrahi solitas, vel per nocturnas & diu continuatas ad illam stationes, vel denique & frequentiùs per juramentum ad S. Crucem, vel per eam eâve contactâ præstitum, ùt Wiestn. *l. c.* ex Rainaudo *de calum. S.* 3. *c.* 2. *num.* 2. & Gretser. *de S. Cruce c.* 16.

3. Resp. Ad Secundum secundò: Hujusmodi purgandi modis, fidelium in Deum & Sanctos fiduciâ deficiente, & ratione in superstitionem degenerante paulatim sublatis, suffecta & hodiedum durans est forma hujus purgationis, nimirum juramentum ab accusato aut insimulato, vel publicè diffamato, aut vehementer suspecto de crimine tactis Evangeliis præstitum, invocato Deo in testem innocentiæ suæ seu de crimine illo, nec per se, nec personam substitutam suo nomine commisso.

Quæst. 464. *An, qui & qualiter adhibendi compurgatores in hac purgatione canonica?*

1. Resp. Primò: Adhibendæ sunt tres, quinque aut plures, prout qualitas rei vel gravitas criminis exigit, & quorum numerum arbitrio & prudentiæ Judicis permissum censent Abb. *in c.* 1. *h. t.* & Decian. *num.* 12. (qui compurgatores vocantur) personæ non solùm bonæ æstimationis & fide dignæ, sed & Vicinæ & tales, quibus purgandi vita & mores perspectos esse præsumi possit, ùt dicitur *c. cum dilectus. h. t.* & *ibi* Gl. *v. vicinæ.* & Abb. *n.* 1. *c. quanto de præsumpt.* Felin. *in c. litteris. eod. num.* 2. & 5. Menoch. *L.* 6. *de præsumpt.* 24. *n.* 12. ejusdem Ordinis ac statûs eum purgando, ita ut si is sit Episcopus vel Presbyter, etiam illi tales esse debeant. His verò deficientibus etiam alii inferioris Ordinis Clerici juxta *c. ex tuarum & c. in juventute.* & his quoque deficientibus honesti Laici, etiam fœminæ admitti possint. Gl. *fin. in cit. c.* & Hostiens. *num.* 5. imò si in purgationis loco ignotus Clericus sit purgandus, ibíque purgatores idonei nec clerici, nec laici haberi possint, & legitimæ probationes deficiant, reus solo proprio juramento purgandus, si aliàs fide dignus censetur, simúlque juret, se compurgatores habere non posse. cum Gl. *fin. in c. cum P.* & Abb. *in c. inter. h. t. n.* 7. Decian. *tr. crim. L.* 5. *c.* 48. *n.* 26. Pirh. *h. t. n.* 28. Wiestn. *n.* 9. Reiffenst. *h. t. n.* 6.

2. Resp. Secundò: Horum compurgatorum officium est, ut jurati deponant, se credere purgandum verè juraſſe, ac proinde impositi criminis falsò insimulatum; juramentum enim hoc compurgatorum non est veritatis, sed credulitatis. *can. quoties.* 2. *q.* 5. *c. licet de accusat. c. inter.* 10. & *c. fin. h. t.* Decian. *l. c. num.* 4.

Quæst. 465. *A quo, quibus & quando indicenda purgatio canonica?*

1. Resp. Ad Primum: Purgatio canonica indici potest à Judice competente, quia aliàs de crimine cognoscere potest & debet, ita ut, si ab alio fiat, sit nulla, & habeat se, ac si facta non fuisset. Arg. *c. nos inter.* & *c. inter. h. t. c. licet. de off. legat.* Gl. *fin. in c. penult.* juncta Gl. Marg. *Lit. C.* & *ibid.* Host. *in fin.* Pirh. *h. t. num.* 2. Sic potest Episcopus non tantùm Clericum, sed etiam laicum subditum suum compellere ad purgandum se de criminibus spectantibus ad cognitionem Ecclesiæ, ùt sunt hæresis, adulterium & similia, quæ sunt vel merè ecclesiastica, vel mixti fori, vel etiam fori sæcularis, ubi Episcopus jurisdictionem temporalem habet, éstque ratio, quòd purgatio nunquam inducatur, nisi in defectum probationum. Unde si ad Episcopum non spectet cognitio delicti, non fient coram eo probationes, & consequenter neque per illum indicenda purgatio canonica de crimine ad illius cognitionem non spectante. Censent tamen alii apud Pirh. *num.* 3. posse Episcopum de quolibet crimine purgationem canonicam indicere, eò quòd textus *c. nos inter. h. t.* loquatur generaliter & indistinctè de aliquo crimine. Episcopus autem debeat inquirere in diœcesanorum suorum, etiam laicorum, delicta, eáque punire, juxta *c.* 1. *de Off. Judic. Ordinar.* & consequenter deficiente probatione indicere possit purgationem. Quod ipsum meliùs distingui ait Pirh. *l. c.* cum Abb. & Host. *in cit. c. nos inter. num.* 2. ita ut procedat, si velit Episcopus indicere laico infamato purgationem in ordine ad pœnitentiam imponendam in foro animæ, secus, si velit eam indicere laico infamato in ordine ad pœnam temporalem imponendam, in foro judiciali.

2. Resp. Ad Secundum Primò: Non tantùm clericis Sæcularibus sed etiam Regularibus utriusque sexûs indicenda purgatio canonica, sed publicè infamati fuerint de crimine, vel graviter suspecti, & testes aliæque probationes deficiant, prout constat ex *c. moniales.* Secundò: indicenda non est, nisi personis, quarum famæ & æstimationis integritas Christiano populo est valde necessaria, ùt sunt Episcopi & alii Prælati, Prædicatores verbi divini, Sacerdotes aliíque viri aliàs probi ac fide digni, etiam laici, viles autem ac plebei homines de criminibus, quorum plena probatio aliter haberi nequit, accusati, diffamati, aut graviter suspecti, subjiciendi sunt quæstionibus per torturam, tùm quia tales non facilè inveniunt compurgatores, tum propter periculum perjurii. Ita Reiffenst. *h. t. num.* 13. Wiestn. *h. t. num.* 7. cum Farinac. *in prax. crim. q.* 94. *num.* 64. Tertiò: indicenda non est hæc purgatio, nisi per accusationem vel aliter de crimine diffamatis, vel verisimiliter & vehementer suspectis, ita ut fama illorum etiam apud prudentes & probos læsa sit. Innoc. *in c. nos inter h. t.* Sylv. *v. purgatio. num.* 2. Pirh. *h. t. num.* 7. ex ea ratione, quia hæc purgatio inducta ideo præcipuè, ut, casu quo crimen vel innocentia diffamati alio modo probari nequit, detegatur per purgationem, vel ad tollendum scandalum publicum populi, vel ad delendam suspicionem, & infamia convertatur in bonam famam. Arg. *c. inter. h. t.* Unde requiritur, ut infamia ortum habeat à personis honestis, & gravibus & non à malevolis, Host.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in sum. h. t. num. 3. Diaz. *in pract. crim. can. c.* 151. *num.* 7. nisi ab iis infamatus ipse pro purgatione instaret, aut scandalum publicum causatum per talem infamiam ab inimicis ortam sedari aliter quàm per purgationem canonicam, & dilui non posset. Arg. *c. inter. h. t.* Ad scandalum enim vitandum & tollendum receditur à jure communi. *c.* 2. *de præscrip. c.* 2. *de novi oper. nunc.* De cætero si certè constet infamiam ortam non esse ex probabilibus suspicionibus seu conjecturis, vel ab æmulis, aut ex alia injusta causa ortam esse, non est de illa curandum, nec ideo indicenda purgatio canonica etiam ad instantiam aliorum, nec Judex ex tali infamia procedere potest contra infamatum. Pirh. *h. t. num.* 11. cum Abb. nisi fortè ob importunitatem petentis indicatur purgatio, ùt Idem cum Host.

3. Resp. Ad tertium: indici non debet purgatio, quando crimen est notorium, ita ut celari non possit, prout habetur *c. cum dilectus. h. t.* quia notoria non egent probatione, imò nec accusatione. Arg. *can. de manifest.* 2. *q.* 1. *c. ex evidentia. de accusat.* Sed Judex ad impositionem pœnæ sine alia inquisitione ob solam notoreitatem procedere potest. Menoch. *de arb. cas.* 166. *num.* 4. Farinac. *pax. crim. q.* 21. *num.* 11. neque indicenda, quando infamatus, aut graviter suspectus aliter convinci, & institutâ actione per testes aliósque legitimos modos crimen plenè probari, aut innocentia ostendi potest. *c. si quis c. quoties. c. ex tuarum. c. inter h. t.* cùm purgatio sit introducta in subsidium aliarum probationum. Innoc. *in c. nos inter. h. t.* Sylv. *v. purgatio num.* 2. Decian. *tr. crim. L.* 5. *c.* 48. *num.* 10. De cætero licet in causis civilibus in defectum plenæ probationis reo, & quandoque etiam actori deferri possit juramentum. *L. admonendi. ff. de jurejur.* id tamen locum non habet in criminalibus, utpotè in quibus, actore plenè non probante, reus est absolvendus. *can. fin.* §. *sane.* 6. *q.* 5. *L. absentes. ff. de pœnis.*, ita ut propterea accusator intentionem non nisi semiplenè probans, si in probationis supplementum petat ad juramentum admitti, non audiatur, teste Claro §. *fin. q.* 63. *num.* 1. quin & verisimiliùs id etiam deferre non permittatur, ùt Gonzal. *in cit. c. fin. num.* 9. nihilominus tamen si causa sit dubia, ad infamiam & scandalum tollendum per declarationem innocentiæ à crimine vel per promeritam hujus pœnam reo defertur juramentum à Judice (præsertim Ecclesiastico, à quo vindicta sanguinis non exercetur) *auth. sed novo. c. de pœna Jud. qui malè judic.* Masc. *de prob. concl.* 858. *num.* 39. E contra etiam post actam de delicto pœnitentiam locus est purgationi canonicæ, quia post pœnitentiam de facto remanet adhuc publica infamia, utpote quæ per pœnitentiam non tollitur. *c. Euphemium* §. *hinc colligitur* 2. *q.* 3. ideóque ad hanc tollendam necessaria est purgatio. Pirh. *h. t. num.* 18. *not.* 2. cum Gl. *in c. fin. h. t. v. commisisse.* & Abb. *ibid. n.* 2. *not.* 3.

Quæst. 466. *Qualiter procedendum contra infamatum de crimine, negligentem se purgare canonicè ab infamia?*

Resp. Priùs inquisitio fieri debet ab Episcopo contra infamatum de infamia, quàm super veritate criminis. *c. qualiter. c. cùm oporteat.* Abb. *in c. si quis h. t. num.* 1. Pirh. *h. t. num.* 23. Dein, si accusator adsit, non debet infamato indici purgatio, cùm ea sit subsidiaria, nimirum si crimen aliter probari non possit, *cit. c. si quis. h. t.* Abb. *ibid. num.* 1. *not.* 2. Indictâ purgatione, tamdiu suspendendus ab officio, donec legitimè se purgaverit. Abb. *l. c.* Pirh. *num.* 24. non tamen regulariter suspendendus à beneficio, priusquam deficiat in canonicâ purgatione, nisi propter enormitatem criminis aut grave scandalum imminens. Gl. *in c. presbyter.* 2. *q.* 5. *v. suspendatur.* Abb. *l. c. not.* 2. Porrò dum proceditur per viam inquisitionis, & crimen non est plenè probatum, reus non est simpliciter absolvendus, sed potest compelli ad purgandum se, si remaneat publica infamia vel grave scandalum etiam sine infamia, vel vehemens suspicio; nam ob hæc tria indici potest purgatio, ita ut quodlibet eorum sit sufficiens ad eam indicendam. *c. inter. h. t.* & *ibi* Host. & Abb. Antequam verò suspendatur ab officio, & ei indicatur purgatio, si quis infamatus de delicto successivo, quia v. g. detinet in domo mulierem suspectam, necessariò præcedere debent admonitiones, *in c.* 2. *h. t.* præscriptæ, cùm possit se emendare abstinendo ab actibus suspectis &c. si autem delictum est momentaneum, sive transiens, de quo infamatus, v. g. homicidium, furtum, &c. præmittendæ non sunt dictæ monitiones, cùm sint frustraneæ, nec fieri debet suspensio ab officio, sed Judex statim infamato indicere potest purgationem, quam si præstet, est absolvendus, si in ea deficiat, condemnandus, & puniendus tanquam convictus, nisi delictum sit enorme vel grave, scandalum in populo immineat, tunc enim potest suspendi ab officio, donec se purgaverit, juxta *cit. c.* 2. imò & à beneficio, *cit. c. inter. h. t.* quod si fecerit, sublatâ suspensione absolvendus est, juxta *c. ex tuarum. h. t.* aliàs condemnandus, ùt dictum, quòd autem juxta *c. inter.* dicatur, præstitâ purgatione remanere suspensionem ab officio, licet censeant communiter D. D. id speciale esse in crimine hæresis. Abb. tamen in *cit. c. inter. num.* 3. inquit, id non esse speciale huic delicto, sed remanere suspensionem loquendo universim, quandocunque infamatus malè vivendo per actus illicitos & jure reprobatos, v. g. per nimiam familiaritatem cum hæreticis, qui est casus *cit. c. inter.* dedit causam infamiæ & publici scandali, ùt si præcedentes illi actus illiciti: ita Pirh. *n.* 25. *in fine.*

Quæst. 467. *Quisnam sit effectus purgationis canonicæ tam legitimè, quàm perperam factæ, & quæ hujus pœnæ?*

1. Resp. Ad primum: hujus purgationis legitimè factæ effectus præcipuè sunt tres. Primus; quòd eâ perfectâ infamatus sit absolvendus à suspensione ab officio & beneficio, si ea propter criminis objecti vel ex eo ortæ infamiæ aut scandali gravitatem ab initio inflicta. *c. ex tuarum.* & *c. licet. h. t.* Sylv. *v. purgatio. num.* 7. Secundus, quòd sine mora sit absolvendus ab ipso crimine objecto, & declarandus innocens, inque statum pristinum restituendus, *can. habet.* & *c. Mennam.* 2. *q.* 5. Tertius; quòd vir boni testimonii declaretur. *cit. c. ex tuarum*, atque ita redintegretur honor & æstimatio apud homines, præsertim in crimine successivo, sed vitam bonis moribus ornet, ita ut ea suspicio omnis ex hominum proborum & honestorum mentibus deleatur, *cit. c. inter. in fin.* Sylv. *l. c.* Farin. *pr. crim. q.* 194. *n.* 44. His additur ab aliquibus quartus effectus, quòd de eodem crimine accusari ampliùs nequeat, de quo speciatim. *q. seq.*

2. Resp.

2. Resp. Ad secundum : si in purgatione sibi indictâ deficiat infamatus , vel quia jurare noluit , vel quia compurgatores idoneos adhibere neglexit, aut quia nulli fidunt , vel nolunt pro illo facere juramentum credulitatis , eò quòd propter illius malam famam non credant illum verum jurare , multóque magis si in purgatione perjurium commiserit , tanquam de crimine convictus sit puniendus. *cit. c. inter* §. *fin. c. de hoc. & c. insinuatum. de Simon.* eò quòd præsumptio verisimilis delicti orta ex infamia rei, reo in purgatione deficiente, transit in violentam , vi cujus judex procedere potest ad sententiam, & infligere pœnam, saltem extraordinariam, & juxta aliquos etiam ordinariam , Menoch. *L. 5. præsump. 41. n. 3.* Farin. *pr. crim. q. 86. n. 5.* circa quod postremum notandum ex Diaz. apud Pith. *h. t. n.* 37. clericum propter defectum in purgatione commissum degradatum, & curiæ sæculari traditum non posse à Judice sæculari pœnâ ordinariâ criminis , quâ laicus convictus de eo delicto puniretur, puniri, eò quòd clericus non verè, sed solùm interpretativè sit convictus de illo crimine, pro quo jure civili non imponitur pœna ordinaria, nisi claris probationibus, vel propria confessione sit convictus, exceptâ hæresi. Pith. *l. c.*

Quæst. 468. *An & quando accusatus semel de crimine peractâ desuper legitimè purgatione de eodem denuo accusari possit ?*

Resp. Ordinariè & regulariter id fieri non posse , tum quia quærere de eodem ejusdem hominis delicto est contra textum. *c. licet. ff. nante , caupones &c.* tum quia jusjurandum non minoris auctoritatis est quàm res judicata. *L. jusjurandum. ff. de jurejur.* Gl. *in c. Mennam.* Host. *in c. licet. h. t. num. 6.* Dixi : *ordinariè loquendo.* nam responsio plures patitur limitationes , ac primò quidem id fieri potest , si peractâ purgatione , concurrentibus novis indiciis , nova infamia suborta , vel accusator adest. Abb. *in c. ex tuarum. h. t. num. 5.* Item , si quis suam aut suorum injuriam prosequatur. *L. si cui.* §. 2. *ff. de accusat.* vel ostendat infamatum purgando se pejerasse. *L. admonendi. ff. eod.* aut priorem accusatorem fuisse prævaricatum. *L. prævaricationis.* §. 1. *de prævaricat.* Goffred. *in L. fin. C. de rebus cred.* Host. *in cit. c. fin. num. 6.* & ita quò ad has limitationes omnes, Pith. *h. t. num. 36.* Et hæc de purgatione in canonica dicta sufficiant , eò quòd , etsi in officio inquisitiones adhuc vigere videatur , extra illud tamen multùm in desuetudinem abiisse hodiedum notetur , præsertim quò ad Clericos & Judices ecclesiasticos , etiam ubi ii gravi infamiâ & vehementi suspicione criminum laborant , quod Judicum illorum tepiditati & negligentiæ adscribit Pith. *h. t. num. 39.* vel quia, ùt Diaz. *in pract. crim. canon. c. 152. num. 5.* modernis temporibus difficulter inveniantur idonei compurgatores , dum viri probi videntes corruptionem hujus temporis , & statûs clericalis deformationem , nisi bene notam habeant clerici purgandi vitam , nolint subire onus compurgatorum.

TITULUS XXXV.

De Purgatione Vulgari.

Quæst. 469. *Quid sit purgatio vulgaris, & quotuplex fuerit olim in usu ?*

Resp. Purgatio vulgaris sic dicta , quod superstitione & moribus vulgi ut plurimum introducta , nullóque jure firmata, pro temporum gentiúmque ac rituum varietate varia fuit olim , & præter monomachiam seu singulare certamen duorum , quo de crimine accusatus cum accusatore etsi ætate , viribus, armorúmque tractandorum peritiâ inter se dispares , innocentiæ tamen præsidio confisi congrediebatur , ita ut in eo victus haberetur pro reo , victor pro innocente. Reinaud. *de calum. s. 3. c. 2. q. 4.* ratio purgandi se ferè triplex fuit , nimirum per ignem , aquam ferventem , & aquam frigidam. Gonz. *in c. fin. h. t. num. 5.* Reinaud. *l. c. num. 5.* per ignem quidem , dum criminis insimulatus vel aliàs de eo suspectus rogum subibat , vel prunas aut vomerem aliúdve ferrum ignitum & candens manibus contrectabat , vel pedibus calcabat , indéque læsus pro victo habebatur. Per aquam ferventem seu bullientem , in quam accusatus vel infamatus immittens brachium , si omnino illæsum extrahehat , habebatur innocens , præsertim ubi adhiberentur exorcismi & orationes, Gonz. *l. c. num. 6.* per aquam frigidam certo ritu consecratam , in quam purgandus manu dextrâ ad pedem sinistrum , & pede sinistro ad dextram alligato immissus , si mergeretur , insons , si supernataret reus credebatur & declarabatur, qui modus potissimùm adhibebatur sagis , & hodiedum quandoque adhibetur à Judicibus aliquibus illicitè sagis ad illam probam provocantibus. Præter quos modos purgandi se fuit quoque olim usitatus frequenter per celebrationem missæ & sumptionem Eucharistiæ , de quo Concilium Wormatiense relatum in *c. sæpe. 2. q. 3.* ubi statuitur, ut, si fiant furta in monasterio , & ea committentes ignorentur , missa ab Abbate celebretur , vel ab alio ejus jussu, quâ finitâ , omnes Fratres communicent dicentes : *Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie.*

Quæst. 470. *An istiusmodi modi se purgandi à crimine sint aut fuerint liciti ?*

Resp. Primò in genere : tametsi olim fuerint, qui illos honestos , & Christianis valde congruentes pronunciarint & propugnarint , hodiedum tamen cum D. Th. *2. 2. q. 95. a. 8. ad 3.* Suar. *de irreligios. c. 3. num. 8.* Less. *L. 2. de J. & J. c. 45. num. 3.* passim tanquam illiciti rejiciuntur à Theologis & Canonistis alicujus nominis , & ab ipsis S. S. Canonibus tanquam superstitiosi , præsumptuosi , quin & à vulgo instinctu diaboli inventi & inducti reprobantur. *c. Mennam.* §. *fin. c. consuluisti. 2. q. 5. c. sententiam. ne clerici vel monach. c. ex tuarum. de purg. can.* & *c. fin. h. t.* cùm , præterquam gentilitatis ritus redoleant , tentationem Dei continere videantur , dum ad ejus extraordinariam providentiam & miraculum per eos temerè recurritur : unde & sæpe in iis innocentes succumbunt & puniuntur , & nocentes casu , fraude vel occultâ dæmonis cooperatione innocentes declarantur. *c. 2. h. t.* Host. *in Sum. h. t. num. 1. & 2.* Gonz. *c. fin.*

fin. de purg. can. Pirh. *h. t. num.* 3. Et in specie dicta monomachia prohibita expressè, *c. monomachiam 2. q. 5.* & *c. cura. h. t.* Purgatio per ferrum candens vel aquam ferventem, *c. Mennam. c. consuluisti. eod. caus. & quæst.* purgatio per aquam frigidam. *c. ex tuarum h. t.* Idem est de aliis similibus actibus & signis, in quibus miraculosa divinæ virtutis operatio exspectatur, vel ad occultæ veritatis probationem expostulatur, in quibus cum tentetur Deus saltem implicitè & interpretativè, ideo mala esse & prohibita, etiam seclusâ prohibitione juris humani, ait Pirh. *h. t. num.* 5. cum Suar. *Tom.* 1. *L.* 2. *de irreligiosis. c.* 3. *num.* 8. Neque his obstat, quòd Sancti sæpe ad istiusmodi purgationes se obtulerint, & Deo cooperante miraculosè suam innocentiam ostenderint, id enim factum ex speciali inspiratione, neque quod Concilium Moguntinum sub Rabano celebratum *can.* 24. statuat, quòd, qui presbyterum occiderit & idipsum negaverit, si liber est, cum septuaginta duobus juret; si servus super 12. vomeres ferventes se expurget. Nam ei per SS. Canones derogatum, testatur Reiffenst. *h. t. num.* 4. Neque quòd Deus ipse de tali purgatione facienda per aquam amarissimam bibita à muliere insimulata de adulterio, præceptum dederit. *num. c.* 5. *v.* 18. Nam hoc ipso Deus tacitè saltem promiserat innocenti suam assistentiam, quæ tamen promissio divinæ assistentiæ cùm sublatis per legem novam præceptis istiusmodi cæremonialibus legis antiquæ cessaverit, talis purgatio hodiedum est illicita, ita Pirh. *h. t. num.* 5. Wiestn. *h. t. num.* 4. quod idem dicendum, si dicatur cum Alensi: hujus aquæ bibitionem non fuisse præceptam, sed solùm permissam in ordine ad ostendendam innocentiam eique permissioni conjunctam seu promissam Dei assistentiam.

Quæst. 471. *Quid igitur dicendum de purgatione facta per celebrationem Missæ aut susceptionem Eucharistiæ, an olim fuerit, aut modò sit licita?*

RESP. In hoc non convenire A. A. nam aliqui cum D. Thom. apud Suar. *l. c.* sustinent, esse per se malam & illicitam, & consequenter Concilium illud provinciale errasse, & decreta illius quò ad hoc esse correcta per nova jura seu canones, ùt sentit Gl. *ibid. v. sæpe.* Alii cum Suar. & Pirh. *l. c.* probabiliùs censent non esse illam purgationem per se malam & illicitam, cùm nullibi in jure reperiatur specialiter, prohibita, neque intrinsecè continere tentationem Dei, cùm non fiat ad ostendendam divinam virtutem per miraculum, sed solùm quasi in testimonium & probationem innocentiæ; ita Pirh. quamvis addat, talem modum purgandi se esse periculosum, cùm cadere posset in irreverentiam Sacramenti, ut ab indignis sumatur, ideóque in desuetudinem abiisse, ùt Suar. *l. c. n.* 10.

Quæst. 472. *Num sententia lata ex purgatione vulgari & jure reprobata, à qua non fuit appellatum, retractari possit?*

RESP. Affirmativè, juxta *c. significasti h. t.* tametsi enim aliàs regulariter sententia, à qua intra dies decem appellatum non fuit, transeat in rem judicatam, júsque ex ipsa sententia natum, & consequenter retractari non debeat, etiamsi dein veritas se aliter habere deprehendatur; propter instrumenta postea reperta & errorem detectum. *c. cum inter. de sent. & re judic.* juncto *c. inter. eod.* & *L. putarem ff. famil. Herciscund.* nihilominus sententia lata ex probationibus fallacibus & reprobatis (qualis fuit illa, quæ lata *c.* 2. *h. t.* ex duello seu monomachia) retractanda est repertâ veritate contraria, juxta *c. venerabilis.* §. *intelleximus. de except.* & *toto tit. C. si ex fals. instrum.* Host. *h. t. v. restituant.* Pirh. *h. t. num.* 7. non secus ac sententia lata ex delatione juramenti facta per Judicem parti compertâ veritate contrariâ retractari potest *L. admonend. ff. de jurejur.* quia talis sententia nulla est, quia lata contra ordinem judiciarium, nempe ex probatione non integra. *L. prolatam. C. de sent. & interloc. omn. Jud.* Item injusta, sententia autem injusta tenet, quia præsumitur justa, quæ præsumptio cessat, si notoriè constet esse injustam. *c. veritate. dist.* 8. Pirh. *l. c.* cum Abb.

TITULUS XXXVI.

De Injuriis & Damno dato.

CAPUT I.

De Injuriis.

Quæst. 473. *Quid sit injuria?*

RESP. Injuria non quidem accepta generaliter seu latissimè pro omni eo, quòd adversùs alium fit non justè, sed specialiter, prout sumitur *h. t.* est delictum, quo alteri dolo malo infertur contumelia lædendo ejus honorem seu famam per quandam vilipensionem, despectum, probrum. Sylv. *v. injuria. num.* 1. Sumitur fere ex *princ. Inst. h. t.* & *L.* 2. *h. t.* Dicitur: *dolo malo*, seu animo injuriandi dicendo quid vel faciendo, quod in illius contemptum & despectum cedit, & citra hunc animum seu intentionem non fit injuria. *L. si non convitii. C. h. t.* ideóque nemo facit injuriam, nisi sciat se facere injuriam. *L.* 3. §. 2. & 3. *ff. h. t.* animus autem ille præsumitur, dum verba vel facta suâpte naturâ sunt injuriosa, unde ea proferens vel faciens probare debet, animum convitiandi aut contemnendi abfuisse, cùm ster contra eum præsumptio juris. *cit. L. si non convitii* & *ibi* Gl. *v. probare potes*, idque, etiamsi dicat, se ea ex joco dixisse, ùt eadem Gl. & Clarus §. *injuria. num.* 12. fiérque hæc probatio per conjecturas, Zoes. *in ff. h. t. num.* 4. Econtra, si verba vel facta ex se non sunt injuriosa, actoris est probare animum injuriandi adfuisse, aliàs reus

reus est absolvendus. Arg. *L. qui in alterius. ff. de reg. jur.* Unde jam injuriam facere possunt omnes qui dicti animi seu doli capaces sunt, cujuscunque sexûs, ætatis, conditionis, & sic non excipiuntur Magistratus, qui abutentes officio suo inferunt injuriosum quid subdito, cujus plura exempla ponit Lauterb. *ad ff. tit. de injuriis.* Neque alii Ecclesiæ ministri, dum non ex zelo pietatis, sed privato affectu in concione & alibi in personam certam invehuntur injuriosè, aut eam ita describunt, ut omnes facilè intelligant, quis notetur, maximè ubi delictum non est notorium. Lauterb. *l. c.* §. 6. qui tamen addit, in dubio non tam tam animum injuriandi quam corrigendi in Clericis præsumendum, maximè, si delictum non est ex conjectura, sed publicum, unde is animus in illis evidenter probandus, ùt Berlich. *p. 5. concl. 60. num.* 8. E contra à facienda injuria excluduntur, qui hoc animo & voluntate destituti, etsi naturâ suâ injuriosum quid dicant aut faciant, ùt sunt infantes, infantiæ proximi, furiosi, licet ipsi injuriam pati possint. *L.* 3. §. 1. *ff. h. t.* Carpz. *L.* 2. *resp.* 58. dormientes, qui in somno loquuntur; noctambulones, dum faciunt quid aliàs injuriosum. *L.* 1. §. 3. *de act. f.* & A. P. junctâ *cit. L.* 3. §. 3. Clem. *unic. de homicid. vol.* item ebriosi, dum ebrietas mentis alienationem inducit. *c.* 5. *dist.* 35. *c.* 7. *caus.* 15. *q.* 1. *L.* 6. §. 7. *ff. de re milit.* dum tamen ebrietas est insania voluntaria, & ebrius culpâ haud caret, extraordinariâ aliquâ pœnâ punitur. *can.* 9. *caus.* 15. *q.* 1. Carpz. *pr. crim. q.* 69. *num.* 2. idem est in eo, qui æstu iracundiæ correptus convitium vel injuriosum quid facit, ita ut, si iracundia non prorsus adimat rationem, non liberetur omnino ab obligatione hujus delicti, cùm injuriam passi læsio inde non tollatur, nec infecta reddatur, & nemo pœnitentiâ suâ nocens esse desinat. Gail. *L.* 2. *obs.* 100. *num.* 9. Lauterb. §. 5. etsi mitiùs cum eo agendum, ùt cum communi Farin. *q.* 91. *num.* 33. item injuriæ rei non sunt, qui vi officii vel statûs sui causâ moderatæ castigationis, correctionis, & emendationis aliquid aliàs injuriosum dicunt aut faciunt, v. g. respectu discipulorum præceptores, parentes respectu liberorum, domini respectu famulorum, mariti respectu uxorum, Superiores respectu subditorum. *L. item apud Labeonem.* §. 38. *ff. h. t.* utìid probatur exemplo Christi, dum is Petrum compellavit Satanam. *Matt.* 16. discipulos euntes in Emaus *stultos & tardos corde*; & S. Pauli, dum is Galatas vocat insensatos, Cretenses, mendaces, quamvis D. Aug. *L.* 2. *de serm. Dom. in monte. c.* 30. moneat, rarò & non nisi ex magna causa hujusmodi injuriosas objurgationes esse adhibendas, utpote quibus quandoque magis exacerbantur, quàm emendantur subditi.

Quæst. 474. *Quot modis inferri possit injuria?*

Resp. Tribus potissimùm modis ea inferri potest, nimirum verbis, scripto & facto; verbo fit, dum quis de altero, sive absente, sive præsente probrosum aut injuriosum quid oretenus profert, objiciendo vel enunciando defectum morum vel naturæ, v. g. quòd sit fur, adulter, spurius, quæ prolatio probrosa dicitur convitium, Arg. *L. item apud Labeonem.* §. 7. *ff. h. t.* Clarus §. *injuria. num.* 1. Farin. *pr. crim. q.* 150. *num.* 2. & 4. Reiffenst. *h. t. num.* 6. Scripto fit, dum quis verbis contumeliosis in scripturam redactis honorem alterius proscindit, historiam ad alterius infamiam & contemptum conscribit, aut typis edit, aut edi curat. *L. lex Cornelia.* §. 9. *L. item.* §. 29. *ff. h. t.* & si talis scriptura omisso authoris nomine in vulgus spargitur, dicitur libellus famosus. *L. unic. ff. de libellis famos.* Facto fit, dum quis alterum verberat, vulnerat, domum illius violenter perfringit, aliúdve quid in ejus contemptum, probrum, infamiam cedens facit *cit. L. lex Cornelia.* & *L. item. ff. h. t.* Unde alii injuriam bifariam dividunt, in verbalem & realem, malè, ùt inquit Lauterb. *h. t.* §. 2. scriptam ad realem referentes. De cætero singulæ harum trium injuriæ dividuntur in leves & atroces, quæ earum differentia desumitur ex circumstantiis ipsius facti, ut atrox censeatur, dum etiam plebejus vulneratur, fustibus cæditur. §. 9. *Inst. h. t. L. prætor. edixit. in fin. ff. h. t.* vel ratione personæ injuriantis, ùt à filio irrogata parenti, à vasallo illata domino. *cit.* §. 9. *L. si unius.* §. 3. *ff. eod.* vel injuriatæ. *L. atrocem. c. h. t.* item ratione loci, ùt si inferatur in templo, vel in loco judicii, *cit.* §. 9. *Instit.* Ad hæc injuriam quis inferre potest immediatè seu per se ipsum, vel mediatè, seu personâ aliâ mediante, mandando scilicet, instigando, procurando, alióve modo subordinando, ut alterum percutiat, ipsi convitium dicat aut scribat, aliáve injuriâ afficiat. §. 11. *Inst. L.* 11. *in princ. L.* 15. §. 8. *ff. h. t.* unde cum utroque injuriarum agi potest, Lauterb. §. 7. juxta *cit. LL.* modò injuria ex parte mandatarii, instigati, &c. secuta sit. Arg. *L.* 15. §. 19. *ff. de furt. L.* 33. §. 1. *ff. de V. S.* sic Advocatus mandante principali citra notoreitatem adversario objiciens convitium, vel verbis injuriosis utens, non excusatur ab injuria adversario illata. *L.* 11. §. 3. & 4. *ff. h. t. L.* 5. *c. de accus.* Carpz. *L.* 2. *resp.* 27. & 62.

Quæst. 475. *An & qui pati possint injuriam mediante aliâ personâ?*

1. Resp. Primò: sicut quis facere, sic & pati potest injuriam mediante aliâ personâ immediatè injuriatâ, quæ sibi conjuncta potestati suæ vel affectui subjecta est, ita ut hi etiam proprio nomine instituere possint actionem injuriarum, §. 2. *Inst. t.* 1. §. 3. & 5. *ff. h. t.* Farin. *pr. crim. q.* 150. *à num.* 253. Lauterb. *l. c.* §. 10. Haunold. *Tom.* 1. *de* 3. & 7. *tr.* 2. *num.* 532. sic si liberis constitutis sub patria potestate fiat injuria, ipsi immediatè, pater verò mediatè afficitur injuriâ, *L.* 1. §. 3. *ff. h. t.*, idque etiamsi filius consentiret, filia non invita stuprata esset, ita ut patri nihilominus detur actio, *L.* 1. §. 3. *l.* 17. §. 10. *l.* 26. *l.* 41. *ff. l.* 2. *C. h. t.* Harpr. *pr. Inst. h. t. num.* 18. His non obstantibus, quod stuprator solùm habeat animum explendi libidinem, & non injuriandi patrem; habet enim quis hunc animum indirectè, qui facit, quod per necessariam consequentiam ad cujusdam contumeliam spectat, utì stuprum filiæ sine contumelia patris, adulterium uxoris sine contumelia mariti fieri nequit. Harpr. Lauterb. *LL. cit.* non tamen censebitur injuria facta patri, nisi injurians saltem in genere sciverit injuriatum esse filium famil. vel mulierem esse nuptam, *L.* 18. §. 4. *h. t.* multóque minùs, si injurians crediderit injuriatum esse patremfamilias, item si crediderit, non esse sub patria potestate, sed emancipatum *L.* 2. *Inst. l.* 1. §. 8. & *l.* 18. §. 4. *ff. h. t.* Lauterb. §. 11. sic injuria infertur domino, si quid atrocius, apertè cedens in ejus contumeliam, committatur in servum, §. 3. *Inst. l.* 15. §. 34. *ff. h. t.* secus tamen est, si servo inferatur injuria citra contemplationem Domini,

aut

aut gerenti se pro libero, ut exinde non detur actio domino. *cit. l.* 15. §. 44. Idem est de famulis, dum eis fit injuria, v. g. dum negotia domini expediunt. *cit. l.* 15. §. 48. item de vasallis respectu domini directi, Harpr. *ad* §. 2. *Inst. num.* 32. Gail. *L.* 1. *Obs.* 39. Lauterb. §. 12. Sic si clerico vel religioso infertur injuria, ratione illius, quasi Ecclesiæ vel monasterio illatæ, agere potest Episcopus vel Superior religiosus. Farin. *pr. crim. q.* 150. *num.* 291.

2. Resp. Secundò: personæ verò, quibus injuriatis injuria redundat in eum, cui ratione affectûs sunt subjectæ, sunt primò uxor, cujus injuriam nomine suo vindicat maritus, si injurians saltem sciverit in genere esse uxorem. *L.* 18. §. *penult. h. t.* Secundò sponsa, quia hæc affectu pro uxore habetur. *cit. l.* 15. *junctâ cit. l.* 18. non tamen econtra, si viro vel sponso illata injuria, ea non censetur illata sponsæ vel uxori, ut injuriarum agere possit, quia uxores à viris, non viros ab uxoribus defendi æquum est. *L.* 2. *C. h. t.* Lauterb. §. 13. nisi tamen convitium seu injuria utrique communis est, ùt si maritus vocetur cornutus. Wiestn. *h. t. num.* 5. Tertiò: nurus, cujus maritus est in patria potestate, si injuriata, socer injuriarum agere potest. §. 2. *Inst. l.* 3. *ff. h. t.* Quartò: hæres per defunctum quodam modo injuriari potest, seu mediante defuncto, v. g. dum quis hunc falsò alicujus delicti accusavit, vel ejus cadaveri ignominiosi quid irrogaverit, cùm semper hæredis interfit defuncti æstimationem tueri & purgare, resultátque hæc injuria statim, ac adita hæreditas, & hæres acquirit actionem. Lauterb. *cit.* §. 13.

3. Resp. Tertiò: injuria facta uni fratrum, sororum, agnatorum vel cognatorum mediatè censetur facta alteri fratrum, sororum &c. quod si ea tangit totam familiam (de quo Judex arbitrabitur, ùt ait Menoch. *de arb. Jud. cas.* 262. *num.* 2.) actionem competere fratri, aliisque conjunctis, facilè concedit Berez. *in c. hic num.* 12. & extra dubium esse asserit Lauterb. §. 14. si autem solùm injuriatum concernit, actionem cæteris consanguineis collateralibus negat Perrez, eò quòd jura specialiter exprimant personas, quibus ob injuriam conjuncto illatam agere permissum est, inter illas autem non numerent fratrem aut quenquam consanguineorum, quod signum sit, illos excludi; quod confirmant alii ex eo, quòd minor sit affectio fratris in fratrem, quàm patris in liberos, & tamen in his jam emancipatis injuriam pati non censeatur pater, adeóque multò minùs illam per fratrem patiatur frater; verùm distinguunt alii, ita ut actionem criminalem competere aliis fratribus, sororibus &c. non verò civilem, censeant plures DD. & in praxi observari testantur Berlich. *p.* 2. *decis.* 188. Pistor. *L.* 4. *c.* 21. *num.* 4. & alii apud Lauterb. *l. c.*

Quæst. 476. *An, quando & qualem actionem injuriato pariat injuria in foro externo?*

Resp. Injuria facit, ut injuriatus contra injuriantem instituere possit actionem injuriarum, sive civilem, sive criminalem, prout maluerit, §. *in summam. Inst. h. t.* ita tamen, ut, si unam instituit, v. g. civilem, ad alteram v. g. criminalem regredi non possit, & è contra. Arg. *L. quod Senatusconsultum. ff. h. t.* civiliter agere dicitur injurians, dum prætendit ad suum privatum commodum seu interesse certam summam pecuniæ à se æstimatam, tanti nimirum, cujus jacturam libentius quàm probrum seu despectum per injuriam sibi illatum sustinuisset, ac proinde petit, ut injurians in tantam summam condemnetur, *cit.* §. *in summam. & l. constituit.* §. 1. *ff. h. t.* quam tamen summam taxatam ab injuriato solet Judex plerumque moderari, & ad minorem reducere spectatis omnibus circumstantiis, ex quibus injuria redditur major, v. g. ratione personæ injuriatæ, quia ea in dignitate constituta, ratione loci, in quo commissæ, quia is est publicus, sacer, ratione rei & facti, quia commissa verberando, vulnerando &c. quod antequam Judex faciat, eámque injuriato adjudicet, debet exigere ab eo, ut juret, injuriam tanti, quanta est pecuniæ sic moderatæ taxatio, æstimari. *cit.* §. *in summam. c. olim. h. t.* & *ibi* Gl. *v. taxatione.* Clar. §. *injuria. num.* 6. Haunold. *de I. & I. Tom.* 1. *tr.* 2. *num.* 573. quamvis, ùt Idem cum aliis, praxis quorundam tribunalium habeat, ut absque tali juramento æstimetur & taxetur à Judice injuria, & pecunia ei correspondens adjudicetur injuriato, cui praxi & locorum consuetudini standum sit; unde jam dicta actio vocatur æstimatoria & definiri potest magìs explicitè, quòd sit actio prætoria, nimirum ratione causæ suæ efficientis remotæ, utpote à prætore inducta. §. 7. & 8. *Inst. h. t.* personalis ratione causæ suæ proximæ, quia oritur ex obligatione injuriantis proveniente ex illius delicto, *cit.* §. 8. pœnalis, & quidem merè pœnalis, quia ad meram tendit vindictam *L.* 2. §. 4. *ff. de collat.* civilis ratione finis, quatenus opponitur criminali, & tendit ad privatum actoris interesse. Famosa ratione effectûs, quia injuriarum damnatus infamiâ notatur, *L.* 7. *ff. h. t. l.* 1. *ff. pr. l.* 4. §. *fin. de his, qui not. infam.* Gail. *L.* 1. *obs.* 65. *num.* 7. & *l.* 2. *obs.* 102. *n.* 1. Annalis ratione adjuncti temporis. *L.* 5. *c. h. t.* ita ferè Lauterb. §. 26.

Quæst. 477. *Quibus injuriatis & qualiter concedatur hæc actio civilis?*

Resp. Malè ab aliquibus restringitur hæc actio ad injuriatos verbaliter, cùm Prætor indistinctè eam ex quacunque injuriarum specie concedat. §. 10. *Inst. l.* 7. §. 1. 2. & 6. *l.* 15. §. 1. & 35. *ff. h. t.* Lauterb. *l. c.* §. 27. datur etiam omnibus sive mediatè sive immediatè injuriam passis. *cit.* §. 10. ita tamen, ut filiofamilias injuriato regulariter ipsius pater suo & filii nomine eam in judicium adducat. §. 2. *Inst. l.* 1. §. 3. *l.* 19. §. 10. *ff. h. t.* quod si principalis mortuus sit, alii tamen, ad quos injuria per indirectum pertinet, actionem injuriarum retinent. *L.* 1. §. 3. *ff. l.* 2. *C. h. t.* Potest item injuriatus tam per se quàm per alium, puta procuratorem, tutorem &c. hanc actionem in judicium deducere & exercere, §. 10. *Inst. l.* 11. §. 2. *l.* 17. §. 10. & 19. *ff. h. t. l.* 42. *ff de procur.* idque etiam per procuratorem in rem suam vel cessionarium, prout in omnibus actionibus specialiter non exceptis fieri potest. *L. fin. C. de har. vel act. vind.* Hæredibus verò regulariter hæc actio non datur. *L.* 13. *pr. l.* 15. §. 14. *ff. h. t.* Lauterb. §. 28. quia hæc actio tendit ad meram vindictam, quam moriens remittere censetur. Arg. *L.* 10. *C. de revocand. donat.* nec est hæc actio ante litis contestationem in bonis hæredum, in quibus tamen, quia lite contestatâ esse incipit, ad eos transit. *L.* 13. *l.* 28. *ff. h. t. l.* 58. *de O. & A. l.* 139. & 164. *ff. de reg. jur.* Carpz. *resp.* 44. *num.* 10. Lauterb. *l. c.* singulare quoque est in hærede, quòd injuriam fune rivel cada-

veri defuncti illatam vindicare possit. *L.* 1. §. 6. *ff. h. t.* sic etiam mortuis omnibus de collegio vel universitate aliquâ, quibus viventibus injuria facta collegio transit ad successores illis subrogatos, quia omnibus ejus membris mortuis universitas non moritur, & injuria non tam singulis, quàm toti corpori facta censetur, quod idem in novis electis successoribus censetur. Carpz. *l. c. resp.* 65.

Quæst. 478. *Contra quos injuriantes detur hæc actio?*

RESp. Datur regulariter contra omnes injuriantes, etiam Clericos. Carpz. *Jurispr. Consistor. l.* 2. *d.* 412. & contra eos, qui per procuratorem se defendere possunt. *L.* 42. §. 1. *C. de procur.* Carpz. *pr. crim. q.* 91. *num.* 30. nisi lis cum injuriante defuncto contestata. *L.* 18. *& L. unic. C. ex delict. defunct.* vel Princeps ex gratia ad exhibitam supplicationem pro impetrando processu rescripserit, rescriptúmque parti legitimè insinuatum. *l.* 1. *& 2. C. quando libell.* Carpz. *J. P. p.* 4. *c.* 46. *def.* 4. Gail. *l.* 1. *obs.* 64. *num.* 5. vel etiam, si per Judicem steterit, quo minùs lis contestaretur. Lauterb. §. 29. Sic datur etiam actio hæc contra eum, qui alteri objicit crimen vel defectum occultum verum, nisi Reipublicæ interfit tale crimen manifestari. Covar. *var. resol. l.* 1. *c.* 11. *num.* 6. Clarus §. *injuria. num.* 17. Fachin. *controvers. l.* 9. *c.* 10. Reiffenst. *h. t. num.* 17. Siquidem ubi publica utilitas non exposcit, quilibet habet jus ad suam famam, ita ut ab alio per manifestationem delicti occulti violari sine injuria non possit, ubi verò utilitas publica, vel etiam præjudicium tertii avertendum sic exigit, licitum est, & injuriam nullam continet, manifestare crimen vel defectum alterius, v. g. quòd sit fur, ne alteri noceat, quòd sit leprosus, vel inhabilis sit ad tale officium. Arg. *L. eum, qui ff. h. t.* Datur quoque hæc actio liberto contra patronum, filio emancipato contra patrem, si injuria est atrox, *l.* 7. §. 3. *l.* 11. §. 7. *ff. h. t.* Secus est, ùt constat ex iisdem *ll.* si injuria illata atrox non est, quia hæc actio est famosa, seu ipso jure infamis est, qui ex actione injuriarum condemnatur. *l.* 1. *&* 4. *ff. de his, qui infam. notant.* nisi injuria omnino levis, prout cum aliis id limitat Harpr. *in* §. *in summa. Inst. h. t. num.* 96. etsi contrarium teneat Clarus §. *injuria. n.* 8.

Quæst. 479. *Actio injuriarum criminalis quæ, quibus, & contra quos concedatur?*

1. RESp. Primò: actio criminalis est, quâ injuriam passus petit à Judice, ut injurians pœnâ arbitrariâ vel corporali vel pecuniariâ fisco applicandâ ex officio puniatur. Clarus. §. *injuria. num.* 7. Mynsing. *centur.* 4. *obs.* 4. *num.* 5. Lauterb. §. 39. causa illius efficiens remota est jus civile, *l. c. l. fin. ff. h. t.* proxima est injuria quæcunque etiam verbalis, ùt Lauterb. quamvis, ùt Mynsing. notat, vi factæ à Carolo V. *Ordinat. Cameral. Imper. p.* 2. *tit.* 28. ob injuriam verbalem plerumque non agatur ad vindictam publicam, sed ad restitutionem honoris præstandam per palinodiam, seu ad injuriæ verbalis recantationem seu revocationem, hæc tamen etiam actio ad palinodiam in casu injuriæ verbalis, etsi sola plerumque adhiberi soleat, potest nihilominus etiam cum actione injuriarum æstimatoria cumulari. Gail. *l.* 1. *Obs.* 65. *n.* 5. Mynsing. *cent.* 2. *Obs.* 98. *n.* 10.

2. Resp. Secundò: hæc actio criminalis, etsi generaliter competat omnibus injuriam passis, ad distinctionem tamen actionis æstimatoriæ conceditur etiam fratribus, sororibus & aliis cognatis, qui tamen ipsi tantum, & non per procuratorem (aliter ac se res habeat in actione ad æstimationem) agere possunt, nisi sint personæ illustres, quamvis hodie, dum sublata est inscriptio in crimen, vi cujus obligabatur ad pœnam talionis actor succumbens in probatione, ex parte actoris procurator indifferenter admittatur, teste Carpz. *pr. Crim. q.* 95. *n.* 51. apud Lauterb. *h. t.* §. 40. nullo verò actore existente (quia condonavit, vel usus retorsione) hodie de consuetudine universali, si injuria est gravis vel notoria alióve modo evidenter scandalosa, tendátque ad vindictam publicam ex officio per viam inquisitionis legitimè procedere & injurianti pœnam dictare potest, ne maleficia maneant impunita. *l.* 13. *ff. de Off. præsid. l.* 51. *in fin. ff. ad leg. Aquil.* Carpz. *l. c. q.* 96. *n.* 3. Gail. *l.* 1. *Obs.* 39. *n.* 3. Lauterb. *l. c.*

3. Resp. tertiò: datur hæc actio adversus omnes injuriantes §. 10. *Inst. h. t.* qui non per procuratorem, sed regulariter ipsi in judicio comparere debent. *L. fin. C. h. t.* (exceptis tamen iterum personis illustribus, & qui se per procuratorem defendere & excipere possunt, *cit. l. fin. C. h. t.*) ex ea ratione, quia pœna per talem actionem intenta ad corporalem & ultimum supplicium extendi potest. Hodie tamen ex parte rei communiter procuratorem admitti, nisi injuria sit atrocissima, ita ut probabiliter ad pœnam corporalem deveniatur, & tunc Judicem pro arbitrio procuratorem repellere posse, tradunt Carpzov. *l. c. q.* 95. *n.* 57. Harpr. *ad cit.* §. 10. *Inst. n.* 91. Christianæ. *vol.* 4. *decis.* 202. *n.* 7. Lauterb. §. 41.

Quæst. 480. *Quibus modis tollatur seu extinguatur actio injuriarum?*

1. RESp. tollitur ferè modis sequentibus. Primò: actio æstimatoria tollitur morte tam injuriam inferentis quàm eam passi contingente ante litem contestatam, quia neque activè neque passivè transit ad hæredes. *l.* 13. *princ. l.* 15. §. 14. *ff. h. t.*

2. Secundò: remissione seu condonatione actoris, seu injuriati, ita tamen ut is, qui est sub potestate alterius, v. g. filius familias respectu patris, religiosus respectu superioris, uxor respectu mariti non possit injuriam seu actionem injuriarum remittere illo invito, sub cujus potestate est, è contra verò pater, superior, maritus possit remittere injuriam illatam constitutis sub sua potestate, etiam illis reclamantibus. Laym. *l.* 3. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 7. Engels. *h. t. n.* 13. Reiffenst. *n.* 23. Arg. *L. sed si unius* §. 10. *& seq. ff. h. t.* ubi tamen hoc posterius ita limitatur, ut secus sit, si patris persona vilis sit, filii autem valde honesta. Estque hæc remissio extinctiva injuriæ alia expressa, dum nimirum fit vel verbis, literis aliisque indubitatis animi condonantis indiciis. *l.* 17. §. 6. *ff. h. t. l.* 52. §. *fin. de O. & A.* vel transactione seu pacto atque gratuitò. *cit. l.* 17. *l.* 27. §. 2. *ff. de pacto.* Gail. *l.* 2. *obs.* 102. *n.* 17. *&* 18. Mev. *p.* 1. *decis.* 223. *&* 224. Lauterb. §. 34. hac voluntate etiam absente reo declaratâ. *Cit. l.* 17. §. 6. Non sufficit tamen, quod injuriatus graviter decumbens confessario dixerit, se omnibus hominibus condonare, etiam huic vel illi injurianti, cùm DD. communiùs contra Bachov. *ad* §. *fin. Inst. h. t.* censentem hoc ipso, ipso jure remissam vindictam, teneant, quòd hac declaratione tantum rancor animi

mi & vindicta privata ex odio veniens remittatur, non verò, quæ ex justitia commutativa ad utilitatem publicam tendit, quæ vult ut delicta ad delinquentis emendationem, proximi exemplum, & læsi, aliorúmque immunitatem puniantur, unde convalescens adhuc salvam habeat actionem, ita Mol. *de J. & J. Tom.* 4. *d.* 42. *n.* 3. Berlich. *p.* 5. *concl.* 70. *n.* 18. *& seq.* & alii, quos citat & sequitur Lauterb. *cit.* §. 24. ad quam remissionem actionis injuriarum expressam spectat quoque transactio, quæ sponte facta ipso jure tollitur. *l.* 11. §. 1. *ff. h. t. l.* 17. §. 1. *ff. de pactis*, neque resuscitatur, licet reus promissum non præstet. *citatis LL.* quod idem est, si authoritate, vel etiam quandoque jussu Judicis fecit. Mev. *p.* 1. *decis.* 223. *& seq.* quibus casibus transactio in Camera Imperiali confirmatur. Gail. *cit. obs.* 102. *n.* 13. conventa tamen per transactionem oblivio injuriarum non tollit actionem legis Aquiliæ competentem ad damni per injuriam illati refusionem. Berlich. *l. c. n.* 20. nisi in remissione fiat quoque mentio damni. Mynsing. *cent.* 4. *obs.* 10. *in fine.* Porrò remissio injuriæ atræ est tacita, quæ ex factis elicitur, dum nimirnm injuriatus aliquid facit, ex quo probabiliter factam sibi injuriam remisisse apparet, v. g. integro anno non revocando in memoriam injuriam, quod tamen non semper tutum esse pronunciat Lauterb. §. 36. sed aliunde ex factis de hoc constare debere, qualia sunt amicè injuriantem salutare, amplexari, pristinam familiaritatem instaurare, ad convivium invitare, legatum relinquere, Carpz. *J. P.* Viv. Lauterb. & alii passim. Qualia verò non sunt, nec tacitam remissionem inferunt honestatis gratiâ ex civilitate vel ex officio salutare in publico, propinare in convivio publico, & sic ea præstare coactè, Perez. *h. t. n.* 23. Gail. *de Arresto. c.* 14. *n.* 2. quo etiam refert Carpz. apud Lauterb. *l. c.* pastori suo injurianti post injuriam sibi ab eo illatam sacramentaliter confiteri peccata; item quo alii referunt accessum ad Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ, eò quòd hæc participans vindictam ponere videatur & jubeatur. Verùm hoc displicet aliis, eò quòd, licet obeuntibus hæc sacramenta deponendus sit animus vindictæ privatæ erga injuriantem, satisfactionem tamen pro injuria tam sibi quam reipublicæ illatam tanquam jure debitam non teneatur remittere. Abb. *in c.* 1. *de maled. n.* 6. Covar. *l.* 2. *var. c.* 10. *n.* 17. Wiestn. *h. t. n.* 20. Lauterb. §. 24. & quos citat Mev. *p.* 4. *decis.* 298. Sande *l.* 5. *c.* 8. *def.* 12.

3. Tertiò: tollitur hæc actio præscriptione unius anni *c.* 5. *c. h. t.* ubi: cùm injuriarum actio annuo tempore præscripta, est enim actio prætoria, quæ anno utili extinguitur. *l.* 31. *ff. de O. & A.* & hoc de jure civili communi verum est, sive injuria sit realis, sive verbalis, & hæc sive dicta, sive scripta, tradit Franzk. *ex.* 12. *q.* 9. *n.* 3. Mynsing. *cent.* 8. *obs.* 7. *in fine* dicens communiorem & magis receptam. Jure verò Saxonico hanc actionem de injuria graviore, v. g. de tortura illegitimè illata, esse perpetuam, testatur Carpz. *J. F. p.* 14. *c.* 46. *def.* 5. sic etiam in Camera Imperiali tam ob injuriam realem, quàm verbalem dictam vel scriptam post annum etiam, seu perpetuam intentari posse actionem firmat. Gail. *l.* 2. *obs.* 104. *n.* 4. De cætero perpetuatur hæc actio litis contestatione, sicut regulariter omnes actiones temporales. Lauterb. §. 38. Porrò in hac præscriptione annus ille sicut in omni alia præscriptione requiritur, ut sit utilis. §. 1. *Inst. de perpet. & tempor. præscript. l.* 1. *ff. de diverf. temp. præscript.* & sic observari in Camera Imperiali tradunt Gail. *l.* 2. *obs. p.* 5. *à n.* 4.

4. Quartò: tollitur retorsione, quæ est remedium consuetudinarium extrajudiciale contra injuriam verbalem, dum nimirum injuriam verbalem passus eam retorquet in injuriantem v. g. si quis ab alio vocatus fur, adulter, spurius &c. respondet: Tu mentiris, aut tu ipse es talis, donec me esse talem probaveris, quæ describi potest, quòd sit injuriæ verbalis ab injuriato in ipsum injuriàntem propriâ authoritate verbis vel scriptis in continenti honoris tuendi gratia facta rejectio, per hanc tollitur actio injuriarum, quia per eam censetur satisfactum injuriato, satisfactione autem tollitur actio injuriarum. *l. sed si* §. 6. *h. t.* qualiter verò, ut liceat retorsio, fieri ea debeat, dicetur *seq. quæst.*

Quæst. 481. *An & qualiter remedium hoc retorsionis licitum sit & permissum.*

Resp. multum in hoc decidendo altercari & controvertere A. A. quorum opiniones aliquot referre & explicare lubet. Primò: si accipiatur hæc retorsio, prout est privata vindicta, in foro conscientiæ illicitam & omni jure prohibitam esse, ut constat ex *Matt.* 5. *v.* 44. *Luc.* 6. *v.* 27. *ad Roman.* 12. *v.* 14. 1. *Pet.* 3. *v.* 9. Verùm ab hac ratione privatæ vindictæ eam deputari posse ex intentione injuriati adhibentis illam pro defensione famæ lædendæ, seu damno imminente in fama avertendo, quod eo ipso incurreret, si taceret; evitaret, si in continenti debito modo retorqueret, seu rejiceret in injuriantem, atque hac ratione retorsionem habere rationem veræ & licitæ defensionis, ut docet Pirh. *h. t. n.* 6. non video, cur neget Lauterb. *h. t.* §. 50. cùm etiam juris naturæ sit vim vi repellere posse, etiam injustum aggressorem, ubi aliter fieri non potest repulsio, occidendo, absque eo, quod talis retorsio habeat rationem injuriæ & privatæ vindictæ, ut vult Lauterb. cum id ipsum dependeat ex animo injuriandi vicissim injuriantem, ac ita privatim se vindicandi, quem animum habere retorquentem necesse non est. Unde nontantùm moribus, ùt ait Lauterb. *l. c.* §. 60. citans pro hoc Harpr. *ad* §. 12. *Inst. h. t. n.* 106. Berlich. *p.* 5. *Concl.* 64. *à n.* 1. Carpz. *pr. Crim. q.* 97. *n.* 24. Gail. *l.* 2. *obs.* 100.

Bardili, Struv. &c. hoc remedium in toto fere Imperio permissum, ita ut retorsio in foro soli non sit punibilis, sed ex æquitate naturali ubique permittendum. His non obstante, quod injuriatis authoritate publica per varias actiones subveniri possit, siquidem finis retorsionis est defensio famæ & existimationis, & potissimùm, ut injuriatus molestias processus ejusdemque longam protractionem evadat, & sumptibus parcat, quod fit evitatis dictis actionibus utendo retorsione, Berlich. *l. c. n.* 38. Lauterb. §. 64. Cæterum retorsio libelli famosi per alium libellum famosum locum non habet, quia est crimen atrocissimum, Carpz. *J. F. p.* 4. *c.* 44. *def.* 7. Lauterb. §. 7. Dixi: *retorsio modo debito facta*; nam, ne retorsionum licentia nimium evagetur, moribus intra certos terminos coërcita est, ut inquit Lauterb. §. 63. Sic imprimis retorsio debet esse certæ injuriæ regestio in conviciantem, seu illa ipsa injuria seu convicium illatum sibi, v. g. dum quis compellatus adulter respondet: *talis tu es*, vel, *hoc mihi objicit adulter*; non enim omnis contradictio vel responsio est retorsio, v. g. si fur nominatus respondeat: Sum vir integræ famæ, tale quid nunquam admisi, idque fit, vel verbis generalibus, v. g. regerendo: *tu mentiris*, vel specialibus: *mentiris*

tiris velut detractior famæ, wie ein Ehren-Dieb. Secundò debet esse moderata & proportionata, non plus vel gravius quid objiciendo seu rejiciendo in conviciantem, quàm injuriato objectum, v. g. dum quis appellatus fur, compellaret vicissim alterum furem, & latronem vel solùm adulterum aut veneficum; tunc enim sunt duæ injuriæ formales & uterque injuriarum agere potest, & illatam per hoc in injuriantem iterum retorquere. Carpzov. *Jurisp. feud. p.* 4. *c.* 46. *Def.* 11. Mynsi. *l. c. obs.* 17. *n.* 3. quamvis tam retorquenti excedenti hâc ratione modum imponatur deprecatio, vel recantatio, vel mitior pœna, quia non tam ex proposito quàm animi perturbatione & justo dolore fecisse creditur. Carpz. *l. c.* Berlich. *l. c. n.* 31. Tiraq. *de pœn. temp. c.* 1. *n.* 12. Tertiò: fieri debet retorsio in continenti, idque ex natura defensionis, cujus species est retorsio, ideóque à præsente & audiente conviciato statim facienda. Gail. *cit. obs.* 100. *n.* 3. Carpz. *pr. crim. q.* 97. *n.* 27. Si verò injuriatus absit, quamprimum certò rescivit, injuriam seu convicium sibi factum, & retorquendi occasionem seu potestatem habuit, scilicet libellum retorsionis ritè conceptum & suâ manu subscriptum, Notario cum testibus convocato, ab eodem palam legendum curet, & dein Notarium requirat, ut dictum libellum injurianti legitimè insinuet, seu per literas intimari faciat, omnia ad notam sumat, & desuper instrumentum conficiat. Lauterb. *cit.* §. 63. cum Carpz. Struv. Berlich. Harprecht. & aliis dicens, hunc modum retorsionis in dicto casu absentiæ injuriati tutissimum esse. Quem tamen Notarium retorsionem scriptam insinuantem operam suam in eodem negotio ei, cui insinuata, præstare non debere, rectè monent Harpr. Struv. & alii apud Lauterb. §. 62. Porrò quod hic notandum: retorsio legitimè facta non præjudicat Magistratui, quò minùs ad pœnam contra injuriantem procedere possit. Carpz. *J. F. p.* 4. *n.* 41. Mev. *ad jus Lubec. l.* 1. *tit.* 4. *a.* 10. *n.* 14. Lauterb. §. 64. & alii apud illum. Interim opinio ipsius, in quem facta retorsio, tam diu apud honestos viros manet gravata, donec de veritate criminis objecti à se primò injuriato docuerit. Berlich. *l. c. n.* 30. Besold. *thesaur. pr. v. retorsio.* Lauterb. *cit. n.* 64.

Quæst. 482. *Quænam sit pœna injuriam inferentis?*

Resp. Pœna criminalis injuriarum est extraordinaria arbitrio Judicis determinanda, consideratis circumstantiis & qualitate delicti. §. *in summam. Inst. h. t.* interdum pecuniaria fisco applicanda, carcer, relegatio, fustigatio, manûs amputatio, interdum etiam ultimum supplicium, si injuria sit atrox, & adversus Magistratum, parentes. Carpz. *pr. Crim. q.* 100. *per tot.* qui tamen vult mortis supplicium ob injurias verbales etiam atroceissimas non inferri. Et dum pœna injuriæ illatæ per libellum famosum dicitur capitalis. *l. unic. c. de libell. famos.* eam non intelligendam de ultimo supplicio, sed de pœna exilii aut deportationis, explicat Harpr. *in* §. 1. *Inst. h. t.* nisi crimen per libellum famosum imputatum alicui esset capitale, tunc enim pœnam talionis imponendam statuit *constit. Crim.* Caroli V. *A.* 110.

Quæst. 483. *An & quando in foro conscientiæ possit injuriatus, aut teneatur instituere vel remittere actionem injuriarum?*

1. Resp. Primò: tametsi injuriam passus teneatur injurianti ignoscere in hoc sensu, quòd nullum odium, nullámque vindictæ cupiditatem adversus illum habere vel fovere, multóque minus re ipsâ se vindicare potest, ùt constat ex dictis *quæst. ante hanc.* 3. non tenetur tamen eidem remittere injuriam, vel ignoscere in hoc sensu, ut omnem injuriarum actionem & palinodiam remittat, sed potest ad tuendam famam & honorem suum harum actionem aliquam pro libitu assumere, prout habet communis & certa. Neque tamen etiam regulariter tenetur instituere actionem injuriarum, sed potest licitè per se loquendo ex humilitate aliave virtute aut causa justa injuriam & omnem injuriarum actionem, ex toto remittere, quin & se ipsum infamare suáque delicta propalare, exemplo D. Augustini aliorumque SS. cùm sit dominus famæ & honoris sui, ita ut possit illam negligere, nihilominus tamen

2. Resp. Secundò: quandoque in conscientia, non tantùm propter scandalum & præjudicium aliorum vitandum, sed & ratione boni communis (ad quod promovendum malâ famâ notatus plerumque inutilis est) quódque ex læsione famæ & honoris non reparata sequatur grave damnum ipsius injuriati per actiones institutas aliáque media licita injuriam propulsare, & maculam sibi illatam diluere, juxta monitum *Eccles.* 41. *curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi: quàm mille thesauri pretiosi & magni*, juxtaque *can. non sunt.* 11. *q.* 3. & *can. nolo.* 12. *q.* 1. quorum can. verba utiliter recitat Reiffenst. *h. t. n.* 29. verùm de his, ut & de obligatione, quam habet in conscientia injurians infrà ampliùs.

Quæst. 484. *Libellus famosus quid sit, quæ illius causa, quis reus illius, & quæ ad eum requirantur, quis finis, effectus, pœnæ?*

1. Resp. ad primum: Libellus famosus, prout in jure civili *l.* 47. *tit.* 10. sumitur, constituítque distinctam speciem injuriæ scriptæ in proprio sensu continet seu denotat quamlibet scripturam infamantem. *l.* 1. §. 9. *ff. h. t. l. unic. C. de famos. libell.* epigramma, carmen, satyram. *l.* 21. *ff. de testibus.* historiam, comœdiam, picturam, sculptile, opus fusorium in alicujus infamiam, *Recess. Imper. de Anno* 1530. §. 58. vocari quoque solitus *Pasquillus*, à Romano Sartore Pasquino, qui mirâ impunitate Aulam & Curiam Romanam vellicare solebat, quo mortuo dum terra effodebatur, ejus statua reperta prope ejus tabernam erecta, cui omnis generis chartæ famosæ noctu affigebantur, & dein alia illi similis & correspondens Romæ in Capitolio statuta, Lauterb. *tit. de injuriis & famos. libell.* §. 66. ex Besold. *th. pract. V. pasquillus.* Differt. à Scriptura injuriosa tanquam species à genere ratione materiæ, forma, fine, præscriptione, Carpz. *pr. Crim. q.* 98. *n.* 10. *& seq.*

2. Resp. ad Secundum: causa illius efficiens nec non subjectum idem est, quod aliarum injuriarum scriptarum, ejúsque reus non tantùm est author seu componens, sed & scribens, dictans. *cit. l.* 5. *l.* 12. §. 27. *ff. h. t.* legens cum voluptate, & alteri ad legendum tradens, mandans, mandatarius, *cit. l.* 5. §. 9. non corrumpens. *cit. l. unic. de fam. libell.* typis excudens. *cit. recess. Imp.* in notitiam producens, vendendum & emendum curans. *cit. l.* 5. §. 10. affigens & ad inveniendum projiciens. Menoch. *de Arb. l.* 2. *cas.* 263. *n.* 35. Lauterb. §. 67.

3. Resp.

3. Resp. ad tertium: ad formam illius specificam, quæ ab aliis injuriis distinguitur, requiritur primò: ut in eo, dum est Scriptura, dolose ad infamiam alicujus exprimatur delictum famosum & notabile, quod in populum spargatur, & pœna foret corporis afflictiva vel infamia. *ord. crim.* a. 110. Carpz. *J. F. cit. def.* 4. Secundò: ut Author in eo nomen suum celet, sive fictum vel alienum, imò ut nullum apponat, ut veriùs docere videntur Carpz. *l. c. def.* 3. Brunem. *ad cit. l. unic. de fam. libell. n.* 5. *& ad l.* 5. §. 9. *ff. h. t.* Bardili. *concl. forens. exercit.* 31. *th.* 33. *&* plures alii, quos citat & sequitur Lauterb. *h. t.* §. 68. contra Bocer. de *fam. libell. p.* 2. *n.* 7. Harpr. *ad* §. 1. *Inst. h. t. n.* 151. Berlich. *p.* 1. Concl. 67. *n* 37. Struv. *exerc.* 48. *n.* 67. &c. cæterùm gravius delinquit, &, si innotescat, punitur, qui alterius nomen usurpat, nomen verò suum apponens vel ad probationem, vel, si in ea deficiat, se ad pœnam offert, & proin mitiùs punitur, qui autem nullum opponit nomen, eo ipso agnoscit, se falsum crimen objicere. Arg. *l.* 1. 3. 4. *Cod. th. eod. l.* 9. *tit.* 34. cum quibus convenit *l. unic. c. h. t.* infamati verò nomen, sive exprimatur, sive ex aliis circumstantiis cognoscatur, perinde est. *l.* 6. *ff. h. t.* Magistratus interim ex officio in hujusmodi criminosos seu reos libelli famosi inquirere potest. *Novell.* 128. *c.* 21. Brunnem. *ad l.* 7. *c. h. t. n.* 4. utì & indicanti authorem constituere præmium ex bonis & pro modo accusatæ personæ, *l.* 5. §. *fin. h. t.*

4. Resp. ad quartum & quintum: finis famosi libelli est, ut honestæ personæ æstimatio lædatur, effectus respectu infamati est, ut famosus libellus alterius existimationem apud viros graves & honestos non lædat. *cit. l. unic. c. h. t.* respectu infamantis est pœna.

5. Resp. ad sextum: pœna hæc olim apud Romanos ex L. XII. Tabular. indifferenter fuit capitalis, ut testatur Zieriz. apud Lauterb. *h. t.* §. 69. quæ dein abiit in desuetudinem *l.* 5. §. 9. *ff. h. t.* ac demum iterum restituta, *l. unic. de famos. libell.* pœna verò capitalis in jure dicitur non tantum, quâ vita naturalis, sed etiam quâ vita civilis adimitur. §. 2. *Inst. l.* 2. *ff. de publ. judic. l.* 103. *ff. de V. S.* unde per pœnam capitalem, h. t. quidam supplicium ultimum, alii deportationem, alii pœnam talionis, ut nimirum author famosi libelli eadem pœna, quam delictum in pasquillo imputatum importat, puniatur, intelligunt, quod postremum rectiùs dici sentit Lauterb. *h. t.* §. 69. cum Berlich. *l. c. concl.* 67. *n.* 9. *&* 21. Theodoric. in *colleg. crim. c.* 2. *Aphor.* 20. *n.* 28. Arg. *l.* 34. *ff. de jure fisc.* jure canonico *can.* 3. *caus.* 5. *q.* 1. qui famosos libellos in Ecclesia ponunt, anathematizantur. De cætero ob libellum famosum, etiam civiliter condemnatus, redditur infamis. *l.* 1. *ff. de his, qui not. infam. l.* 10. *c. ex quibus cas. infam. irrogat.* Fit intestabilis, *l.* 5. §. 9. *ff. de testib.* mitiùs tamen quàm pœnâ talionis punitur, qui non est author seu compositor libelli, etsi consilium dederit, qui inventum libellum à se propalavit, vel aliis communicavit, imò ipse auctor, si ante perfectionem & divulgationem pœnitentiâ ductus illum laceravit, neque pœna libelli famosi locum habet, bene tamen extraordinaria, si quis verum crimen objecerit, nomen non apposuerit & diffamator illud probare voluerit, ùt habetur in *const. crim. Carol. cit. a.* 100. Porrò Typographi hujusmodi libellos excudentes omnibus exemplaribus, & potestate excudendi privantur, & arbitrariè puniuntur, juxta *cit. recess. imp.* §. 66. Bibliopolæ quoque scienter vendentes illos neutiquam à pœnis excusantur. Cessat verò pœna hujus delicti morte delinquentis, item præscriptione annorum 20. juxta *l.* 12. *C. ad leg. Corn. de fals.* actio autem ex libello famoso est perpetua. Hahn. *ad Wesenb. h. t. n.* 19. *in fin.* Gail. *l.* 2. *Obs.* 104. *n.* 3. Fachin. *l.* 8. *Controv.* 9. in arbitrio autem læsi per libellum famosum est instituere actionem injuriarum æstimatoriam vel recantatoriam, quia est species injuriæ, Carpz. *J. Feud. p.* 4. *c.* 44. *def.* 4. *& 6.*

CAPUT II.

De Damno dato.

Quæst. 485. *Quid intelligatur per damnum datum, de quo secundâ parte huius tit. & in jure civili l.* 9. *t.* 2. *ad legem Aquil.*?

Resp. non intelligitur damnum, quod lucrifaciendi causâ alteri infertur, v. g. per rapinam, furtum, usuram, de quibus in *præcedentib. tit.* sed quod iniuriâ seu non iure facientis, hoc est, contra ius alterius, sive in eius corpore, sive rebus illius animatis vel inanimatis eas corrumpendo vel deteriorando datur, ut ipsius patrimonium sine ullo damnificantis lucro vel emolumento diminuatur. Host. *in sum. h. t. n.* 1. definiri potest, quòd sit privatum delictum, quo damnum sine facientis iniuria per iniuriosam rei corruptionem dolo vel culpa datur, quodque lege Aquiliâ vindicatur. Sumitur *ex* §. 2. 3. 13. *Inst. h. t.*

Quæst. 486. *Quot modis damnum hoc dari seu inferri possit*?

Resp. Tribus, nimirum dolo, culpâ, fortuitò; dolo si fiat aliquid, vel omittatur animo nocendi, seu eâ intentione, ut damnum sequatur. *l.* 1. §. 2. *ff. de dolo*, qui animus seu intentio ipsius damnificantis si confessione vel certis & indubitatis indiciis declaretur, dolus verus; præsumptus autem dicitur, si ex indiciis non quidem omnino indubitatis, verisimilibus & valde urgentibus colligatur, Bartol. *in l. quod Nerva. ff. depositi. n.* 14. Molin. *de J. & J. tr.* 2. *d.* 29. *n.* 4. Ex culpa, quando adhibita diligentia damnum evitari potuisset; quæ culpa vel est iuridica, vel etiam theologica, quæ committitur cum peccato; eáque triplex, lata, levis, levissima. *l. in lege Aquilia. ff. ad leg. Aquil.* Lata, quæ communiter omissione diligentiæ, quam homines eiusdem conditionis ad evitandum damnum solent adhibere, committitur, v. g. si quis librum sibi commodatum foris extra domum relinquit. Levis, quæ consistit in omissione diligentiæ, quam adhibere solent providentiores, & rerum suarum magìs studiosi, v. g. si liber intra cubiculum quidem, sed non clausum relinquatur. Levissima, quam committit omittens diligentiam, quam adhibere solent non nisi exactissimi, & qu. extraordinario studio damna præcavent; v. g. cùm liber quidem relinquitur in

in cubiculo clauſo, ſed non exploratur, an ſera ſit obducta. Wieſtn. *h. t. n.* 23. cum Molin. *l. c. n.* 4. Haunold. *de J. & J. tom.* 1. *tr.* 2. *n.* 185. caſu fortuito damnum datur, quando res perit aut deterioratur eventu omnino inſperato & qui nullo humano conſilio vel diligentia evitari potuit. *l. non utrique.* §. 7. *ff. de Adminiſtrat. rer. ad civitat.* v. g. ſi pereat naufragio vel fulmine de cœlo lapſo. Mol. *l. c. n.* 3.

Quæſt. 487. *A quibus, & in quibus rebus hoc damnum detur?*

1. REſp. ad primum: nihil intereſt, cujus conditionis, ſexus, qualitatis aut ſtatus ſint inferentes illud, modò uſu rationis non deſtituantur, ut ſunt furioſi, infantes, infantiæ proximi. *l.* 5. §. 2. *ff. h. t.* item dormientes, & hinc lege Aquiliâ vindicari nequeunt. *l.* 1. §. 3. *ff. de A. & A. P.* ſecus eſt de etiam pleniſſimè ebriis. Carpz. *pr. crim. p.* 3. *q.* 45. *n.* 39. Arg. *l.* 6. §. 7. *ff. de re milit.* proinde etiam ſervus tenetur ex hoc delicto. *l.* 14. *ff. de O. U. A.* quamvis is, quamdiu eſt in ſervitute, non conveniatur, ſed eius dominus actione noxali (quæ eſt actio perſonalis ex privatis ſervorum delictis adverſus dominos illorum competens, de quo vide Lauterb. *ad ff. l.* 9. *tit.* 4. §. 2.) conveniatur tamen manumiſſus; ſi ante manumiſſionem actori ſatisfactum non ſit. *cit. l.* 14. tenentur etiam fœminæ ex hoc delicto. *l.* 9. *ff. h. t.* adeò ut etiam earum maritus ex hoc capite agere poſſit. *l.* 27. §. 30. & *l. penult. ff. h. t.* neque excipiuntur ipſi Magiſtratus. *l.* 29. §. 7. *ff. h. t.*

2. Reſp. ad ſecundum: committitur in rebus, quæ læduntur, vel quarum corruptione & deterioratione alterius patrimonium diminuitur. §. 13. *Inſt. l.* 27. §. 5. *ff. h. t.* regulariter objectum illius damni ſunt res alienæ. *l.* 2. *ff. h. t.* non enim in rebus propriis dominus dare damnum, & ſe ipſum convenire poteſt regulariter, poteſt tamen in re propria damnum dare, & hac actione teneri & conveniri, ratione nimirum juris, quod tertius quis in re illa habet, v. g. uſufructuarius in re fructuaria proprietarii. *l.* 11. § *fin. l.* 12. *ff. h. t.* vel in re domini oppignorata creditoris. *l.* 17. 19. 20. *ff. eod.* circa quæ notandum quoque, quòd quandoque ſubjectum patiens damnum, & objectum, in quo patitur damnum, regulariter diſtinguantur, v. g. ſi ſervus vulneratus ſit, dominus ſervi eſt ſubjectum, quod patitur damnum, ſervus verò eſt res ſeu objectum, in quo dominus patitur damnum, è contra quandoque ſubjectum & objectum coincidunt, v. g. ſi homo liber vulneratus ſit, ratione expenſarum & operarum, quæ propter ejus vulnerationem amittuntur. *l.* 12. *ff. h. t.* Lauterb. *in ff. ad leg. Aquil.* §. 6.

Quæſt. 488. *An & quando quis obligetur ad compenſationem damni caſu fortuito dati?*

REſp. in nullo foro per ſe quis obligatur ad compenſationem damni orti ex mero caſu fortuito. *c. unic. de commodato l.* 1. §. 4. *ff. de O. & A.* ſiquidem res caſu fortuito perit domino ſuo. *l. pignus C. de pignor. l. quæ fortuito. C. de pignorat. act.* Per accidens tamen ratione conventionis vel moræ in re domino reſtituenda etiam caſum fortuitum præſtandi dari poteſt obligatio. *cit. c. unic.* & *l.* 1. *C. de commodato* & *reg.* 35. *in* 6. Navar. *man. c.* 17. *n.* 178. *& ſeqq.* Mol. *de J. & J. tr.* 2. *d.* 29. *n.* 7. Leſſ. *de Juſt. l.* 2. *c.* 7. *n.* 36.

Quæſt. 489. *Ex qua culpa detur obligatio reparandi damnum?*

1. REſp. primò: ex culpa lata iuridica, tam in foro externo, quam interno oritur dicta obligatio, Innoc. *in c. ſicut. de homicidio.* Sylv. *v. culpa. n.* 5. & 6. Molin. *l. c. d.* 293. *n.* 7. Haunold. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 186. Caſtrop. *tr.* 32. *d.* 3. *p.* 1. *n.* 7. culpa enim iuridica lata per ſe continet culpam theologicam, & quidem gravem, ſi res, quæ ex ea perit, ſit gravis v. g. in incendio vel homicidio cavendo, nec ex actione ſua vel omiſſione ſequatur.

2. Reſp. Secundò: ex culpa iuridica levi & leviſſima, carente omni culpâ theologicâ pro foro externo tam eccleſiaſtico quàm ſeculari oritur obligatio reparandi damnum datum; ſic tenetur ad hanc reparationem, qui explodendo bombardam in loco, ubi iaculari non licebat, traiicit ſervum vel animal alterius, §. *itaque inſt. de leg. Aquil.* item medicus & Chirurgus, qui ægrum imperitè curavit vel ſecuit. §. *præterea* §. *imperitia. inſt. eod.* item paterfamilias, ex cujus ædibus projectum vel effuſum quid transeuntium perſonis, veſtibus, rebúsve aliis damnum intulit. §. *item is. Inſt. de oblig. ex quaſi delict.* item caupo & rector navis, ſi furtum in eius domo factum. §. *exercitor. inſt. tit. eod.* item dominus, cuius mancipium damnum, vel quadrupes pauperiem, id eſt, nocumentum alteri intulit. *pr. Inſt. de noxali act.* & *pr. Inſtit. ſi quadrup. pauper. fecit,* quæ & ſimilia iura etiam concordantibus *ff.* & *C. titulis* habentur, nec non obſcurè approbata iure canonico, hoc *tit.* ubi *c. ſi quis.* quod, qui ciſternam fodit, & non cooperuit, debeat reddere pretium animalis in eam lapſi. *c. ſi bos.* & *c. ſi laeſerit.* ubi; quòd damnum à bove cornupeta vel alio animali animalibus, agris, vineis illatum reſarcire debeat, qui bovem cornupetam non cuſtodivit, aut aliud animal dimiſit, *c. ſi egreſſus.* ubi; quod ſegetes alienas igne in ſuo agro excitato urens damnum compenſare teneatur, & *c. fin.* ubi in genere dicitur, quòd, qui ſuâ culpâ, imperitiâ, negligentiâ, ignorantiâ alterum damnificavit, præſtare ſatisfactionem obligetur, ſed neque ex dicta culpa tenetur tantùm ad illatum damnum, verùm etiam ad lucrum inde ceſſans damnificato, v. g. vulnerato ad operas eius omiſſas, & expenſas in Chirurgos factas. *c.* 1. *h. t.* Farin. *pr. crim. p.* 5. *q.* 119. *n.* 110. Sayr. *clav. reg. l.* 10. *c.* 1. *n.* 20. Pirh. *h. t. n.* 17. Et hæc omnia à LL. & SS. canonibus ſic diſpoſita, quia legum conditores æquiùs eſſe cenſuerunt, illum potiùs carere omni damno, quia citra omnem ſuam culpam, imò & citra omne factum ſuum paſſus eſt damnum, quàm qui illud facto ſuo vel omiſſione, etſi leviſſimè culpabili, intulit, quem proinde obligari in foro externo voluerunt ad ſervandum alterum indemnem, reſarciendo damnum ei illatum, & conſequenter cogere illum poſſunt ad ſarisfaciendum obligationi iſti ei impoſitæ, etiam citra hoc, quòd obligaverint eum ad hoc in conſcientia, ſeu ſub culpa theologica. Unde

3. Reſp. tertiò: non eſſe obligationem in foro interno ſeu conſcientiæ ante ſententiam Judicis reparandi damnum ortum etiam ex culpa leviſſima merè iuridica, v. g. ex ignorantia, inadvertentia vacante omni culpâ theologicâ (quod fieri poſſe ſupponit hæc ſententia) communius & in praxi probabilius docent Mol. *de J. & J. tr.* 2. *d.* 698. *n.* 6. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *c.* 6. *n.* 2. De Lugo *de J. & J. d.* 7. *ſ.* 3. & 4. Leſſ. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 24. Haunold. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 178. Tanner. *tom.* 3. *d.* 4. *q.* 6. *du.* 2. *n.* 40. Pirh. *h. t. n.* 11. Reiffenſt. *h. t. n.* 43. Wieſtn. *n.* 33. contra Covar. *de Sponſal. p.* 2. *c.* 6. §. 8. *n.* 15. Zoeſ. *in ff. ad leg. Aquil. n.* 6.

Richt.

Richt. *d. de damnon. 3.* quibus favere videtur Barb. *in c. fin. h. t. n. 2.* Tenentes ex quavis etiam leviſſima culpa juridica oriri obligationem in conſcientia reſarciendi damnum. Ratio reſponſionis eſt, quòd præterquam plures graves AA. negent, per leges civiles poſſe imponi obligationem in conſcientia, leges etiam eccleſiaſticæ, eam imponentes citra ſententiam Judicis, ſint nimis rigidæ, & attentâ fragilitate humanâ in foro animæ impraticabiles, adeoque videri poſſint injuſtæ. Arg. *c. erit autem. diſt.* 4. dum ibi ad juſtitiam legis requiritur, ut ſit poſſibilis ſecundum naturam. Accedit, quòd tam gravis obligatio, utpote in legibus illis non expreſſa, paſſim ſit ignota fidelibus, dum eorum communis ſenſus & perſuaſio eſt, ſe in conſcientia tutos, & ab ea obligatione immunes eſſe, quando ipſis inſciis & omnino non advertentibus, ac proinde involuntariè damnum contigit, non ſecus ac ſi fortuito vel à beſtia contigiſſet. Ex quibus omnibus illud ad minimum conficitur, quod talis obligatio in conſcientia ab omnibus ferè, etiam ab oppoſitæ ſententiæ aſſertoribus in dubium vocetur, in re autem dubia & obſcura pars benignior ſit præferenda. *l. ſemper. & l. eaquæ. ff. de Reg. Jur.* & ſtandum pro immunitate ab obligatione & libertate, in cujus poſſeſſione à natura conſtituti ſumus.

4. Reſp. quartò: damnum ſine culpa theologica datum compenſandi obligatio in conſcientia dari poſt ſententiam Judicis pronunciantis juxta leges videtur communius & probabilius doceri à Mol. *l. c. n. 5.* & aliis contra Haunold. *cit. n. 178.* fundantem ſe in præſumptione culpæ theologicæ, quæ præſumptio in foro interno cedat veritati; nam ſententia illa Judicis non profertur ob præſumptionem culpæ theologicæ, ſed ob juridicæ culpæ probationem, quæ inducitur vi dictarum legum *quæſt. præced.* citatarum, quæ ex juſtiſſimis cauſis latæ, nimirum, ut quilibet ſollicitiùs invigilet, ne ſuâ ſuorumque culpa damnum inferatur proximo, reipublicæ tranquillitas turbetur, ſi ſit immunitas obligationis reparandi damni etiam ex culpa leviſſima orti, ſunt juſtiſſimæ. etſi eæ non obligent in conſcientia, & juxta quas ſi feratur ſententia Judicis, ea juſta eſt, & inducit obligationem in conſcientia reparandi damni, & conſequenter culpam theologicam, ſi non obſervetur: adeoque plus operatur quam caſus merè fortuitus. Unde jam dici nequit, talem damnificantem ex culpa leviſſima non obligari in conſcientia ante ſententiam Judicis, adeóque nec poſt eam.

Quæſt. 490. *Qualis, & ad quid, & cui detur actio ob damnum datum?*

1. Reſp. primo: datur actio ex lege Aquilia, primò ſi damnum importet occiſionem hominis vel pecudum quæ gregatim paſcuntur, ut oves, boves, ſues, datur actio ad æſtimationem, non tantum quanti fuit tempore interitûs, ſed etiam quanti retro per totum annum & inſuper ad æſtimationem omnis damni, quod occiſione hominis vel pecudis alteriusve rei deterioratæ vel deſtructæ contigit, juxta dicta *quæſt. præced.* & §. 10. *& ſeq. Inſt. ad leg. Aquil.* in ſpecie autem ſi animal, quod gregatim non paſcitur, v. g. canes, aves, feræ, occidatur, petitur æſtimatio rei deterioratæ aut peremptæ, quanti retro à proximis triginta diebus fuerat. §. *ſi illud autem. inſt. ad leg. Aquil.* De cætero etſi in actione ex Leg. Aquil. regulariter ſolum petatur æſtimatio damni, & quanti intereſt damnificantis damnum datum non fuiſſe. §. 10. *Inſt. h. t.* dantur tamen caſus & actiones, ex aliis legibus, in quibus ad plus convenitur damnificans, v. g. ad duplum, dum quis clam Arbores alterius ſuccidit. *l. furtum.* §. *fin. l. 8. ff. arborum furtim cæſar.* ad quadruplum, dum quis per vim intulit damnum; item ad quadruplum, dum quis tempore calamitoſo, puta, incendii, tumultûs, ruinæ, naufragii damnificavit. *l. 1. pr. & l. 3. §. non ſolum. ff. de incendio, ruina &c.*

2. Reſp. Secundò: ſi animal pauperiem, id eſt, damnum dederit, contra dominum illius datur actio, ita tamen, ut ei liberum ſit vel præſtare æſtimationem damni, vel animal noxæ dedere, id eſt, vivum tradere damnificato, non tamen liberabitur dominus tradendo animal, ſed in ſolidum tenetur ad omne damnum reſarciendum, ſi dominus fuerit in culpa, animal naturâ ſuâ ferox non bene cuſtodiendo, ne læderet; idem eſt, ſi Animal ex natura non ferox ſolitum cornibus impetere alia animalia damnum fecerit. *c. fin. h. t.* §. *quod ſi.* & *ibi* Abb. *n. 3. not. 4.* Pirh. *h. t. n. 12.*

3. Reſp. tertiò: poteſt clericus agere ad æſtimationem injuriæ ſibi illatæ, & petere, ut pœna pecuniaria ſibi applicetur ultra damna & intereſſe ex injuria ſecuta. *C. olim h. t.* Abb. *ibid. n. 3.* Farin. *pr. crim. p. 3. q. 105. n. 36.* Pirh. *h. t. n. 19. not. 3.*

4. Reſp. denique: competit actio directa domino rei læſæ ejusque hæredibus. *l. 11. §. 6. l. 23. §. 8. h. t.* utilis autem etiam reliquis in re læſa jus vel intereſſe habentibus, ùt ſunt uſufructuarius, *cit. l. 11. §. fin.* bonæ fidei poſſeſſoribus. *l. 17. ff. h. t.* creditoribus hypothecariis. *cit. l. 17.* vaſallis, emphyteuticariis, ſuperficiariis, non tamen datur habentibus tantùm intereſſe ob jus ad rem, *cit. l. 11. §. 9.* neque datur uxori à marito vulneratæ, aut nimiâ ſævitiâ ab eo malè tractatæ, cum ratione liberi hominis non detur, niſi ratione expenſarum, curationis, quas maritus facere tenetur. *l. 13. C. de negot. geſtor.* & operarum, quæ marito debentur. Lauterb. *ad Leg. Aquil. §. 21.* ſed neque reſtituere tenetur quicquam ratione deformitatis relictæ in corpore, quia liberum corpus non recipit æſtimationem. *l. 3. ff. ſi quadrupes pauperiem.* Pirh. *h. t. n. 17.* quamvis pœnâ extraordinariâ carceris, relegationis, fuſtigationis puniri poſſit maritus.

Quæſt. 491. *Repreſſaliæ quid ſint, & num ſint licitæ, & contra quos concedi poſſint?*

1. Reſp. ad primum: repreſſaliæ, de quibus *c. etſi unico. h. t. in 6.* quæ pignorationes vocantur, ſunt literæ, in quibus Princeps vel reſpublica ſubditis, aut militibus ſuis injuſtum damnum paſſis dat poteſtatem invadendi terras eorum, qui damnum intulerunt, & occupandi bona incolarum, etiam innocentium in compenſationem illorum, Sylv. *v. repreſſaliæ n. 1.* Laym. *th. mor. tr. 3. c. 12. n. 13.* Pirh. *h. t. n. 21.*

2. Reſp. ad Secundum: ut licitæ ſint ejusmodi repreſſaliæ, requiritur primò: authoritas Principis concedentis illas, ut bellum indicere poſſit, cum ſint ſpecies quædam belli. Covar. *reg. peccatum. p. 2. §. 9. n. 5.* Secundò: juſta cauſa concedendi illas, talis nimirum, ob quam juſtum bellum indici poſſit, ut dum respublica, contra quam conceduntur, neglexerit vindicare, quod à ſuis ſubditis improbè factum fuit, vel reddere, quod per injurias ablatum eſt. *c. dominus. 23. q. 2.* Tertiò: recta intentio illius, cui conceduntur. Quartò: ut illatum damnum non excedant. Quintò: ut non fiant in perſonis innocentibus, qui nullam in damnificando culpam contraxerunt, bene tamen in rebus eorum, occupando & diripiendo illas, & hinc etiam per accidens

illos, si sua defendant, occidendo, ut fieri solet in bello justo, dum v. g. civitas aliqua aliter occupari non potest, quin simul innocentes occidantur aut lædantur cum nocentibus, qui damnum intulerunt. Covar. *l. c. §. hinc ni fallor.* Sextò: ut respublica vel Princeps, contra quem indictæ repressaliæ, prius admonitus compensationem facere vel imperare neglexerit, ita ferè Pirh. *l. c.* ex Sylv. *l. c.*

3. Resp. ad tertium: repressaliæ indici vel concedi non possunt contra personas ecclesiasticas ve, bona earum, utpote quæ gaudent eodem privilegiol quo ipsæ personæ, neque concessæ ad illas extendendæ, cum repressaliæ sint odiosæ, adeoque non extendendæ, sed restringendæ. Sed neque extendendæ ad Scholares juxta *Authen. habita c. ne filius pro patre*, quæ, licet loquatur de Studentibus in aliis facultatibus, maximè in jure canonico. Gl. *in cit. c. etsi unic. h. t. in 6.* de quo plura Sylv, *l. c. n. 8.*

TITULUS XXXVII.

De Pœnis.

CAPUT I.

De pœnis in genere.

Quæst. 492. *Quid & quotuplex sit pœna?*

1. Resp. ad primum: pœna propriè loquendo est noxæ vindicta. *l. aliud est ff. de V. S.* sive supplicium quo quis ob culpam punitur, quippe sine qua regulariter nemo punitur. Dico *regulariter*; nam in crimine læsæ majestatis etiam filii innocentes in detestationem paterni criminis puniuntur. *l. quisquis C. ad Leg. Jul. Majest.* item in quibusdam aliis casibus, ubi justa causa subest, ad terrorem cæterorum etiam innocentum, quod indicat *reg. jur. in 6. sine culpa*, nisi subsit causa, nemo punitur.

2. Resp. ad secundum: pœna in genere multifariè dividitur, & quidem primò in civilem & criminalem; civilis est, quæ non tam tendit ab vindictam publicam & coercitionem delictorum seu publicæ disciplinæ emendationem, quàm ad privatum commodum, seu partis læsæ satisfactionem, & hinc strictè loquendo pæna merè civilis non est pœna, quia rationem vindictæ publicæ non habet. Subdividitur in conventionalem, quæ à privata contrahentium conventione dependet, seu mutuo eorum consensu contractui adjicitur, ut is firmius observetur, solvenda ab eo, qui, quod conventum, non observat, & si uterque contravenerit contractui, à neutro præstanda, cum paria delicta quò ad pœnam privatam mutua compensatione tollantur. *l. si ambo, ff. de compens.* in eo verò, num, si contractus ex parte solùm non observatus, v. g. dum conventum, ùt nisi mille accepta restituantur statuto die, solvantur 50. & dicto die non restituantur nisi 500. sufficiat pro pœna solvi 25. in eo, inquam, non conveniunt AA. Arg. *c. suam nos. h. t.* sufficere in hoc casu solvi mediam partem conventæ pœnæ, & sic juris civilis rigorem, permittentis in eo casu exigi totam pœnam *l. stipulationum §. fin. & l. in executione. §. 6. ff. de V. O.* correctum per jus canonicum tenent cum Gl. *in cit. C. suam nos. v. persolvatis.* Innoc. Abb. *n. 6.* Beroius *in c. dilecti. de arb. n. 82.* ad quos accedere videntur Sarmiento *s. 5. select. c. 6. n. 11.* Zoes. *in cit. l. stipulationum n. 5.* Fachin. *l. 10. controver. l. 263.* contrarium tenentibus Cabedo *divers. jur. arg. l. 2. c. 18. à n. 1.* & aliis, ex ea ratione, quod jure civili inducta totius pœnæ solutio injustitiam non contineat, neque Papa verbo ullo meminerit istius correctionis juris civilis; vide de his fusiùs Wiestn. *h. t. à n. 4.* Porrò ad has pœnas conventionales reducuntur pœnæ testamentariæ, quæ à testatoris dispositione originem ducunt, jure quidem veteri prohibitæ, sed jure novo restituræ. §. *fin. Inst. de legat. l. unic. C. de his, quæ pœnæ nom.* Lauterb. *in ff. h. t. §. 2.* Item subdividitur in legalem, quæ est pœna civilis, imposita per leges pro reparatione damni illati vel propter contumaciam aut contemptum, & in judicialem, quæ à Judice ad æstimationem damni illati imponitur.

3. Pœna criminalis, quæ, ùt dictum est, tendit ad vindictam publicam, respicit interesse publicum, quámque exigit vigor disciplinæ publicæ, *l. 9. §. 1. ff. de Publican.* qualis est non tantùm relegationis, fustigationis, carceris, sed etiam quæ fisco applicatur. Carpz. *pr. crim. q. 102. n. 29. & 30.* Variè quoque subdividitur, ac primò quidem in capitalem & non capitalem; capitalis est, quâ adimitur vita hominis vel naturalis vel civilis. Capitales vitam naturalem adimentes dicuntur ultimum supplicium, pœna mortis, sanguinis, & apud Hebræos erant quatuor, nimirum ignis. *Levit. 20. v. 15.* lapidatio, *Num. 15. v. 36.* Gladius, *Deuter. 13. v. 15.* suspendium è ligno. *Deuter. 21. v. 22.* seu strangulatio, quam quidam accipiunt pro Crucifixione, utpote in omni antiquitate pœna celebertima & gravissima, servorumque propria, quâ damnatus post flagellationem crucisque exportationem, nudè extensis brachiis ad superiores ejus antennas manibus dextraque priùs, pedibus vero ad stipitem duobus clavis ferreis affigebatur, atque stillante sanguine & fame enecabatur. Lipsius *tract. de cruce l. 3. c. 2.* cui Constantinus M. in venerationem Passionis Dominicæ inter Christianos substituit furcam. Lips. *l. c. c. 14.* Gothofridus *ad l. 28. ff. h. t. Lit. G.* jurè verò civili nostro sunt gladius vel ferrum, id est, decollatio, *l. 8. §. 1. ff. h. t.* damnatio in furcam seu suspendium, *l. 28. ff. h. t.* vivi concrematio *cit. l. 28.* objectio bestiis. *l. 11. §. fin. ff. h. t.* à qua differt condemnatio ad bestias. *l. 25. §. 3. ff. h. t.* Carpz. *pr. crim. q. 128. n. 26.* submersio in aquis. *l. 9. ff. ad Leg. Pomp. de Parricid.* &c. Pœnæ capitales non adimentes vitam naturalem, sed solùm civilem sunt ademptio libertatis, nimirum damnatione ad metallum, & ad opus metalli, quæ differunt. *l. 8. §. 6. l. 17. ff. h. t.* quæ, si sit in perpetuum, simul tollitur cum libertate civitas, ita ut eâ damnati statim servi efficiantur, *cit. l. 17. §. 1.* cujus loco hodie successit damnatio ad triremes, Carpz. *l. c. q. 129. n. 8.* quibus æquiparantur exilium perpetuum, bannus

nùs imperialis. Reiffenst. *h. t. n.* 4. si verò non est perpetua, sed temporalis, est pœna civilis, *cit. L.* 28. §. 1. Pœna non capitalis, seu neque mortem naturalem, neque civilem adferens, est damnum illatum cum infamia, v. g. prohibitio alicujus actûs, aut depositio ab aliqua dignitate, *cit. L.* 28. Lauterb. *h. t.* §. 5. tales sunt relegatio, fustigatio, membri amputatio (puta auris, digitorum, manus, vel linguæ. Ord. Crim. *a.* 107. 108. 159. 198.) incarceratio, stigmatis inustio (quæ tamen in facie fieri prohibetur, per rationem indicatam in *L.* 17. *C. h. t.* & DD. ibi: etiamsi per statutum imponeretur, ùt Myns. *cent.* 2. *obs.* 46. quæ tamen etiam in singularibus casibus quandoque adhibetur) *L. capitalium ff. h. t. L.* 17. *c. h. t.* His adnumeranda damnatio in opus publicum extra opus metalli. v. g. in Salinas, *cit. L.* 28. §. 1. *L.* 8. §. 8. *ff. h. t.* item mulcta pecuniaria fisco applicanda. *L.* 2. *ff. de P. J.* confiscatio bonorum, Lauterb. *h. t.* §. 7. expositio in numellis, Besold. *Th. pr. h. v.* extensio membrorum, Wippen. Carpz. *l. c. n.* 39. *& seq.* damnatio ad triremes, intellige, non perpetua, quarum quædam sunt corporis afflictivæ, quæ ita moderandæ, ut reus inde non moriatur, juxta Ord. crim. *a.* 196. *& L.* 8. §. 3. *ff. h. t.* unde in persona debili, etsi atrocitas facti requireret severiorem, moderatio tamen adhibenda ob vitæ periculum, utì & in fœmina lactante, ne infanti alimentatio subtrahatur. Carpz. *l. c. q. in* 29. *n.* 24. in fine.

4. Resp. tertiò: dividitur ulteriùs pœna in ordinariam & extraordinariam seu arbitrariam. Ordinaria dicitur, quæ in jure expressa & determinata, sive quam lex, Princeps aut consuetudo induxit. Extraordinaria seu arbitraria, quæ nullâ lege, statuto, vel consuetudine definita, sed extra ordinem à Judice imponitur juxta arbitrium & prudentiam illius pro qualitate delicti & variis circumstantiis, utì fit, ubi lex actum quidem prohibet, sed pœnam non statuit, aut saltem non determinat, sed Judici determinandam relinquit. Item dividitur in positivam, quæ ad sui executionem externam actionem sive ipsius delinquentis vel alterius, puta, solutionem verberationis requirit, & negativam seu privativam, quæ talem actionem non requirit, consistens v. g. in beneficii vel officii, fructuum, usus, ordinum amissione, Castrop. *tr.* 3. *d.* 2. *p.* 1. *n.* 1. Pirh. h. t. *n.* 3. Ac denique in spiritualem seu ecclesiasticam, quorum alia est vindicativa, alia medicinalis, ùt sunt censuræ ad emendationem, ideóque ad certum tempus inflictæ; & in temporalem, seu non spiritualem, de quarum singulis in specie paulò infrà.

Quæst. 493. *An & quæ pœnæ ipso jure latæ seu per legem annexæ delicto ante omnem sententiam Judicis, etiam declaratoriam, sint subeundæ?*

Resp. Videndum de hoc me *lib.* 1. *quæst.* 125. fusè agentem.

Quæst. 494. *An & quis Judex minuere vel augere possit pœnam ordinariam seu à jure latam, aut etiam arbitrariam?*

1. Resp. quò ad primam partem videri de hoc me posse *lib.* 1. *q.* 18.

2. Resp. Ad secundum: arbitraria pœna cùm regulari debeat ex qualitate delicti & personarum, Guazzin. *tr. ad defens. inquisitor. Tom.* 2. *defens.* 33. *c.* 4. *n.* 7. Judex considerare debet senectutem, juventutem, ebrietatem, iram, ignorantiam, magnam virtutem excellentiam, utilitatem reipublicæ; arbitrium enim hìc accipitur non pro arbitrio libero & absoluto, sed pro arbitrio regulato à recta ratione, sive pro arbitrio boni viri, arg. *L. Societatem. ff. pro Socio*, unde licèt hodiedum omnes pœnæ sint arbitrariæ, ùt Guazzin. *l. c. c.* 16. *n.* 2. Engels *h. t. n.* 5. Vallens. §. 4. *n.* 3. posítque Judex, etiam inferior, hoc tempore pœnas legum moderari pro varietate circumstantiarum, locorum, personarum, ubi tamen non esset causa aliqua aggravandi aut minuendi pœnam, tenetur Judex pœnam legis exequi, nec esset locus arbitrio, cùm virtute arbitrii concessi Judici inferiori non possit is aliquid facere non consonum iuri seu legibus, ùt latè probat Menoch. de *arb. Jud. q.* 9. *n.* 3. *q.* 77. *n.* 4. *q.* 87. *n.* 2. juxta illud *L.* 1. §. *sed non ff. ad S. C. Turpil.* facti quidem quæstio in arbitrio Judicis est, pœnæ verò persecutio non ejus voluntati mandatur, sed legis authoritati reservatur; & *c. summopere* 11. *q.* 4. cùm leges fuerint institutæ & confirmatæ, non licebit Judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas; nihilominus sicut stante dubio aut diversâ legum intelligentiâ, Judex semper inclinare debet in partem mitiorem, juxta *reg.* 30. *jur. in* 6. *in obscuris minimum est sequendum. & L. factum ff. de reg. Jur. in pœnalibus causis benignius est interpretandum*, ita circa reos in gravioribus criminibus legitimè convictos non nimius clemens esse debet Judex, ne malefactores sensim multiplicentur, ipsíque liberati graviora perpetrent, ac proinde præ oculis habenda Judici, *L. respiciendum. ff. h. t.* data Judicibus in hæc verba: *respiciendum est judicanti, ne quid aut durius aut remissius constituat, quàm causa deposcat, nec enim aut severitatis aut clementiæ gloria affectanda est, sed propenso judicio, prout quæque expostulat, statuendum est, plane in levioribus causis proniores ad lenitatem Judices esse debent, in gravioribus pœnis severitatem legum cum aliqua temperamento benignitatis subsequi.*

Quæst. 495. *Num pœna arbitraria extendere se possit ad pœnam mortis?*

Resp. cum communiore: quamvis de jure vel consuetudine non sit imposita pœna mortis, si tamen atrocitas & qualitas delicti ob speciales circumstantias id expostulet, potest Judex, etiam non supremus, pœnam mortis imponere, cùm pœna imponenda secundum qualitatem delicti. Ita arg. *c. non asseramus.* 24. *q.* 1. tenent cum gl. *in* §. *in Summa, Inst. de Injuriis.* Zoël. *h. t. n.* 15. allegans Abb. Engels. *h. t. n.* 2. Guazzin. *l. c. defens.* 33. *c.* 16. citatis aliis. Reiffenst. *h. t. n.* 1.

Quæst. 496. *An & in quos præter fontes pœnæ cadant, extendántque se etiam ad bruta & res inanimatas?*

1. Resp. primò: Pœnis subjiciuntur solùm fontes seu homines dolosi, facinorosi, & noxii; pœnæ enim suos tenent authores, & metus ulteriùs non progreditur, quàm reperitur delictum. *L.* 22. *c. h. t. L.* 74. & *L.* 155. *ff. de reg. jur. c.* 12. 23. *eod. in* 6. Unde nec dominus pro servo puniendus. Estque generalis regula: nullum pro alterius delicto puniri debere, ùt pluribus exorat Farin. *L.* 1. *pr. crim. tit.* 3. *q.* 24. *n.* 1. Covar. 2. *Var. c.* 8. *num.* 7. Castrop. *tr.* 3. *d.* 2. *p.* 6. *n.* 1. Unde nec dominus innocens ob delictum servi punitur. *L.* 1. §. 12. *ff. de vi & vi armata*, nec uxor pro marito, *L.* 24. *C. de donat. inter vir. & uxor.* nec filius pro patre. *L.* 26. *ff. h. t. & tot. t. C. ne filius pro patre.* nec pater pro delicto filii. *c.* 2. *de delict. puer. Levit. c.* 14. *Deuter. c.* 24. Unde ob crimen læsæ majestatis filii privantur legitimâ, quæ illis obvenire debebat, quia ea

non erat filii, sed patris, item dum privatur officiis jam habitis & jure ea consequendi ob delictum patris, quia filius est aliquid patris. Unde etiam Felin. *in c. 2. de const.* affirmat valere statutum, quo uxor servitute aliáve pœnâ punitur pro culpa mariti, quia servitus illa non tam est pœna uxoris quàm mariti, siquidem in vindictam delicti à marito commissi imponitur, quod tamen, ut verum sit, mariti delictum debere esse talis conditionis, ut censeatur non sufficienter punitum pœnâ marito impositâ, sed requiri, ut ad conjunctos extendatur, ait Castrop. *l.c. n. 3.* & nunquam valere statutum, ut delictum unius in alio etiam conjuncto puniatur, ipso delinquente relicto incolumi; nihilominus tamen posse ex propria voluntate infligi pœnam ob delictum alterius, si ipse se pœnæ subjecit, cùm cesserit juri suo, & obligationem alterius in se susceperit, ait Idem cum citato à se Bonac. *d. 2. de peccat. q. 7. p. 3. circa finem.*

2. Resp. secundò: pœna quoque dum venit ex delicto defuncti, utpote quod personalissimum quid est, ad illius hæredes non transit, unde *L. 20. & 26. ff. h. t.* dicitur: quòd nemo alieni criminis successor constituatur. Adde *L. 47. ff. de reg. Jur.* nisi tamen præter delictum defuncti alia obligationis causa in hærede succedat; v. g. si cum defuncto lis sit contestata. *L. 26. & 58. ff. de O. & A.* quâ reus quasi contrahit, & se soluturum promittit, quod in sententia continetur, tunc enim pœna ab hæredibus exigitur. *L. 20. in fine. ff. de accus.* item nisi delinquens post sententiam, quæ in rem judicatam transiit, defunctus, cùm tunc hæredes ex quasi contractu seu sententiâ celebrato ad pœnam ademptionis bonorum teneri incipiant, *L. 3. §. 11. ff. de pecul.* quando autem in causa criminali hæres tenetur ex delicto defuncti, ad resumendam causam citari potest. Lauterb. *in ff. h. t. §. 16.* cum Mev. *p. 1. decis. 592.*

3. Resp. tertiò: si universitas deliquerit, consultius esse, ut metus ad omnes, pœna ad paucos perveniat, ait Lauterb. *l.c. cit. L. 1. C. ad Leg. Jul. repet.* nisi tamen sit crimen læsæ majestatis, prout limirat Gail. *de pac. pub. L. 9. n. 27.* quamvis etiam, dum tota universitas plectenda ultimo supplicio, locum esse Sortitioni, tradit Ziegl. *ad Grotium L. 2. C. 1. §. 15. juncto §. 7. ad c. 21.* uti olim apud veteres Romanos erat in usu decimatio, si cœtus militare flagitium commisisset.

4. Resp. quartò: de cætero non infliguntur iis pœnæ, qui delinquere non dicuntur, ùt sunt infantes, furiosi, dormientes, utpote usu rationis destituti, item bruta, animalia utpote ratione carentia, quamvis interdum ad abolendam memoriam nefandissimi cum iis perpetrati facinoris è medio tollantur, item cadavera reorum, quamvis nonnunquam eorum, qui se ipsos interfecerunt aut aliorum, quorum facinus priùs post mortem innotuit, cadavera è sepulchro extrahi, ad locum supplicii raptari, in furca suspendi, vel rotæ imponi, aut concremari, aut in locum ignominiosum, ut à bestiis absumantur, abjici soleant. *1. reg. J. v. 44. 2. reg. 21. v. 23.* Carpz. *l.c. q. 131. à n. 48.* Quin & ad res inanimatas quandoque suo modo pœnæ extenduntur, ùt dum ad scelus magis detestandum, alisque terrorem incutiendum domus facinorosi evertitur, ejúsque loco infamis cippus erigitur.

Quæst. 497. ubinam, & quo tempore executio pœnarum facienda?

1. Resp. ad primum: regulariter facienda in loco publico, ut deterreantur alii ab iisdem facinoribus. *L. 8. ff. h. t. §. penult.* nisi tamen Princeps ex singulari ratione aliter disponat. Lauterb. *h. t. §. 21.* Theod. *Aphor. n. 72. & 80.* item in loco consueto, & interdum prope locum, ubi crimen perpetratum. *cit. l. 28.*

2. Resp. ad secundum: pœnæ afflictivæ corporis executio statim facienda post sententiam. Lauterb. *h. t. §. 24.* pœnæ verò ultimi supplicii non nimis differendæ. *L. 5. c. de custod. reor. L. 18. h. t.* idque tum, ne nimiâ dilatione illius præbeatur reo occasio fugæ, vel aliis malignis artibus eludendi & evitandi sententiam, *cit. L. 18.* tum ne rei confessi vel convicti & damnati diutiùs squalore carceris excrucientur. *cit. L. 5. & L. 8. §. 9. ff. h. t.* cùm ut plus pœnæ dicatur mora mortis quàm ipsa mors, & Senec. *de benef. L. 2. c. 5.* scribat: *acerbissima est crudelitas pœnas differre.* Sed neque executio ultimi supplicii nimiùm properanda, sed saltem ad triduum differenda, ut reus condemnatus suæ conscientiæ & animæ rectiùs consulere, & Deo reconciliari possit. Lauterb. *h. t. §. 20.* cum Theod. *l.c. n. 76.* sunt tamen casus varii, in quibus sententiæ executio differenda. v. g. primò, si ulterior gravioris cujusdam criminis accusatio superveniat. arg. *L. 11. §. 3. ff. ad Leg. Aquil. L. unic. §. fin. ff. nihil. nov. app.* Secundò; si condemnato uno in alios adhuc criminis socios indagandum, ut confrontari possint. *L. 29. ff. h. t.* Carpz. *l.c. q. 137. n. 10.* Lauterb. *h. t. §. 23.* Tertiò: si ex reorum potentia tumultus timendus id desideret, Carpz. *l.c. n. 12.* quartò: si testes, qui in causa deposuerunt, criminis falsi arguantur. *L. 9. §. ad leg. Cornel. de Sicar.* quintò; si condemnatus aliorum administrator fuerit, & rationes necdum reddiderit, aliquot dierum spatium ei concedendum. *L. 1. C. de bonis proscr.* Sextò: si Princeps severiorem pœnam pro causæ intuitu dictaverit, Judex inferior non statim eam executioni dare debet, sed 30. diebus exspectare tenetur. *L. 20. c. h. t.* explorando, num modica dilatio iram Principis mollire, & temperare valeat, ùt Menoch. *de arb. cas. 334. n. 6.* Septimò: si mulieres prægnantes damnatæ sint, pœna differenda, donec pariant, *L. 3. ff. h. t.* ne calamitas matris noceat ei, qui in utero est. *L. 18. ff. de statu homin.* & in Saxonia insuper exspectandum sex septimanis, teste Carpz. *l.c. n. 29.* Brunem. *ad L. 3. ff. h. t.* Octavò: differenda executio ultimi supplicii non est ob adversam rei valetudinem, ne sententia mortuo reo irrita reddatur. Carpz. *l.c. n. 2. & sequent.* Lauterb. *cit. §. 24. in fine*, etsi aliud sit cum eo, si afficiendus pœnâ corporali citra ultimum supplicium, hæc enim differenda est, donec vires recuperet, ut eam sine periculo vitæ sustinere queat, arg. *L. 7. ff. de quæst. L. 3. ff. de S. C. Syllan.* Nonò si reus ad mortem condemnatus pœnitere & peccata confiteri nolit, executio differenda ad aliquod tempus, & interea quovis studio & mediis cum eo agendum, ut ad Deum & pœnitentiam convertatur; si verò omnibus spretis citra spem conversionis obsurdescat, & obstinatè in defensione criminis & improbitate sua persistat, ex communi sententia & praxi procedendum ad executionem, committendo illum justo Dei judicio. *c. 5. caus. 24. q. 2.* ne ex suo delicto & contumacia fructum sentiat, pœnam condignam eviter, & aliis suo exemplo sit scandalo. Carpz. *l.c. n. 47.* Clasen. *ad Ord. Crim. 79. p. m. 281. in fine.* Lauterb. *l.c. §. 25.* De cætero, quod spectat ad tempus executionis, ea faciendo die non feriato. juxta *L. fin. C. de feriis.* Lauterb. §. 22.

Quæst.

Quæst. 498. *Qualiter pœnæ morte rei, præscriptione & aggratiatione Principis tollantur vel mitigentur?*

1. Resp. ad primum: Regulariter tolluntur morte rei; quia morte ejus extinguuntur delicta. *l.6. ff. de publ. judic. L.3. §. fin. & l.9. ff. de accus. L.10 ff. ad S. C. Turp. l.20. ff. h. t.* nihilominus tamen pœnæ quandoque non solùm ab hæredibus exiguntur, bonáque defuncti fisco vindicantur, sed etiam ob nimiam atrocitatem criminis, v.g. perduellionis, latrocinii, veneficii, sui ipsius interemptionis in cadavera animadverti solet, juxta dicta paulò suprà.

2. Resp. ad secundum: Crimina quò ad tollendas pœnas tolluntur regulariter præscriptione 20. annorum, jux. *L. 12. C. ad Leg. Cornel. de falsis*; est tamen hæc præscriptio pœnarum imponendarum non verò impositarum, ita ut damnatus nequidem præscriptione 50. annorum se tueri possit. Lauterb. *h. t.* §. 28. præscriptionem quoque pœnarum imponendarum impediri reorum fugâ & absentiâ, apud eundem tradit Carpz. *l. c. q.* 141. *n.* 55. & 56. uti & *n.* 84. quod reus confitens sponte crimen jure naturali prohibitum, etiam præscriptione impletâ, si de corpore delicti constet, in aliquam pœnam mitiorem damnari possit. Item ubi jus divinum ex causa universali certam pœnam determinavit, ita ut nec Princeps facultatem aggratiandi habeat, ibi ponere præscriptioni terminum non est integrum, v.g. in crimine Assassinii, Sodomiæ &c. Lauterb. *cit.* §. 28. *in fin.* citans Dn. Granz. *defens. inquisit. c. 8. m. 1. num. 15.* vide de his plura *ad tit. de præscript.*

3. Resp. ad tertium: Facienda aggratiatio (aliàs etiam dicta indulgentia, *tot. t. C. de sent. pass. & rest.* remissio pœnæ & impunitas facinoris perpetrati, *l. 5. ff. h. t.*) est, quâ reis convictis & confessis pœna criminalis promerita ex gratia remittitur; de jure civili competit soli Imperatori & Principibus, penes quos summa in republica potestas. *l. 4. l. 9. §. 11. l. 27. pr. ff. h. t.* Hodiéque in Imperio omnibus, qui superioritate territoriali gaudent; cùm enim hæc gratia non nisi per privilegium fieri queat ejus solius, qui jus (intellige supremum) in territorio obtinet. *l. 1. C. de ll. recess. Imp. de Anno* 1526. § 6. & 8. Limn. *de J. P. Tom. 1. l. 4. c. 8. n.* 268. Carpz. *l. c. q.* 150. *n.* 14. Aggratiandi jure & potestate gaudentes, eam indistinctè exercere non possunt, sed summopere solliciti esse debent, ne omnibus promiscuè & sæpius in hujusmodi gratia concedenda sine sufficiente ratione sint proclives, sicque ex gratia fiat injustitia; cùm etiam summi Principes legibus divinis & naturæ, omnibus à Deo ex æquo præscriptis constringantur. Unde in delictis, quorum turpitudo specialiter contra naturam est, & quibus proinde ex causa perpetua & universali à Deo supremo legislatore mortis supplicium determinatum est, v. g. *Genes. 9. v. 5. Exod. 21. v. 12. Levit. 20. v. 15. Num. 35. v. 31. 1. Reg. 20. v. 24.* Supremos Principes potestate aggratiandi destitutos, passim tradunt A. A. atque ita jus aggratiandi exercetur circa pœnas jure humano statutas. Sed & cum magna circumspectione, nec non sine legitima causa, qualis esse potest numerus liberorum, *l. 7. §. 3. ff. de bon. damnat.* delinquentium multitudo, confessio spontanea, *l. 5. §. 1. ad Leg. Jul. majest.* revelatio sociorum & conjurationis &c. qui obtentâ gratiâ de novo delinquit, in ipsum etiam ratione præteritorum animadverti posse, & quandoque etiam hanc clausulam adjungi solere, ut tunc concessâ gratiâ privatus esse debeat, tradit Stryck. *de abolit. princ. c. 5. à n.* 140. uti etiam gratiam concessam perimit subreptio ob falsitatem precum & suppressionem quarundam qualitatum. Lauterb. §. 31. cum Theod. *c. 10. Aphoris. 7. num.* 28. De cætero effectus aggratiationis est, quòd reus liberetur pœnâ publicâ; cùm enim gratia sic strictè intelligatur, aggratiatio non extendit se ad restitutionem bonorum confiscatorum pristinorumque jurium, neque infamiam criminis tollit, *l. 3. C. de gen. abolit. l. 2. 6. & 7. C. de Sent. pass.* nisi Princeps expressè velit reum plenariè absolvi, in integrum restituendo. *L. 1. & L. 3. C. de Sent. pass. l. 10. C. de gen. abolit.* Neque extendenda aggratiatio ad interesse partis, cui eâ non obstante satisfaciendum, uti nec ad non resarcienda damna ex crimine illata alteri, *l. 25. ff. l. 9. C. ad Leg. Cornel. de Sicar.*

4. Resp. ad quartum: Mitigatio pœnæ, quæ in hoc differt ab aggratiatione, quòd per eam ex parte tantùm remittatur pœna, fit quoque à Principe ob causas, V. G. ob merita, dignitatem, antecedentem vitæ integritatem &c. vel à lege ob eruditionem & artificium insigne *l. 31. ff. h. t.* ob ætatem tenellam, *l. 16. §. 3. ff. h. t. l. 108. ff. de reg. jur.* vel ingravescentem ætatem, *l. 38. §. 4. & 7. ff. ad Leg. Jul. de adult. l. 3. §. 7. ff. ad S. C. Syllan.* ob sexum, Hahn *ad Wesenb. h. t. n.* 10. ob diuturnam incarcerationem. Vel à Judice, si justitia remissionem urgeat; Judicis enim aliàs non est clementiam contra legem exercere inconsulto Principe, quare probè discernendi sunt casus justitiæ & clementiæ, quos magno numero collectos vide apud Tiraq. *de pœn. temper.* Farin. *de pœn. remitt.* Carpz. *pr. crim. q.* 143. *usque ad q.* 150. causam verò mitigationis Judex in sententia adscribere debet, *l. 6. ff. de appel. recip. l. 38. §. 6. ff. ad Leg. Jul. de adult.* Carpz. *q.* 142. *n.* 55. Saltem in genere dicendo: justis de causis nos moventibus; cùm præsumptio sit pro Judice. Gail. *de pac. pub. l. 2. c. 9. n.* 26.

CAPUT II.
De pœnis Ecclesiæ in specie.

Quæst. 499. *Pœnæ pecuniariæ an & quibus & à quibus Judicibus ecclesiasticis imponi possint?*

Resp. Possunt hæ pœnæ infligi non tantùm Clericis, sed etiam laicis, si crimen est fori ecclesiastici aut mixti ab Episcoporum Vicariis Generalibus, similibusque Judicibus ecclesiasticis, Abb. *in c. licet. h. t. n.* 8. Barb. *ibid. n.* 2. Fagn. *n.* 97. Clar. *§. fin. q.* 8. *num.* 5. Covar. *l. 2. var. c. 9. num.* 8. Farin. *pr. crim. q.* 19. *n.* 51. Oliva. *p. 2. fori eccles. q. 9. n.* 1. juxta *c. statutum. 16. q. 1. c. si vos. 23. q. 5. c. dilectus. de Off. Ordin. c. postulasti de Judæis. c. in Archiepiscopatu. de raptor.* & juxta ubique receptam, quicunque enim de crimine cognoscere potest, potest etiam pœnam tali crimini à jure statutam infligere. Pirh. *h. t. n.* 7. cum communi; possunt autem dicti Judices ecclesiastici de criminibus fori mixti etiam laicorum sibi in temporalibus non subjectorum cognoscere æquè

ac de causis merè spiritualibus, ùt constat, adeòque & pœnas etiam pecuniarias, si hæ à jure iis criminibus statutæ, infligere, quin & eas, ubi jure non impositæ, sed earum definitio arbitrio Judicis relicta (saltem post Trident. *Sess. 25. c. 3. de reformat.*) Fagn. *in c. licet. h. t. n.* 11. 12. & 21. Oliva *l. c. n.* 2. Pirh. *h. t. n.* 7. *in fine.* Wiestn. *h. t. n.* 22. Quòd si verò jus statuat solam pœnam Spiritualem vel corporalem pro crimine aliquo, Judicem non posse illam in aliam commutare, nisi qui potest in illo crimine dispensare, asserit Pirh. *l. c.* quamvis Abb. *in cit. c. licet.* & Fagn. *ibid. n.* 13. dicant, quemlibet Judicem potentem de causa cognoscere posse pœnam à jure statutam in pecuniariam commutare, modò id faciat in sententiæ prolatione & cognitâ causâ.

Quæst. 500. *Pœnæ pecuniariæ, quibus ab Episcopo aliisque Judicibus ecclesiasticis applicandæ?*

Resp. Quamvis quondam passim recepta fuerit doctrina & facta distinctio à Covar. *l. c. n.* 9. quâ permittit pœnas pecuniarias à lege, statuto, vel consuetudine definitas à dictis Judicibus propriis usibus applicari, nisi eæ alteri, præsertim certæ causæ piæ vi ejusdem statuti aut ex recepto usu applicandæ, aut ùt addit Oliva *n.* 13. & 17. eæ in resarcitionem injuriæ vel damni illati sint impendendæ, eas verò pœnas arbitrio Judicis statutas non ipsi, sed piis tantùm usibus applicandas censet ex ea ratione, ne ex hoc suspicionem avaritiæ incurrat, quam authoritas legis removet, & arbitrium proprium Judicis ingerit. Huic tamen distinctioni locus amplius non est, dum ad tollendam istiusmodi avaritiæ suspicionem Trid. *l. c.* mulctas pecuniarias indistinctè, sive vi legis seu statuti, sive à Judice sint impositæ crimini, voluit applicari, non Episcopo seu cameræ episcopali, sed locis aut causis piis ibi existentibus, ùt cum Quarant. *in summa Bullarii v. pœna.* adductis Cardinalium S. Concilii interpretum declarationibus, tradunt Barb. *de off. & potest. episc. alleg.* 107. *n.* 19. Diana *p.* 10. *tr.* 8. *resolut.* 2. §. *ad hæc omnia.* Testans hoc decretum Concilii à majore & meliore parte Episcoporum observari; quo tamen non obstante, casu quo Episcopus pauper sit, posse istiusmodi pœnas statuto diœcesano, exceptis iis, quæ clericis concubinariis, aut non residentibus imponuntur, statutas ejus usibus applicari tradit & declarat S. Concilii decretum, & stabiliunt Barb. *in cit. c. 3. Trid.* Oliva. *l. c. n.* 16. quod proinde in Episcopis Hispaniæ & Lusitaniæ (quibus addi possunt plerique Germaniæ Episcopi) utpote abundantibus redditibus, non procedere notant cit. A. A.

Quæst. 501. *An pœna confiscationis bonorum locum habeat in clericis, & quibus bona confiscata cedant?*

1. Resp. ad primum: Affirmativè *c. vergetis. de hæretic. c. cum secundum. ibid. in* 6. *c. super. de V. S.* idque, sive clericis infligatur per sententiam, sive criminis, cui à jure inflicta, rei declarentur.

2. Resp. ad secundum: Si beneficium habeant, applicantur ecclesiæ, à qua stipendium receperunt *c. excommunicamus.* §. *damnati. de hæret.* si nulli ecclesiæ deserviverunt, bona illa cedunt fisco ecclesiæ seu Episcopi in pios usus distribuenda. Farin. *pr. crim. q.* 190. *a.* 154. bona verò patrimonialia, imò & accepta ex beneficiis, ubi clerici liberè disponere possunt de iis ad instar patrimonialium, ea cedere fisco sæculari præter alios notant Sanch. *l.* 2. *moral. c.* 20. *n.* 25. Oliva *fori eccles. p.* 2. *q.* 8. *n.* 21. apud Wiestn. *h. t. n.* 33.

Quæst. 502. *Num torturæ subjici & pœnis corporalibus à Judicibus ecclesiasticis affici possint clerici?*

1. Resp. ad primum: Tametsi negent hoc ipsum aliqui cum Gl. *in l. milites. C. de quæstion. v. pœnis.* & Everhard. *legal. arg. loc.* 56. *n.* 4. exemplo adscriptorum prophanæ militiæ, qui quæstionibus non subjiciebantur, & hoc ipsum esse conforme juri imperiali, Arg. *cit. L.* & veteri Ecclesiæ disciplinæ ex Concil. Matisconensi 1. *can.* 19. & Altisiodorensi. *can.* 33. & Innoc. *I. Epist.* 13. satis constat, ùt inquit Wiestn. *h. t. n.* 26. modernâ tamen curiarum ecclesiasticarum praxi clericos, etiam in sacris constitutos, & Sacerdores à tortura non eximi, sed de enormibus criminibus suspectos & diffamatos quæstionibus seu torturæ subjici posse, citatis aliis tradunt Farin. *pr. crim. q.* 4. *n.* 7. Guazzin. *de defens. reorum* 33. *c.* 10. *n.* 3. qui tamen monet, ob præsumptionem integritatis & innocentiæ fundatam in S. ordinis & statûs dignitate ad torturam clericorum maximè Sacerdotum indicia urgentiora delicti requiri, quàm ex quibus laici torqueri solent, & mitiùs torquendos quàm illos, ùt Clarus §. *fin. q.* 64. *n.* 24. quin & ultra indicia ad horum torturam sufficientia etiam aliquam delicti & personæ infamiam requirit Farin. *l. c. num.* 9. Porrò quamvis jure antiquo Clerici per ministros laicos torqueri non poterant, per consuetudinem tamen hodiedum eorum torturam ministris laicis ab Episcopo demandari posse, notant Farin. *n.* 14. Guazzin. *n.* 4. fortè ùt Wiestn. *h. t. n.* 26. *in fine.* sicut eorum captura, incarceratio ministris laicis committi potest. Unde etiam

2. Resp. ad secundum: Videri potest, infligi illis posse à ministris laicis de mandato Episcopi verberationem seu flagellationem, juxta *c.* 1. *de calumniat.* saltem moderatam, ne in sanguinis vindictam transire videatur, quod tamen etsi de jure fieri possit, à curiis tamen episcopalibus Hispaniæ, Franciæ, Lusitaniæ recessisse testantur Clar. § *fin. q.* 70. *n.* 2. Oliv. *for. eccles. q.* 10. *n.* 8. apud Wiestn. *h. t. n.* 25. dicentem se quoque in Germania illam pœnam inflictam Clericis non meminisse audisse.

Quæst. 503. *Pœna carceris, detrusionis in monasterium qualiter irrogari possit clericis?*

1. Resp. ad primum: Incarceratio custodiæ causâ decerni potest clerico de fuga suspecto, *c. si clericos. de sent. excomm. in* 6. Streinius *sum. jur. can. p.* 3. *t.* 16. §. 2. *du.* 14. *n.* 2. præmissâ tamen priùs informatione de infamia & indiciis criminis, eò quòd incarceratio etiam sola infamiam & non facilè reparabile præjudicium afferre soleat. Felin. *in c. cum super.* de sent. & re judic. Jason. *in L. si se.* §. 6. *ff. de re judic.* Præsecius *pr. episcop. p.* 2. *c.* 4. *a.* 14. *n.* 2. quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. n.* 30. debétque carcer solius custodiæ causâ decretus, esse honestus & non corporis afflictivus, ùt cit. A. A. solérque protrahi, quousque durat judicium, ùt Streinius *l. c.* carcer verò causâ pœnæ perpetuus, etsi hominibus liberis decerni non poterat, sed solis servis, *L. servus. junctâ L. incredibile. c. h. t.* jure tamen & usu tribunalium ecclesiasticorum carcer tam temporaneus quàm perpetuus in pœnam criminum capitalium (non quorumcunque, sed jure

expres-

expressorum, *c. excommunicamus. de hæretic. c. quamvis. & c. Felicis. h. t. in 6.* & propter quæ in foro sæculari pœna mortis (& quidem non simplicis, sed atrocioris v. g. ignis, rotæ, damnationis ad bestias, lacerationis membrorum, ùt Oliva *loc. cit. q.* 10. *n.* 11. cum Innoc. & Abb. *in c. tuæ infligitur*) clericis reis decerni consuevit. Strein. *cit. du.* 14. *n.* 4. Diaz. *pr. crim. c.* 137. quæ etiam pœna carceris ob atrocitatem criminis valde enormem ita de jure exasperari potest, ut juxta *c. novimus de V. S.* non nisi pane doloris & aqua angustiæ sustentari debeant, quamvis cavendum, ne alimenta aliaque vitæ necessaria incarcerato tali subtrahantur, ita ut si eorum defectus esset causa mortis, ab Episcopo tam severè procedente irregularitas contraheretur. Cardin. *in Clem.* 1. *de pœnit. & remiss. q.* 7. Abb. *in c. à nobis. de apostat. num.* 1. Tholos. *Syntag. L.* 31. *c.* 33. *n.* 5. Prasct. *l. c.* Wiestn. *n.* 31. Ad pœnam carceris spectat ergastulum, quod est locus, in quo mancipia deteriora in vinculis opus facere cogebantur. Schard. *in lexico jurid. Lit. E.* & in quem personæ Deo dicatæ præsertim moniales turpiter & impudicè viventes detrudebantur. §. *Salomon. post. can. cùm beatus. dist.* 45. & *can. impudicas.* 27. *q.* 1. Tholos. *partit. can. l.* 4. *tit.* 25. *n.* 8.

2. Resp. ad secundum: Detrusio clericorum gravium delictorum reorum priùs depositorum, uti & quandoque laicorum, imò & fœminarum, præsertim in adulterium vel stuprum lapsarum in arctum monasterium olim erat in usu. *c. si qua monacharum.* 27. *q.* 1. *c. pervenit. de adulter. c. inter. de purgat. can. c. tuæ h. t.* non ut editis votis paupertatis, castitatis & obedientiæ religionem profiterentur, sed ut in eo recluſi, & ab omni mundana Societate & delinquendi occasione remoti sub disciplinæ monasticæ & pœnitentiæ oneribus vel perpetuò. *can. si Episcopus. dist.* 50. *can. si quis clericus. dist.* 81. *can. omnis. de pœnit. & remiss.* vel ad quinquennium vel septennium. *c. sicut* §. *fin. de homicid.* aliudve majus minúsve tempus lugendo peccata præterita, cogitandoque & agendo, quæ ad salutem pertinent, vitam traherent, Farin. *pr. crim. q.* 119. *n.* 54. Gonz. *in c.* 1. *de regul. n.* 10. paulatim tamen hæc pœna monasteriis nolentibus istiusmodi facinorosos ad agendam pœnitentiam intra sua claustra recipere, & quod eorum plurima, totique religiosi Ordines ad illos recipiendos per privilegia apostolica exempti, ad eos recipiendos compelli non possent ab Ordinariis, hæc pœna ut plurimum abiit in desuetudinem, substituta ei transmissio ad triremes, potissimum in Italia, vel ad carceres perpetuos, testibus Diaz. *pr. crim. can. c.* 55. Fagn. *in c. cùm non ab Domino. n.* 104. Farin. *l. c. num.* 55.

Quæst. 504. *Qualiter pœna relegationis & exilii irrogari possit clericis?*

RESp. Exilium seu relegationem extra diœcesin Episcopus, extra provinciam seu Archidiœcesin Archiepiscopus clericis in pœnam decernere potest. *can. beatus. d.* 45. *can. quicunque.* §. *plerique* 26. *q.* 5. Pracet. *pr. episc. p.* 2. *c.* 4. *a. & num.* 14. Wiestn. *h. t. n.* 27. Prælatum quoque regularem subditos sibi religiosos, dum id delinquentium correctio, aliorum exemplum, aut monasterii tranquillitas exigere videtur, exilio plectere posse, tradit Rodriq. *Tom.* 2. *qq. regul. q.* 24. *a.* 1. eò quòd in hos idem ferè possit, quod Episcopus in suos clericos diœcesanos, & quòd, si religionis alicujus constitutionibus vel moribus receptum sit, ut possit Prælatus religiosus suo, & Episcopus Clericis expulsis insuper civitatis & patriæ jura adimere, & perfectum exilium decernere, implorandum ei esse brachium sæculare, *c. si quis. de clerico excom.* juncta Gl. *v. Regis judicio* & Trid. *Sess.* 24. *c.* 8. *de reform.* eò quòd istiusmodi exilii perfecti pœna non sit penes Ecclesiam, ùt Decius *in c. cùm non ab homine. de judic. n.* 13. & Barb. *in cit. c. si quis. num.* 4. astruit Wiestn. *cit. num.* 27.

Quæst. 505. *Infamia quid, & quotuplex, & qualiter etiam à clericis contrahatur?*

1. RESp. ad primum: Infamia est bonæ famæ privatio seu diminutio ob publicam sinistramque de persona ex vitio illius apud viros probos & honestos ortam opinionem. Tholos. *Syntag. l.* 31. *c.* 29. *n.* 5. Suar. *d.* 48. *de censur. s.* 1. *n.* 1. juxta *c. l. cognitionem.* §. 1. *ff. de extraord. cognit.*

2. Resp. ad secundum: Infamia duplex communiter assignatur, nempe infamia facti, quæ ex sola inhonesti operis manifesta turpitudine apud viros probos & honestos boni nominis æstimationem diminuente nascitur, licet nulla lex aut Judicis sententia propterea aliquem infamem declaret, *L. neque famosis. C. de dignitat.* junctâ *L. verum. ff. de furtis.* Et infamia juris, quæ publica legis vel canonis authoritate delicto annexa, eo commisso citra omnem Judicis sententiam contrahitur, vel primùm per sententiam Judicis juxta legis declarationem infligitur, qualiter infames jure canonico censentur, quotquot jure civili habentur infames, ùt expressè dicitur, *c. omnes.* 6. *q.* 1. Barb. *ibid. n.* 1. nisi tamen SS. Canones infamiam jure civili inductam speciatim sustulerint, ùt constat ex *c. ult. de secundis nuptiis*, ubi infamia jure civili *l.* 1. *C. de secund. nupt.* decreta mulieri intra annum luctûs nubenti fuit sublata. Felin. *in c. testimonium de test. & attest. n.* 15. Garc. *de benef. l.* 7. *c.* 8. *n.* 11. Jure autem civili expressè habentur infames exercentes lenocinia maris aut fœminæ quæstuariâ prostitutione. *L. athletas* §. 2. *ff. de his, qui not. infam. & L. palam.* §. 6. *ff. de ritu nuptial.* Bina sponsalia binásve nuptias eodem tempore propriâ authoritate constitutas habentes. *L. quid ergo. ff. de his, qui not. infam.* Operam suam ad depugnandum cum bestiis locantes. *l.* 1. §. 6. *ff. de postulat.* Quæstûs causâ cum alio homine ad privatum certamen descendentes, *l. quod ait.* §. *fin. ff. de his, qui not. infam.* ex quæstu histriones aut turpes ludos agentes. *L. ead.* § *fin.* Contractum juramento firmatum non servantes. *L. si quis major. C. de transact.* Hæretici. *auth. Gazaros c. de hæret.* Usurarii manifesti, & usurarum usuras exigentes. *L. improbum. C. ex quib. caus. infam. irroget.* Jure insuper Canon. infames habentur S. R. E. Cardinales hostiliter insequentes *c. felicis. in* 6. plurésque alii, de quibus *can. infames.* 6. *q.* 1. item fœminam matrimonii causâ rapientes. Trid. *Sess.* 24. *de matr. reform.* in duellum descendentes, eorúmque patrini. Trid. *Sess.* 25. *c.* 19. *de reform.* His adde Sodomiam ex consuetudine exercentes. Teste Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *c.* 4. *n.* 1. Porro licet hujusmodi delictis etiam occultis statui infamiam teneant, Sylv. *v. irregularitas. q.* 14. & Suar. *de cens. d.* 48. *s.* 1. *n.* 1. eò quòd infamia non eorum manifestationi, sed perpetrationi jure imposita sit, ut tamen delinquentes istiusmodi actu infamiam incurrant, requiri delictorum illorum manifestationem seu publicationem, probabiliùs docent Abb. *in c. ex tenore de temp. ordin. num.* 4. Nav. *man. c.* 27. *n.* 248. Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *n.* 2.

Sanch.

Sanch. *l. 2. moral. c. 26. n. 1.* apud Wiestn. *h. t. n. 55.* iis consentientem; siquidem diminutio bonæ existimationis apud viros honestos ex delicto, quale quid est infamia, actu esse aut sequi nequit, quamdiu crimen occultum est. His tamen non obstante, quod, quamprimum ex post evulgatur crimen, infamia completa consurgat, habeátque omnes effectus suos citra omnem aliam declarationem etiam criminis, unde etiam, si delinquens prævidens evulgationem teneri illum abstinere ab omnibus actibus alias infami interdictis admittunt Laym. *l. c. n. 9.* Castrop. *tr. 29. d. 6. p. 20. n. 3.* Wiestn. *l. c.*

Quæst. 506. Quinam sint infames infamiâ juris ex delicto alieno?

Resp. Tales sunt filii ac nepotes parentum injicientium in S. R. E. Cardinalem violentas manus *c. felicis v. quod si quis in 6.* perduellium & proditorum committentium crimen læsæ majestatis, *l. quisquis. C. ad Leg. Jul. majest.* illegitimè procreati, respectu tamen aliquorum effectuum tantum, cum etsi jure ecclesiastico repellantur ab ordinibus & beneficiis, non tamen à ferendo testimonio in judicio, munere tabellionatus, aliisque. Mol. *l. c. d. 7. n. 5.* Laym. *l. c. c. 4. n. 1.* annumerans infamibus carnificum & quorundam aliorum filios in Germania, ubi non tantum à dignitatibus & officiis, sed & ab officiis & mechanicis muneribus arcentur.

Quæst. 507. Quinam sint infames sententiâ Judicis?

Resp. infames evadunt sententiâ Judicis, quicunque accusati & ab eo condemnati crimine publico, id est, tali, cujus accusatio cuilibet de populo est permissa. §. 1. *Inst. de publ. Judic.* qualia sunt crimina proditionis, falsi, adulterii. *l. infamem ff. publ. jud.* item rapinæ, furti, expilatæ hæreditatis, etsi enim ea delicta sint privata, secutâ tamen Judicis damnatione, infamiam irrogant. *l. infamem. l. decuriones l. furti. l. si expillasf. C. ex quib. caus. infam. irrog.* uti &, qui, ne de iis accusaretur, pretio dato pactus est. *cit. l. athletas. §. fin.* item qui doli mali suo nomine vel calumniæ prævarications-ve in publico Judicio commissæ damnati per sententiam Judicis, modò ea transierit in rem judicatam, & non sit aut suspensa per appellationem aut invalida. *l. 1. & 7. ff. de his, qui infam. not.* Sylv. *v. infamia n. 12.* Mol. *tr. 4. de J. & J. d. 9. n. 4.* Suar. *cit. S. 1. n. 6.* Perez *in eod. tit. ex quib. caus. n. 9.* qui etiam *n. 12.* monet, quod quis de aliquo horum damnatus à Judice evadat infamis, licet in sententia non fiat expressa mentio infamiæ, modo in ea crimen sit expressum. His annumerari possent, qui ignominiæ causâ exturbantur militiâ, ordine militari moventur, honoribus interdicuntur. *l. 1. l. quod ait. l. etsi. c. ex quib. caus. infam. irrog.* item deportati & ad tempus in opus publicum damnati. *l. ad tempus. fustibus cæsi,* ex justa tamen causa. *l. ictus. ff. de his, qui not. infam.* ita Wiestn. *l. c. 57.* cum Perez *l. c. n. 10.*

Quæst. 508. Quinam sint effectus infamiæ?

Resp. sunt potissimùm sequentes, primò: quòd fiant irregulares, ita ut neque Ordines suscipere, neque in susceptis ministrare possint, eò quod in sortem domini vocari, & in ministerium sacrum deputari debeant non nisi homines immaculatæ vitæ & existimationis integræ, Nav. *in man. c. 27. n. 104.* Suar. *l. c. s. 2. n. 1.* Laym. *l. c. c. 4. n. 8.* juxta *can. fin. d. 51. can. infames. 6. q. 1.* Secundò: quod infames, tam infamiâ facti, quàm juris arceantur à dignitatibus & honoribus, præsertim ecclesiasticis, cæterisque beneficiis. juxta *l. neque famosi. C. de dignitat. &c. 85. reg. jur. in 6.* ubi: *infamibus non pateant portæ dignitatum:* & propter eandem rationem, quæ habetur *c. inter dilectos. de excess. Prælat.* ita etiam, ut horum infamium electionem factámque illis collationem ipso jure nullam dicant, Abb. *in cit. c. inter dilectos. n. 8.* Nav. *cit. c. 27. n. 207.* Mol. *l. c. d. 11. n. 3.* ipsúmque quoque pro usu externo receptum, licet asserant DD. alii, pro foro tamen interno seu conscientiæ quamcunque provisionem beneficialem iis factam subsistere volunt. Garc. *de benef. c. 8. n. 47.* & Castrop. *tr. 29. d. 6. p. 20. n. 11.* apud Wiestn. *h. t. n. 59.* eò quòd nullitas actûs expresso juris textu non expressa (utì nullibi in jure expressa est nullitas provisionis beneficialis talibus factæ pro foro interno) asserenda non sit. Tertiò: quòd eadem infamia removeat ab actibus legitimis, publicis muneribus, ùt sunt officia Judicis, Assessoris, Advocati, Tabellionis, Accusatoris, imò & testis. *c. testimonium. de testib. l. testium ff. eod.* Quartò: quòd repellantur ab hæreditate testamento relicta, non solùm, si parentes, sed etiam si fratres & sorores de inofficioso testamento agant. *l. fratres. C. de inoffic. testam.* Perez. *ibid. n. 16.* & Brunnem. *n. 1.* Reiffenst. *h. t. n. 61.* Quintò: quòd, si deliquerint, severiori, quàm alii, pœnâ coerceantur, *l. cit.* & AA. cit. Wiestn. *h. t. n. 60.*

Quæst. 509. Infamia quamdiu duret, & qualiter aboleatur?

1. Resp. primò in genere: infamia ob crimen notorium ipso jure vel per sententiam judicis irrogata perpetuò durat. *l. ad tempus. C. ex quib. caus. infam. irrog.* nisi à Principe, cujus authoritate imposita, aboleatur. §. *hinc. post can. Euphemium. 2. q. 3.*

2. Resp. secundò in genere: infamiam undecunque ortam à Clerico aboleri posse authoritate apostolicâ, indubitatum est, cum is huic supremæ jurisdictioni in omnibus subjectus sit, idem est de laicis jurisdictioni Papæ temporali subditis, imo & de aliis infamibus, quo ad effectus ipsis jure canonico interdictos, & sic absolutè loquendo Ordinum & beneficiorum ecclesiasticos capaces reddere potest quoscunque; quod ipsum tamen facere non solet Papa, antequam ad Ordines & beneficia promovendus in pristinum bonæ existimationis statum restitutus sit à Principe aliove supremo magistratu seculari, dum ab eo irrogata infamia, ut Wiestn. *n. 63.* cum Mol. *l. c. d. 12. n. 3.* & Castrop. *cit. p. 20. n. 11.* à se citatis, quâ authoritate apostolicâ si jure civili (à sacris canonibus juxta *c. omnes. 6. q. 1.* & dicta à nobis supra quò ad hoc generaliter recepto) inducta infamia abolita sit, fundata in eo irregularitas cessat, ita ut jam persona pristinæ famæ restituta ad ordines & beneficia absque alia dispensatione possit promoveri; si vero infamia inducta à jure canonico, non quatenus generaliter approbante inductam à jure civili, sed specialiter eam statuente, v. g. hæreticis, S. R. E. Cardinales hostiliter persequentibus, restitutione famæ à seculari Principe factæ non aboletur ea in ordine ad effectus canonicos, v. g. ad Ordines suscipiendos, quin opus sit a-

po-

postolicâ dispensatione. Suar. *cit. s.* 2. *n.* 10. Laym. *cit. c.* 4. *n.* 10.

3. Resp. tertiò: infamia solius facti ex quocunque enormi crimine orta, facto contrario seu publico constante, & saltem triennio continuatâ vitæ emendatione aboletur. Abb. *in c. inquisitionis. n.* 3. Sylv. *v. infamia n.* 11. Clarus §. *fin. q.* 21. *n.* 1. Mol. *l. c. d.* 10. *n.* 1. Garc. *l. c. c.* 8. *n.* 64. Suar. *l. c. n.* 6. juxta *can. nunquam. dist.* 56. quia hæc infamia ex facto nascitur eique adhæret, ita eo vitâ in melius commutatâ cessat, *c. cessante de appell.* ita ut ad ordines, dignitates, beneficia & officia aspiranti dispensatio necessaria non sit, unde etiam eam propriè non inducere asserit cum Laym. *l. c. n.* 10. *in fin.* Wiestn. *n.* 64.

Quæst. 510. *Irregularitas quid sit & quotuplex?*

1. RESp. ad primum: irregularitas in præsenti magis strictè accipitur, nimirum pro impedimento canonico arcente directè & primariò ab Ordinum susceptione, & consequenter indirectè & secundariò ab eorum usu, ut Sylv. *v. irregularitas. n.* 1. Nav. *in man. c.* 27. *n.* 191. Covar. *in Clem. si furiosus p.* 2. *n.* 1. Suar. *de Cens. d.* 40. *l.* 1. *n.* 1. & 2. Differt ab excommunicatione & suspensione, tametsi & hæ receptionem, & quandoque etiam usum Ordinum impediant, cum irregularitas non semper sit pœna, uti est excommunicatio & suspensio, contrahaturque frequenter absque omni culpa, neque etiam est censura ecclesiastica, etsi per se & directe impediat susceptionem & executionem Ordinum, & quidem per se & in perpetuum, nisi tollatur per dispensationem aut cessationem defectûs, si ex eo nascatur, dum interim excommunicatio non nisi indirectè impediat dictam susceptionem & executionem Ordinum, quatenus nimirum separat excommunicatum totaliter à communione fidelium, sub qua comprehenditur etiam excommunicatio, quæ sit per receptionem ordinis. Differt quoque à depositione, quæ quidem etiam directè & per se impedit usum Ordinis, sed non receptionem illius, & cadere nequit in laicum. Castrop. *tr.* 29. *d.* 6. *p.* 1. *n.* 2.

2. Resp. ad secundum: irregularitas dividitur communiter in eam, quæ nascitur ex delicto, & eam, quæ nascitur ex defectu, differúntque inter se, quod hæc tollatur sæpius absque dispensatione sublato defectu; illa autem maneat semper, donec in ea dispensetur. Rursus dividitur irregularitas tam ex defectu, quàm ex delicto in totalem, quæ est propriè irregularitas, impeditque cujuscunque Ordinis susceptionem, & susceptorum omnem usum, & in partialem, quæ solùm privat aliquo Ordinum usu seu ministerio, vel solo ascensu ad Superiores, licèt in susceptis ministrare non prohibeat. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *c.* 1. *n.* 7. Castrop. *l. c. n.* 3.

Quæst. 511. *A quonam & à quo jure inducatur irregularitas aut induci possit?*

RESp. Ab homine seu per judicis sententiam inducta non fuit, nec induci potuit irregularitas, nisi is legem seu jus universale ecclesiasticum condere possit, qualis est Papa. Ita Suar. *de cens. d.* 40. *s.* 4. *à n.* 7. Bonac. *l.* 1. *d.* 7. *q.* 1. *p.* 2. *à n.* 1. Avila *p.* 7. *d.* 1. *in fine.* Castrop. *tr.* 29. *d.* 6. *p.* 2. sed à solo jure. *l.* 7. *is, qui. de sent. excom. in* 6. ubi expressè dicitur non incurri irregularitatem nisi in casibus in jure expressis, quamvis tamen negari vix posse, irregularitates aliquas, absque eo, quod in jure exprimantur, ex diuturna Ecclesiæ consuetudine esse inductas; cum consuetudo rationabilis ac diuturna sit constitutiva juris. Ita Laym. *l. c. n.* 5. & ex eo Reiffenst. *h. t. n.* 67. eoque non particulari, v. g. diœcesano aut constitutione episcopali, & taliter constitutæ sunt omnes irregularitates. Covar. *in Clem. si furiosus. p.* 1. *n.* 3. Suar. *de Cens. d.* 40. *s.* 4. *à n.* 8. Laym. *l. c. n.* 3. eóque ecclesiastico & non civili, utpote cujus conditores in sacrorum Ordinum susceptione usúque disponendi non habent potestatem; juxta *c. decernimus. & c. quanto. de Judic. c. si Judex. de sent. excomm. in* 6. sed neque inducta jure naturali, quia ex illo orta sacræ ordinationis & ministerii impedimenta, ut amentia, defectus membrorum necessariorum ordinis quidem incapacitates, non tamen irregularitates propriè sunt, eo quod hæ capacitatem naturalem in persona supponant. Neque etiam jure divino, cùm nulla irregularitatum, quæ de facto sunt, hoc jure constituta sit, & licet sexus masculinus & baptismus hoc jure necessarius sit ad validam Ordinis susceptionem, ejus tamen defectus potius sit incapacitas, quam in persona supponit, quàm irregularitas, juxta dicta.

Quæst. 512. *Qualis esse debeat actus, ut ex eo contrahatur irregularitas?*

1. RESp. Primò requiritur, ut actus seu delictum non sit merè internum, siquidem de merè internis solus Deus judicat, & non Ecclesia, juxta *c. sicut. & c. tua nos. de Simonia*, iisque pœnam non imponit. *c. cogitationis. dist.* 1. *de pœnit.* unde, si in non nullis Bullis concessum reperitur aliquibus privilegium dispensandi in irregularitate mentali, per eam intelligitur irregularitas omnino occulta, ut Covar. *l. c. p.* 2. §. 3. *n.* 4. Henriq. *l.* 13. *de pœnit. c.* 14. Sayr. *l.* 6. *c.* 2. *n.* 20. Bonac. Cöninck. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c. p.* 3. *n.* 1. sufficere autem ad contrahendam irregularitatem delictum externum, ita tamen occultum, quod testibus probari nequit, docent Covar. *l. c.* Suar. *l. c. s.* 3. *n.* 21. Henriq. *l.* . . *c.* 3. *n.* 2. Nav. *man. c.* 27. *n.* 194. Castrop. *l. c.* & alii apud illum, constátque ex eo, quod Episcopis concedatur facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus. *c. ult. de temp. ordinat. c. inquisition. de accusat.* quódque Ecclesiæ judicio subjiciantur crimina quantumcunque occulta, iisque imponi possit pœna per legem.

2. Resp. secundò requiritur, ut actus ille externus, etsi occultus, sit consummatus & perfectus secundum proprietatem verborum canonis irregularitatem inducentis. Covar. *l. c. p.* 2. *in princ. n.* 56. Castrop. *l. c.*

3. Resp. tertiò requiritur, ut delictum, ob quod contrahitur irregularitas, saltem ex objecto & materia sit peccatum mortale, & sufficit esse solùm venialiter peccaminosum ex aliqua circumstantia, ita longè veriùs docent Nav. *c.* 25. *n.* 252. Suar. *l. c. n.* 17. Henriq. *l.* 14. *c.* 3. *n.* 1. Vasq. *l.* 2. *d.* 153. *c.* 5. Sanch. *l.* 9. *mor. d.* 32. *n.* 29. Bonac. *l. c.* Castrop. *l. c. n.* 2. Sotus *de just. l.* 5. *q.* 1. *a.* 9. Wiestn. *h. t. n.* 39. contra Cajet. 2. 2. *q.* 64. *a.* 8. Armill. *v. irregularitas n.* 14. ex ea ratione, quòd hæc irregularitas, quippe privans à susceptione Ordinis ejusque usu in perpetuum sit malum & pœna gravissima, adeoque culpam venialem excedens; quæ ratio quoque probat, non posse Pontificem irregularitatem pœnalem alicui indicere ob culpam venialem.

Insuper ad quamcunque irregularitatem ex delicto dolum seu contemptum requirunt. Abb. *in c. pastoralis. §. verum. de appellat. n.* 15. Dominic. *in c. solet. de excomm. in* 6. Felin. *in c. Rodulphus. de rescript. n.* 43. Nav. *in c. accepta. de Rest. Spol. ad oppos.* 7. *n.* 34.

Quæst. 513. *Specialis, an & qualiter inducatur irregularitas per actum, de quo dubitatur, num sit obnoxius irregularitati.*

1. RESp. primò: supponendo tamen casu quo dubitatur, num irregularitas per legem seu jus alicui actui annexa (quod dicitur dubium juris) quam, dum quis certus irregularitatem annexam dubitat, num commiserit talem actum (quod vocatur dubium facti) dubitantem teneri sub gravi peccato competentem diligentiam adhibere ad investigandam veritatem, & interim abstinere à præstandis irregulari prohibitis, ne se exponat periculo incurrendi irregularitatem, ita tradunt Suar. *l. c. s.* 5. *n.* 12. Salas. *c.* 2. *q.* 21. *tr.* 10. *d. unic. s.* 18. *n.* 164. Sanch. *l.* 1. *in decalog. c.* 10. *n.* 37. Hurtad. *de irregul. difficult.* 3. *n.* 10. Castrop. *l. c. n.* 3. Arg. *c.* 5. *de Cler. excom. ministr.* quamvis Salas *n.* 169. id ita limitet; nisi dubitans interim, dum dubium examinatur, patiatur gravem incommoditatem vel damnum, reputando se pro irregulari, quia v. g. elabitur occasio suscipiendi ordinem vel obtinendi beneficii alteriúsve lucri, eò quod lex videatur in casu dubio tam rigidè non obligare, cui licet consentiant Sanch. & Castrop. *ll. cit.* non censendum grave damnum præterire occasionem suscipiendi ordinis. Sed de hoc postremo statues melius ex sequentibus. Unde

2. Resp. secundò: si quis adhibitâ diligentiâ, ex probabilibus rationibus judicet, tali facto annexam non esse irregularitatem, aut se non commisisse factum, cui ea ipso jure annexa, poterit is rectè reputare se liberum ab irregularitate, quia prudenter agit adhærendo tali opinioni sibi probabili: sed neque æquum videtur, se in ea probabilitate subjicere tam gravi pœnæ, & ita cum Hurtado *l. c.* tenet Castrop. *l. c. n.* 4. si verò adhibitâ debitâ diligentiâ non possit quis tale judicium efformare, sed hæreat dubius, sive dubio juris, sive dubio facti, adhuc neminem reputare & gerere se debere ùt irregularem, quousque accedat sententia judicis, judicantis de jure annexam tali delicto irregularitatem, aut illud delictum esse, cui ea annexa, docet Henriq. *de irregul. l.* 14. *c.* 3. *n.* 3. *&* 4. *&* 14. *n.* 3. quod ipsum probabile pro foro conscientiæ reputat Covar. *l. c. p.* 2. *s.* 2. *n.* 5. inque hanc sententiam inclinat Suar. *l. c. s.* 6. *n.* 10. & pro ea plures neotericos refert Rebell. *de oblig. just. l.* 1. *q.* 3. *s.* 2. *n.* 13. probarique potest ex eo, quòd, ut dictum, irregularitas nisi in casibus in jure expressis non contrahatur, in jure autem expressum non sit, teneri quemlibet in foro conscientiæ se habere in dubio pro irregulari, & textus in contrarium adducti loqui videantur de foro externo, prout ostendit Castrop. *l. c. n.* 4. contrarium nihilominus huic sententiæ, nimirum remanente dubio quemlibet reputandum irregularem pro foro conscientiæ, non tamen condemnandum ut talem in foro externo, tenent Nav. *c.* 27. *n.* 193. Philiarch. *de off. sacerd. Tom.* 1. *p.* 1. *l.* 4. *c.* 6. *not.* 2. aliique plures, quos refert Sanch. *in decal. c.* 10. *à n.* 39. quia in foro conscientiæ pars tutior est sequenda; in foro externo, dum delictum non probatur, reus est absolvendus, quin etiam, tam in dubio juris, quàm facti, dubitantem, tam in foro conscientiæ quàm foro externo, tam ad effectum petendi dispensationem, quàm abstinendi, à celebratione missæ, & ut Judex condemnet, sufficere dubium, reputandum esse tenent Covar. *l. c. in pr. n.* 3. Suar. *l. c. s.* 6. *n.* 1. Avil. *p.* 7. *d.* 2. *dub.* 5. *concl.* 1. Vasq. 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. *d.* 65. *c.* 3. & alii apud Castrop. *n.* 6. quem vide.

3. Resp. tertiò: de cætero prætermissis aliis sententiis melius sic absolutè distinguitur, quod, dum est seu manet dubium juris, dubitans in nullo foro fit irregularis, aut teneatur se habere pro tali, ita absolutè tradunt Sayr. *l.* 6. *thesaur. c.* 2. *n.* 15. Mol. *tr.* 3. *de just. d.* 67. *n.* 5. Sanch. *l.* 1. *in decal. c.* 10. *n.* 42. Suar. *de cens. d.* 40. *s.* 5. *n.* 4. Avila *p.* 7. *d.* 2. *du.* 4. Castrop. *l. c. p. . . n.* 7. Wiestn. *h. t. n.* 41. ex eodem principio, quòd ob nullum factum irregularitas incurratur, nisi in jure expressum, juxta *cit. c. is qui. de sent. excomm. in* 6. unde in tali dubio dubitans judicare debet, aut etiam potest, irregularitatem annexam tali facto, insuper nemo teneatur ad observationem legis, nisi cui lex sufficienter promulgata; lex autem irregularitatis incurrendæ non sit sufficienter promulgata respectu talis dubitantis, atque ex his rectè infert Castrop. *l. c.* quòd, qui in dubio juris ante adhibitam diligentiam suscepit ordines, peccet quidem graviter, possit tamen postmodum post adhibitam diligentiam ad vincendum dubium, manens dubius licitè exercere Ordines, eò quod iniqua susceptio Ordinum non impediat licitum usum eorum, sed irregularitas, qualis cum nulla sit stante dubio juris, dictus usus licitus impediri nequit, pro quo citat Sanch. *in decal. l.* 1. *c.* 10. *n.* 46. Bonac. *de irregularit. d.* 7. *p.* 5. *n.* 5. Quod verò attinet dubium facti homicidii, quo quis dubitat, num ipse commiserit homicidium, cui annexa à jure irregularitas, seu num illud secutum ex vulnere à se inflicto, an verò ex inflicto ab alio (dum plures vulnerarunt) vel ex imperitia Chirurgi; aut culpâ vulnerati; num abortus ex suo consilio aut pharmaco à se præbito, an ex alia causa secutus, teneri dubitantem se pro irregulari habere, eúmque ùt talem judicandum in foro externo, non quidem absolutè quò ad omnes effectus irregularitatis, v. g. privationis beneficii aliarúmque pœnarum, sed quò ad solum effectum abstinendi ac celebrandi missam, quærendíque dispensationem (in his enim tantùm imminet periculum animæ, ùt Castrop. *n.* 8. Salas. *c.* 2. *tr.* 8. *d. unic. s.* 19. *n.* 276. Hurtad. *de irreg. diffic.* 4. cum Abb. *in c. significasti. de homic.*) perspicuè decisum est *c. ad audientiam. c. significasti. c. petitio de homicid.* huicque juris decisioni inhærent Nav. *c. si quis autem. de pœnit. à n.* 35. Covar. *l. c. p.* 1. *initio n.* 3. Azor. *t.* 1. *l.* 2. *c.* 19. *q.* 10. *in fine & q.* 11. Suar. *l. c. s.* 5. *n.* 18. & 19. Sayr. *l. c. n.* 16. & in *clavi Reg. l.* 1. *c.* 18. *n.* 22. Rebell. *l. c.* Sanch. *l. c. n.* 43. Valent. *Tom.* 4. *d.* 7. *q.* 19. *p.* 2. *not.* 3. Mol. *tr.* 3. *d.* 67. *n.* 5. Castrop. *l. c. n.* 8. De cætero etsi idem de dubio aliorum criminum obnoxiorum irregularitati satis probabiliter dicant Abb. *in c. ad audientiam. de homicid.* Sylv. *v. dubium. q.* 4. *n.* 7. Tabien. *q.* 2. *n.* 3. Covar. Azor. Valent. Sayr. Rebell. Hurtad. nixi hoc principio: in dubiis pars tutior eligenda, quod in aliis omnibus quoque materiis seu delictis dubiis æquè ac in homicidio tenendum, nihilominus verisimilius & probabilius contrarium, nimirum neminem extra dubium homicidii censendum esse irregularem, sentiunt Nav. *l. c. n.* 41. Suar. *l. c. s. . . n.* 8. & 11. Sanch. *l. c. n.* 48. Avil. *p.* 7. *d.* 2. *du.* 5. *concl.*

2. Bo-

2. Bonac. *de irregul. d.* 7. *p.* 5. *n.* 2. Castrop, *n.* 9. ex ea ratione aliquoties allata: quòd non contrahatur irregularitas, nisi in casibus in jure expressis, in jure autem expressum non sit, incurri illam in dubio facti extra casum homicidii, quòdque nemo teneatur privare se libertate suâ, nisi quis lege aliquâ ad id cogatur, nulla autem exstet lex privans delinquentem dubium libertate suscipiendi Ordinis, nisi in casu homicidii dubii. Neque his obstat potissima ratio sententiæ oppositæ, nempe in dubiis sequendam partem tutiorem; nam esto, Pontifex innitatur illi, non tamen innititur illi tanquam principio necessariò observando, sed tanquam principio, quod observari maximè decet, quod licet commune sit aliis materiis omnibus, utpote continens consilium prudentissimum, quia tamen in irregularitate homicidii efficacius procedit propter indecentiam specialem, quam secum in clericis affert homicidium, ideo Pontifex disposuit, ut in dubio homicidii censeatur quis irregularis, quam dispositionem ad alias materias non extendit, ita cum Sanch. *l.* 2. *de matrim. d.* 41. *n.* 9. Castrop. *l. c. n.* 10.

Quæst. 514. *Num irregularitas incurratur ab ignorante eam annexam delicto?*

Resp. In eo non convenire AA. siquidem id negant Innoc. *in c. à nobis de sent. excom.* Nav. *in man. c.* 17. *n.* 274. Philiarch. *de off. Sacerd. p.* 1. *l.* 3. *c.* 4. Bonac. *de centur. q.* 2. *p.* 1. *n.* 13. apud Westn. *h. t. n.* 46. ex ea ratione, quod irregularitas ex delicto, eo ipso quod obliget ad executionem sui, sit delicti pœna omnino extraordinaria, quæ ab ignorante non incurritur, cùm exigat consensum saltem tacitum in culpam, adeóque & notitiam præviam illius, prout tali pœnæ substa', Arg. *c. fin. de constit. in* 6. & *c. proposuisti. dist.* 82. quorum priore censura, posteriore depositio non incurritur ab eo, qui has pœnas delicto per legem ecclesiasticam impositas ignorat. Contrarium tenent Suar. *de cens. d.* 40. *s.* 5. *n.* 9. Vasq. *de excom. du.* 16. Castrop. *l. c. p.* 6. *n.* 3. Hurtad. *diffic.* 8. *n.* 29. Avil. *d.* 1. *du.* 7. *concl.* 2. Westn. *h. t. n.* 46. eò quòd aliud sit de irregularitatibus in hoc puncto, quàm de censuris aliisque pœnis, cum irregularitates non sint medicinales, uti censuræ, nec puræ pœnæ, qualis est depositio, sed quædam inhabilitates, ob sacri ministerii honorem & reverentiam certis delictis constitutæ à jure removente tanquam indignos, qui se talibus voluntariè inquinarunt, adeóque incurri possunt ab ignorantibus eas tali delicto statutas. Et certè, si ad irregularitatem necessarium esset cognoscere eam annexam delicto, jam homicida id ignorans libere ad Ordines promoveri posset, quod falsum esse, vel ex eo confirmatur, quod Judex etiam juste reum tradens morti illam incurrat, etsi nesciat eam annexam huic suo facto, adeóque multò magis occidens aliquem injustè.

Quæst. 515. *Ex quibus delictis & qualiter oriatur irregularitas?*

Resp. ex sequentibus: Primò ex rebaptizatione seriò, scienter, & saltem solenniter seu publicè facta incurri irregularitatem à rebaptizante, cum communi tradunt Bonac. *de irregul. d.* 7. *q.* 3. *p.* 3. *n.* 1. & 2. Laym. *l.* 2. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 2. *n.* 1. Hurtad. *de irregul. d.* 2. *diffic.* 1. Suar. *Tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 31. *s.* 6. *vers. sed ad hæc.* Cönninck. *d.* 18. *du.* 5. *à n.* 34. Avil. *p.* 7. *de irregul. d.* 7. *l.* 7. *du.* 1. Nav. *cit. c.* 27. *n.* 246. Castrop. *l. c. p.* 16. *n.* 1. Idem de ministrante ex officio rebaptizanti dicitur. *c. ex literarum de apostatis.* & juxta illud AA. jam citati, quam tamen irregularitatem contractam à ministro non esse absolutam & totalem, cùm non privet usu & exercitio Ordinis habiti, sed solum susceptione ordinum necdum habitorum, & ascensu ad Ordines superiores, ut dicitur *cit. c. ex literarum*, & tenent AA. jam citati. De cætero dixi tamen primò: *scienter facta*; quia eam non incurri à rebaptizante illum, quem probabiliter credebat non esse baptizatum, cum dici nequeat iteratò factum, quod factum ignoratur. *c. unic. de Clerico per saltum promot.* ac ideo quamlibet ignorantiam ab hac irregularitate excusare, modò non sit crassa & supina, quia ad eam incurrendam requiritur dolus seu culpa lata, tenent Bonac. *cit. p.* 3. *n.* 3. Laym. *cit. c.* 2. *n.* 1. Castrop. *l. c. n.* 4. quamvis tamen illam evitari etiam ab iis, qui temerè sine ulla præmissa diligentia in veritatem inquirendi rebaptizant sub hac conditione: si non es baptizatus: probabiliùs sentiant Nav. *l. c.* Laym. *l. c. vers.* 4. Suar. *l. c. s.* 6. *du.* 5. Avila *l. c. du.* 3. Bonac. *l. c. n.* 4. Hurtad. *l. c.* Castrop. *l. c. n.* 5. Cönninck. *l. c. n.* 38. & alii apud illos, eò quod vi illius conditionis appositæ actu suspenso ablutio illa exterior non sit rebaptizatio, ideoque non subjecta irregularitati, contrarium tamen affirmantibus Soto *in* 4. *dist.* 3. *a.* 9. Ugol. *de irregul. c.* 35. §. 3. Sayr. *l.* 7. *c.* 8. *n.* 23. eò quod velint conditionem illam haberi pro non adjecta. Porro extendi hanc irregularitatem, etiam arcentem à susceptione Ordinum eorúmque susceptorum usu non tantùm ad culpabiliter ignorantes se baptizatos, sed inculpabiliter ad ignorantes, & sine culpa permittentes se rebaptizari, docent S. Antonin. 3. *partit.* 14. *c.* 11. §. 12. Palud. *in* 4. *dist.* 6. *q.* 4. *a.* 1. *concl.* 2. Sylv. *v. baptism.* 5. *q.* 3. Vivald. *tr. de irregul. n.* 40. Majol. *l.* 3. *de irreg. c.* 14. verum tamen contrarium communius tradunt Sotus, Nav. *L. L. cit.* Castrop. *n.* 8. Suar. *in* 3. *p. d.* 31. *s.* 6. & *de cens. d.* 42. *s.* 1. *n.* 10. Valent. *Tom.* 4. *p.* 7. *d.* 19. *p.* 3. §. 5. Sayr. *l.* 7. *thes. c.* 8. *à n.* 8. Sa. *v. irreg. ex iterat.* Avil. *l. c.* Laym. *l. c.* juxta *c. placuit. & c. qui apud.* 1. *q.* 4. Dixi secundò: *facta saltem solenniter seu publicè*; nam, ut contrahatur irregularitas ex hac reiteratione maximè in rebaptizante, sufficere, rebaptizationem esse occultam, tenent Host. *in cit. c. ex literarum.* Sayr. *l. c. n.* 6. Bonac. *l. c. n.* 9. Cöninch. *l. c. n.* 36. Henriq. *l.* 14. *c.* 4. *n.* 5. Avil. *l. c. d.* 7. *du.* 1. eò quod *c. qui in qualibet* 1. *q.* 7. & *C. qui bis.* nullatenus publicitas criminis iterationis requiratur, unde Abb. *in c. ex literarum. n.* 1. Sylv. *v. irregularitas q.* 4. Laym. Hurtad. aliíque apud Castrop. *l. c. n.* 3. absolutè docent irregularitatem à rebaptizante, non contrahi iteratione baptismi occultâ, ex qua si contraheretur, in ea dispensare potest Episcopus vi Trident. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* dum aliàs, si publica est, spectato jure communi in ea solus Pontifex dispensare potest, Bonac. *l. c. d.* 7. *q.* 3. *p.* 3. *à n.* 9. Sayr. *l. c.* Castrop. *l. c. n.* 14. Et hæc de irregularitate orta ex iteratione baptismi locum non habere in reiteratione aliorum sacramentorum imprimentium characterem, puta confirmatione & ordine, verius docent Sylv. *v. irregularitas. q.* 4. Palud. *dist.* 7. *q.* 2. *a.* 1. *concl.* 2. Scotus *in* 4. *dist.* 5. *q.* 5. Laym. *l. c. c.* 2. *circa finem.* Filliuc. *tr.* 19. *c.* 7. *q.* 1. Reginald. *l.* 30. *tr.* 2. *n.* 178. Bonac. *de irregul. d.* 7. *q.*... *n.* 7. Sayr. *l.* 7. *thes. c.* 8. *n.* 28. Covar. *Clem. si furios.* 1. *p. in pr. n.* 8. *vers. sed &.* Castrop. *cit. p.* 16. *n.* 13. & alii apud illum, contra-

trarium tenentibus Host. *in sum l. 1. de sacram. non iter. §. fin. n. 12.* Archid. *in c. dictum de consecrat. dist. 5.* Gl. *ibid. v. amplius.* Majol. *l. c. c. 15.* Nav. *l. 1. consilior. tit. de temp. ordin. cons. 36. &c.*

2. Secundò contrahitur ex indebita & illicita ordinum susceptione, v. g. suscipiendo illos furtivè, qualiter *c. 1. de eo qui ordinem furtivè suscep.* qualiter furtiva ordinatio, & inde secuta irregularitas propriè contingit, saltem quò ad Ordines superiores suscipiendos, si quis sine approbatione & admissione Episcopi, & non vocatus se aliis ordinandis ingerit, vel usurpato nomine alterius personæ examinatæ & adprobatæ ad ordines illius locum occupat; secus est de iis, qui sine dimissoriis, sine titulo, non servatis interstitiis, sine legitima ætate ordines sacros suscipiunt, cùm hi potius suspensionem quàm irregularitatem incurrant, & ita docent Laym. *de irreg. c. 3. n. 1.* Sayr. *l. c. c. 9. n. 37.* Suar. *cit. d. 42. s. 3. n. 5.* Hurt. *d. 2. diffic. 1. n. 3.* Castrop. *l. c. p. 17. n. 1.* Bonac. *d. 7. q. 3. p. 4. n. 6. &c.* idem est de iis, qui ordines sacros non suscepto sacramento confirmationis suscipiunt, uti docent Ugol. *de irregul. c. 38. §. 1.* Suar. *in 3. p. d. 38. p. 4. n. 8.* Bonac. *l. c. n. 8.* Henriq. *l. 14. c. 6. n. 3.* Castrop. *l. c. n. . . .* contra Majol. *l. 4. de irreg. c. 11. n. 9.*

3. Tertiò incurritur à suscipiente sacros Ordines post matrimonium contractum extra casus à jure permissos. *Extrav. antiquæ concertationi. de voto.* in qua irregularitate solus Papa dispensare potest, nisi postmodum religionem approbatam ingressus fuerit, & in ea laudabiliter aliquo tempore vixerit, uti cavetur in *cit. extrav.* vel nisi hoc delictum occultum fuerit, tunc enim in ea dispensare potest Episcopus.

4. Quartò ab exercente seriò, solenniter & ex officio ordinem, quem non habet. *c. 1. de clerico non ordinato minist.* Secus est de exercente illum per jocum & ludum ad historiam aliquam repræsentandam, cum tunc non censeatur exercere ordinem, sed repræsentare exercitium ordinis, quod etiam seclusa rerum sacrarum contemptu licitum est. Suar. *cit. d. 42. s. 4. n. 16.* Sayr. *l. c. c. 10. n. 1.* Bonac. *l. c. p. 6. n. 1.* Castrop. *l. c. p. 18. n. 1. & 2. &c.* secus quoque est de exercente illum non solenniter, qualiter minores Ordines communiter exercentur à non ordinatis istis Ordinibus, & sæpe in missa solenni cantatur ab iis cum Dalmatica sine manipulo & stola. Sic itaque irregularis efficitur, qui in solenni missa citra privilegium aut consuetudinem destitutus illis Ordinibus cantat epistolam cum manipulo, vel Evangelium cum stola. Bonac. *l. c.* Sayr. *l. c. n. 3.* Navar. *c. 27. n. 232.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 1.* Sylv. *l. c. n. 14.* &c. Sic irregularis est non-Sacerdos solenniter baptizans, quia Baptismus solenniter ministratus est usus & exercitium Ordinis sacerdotalis, juxta *cit. c. 1. de cler. non ordin. minist.* Secus est de baptizante non solenniter. Nav. *l. c.* Castrop. *l. c. n. 4.* Henriq. *l. 2. de baptismo c. 19. à n. 2.* Avil. *p. 7. d. 9. du. 14.* Bonac. *l. c. n. 5.* idem est de non sacerdote conficiente Eucharistiam, ministrante ordinem, confirmationem, extremam unctionem, quia sunt exercitium ordinis; secus est de non-parocho assistente matrimonio, quia hæc assistentia non est actus ordinis, sed jurisdictionis, propter cujus non habitæ usum non incurritur irregularitas. Suar. *cit. d. 42. s. 4. n. 19.* Hurtad. *de irreg. d. 2. diff. 2. n. 5.* Castrop. *l. c. n. 5.* Idem est, seu incurritur irregularitas à non-sacerdote absolvente sacramentaliter. Nav. Suar. Laym. *ll. cit.* Castrop. *l. c. n.* Sayr. *l. c. n. 5.* Henriq. &c. contra Sylv. *v. confessor. n. 1.* Ledesm. quibus favet Avila, hæc enim absolutio quantumcunque secreta, est exercitium ordinis sacerdotalis. Porro num ordinibus destitutus exercens & ministrans de cætero etiam solenniter dictos ordines & sacramenta, sine intentione tamen usurpandi usum ordinis evadat irregularis, in eo non conveniunt A.A. negant id ipsum Nav. *l. c.* Avil. *l. c. s. 2. du. 13.* Hurtad. *l. c.* Bonac. *l. c. d. 7. q. 3. p. 6. n. 2.* eo quod carens eâ intentione non exerceat, etiam quantum est de se, officium sacro ordini annexum, utpote quale non est simulatio illa, seu actio externa destituta internâ intentione, cum non baptizet, absolvat &c. contrarium, seu talem adhuc fore irregularem, ut putant, verius affirmant Suar. *l. c. n. 18.* Laym. *l. c.* Coninch. *d. 18. du. 6. n. 47.* Castrop. *cit. p. 8. n. 8.* similiter in eo, num hæc irregularitas afficiat solos clericos, exercentes ordinem, quem non habent, AA. non conveniunt, negant Nav. *l. c.* Sylv. *v. irregular. q. 13.* Suar. *de cens. d. 42. s. 4. n. 3.* Filliuc. *tr. 20. c. 7. q. 8. n. 208.* Majol. *l. c. c. 13. n. 4.* Coninch. *l. c. n. 45.* Avil. *l. c. du. 10.* Valenr. &c. ex ea ratione, quod *c. 5. de cler. non ordin. minist.* generaliter statuatur, ne ordinetur, qui, cum ordinatus non esset, baptizavit, officiumve sacrum exercuit, adeóque comprehenderentur non ordinati seu laici, quod etsi probabile dicant; contrarium tamen, quòd soli clerici afficiantur hac irregularitate, astruunt Laym. *l. c. n. 3.* Sayr. *l. c. c. 10. n. 6.* Henriq. *L. 2. de baptis. c. 29. n. 5.* Castrop. *l. c. n. 10.* ex ea ratione, quòd, etsi *c. 1. de Cler. non ordin. minist.* loqui videatur generaliter, habeatur tamen sub *tit. de Cler. non ord. minist.* quo satis indicetur, hanc irregularitatem statutam pro solis clericis.

5. Quintò: irregulares sunt hæretici, apostatæ à fide, Schismatici. *c. convenientibus. c. saluberrimum. 1. q. 7. c. quicunque. de hæret. in 6.* idque etiam de hæreticis non secus ac de excommunicatis occultis tenent Pegna. *director. inquisit. 3. p. comment. 162. q. 113.* Nav. *l. c. n. 205. vers. terr.* Suar. *l. c. d. 43. S. 1. n. 3.* Sanch. *in decal. L. 2. c. 25. n. 2.* Farin. *de hæres. q. 189. n. 43.* Filliuc. *tr. 20. c. 9. n. 117.* quorum sententiam etsi communem dicat Castrop. *l. c. p. 19. §. 1. n. 2.* valde tamen probabile esse ait contrarium, nempe irregularitatem hæresi occultæ annexam non esse, sed debere esse signo externo manifestatam, uti docent Sayr. *l. c. L. 4. c. 11. n. 12.* Laym. *l. c. c. 4. n. 13.* Barb. *in remiss. Concil. Trid. Sess. 24. c. 6. v. hæresis.* Avil. *l. c. d. 4. du. 2.* Reiffenst. *h. t. n. 72.* eò quòd textus juris statuentes hæresi irregularitatem, notorietatem illius exigunt, dum verba dirigunt, non ad ipsos hæreticos, sed ad Ecclesiæ pastores, ne hæreticos ad Ordines admittant, adeóque illis de hæresi constare debet. Extendere se hanc irregularitatem ad eos, qui exteriùs fidem negant, tametsi interius eam retineant, tradunt Suar. *cit. d. 43. S. 2. n. 1.* Sanch. *l. c. n. 6.* Farin. *de hæres. q. 192. n. 75.* Bonac. *de irregul. d. 7. q. 3. p. 7. n. 2.* Majol. *de irreg. c. 39. n. 2. &c.* quam sententiam etsi communiorem dicat Castrop. *l. c. n. 4.* addit tamen, contrarium sibi videri probabile, pro quo citat Nav. *L. 5. consilior. tit. de hæres. consil. 3.* & Azor. *p. 1. L. 8. c. 11.* eò quòd *c. presbyteros. dist. 50.* in quo se fundant adversarii, nullum verbum habeatur, ex quo colligatur presbyterum illum fidè à fide apostatasse, cùm poterat timore ductus verè seu ex animo abnegare fidem. Extendere se quoque hanc irregularitatem ad fautores, receptatores & defensores hæreticorum quà talium, defendunt Sanch. Suar. Coninch. Bonac. n. . citati & alii, contrarium tu-

entur

entur, Henriq. *L.* 14. *c.* 4. *n.* 6. Sa. *v. irregularitas ex defectu anim. n.* 2. Castrop. *l. c. n.* 5. eò quòd in *c.* 2. §. *hæretici. de hæret. in* 6. quod adducunt adversarii, ubi ii, eorumque filii usque ad secundam generationem prohibentur ad officium publicum admitti, per officium publicum non officium Ordinis sed jurisdictionis, uti est Magistratus, Notariatus, intelligatur. Item extendere se illam ad suspectos de hæresi, dum se ab ea suspicione non purgaverunt (secus est, si eam purgaverint, tunc enim citra dispensationem ad Ordines promoventur) docent Henriq. *l. c.* Farin. *l. c. n.* 81. Suar. *l. c. S.* 2. *n.* 9. & 10. Denique extendere se illam ad hæreticorum filios & eorum nepotes, si viâ masculinâ descendant (non verò nepotes, sed solos filios, si lineâ fœmininâ descendant) traduntex communi Nav. *n.* 205. Sanch. *n.* 7. Bonac. *de irreg. d.* 7. *q.* 3. *p.* 7. *n.* 9. arg. *c. statutum de hæret. in* 6. ubi excluduntur ab officio & beneficio (quod fundamentum tamen infirmum esse ait Castrop. *l. c.* §. 2. *n.* 1. quia nomine officii publici intelligitur Officium jurisdictionis, ùt gl. *in cit. c.* Sayr. *l. c. c.* 10. *n.* 40. Tolet. & nos paulò suprà) extenditúrque id ad filios illegitimos & spurios, Pegna *l. c. comment.* 103. Covar. 2. *var. c.* 8. *n.* 3. Suar. Azor. & alii relati à Sanch. *c.* 27. *n.* 1. cùm nulla sit ratio, cur illi speciali privilegio gaudeant. De cætero, ut filii hi juxta communem sint irregulares, requiritur primò: ut nati sint ante delictum parentum. Henriq. *l. c. c.* 5. *n.* 4. Less. *L.* 2. *c.* 34. *n.* 121. Sanch. *l. c. n.* 14. Castrop. *l. c. n.* 2. *&c.* cùm eo casu non sint formaliter filii hæreticorum. Secundò: ut notorium sit, parentes in hæresi decessisse. *cit. c. statutum.* Sayr. *l. c.* nec satis sit, ut parentes decesserint ùt suspecti de hæresi. Pegn. *q.* 115. *comment.* 164. Farin. *q.* 191. *n.* 67. Tertiò: ut parentes decesserint infames ob hæresin, qualiter non decedunt in Germania aliisque regionibus, ubi hæretici cum Catholicis permixti vivunt. Sa. *l. c. n.* 4. Sanch. *n.* 28. Henriq. *l. c.* in eo verò, num irregulares sint filii parentum, qui ob repetitum crimen combusti sunt, priùs datis pœnitentiæ signis absoluti, etsi non solenniter, non conveniunt A. A. non esse irregulares, affirmant probabiliter plures, Simanc. *de Cathol. Instit. tit.* 19. *n.* 17. Henriq. *l. c.* Hurtad. *diff.* 3. *n.* 8. *&c.* eò quòd ad hoc requiratur, ut parentes decedant non emendati & Ecclesiæ non reincorporati, quod videtur de talibus dici non posse; contrarium tamen esse de communiore & Praxi observata sententia, dicit Castrop. *l. c. n.* 5. citans pro ea Suar. *l. c.* Pegn. *l. c. comment.* 164. Mol. *Tom.* 3. *d.* 658. *n.* 19. Azor. *Tom.* 1. *L.* 8. *c.* 13. *post q.* 9. Sanch. *à num.* 22. eò quòd taliter conversi præsumantur in hæresi decedere, & fictè converti timore potiùs, nè vivi comburantur, quàm amore fidei, & quòd solennis & juridica absolutio videatur requiri, ut ab Ecclesia judicentur decedere ipsi reconciliati, & reincorporati. Demum ab irregularitate hac contrahenda aliisque pœnis jure statutis ex privilegio Pontificis excusari filios, si ipsi parentes hæreticos inquisitoribus denuncient, referunt Sanch. *c.* 27. *n.* 51. Pegn. 3. *p. director. c.* 14. *comment.* 15. *vers. in filiis.* Farin. *q.* 192. *n.* 35. & alii apud Castrop. *l. c. n.* 8.

6. Sextò: irregulares fiunt clerici violantes censuras excommunicationis, depositionis, interdicti, de quo vide me *hoc lib. tit.* 27. *per tot.* item suspensionis, de quo vide me *L.* 1. *q.* 528.

7. Septimò: ob homicidium injustum contrahitur irregularitas, de quo vide me, *h. t. q.* 511. *& seq.* qualiter verò in ea dispensare possit Episcopus, ego *tit. eod. q.* 513.

Quæst. 516. *An & qualiter citra delictum ex defectu lenitatis sive ex officio incurratur irregularitas?*

1. Resp. primò: an & quando ea incurratur à Prælato ecclesiastico habente jurisdictionem temporalem, dum is constituit Judices & ministros in causa sanguinis, dictum satis à me. *Lib.* 1. *q.* 514. *n.* 1. *in fin.* uti & quando ea incurratur à Judice ferente sententiam mortis, vel mutilationis, dictum à me *lib.* 1. *q.* 514. quibus adde, quæ de his habet Castrop. *tr.* 29. *d.* 6. *p.* 14. §. 2. *n.* 1. & 3. ubi etiam *n.* 2. cum Sayro *L.* 6. *thes. c.* 16. *n.* 4. & Laym. *L.* 3. *S.* 5. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 1. quòd assessor Judicis, sive sæcularis, sive ecclesiastici sententiam sanguinis proferentis eâdem cum hoc irregularitate involvatur, quia complet personam Judicis.

2. Resp. Secundò: qualiter irregularitatem incurrat testificans in causa sanguinis vel etiam civili, item Advocatus, consultor, confessarius, resolutum à me *l. c. n.* 2. *& seq.* de quibus quoque vid. Castrop. *l. c.* §. 2. & 3.

Quæst. 417. *An & qualiter irregularitas inducatur ex defectu natalium, & quis in ea dispensare possit?*

Resp. irregulares censentur illegitimè nati. arg. *c.* 1. *de filiis presbyt.* inductâ hac irregularitate partim in detestationem paterni scelèris, partim ob turpitudinis notam, quam tales contrahere solent juxta communem hominum existimationem, partim quia timetur, ne filius paternæ incontinentiæ imitator existat, ùt gl. *in c. fin. de filiis presbyt. in 6. V. defectu*, nisi tamen tales per subsequens matrimonium legitimentur. arg. *c. conquestus. & c. tanta, qui filii sint legitimi.* vel nisi tales religiosi fiant, tunc autem ad Sacros Ordines, non autem ad Prælaturam admittuntur. *c.* 1. *de fil. presbyt.* vide me de hoc, *lib.* 1. *q.* 628. *n.* 4. ubi: quòd illegitimus ordinatus citra dispensationem sit irregularis, ministrando tamen in Ordinibus taliter susceptis de novo eam non incurrat, & *q.* 629. *n.* 2. ubi: quòd irregulares non sint, de quorum legitimitate dubitatur, eò quòd illorum pater & mater nesciatur, & quòd in irregularitate dubia ob defectum natalium possit Episcopus dispensare, non verò in notoria illegitimitate, indèque orta irregularitate, & *q.* 632. *n.* 1. quòd in ea in ordine ad functiones Ecclesiasticas dispensare possit solus Papa.

Quæst. 518. *Quinam irregulares sint ex defectu corporis, & quis possit in ea dispensare?*

Resp. Irregulares sunt, qui ita corpore vitiati, ut vel absolutè non possint peragere Ordinis ministeria, vel sine aliorum horrore. *can. illiteratos. dist.* 39. juncta gl. *v. imminutos. c. presbyterum c. tua nos. de Cler. agrot.* v. g. cui medietas palmæ cum duobus digitis abscissa per prædonem, item cui oculus erutus. arg. *c. si Evangelia. dist.* 55. item de eo, qui caret usu oculi sinistri, quem oculum canonicum dicunt, ita ut celebrans canonem missæ sine indecentia & non nisi nimiâ faciei detorsione ad sinistram legere possit; secus est, de carentia oculi dexteri quò ad usum & sine deformitate; secus quoque est, & irregularis non censebitur, qui sex digitos in manu haberet, vel uno digito ex minoribus careret, aut gibbosus esset vel claudus, nisi gibbositas vel claudicatio seu incessus esset cum magna de-

formitate, ita ut baculo vel ligneo pede uti cogeretur, quæ indecora forent in altaris ministerio, Reiffenst. *h. t. à n.* 20.

Quæst. 519. *An, & qualiter ex defectu animæ, ætatis, libertatis, ex defectu Sacramenti seu bigamiæ, item ex defectu perfectæ lenitatis irregularitas incurratur?*

1. REsp. ad primum: ex defectu animæ irregulares sunt, qui usu rationis vel omnimodâ scientiâ destituti, utpote qui etiam jure naturali & divino arcentur à suscipiendis Ordinibus, quia inepti ad munus singulis Ordinibus correspondens subeundum.

2. Resp. ad secundum: irregulares ex defectu ætatis sunt, qui nondum habent ætatem legitimam ad Ordines suscipiendos, de qua plura statuit Trid. *Sess. 23. c. 11. & 12. de reformat.* quæ irregularitas durat, quamdiu durat defectus ille ætatis, arg. *c. ult. de temp. ordinat.* & illo adveniente cessat citra dispensationem.

3. Resp. ad tertium: inducitur ex defectu libertatis, quâ ratione irregulares sunt primò: servi seu mancipia; de quo vide me *L. 1. q. 635. n. 1. & 2.* ubi: quòd impromovibiles ad ordines, etiam primam tonsuram, & *q. 636. n. 1.* ubi: quod si non contradicente domino initientur primâ tonsurâ, evadant liberi, & *n. 2.* ubi: quòd ignorante domino ordinentur minoribus, maneant servi, & *n. 3.* ubi: quòd ordinetur diaconus vel subdiaconus ab Episcopo sciente esse servum, ignorante domino evadit liber. & *n. 636. n. 4.* ubi: qualiter reductus à domino maneat privatus ordinis exercitio, non tamen privetur privilegio canonis; item quòd ordinatus in sacerdotem reduci nequeat, debeat tamen servire domino in ministeriis spiritualibus, si non habet, unde se redimat. Secundò: jam conjugati, cùm hi non admittantur ad Ordines sine licentia uxoris votum continentiæ emittentis. *c. uxoratus. de converſ. conjugator.* Vide de his pluribus Castrop. *tr. 19. d. 6. p. 13.* Tertiò: obligati ad ratiocinia & hujusmodi. *L. 1. tit. 19. de obligat. ad ratiocin.*

4. Resp. ad quartum: irregularitas contrahitur ex bigamia, de quo vide me *L. 1. q. 643.* ubi: qualiter bigamus repellatur ab Ordinibus; in qua bigamia in ordine ad suscipiendos Ordines dispensare possit Episcopus, vide apud me *q. 644.* & apud Castrop. *l. c. p. 8. à n. 14.*

5. Resp. ad quintum: ob defectum perfectæ lenitatis præter Judices, Assessores, Consultores, accusatores, advocatos testes in causa sanguinis, de quibus dictum est *quæst. præced.* irregularitatem incurrunt Notarii, tabelliones, testium depositiones recipientes, illásque, quando publicantur, legentes, sententiam dictantes, à famulo scriptam sigillo authentico signantes vel pronunciantes, quia hi omnes ad prolationem sententiæ & consequenter ad mortem authoritate publicâ concurrunt, secus ac famuli transcribentes sententiam à Notario scriptam, ita Castrop. *l. c. p. 14. §. 4. n. 2.* item irregularitatem incurrunt tortores, si reus ex tortura confessus crimen, cujus causâ pœna sanguinis afficiatur, nisi id fiat in tribunali inquisitionis. Item ad custodiam comitantes Judicem, non tamen, etsi Clerici, comitantes vel assistentes supplicio, etiam curiositatis gratiâ, licet per hoc peccent leviter, ùt Suar. *de cens. d. 47. S. 4. in fine*, quod ipsum tamen præceptum non assistendi sententiæ & supplicio sanguinis factum clericis consuetudine abrogatum videri alt Castrop. *l. c. verſ. deinde.* neque etiam monentes carnificem, posse jam illum fungi suo officio, vel reum, ut scalas ascendat. Irregulares item efficiuntur ex defectu lenitatis perfectæ milites in bello justo (secus, si bellum injustum sit, quia tunc irregularitas oritur ex delicto) occidentes vel mutilantes, cùm tales milites ùt ministri publici occidant & mutilent acceptâ authoritate à republica; his non obstante, quòd occidant in defensionem propriæ patriæ, sicut etiam Judex non evitat irregularitatem, quòd sententiam sanguinis proferat & exequi debeat ex obligatione justitiæ. Non tamen irregularitatem incurrit Sacerdos in bello justo exhortans ad occidendum aut propriâ manu pugnans, nisi ipse per se occidat aut mutilet, sítque de hoc certus, ùt ex communi Abb. *in c. ult. & penult. de Cler. percuſſ.* Nav. *c. 27. n. 215.* Covar. *Clem. ſi furioſus. 2. p. §. 3. n. 2.* Mol. *de juſt. tr. 2. d. 110. concl. 2.* Laym. *L. 3. Sum. tr. 3. p. 3. c. 8.* Bonac. *de irreg. d. 7. q. 4. punct. ſpecialiter. n. 7.* Hurt. *de irreg. diff. 12.* Henriq. *L. 14. c. 12. n. 4.* Castrop. *l. c. §. 5. n. 2.* arg. *c. petitio tua. de homicid.* Et his non obstantibus, quòd clericis propriâ manu pugnare in bello offensivo prohibitum sit. *c. 1. ne clerici vel monach. c. ex multa. de voto.* etsi enim actus prohibitus, non tamen importat irregularitatem, nisi hæc expressa in jure. Unde nec obstat, quòd Sacerdotibus per *c. quod in dubiis ſub peccato gravi. de pœnis*, interdicatur gubernatio navis ad pugnandum & excitandum milites, quia ibi in gl. est sermo de bello injusto, præterquam quòd illis ibi non statuatur irregularitas, sed suspensio & depositio ferenda tantùm. Castrop. *n. 3.* De cætero si miles etiam clericus in bello defensivo nullum occidat, aut mutilet, non fit irregularis. arg. *c. 2. de immunit. Eccleſ.* quia cùm defensio illa sit juris naturæ, credendum non est, illam inducere impedimentum canonicum, quamvis secus sit de illis pugnantibus in bello offensivo voluntariè, & non coactè, ùt Castrop. *l. c. n. 5.* citatis Valent. *Tom. 3. d. 3. q. 10. p. 4. col. penult.* Hurtad. *l. c. n. 44.* Con. Bonac. & aliis. Porrò in hac irregularitate ex defectu lenitatis dispensare, & eam tollere nequit nisi Papa. Sayr. *L. 6. c. 19. ad fin.* Bonac. *d. 7. q. 4. p. 4. in fine.* Suar. *cit. d. 47. S. 6. in fine.* Castrop. *l. c. n. 6.* Sufficere autem ad eam impediendam Papam concedere Clerico facultatem propriâ manu pugnandi, non tamen concedendo solùm assistere pugnæ, tradunt ex communi Covar. *in Clem. ſi furioſus. 2. p. §. 3. n. 1.* Nav. *c. 25. n. 75.* Mol. *de juſt. tr. 2. d. 108. verſ. eſt vero.* Suar. *de bello. d. 13. S. 3. n. 6.* Castrop. *n. 7.* & alii apud illum. Ad irregularitatem incursam defectu lenitatis, dum quis partem sui corporis, etiam usum Ordinis non impedientem per indignationem, aut zelo indiscreto sibi abscindit, aut per alium abscindi permittit, juxta expressum textum. *c. qui partem. diſt. 55.* & prout tradunt Mol. *tr. 3. d. 67. in fine.* Sayr. *L. 6. c. 7. n. 13.* Suar. *de cenſ. d. 51. S. 2. à n. 7.* Bonac. *l. c. q. 2. p. 2. n. 29.* Castrop. *tr. 29. d. 6. p. 12. n. 1.* Aliique apud illos, debere tam hanc absciſſionem quàm culpam esse notoriam, volunt Nav. *c. 27. n. 198.* Henriq. *L. 14. c. 8. n. 4.* Covar. *l. c. in pr. n. 6.* Avil. *de irreg. p. 7. d. 3. du. 1. verſ. præterea.* aliique plures apud Sayr. contrarium verius reputantibus Castrop. *l. c. n. 2.* Mol. *tr. 2. d. 70. n. 16.* Sayr. *L. 6. c. 7. n. 12.* Garc. *de benef. p. 7. c. 12. n. 5.* contrahi autem hanc irregularitatem, si à dante causam culpabilem, ut sibi virilia aliúdve membrum amputetur à Judice, vel etiam à marito ob

com-

commissum adulterium, censent Ugol. *de irreg. c.* 18. *n.* 1. Suar. *d.* 51. *S.* 2. *n.* 8. Laym. *L.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 7. *in fine.* Avil. *l. c. du.* 1. Mol. *l. c. tr.* 3. *d.* 70. *n.* 18. contrarium sentientibus Hurtad. *diff.* 14. *n.* 52. Cön. *de irreg. d.* 18. *du.* 13. Castrop. *cit. p.* 12. *n.* 3. *&c.* eò quòd textus juris loquentes de hac irregularitate faciant tantùm mentionem de eo, qui ex indignatione & zelo indiscreto castitatis sibi membrum amputavit per se vel per alium, & nullus de eo, qui ad hoc causam dedit. Et ideo non improbabile censet Castrop. *n.* 4. non fore irregularem, qui sibi testiculos abscindi fecit vocis retinendæ causâ, idque etiam, quia jura inducentia hanc irregularitatem de virilium, & non de abscissione testiculorum loquuntur. Illud verò receptum dicit à D. D. non incurri irregularitatem, ac ita docent Nav. *l. c. n.* 196. Suar. *l. c. n.* 10. Henriq. *l. c. n.* 4. Avil. *l. c.* Castrop. *num.* 5. ob imbecillitatem membri ejúsve carentiam sine culpa propria contingentem, v. g. Si natus est quis sine pudendis, aut per vim castratus à parentibus, ab inimicis vel infidelibus in odium fidei, vel consilio medici aut Chirurgi ob valetudinem, & ab hac irregularitate orta ex sui ipsius mutilatione voluntaria poterit Episcopus dispensare vi Concil. Trid. *Sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* modò mutilatio sit occulta, ùt Castrop. *l. c. n.* 6. Angel. *v. corpore vitiatus*, vel etiam, ùt Avila. *p.* 7. *d.* 3. *du.* 3. *concl.* 2. modò propria culpa sit occulta, licet abscissio sit notoria.

Quæst. 520. *Quinam sint effectus irregularitatis?*

1. Resp. effectus irregularitatis sunt potissimum tres: primus & præcipuus est privatio Ordinis licitè suscipiendi. *can. jurandum. can. si cujus uxor. dist.* 34. non tamen suscipiendi validè, cùm Ecclesia validam susceptionem nullatenus impedire possit, dum adsunt à Christo requisita, nimirum adhibetur legitima materia ac forma à legitimo ministro, ùt Castrop. *tr.* 29. *d.* 6. *p.* 5. *n.* 1. cum Bonac. *de irregul. d.* 7. *p.* 4. & communi, sed & nullibi jura prohibent ab irregulari suscipi primam tonsuram validè (etsi eam ab eo susceptam irritare potuisset, cum institutio illius dependeat ab Ecclesia, Bonac. Castrop. *ll. cit.* Suar. *de cens. d.* 40. *S.* 1. *n.* 1.) sed solùm prohibent eam licitè suscipi, cùm etsi propriè ordo non sit, sub eo tamen latè accepto comprehendatur, & ad prohibitionem suscipiendi eam licitè ab irregulari ex hoc ipso rectè inferatur, quòd hæc tonsura sit dispositio ad ordines, ac proinde, qui incapax est ad hos suscipiendos licitè, eam quoque licitè suscipere nequeat, uti docent Nav. *Tom.* 1. *consilior. cons.* 24. *de temp. ord. n.* 1. & 3. Suar. *l. c. n.* 11. Sayr. *thes. L.* 6. *c.* 1. *n.* 19. Filliuc. *tr.* 18. *c.* 3. *n.* 39. Avil. *l. c. d.* 2. *du.* 6. Castrop. *l. c. n.* 2. Irregularitas verò superveniens ordinato, si est ex delicto, privat ordinatum quolibet exercitio ordinis suscepti, & inhabilem reddit ad alium ordinem suscipiendum. Suar. Avil. *ll. cit.* Covar. *de homicid. p.* 1. §. 1. *n.* 3. Castrop. *l. c. n.* 3. Nav. *c.* 27. *n.* 194. si autem superveniat, impedit solùm ordinem suscipiendum, & ordinis suscepti usum, quem defectuosus exercere seu præstare nequiret, idque, sive defectum culpabiliter sive inculpabiliter contraxisset. Suar. *l. c. S.* 2. *n.* 38. *junctâ S.* 3. *n.* 25. Nav. *l. c. n.* 191. Castrop. *l. c.* De cætero nulla irregularitas privat actionibus communibus laicis cum clericis, quales sunt recipere Sacramenta præter ordinem, audire officia divina, sepeliri in loco sacro, baptizare sinè solennitate, communicare cum fidelibus. Nav. *l. c.* Suar. *d.* 40. *S.* 2. *num.* 8. Covar. *l. c.* §. 1. *initio.* Castrop. *l. c. n.* 4. Cön. *d.* 18. *du.* 1. *n.* 4. Bonac. *de irreg. d.* 7. *p.* 4. *n.* 5.

2. Effectus secundus est privatio quorumcunque beneficiorum obtinendorum, si irregularitas sit absoluta seu totalis, arg. *c. dudum. de elect. c. fin. de cler. duell.* cùm enim beneficium supponat Ordinem, vel saltem primam tonsuram, qui incapax est primæ tonsuræ recipiendæ, qualis est, qui absolutè irregularis est, etiam incapax est recipiendi aliquod beneficium, exercendíque, quæ beneficio sunt propria. arg. *c. fin. de Cler. excom. minist.* unde collationem beneficii tali irregulari factam validam esse negant Suar. *l. c. n.* 30. Nav. *c.* 27. *n.* 149. Sayr. *l. c. c.* 2. *n.* 12. Bonac. *l. c.* Avila *l. c. concl.* 1. Henriq. *L.* 14. *c.* 2. *n.* 5. & alii apud Castrop. *l. c. n.* 6. qui tamen *n.* 7. uti & alii censent ex data ratione plùs non inferri, quàm talem collationem esse illicitam, & venire irritandam, non tamen ipso jure esse nullam, plures autem effectus & pœnæ tribuendæ non sunt irregularitati, quàm in jure expressæ, ùt bene Suar. & Castrop. *ll. cit.* apud quem postremum vide, qualiter plures textus juris, quibus contrarium, nempe invaliditas talis collationis ipso facto indicari videtur interpretandi, multò minus itaque irregularis ipso facto erit incapax jurisdictionis ecclesiasticæ sive delegatæ sive ordinariæ secundùm se, adcóque nec quatenus annexa beneficio, dum ipsius beneficii suscipiendi irregularis ipso jure incapax non est. De cætero loquendo generaliter, sicut irregularis inhabilis ad beneficium suscipiendum, ita etiam inhabilis est ad jurisdictionem ordinariam, quippe beneficio, cujus regulas sequitur, suscipiendam. Suar. *l. c. S.* 2. *n.* 2. Dico: *ad ordinariam jurisdictionem*, nam jurisdictio delegata irregulari ad quælibet alia munera præter usum Ordinis concedi potest, quia nullibi cavetur ad eam suscipiendam irregularem inhabilem esse. Bonac. *de irreg. d.* 7. *q.* 1. *p.* 4. *n.* 12. Dixi etiam ad initium hujus §. *si irregularitas sit absoluta:* si enim sit partialis superveniens ordinato non ex delicto, sed ex defectu (qualis est, de qua in *c.* 2. *de Cler. ægrotante*) potest irregulari licitè & validè conferri beneficium non requirens usum repugnantem defectui. Valent. *Tom.* 4. *d.* 7. *q.* 19. *punct.* 2. *vers. & dicendum.* Sayr. *l. c. n.* 3. Garc. *de benef. p.* 7. *c.* 12. *n.* 19. Castrop. *l. c. n.* 5.

3. Effectus tertius irregularitatis est secundum aliquorum D. D. sententiam, privatio beneficiorum ante irregularitatem acquisitorum, eò quòd irregularis plerumque incapax exercendi officium, ratione cujus beneficium conceditur, ita ut proinde obligatus videatur beneficium dimittere, cùm ejus obligationi satisfacere nequeat. Nihilominus oppositam sententiam, quòd nimirum illa privatio non inducatur ipso jure, sed ad illam requiratur officium seu sententia Judicis, saltem declaratoria criminis, prout colligitur ex *c. fraternitati. de cler. excom.* & *c. postulastis.* §. *quæsivistis. ead. c. ex literis. de excessib. Prælatorum.* tanquam communem tuentur Valent. *l. c.* Sayr. *l. c. n.* 21. Suar. *l. c. n.* 15. Nav. *l. c. dicto* 5. Laym. *Lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. Riccius *in prax. decis.* 185. *ad finem.* Henriq. *l. c.* Bonac. *l. c. n.* 8. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c. n.* 9. cùm nullus sit textus in jure hanc pœnam ipso jure inducens, neque ea inferatur ex verbis Trid. *Sess.* 14. *c.* 7. loquente specialiter de irregularitate homicidii: *qui suâ voluntate homicidium perpetravit, omni ordine & beneficio ecclesiastico perpetuò careat*; nam ùt Castrop. *l. c. n.* 10. cum Suar. *l. c. d.* 44. *S.* 4. *num.* 32. verba hæc intelliguntur non pari-

pariformiter quò ad singula, sed juxta rerum naturam, ita ut carentia Ordinis, quam inducit ex hoc capite ipso jure incurratur, privatio verò beneficiorum acquisitorum plerumque expostulet sententiam Judicis, ùt Suar. & Castrop. *ll. cit.* Covar. *l. c. p. 2. §. 3. n. 6.* Salcedo *in sua pract. c. 94.* Tametsi autem beneficiatus incidens in irregularitatem ex delicto non teneatur se privare suo beneficio, sed illud retinere possit, usque dum per sententiam privetur, tenetur tamen procurare dispensationem, & interea satisfacere per alium oneribus seu actionibus, quæ ratione irregularitatis illi sunt prohibitæ, Castrop. *n. 11.* non enim ei illicitum est assumere coadjutorem pro aliquo tempore ex tam gravi causa, ùt idem cum Suar. *l. c. n. 19.* Navarr. *L. 5. conf. 17. de homicid.* non tamen retinere potest beneficium, cui Sacer Ordo annexus, quem ipse per se exercere nequit, si est in mora petendi dispensationem, vel desperat, dispensationem obtinendam brevi tempore. Avil. *p. 7. d. 2. du. 6. vers. hinc sequitur.* Bonac. *de irreg. d. 7. p. 4. n. 10.* Laym. *L. 1. tr. 5. p. 5. c. 1. corol. 3.* Cön. *d. 17. du. 1. n. 5. &c.* Posse quoque irregularem ex delicto, si nolit vel non possit impetrare dispensationem, beneficium resignare in favorem, ac si nullam irregularitatem contraxisset etiam pendente accusatione, eò quòd, quousque accedat sententia, & condemnetur, retineat jus in beneficio, docent Abb. *in c. nisi cùm pridem. de renunc. n. 1.* Felin. *in c. inquisit. de accus. col. 3.* Gom. *in reg. de annal. possess. q. 42. n. 3.* Suar. *d. 40. S. 2. n. 19.* Castrop. *l. c. num. 15.* idque etiam non obstante, quòd alius durante accusatione super irregularitate impetret beneficium irregularis, casu quo quis per sententiam illo privetur, & irregularis sit conscius hujus impetrationis, cùm in hoc nullam fraudem committat, quia utitur jure suo. Ita Mol. *tr. 3. de just. d. 78. n. 2.* cui inhærere videtur Castrop. *n. 16.* De cætero licet irregularis ex delicto homicidii voluntarii ex Decreto Concil. Trid. *Sess. 14. c. 7.* privandus veniat beneficiis obtentis, non tamen pensionibus, sed harum privatio relinquitur Judicis arbitrio, spectatâ delicti qualitate, ùt decisum à S. Congreg. Cardinalium interpretum Trid. Riccius *decis. 524.* Barb. *in cit. loco. Trid.* Suar. *cit. d. 44. S. 4. n. 34.* apud Castrop. *l. c. n. 12.* Sed neque privandus per sententiam fructibus beneficii, si munera, quæ ratione beneficii tenebatur exercere, exercuit per se vel alium, cùm jus habeat percipiendi illos posito muneris exercitio. Suar. *d. 40. S. 2. n. 10.* Filliuc. *tr. 19. n. 69.* Laym. *l. c.* Neque quis ob supervenientem irregularitatem privatur jurisdictione ad forum contentiosum pertinente, unde poterit adhuc excommunicare, eligere, beneficia conferre, assistere matrimonio, si parochus est. Cön. *d. 18. du. 1. n. 7.* Laym. *l. c. corol. 2.* Filliuc. *l. c. n. 74.* Suar. *l. c. S. 2. n. 12. & 24.* Bonac. *cit. p. 4. n. 12. & 17.* Castrop. *n. 14.*

Quæst. 521. Qualiter tollatur irregularitas?

1. Resp. tametsi passim DD. tradant irregularitatem tolli triplici viâ, nimirum baptismo, professione religiosâ & dispensatione; per baptismum tamen re rectè consideratâ nullam tolli irregularitatem bene dicit Castrop. *l. c. p. 7. n. 1.* eò quòd nulla irregularitas baptismum antecedat, quippe introducta jure ecclesiastico, quod nullam vim habet in eos, qui extra ecclesiam sunt, quales sunt non baptizati, sint etiam aliqui defectus contracti ante baptismum, qui post illum remanentes baptizatum constituunt irregularem, v. g. bigamia ante baptismum contracta, cæcitas post baptismum perstans, illegitimitas (utpote quæ per baptismum non aboletur) infamia, intellige juris, quæ ex sententia condemnatoria procedit, estque perpetua, & non facti ex facto ante baptismum commisso orta, quam post & per baptismum aboleri, cùm per illum perfectè deleatur peccatum, adeóque & infamia illi annexa, sentiunt Sayr. *thes. L. 7. c. 13. n. 2.* Henriq. *L. 14. c. 7. n. 2.* Laym. *l. c. c. 6. n. 8.* Castrop. *l. c.*

2. Professione religiosâ seu emissione votorum in religione approbata irregularitatem ex defectu natalium contractam in Ordine ad suscipiendos Ordines tolli, docent Suar. *d. 41. S. 1. n. 3.* Sanch. *de mat. L. 7. d. 86. n. 4.* Sayr. *l. c. n. 9.* Majol. *L. 5. c. 51. n. 13.* Laym. *l. c. c. ult. in fine.* Castrop. *l. c. n. 2.* Henriq. *l. c.* Nav. *c. 27. n. 20.* Arg. *c. 1. de filiis presbyt.* juncto *c. fin. eod.* & ibi Gl. *fin.* manente tamen eorum inhabilitate ad dignitates & Prælaturas, ùt iidem AA. quamvis etiam religiones omnes privilegium habere, ut patientes defectum natalium promoveri possint ad prælaturas, testetur Sayr. *l. c.* & habetur in nostris privilegiis, *v. dispensatio. §. 2.* independenter tamen à privilegio, quod concessum Præposito generali Societatis pro foro conscientiæ relaxandi quamvis irregularitatem etiam ortam ex bigamia & homicidio voluntario, item concessum mendicantibus à Martino V. teste Rodriq. *Tom. 1. qq. reg. q. 24. a. 12.* Nisi irregularitas orta ex homicidio voluntario sit notoria, per religionis ingressum tolli exceptâ bigamiâ, sine fundamento asseri à Soto. *in 4. dist. 25. q. 1. a. 3.* advertunt Sanch. Laym. Sayr. cæteríque paulò ante citati AA. *ll. cit.*

3. Dispensatione tollitur quæcunque irregularitas per Summum Pontificem, utpote ab eo ortum habens, etsi rariùs in irregularitate bigamiæ propriè talis, cùm ea descendat ex apostolica traditione, & homicidii voluntarii dispensare soleat, estque dispensatio ab eo facta sine causa valida (cujus contrarium est in dispensatione facta ab inferiore) non tamen licita. De cætero potestatem dispensandi in qualibet irregularitate jure ordinario competere Episcopo, quando Papa eam sibi non reservavit, non rectè argui ex *c. nuper. de Sent. excom.* ubi: quòd, quando conditor Canonis absolutionem ab excommunicatione non reservavit specialiter sibi, eam aliis concessisse censeatur, ostendit Castrop. *l. c. n. 4.* cum Suar. *d. 41. S. 2. n. 3.* hâc adductâ ratione disparitatis, quòd absolutio ab excommunicatione maximè necessaria saluti fidelium, cùm ea impediat Sacramentorum receptionem, Suffragia Ecclesiæ fidelium inter se, hæc autem in irregularitate non procedant, utpote quæ solùm impedit Ordinum susceptionem & usum ad salutem non necessarium, ac proinde potiùs contrarium dicendum, nimirum quòd, quoties dispensatio in irregularitate concessa non est, ea reservata sit Papæ. Porrò ut potestas dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, & ad forum contentiosum non deductis, exceptâ proveniente ex homicidio voluntario, concessa Episcopis à Trid. *Sess. 24. c. 6. de reform.* exerceri ab illis possit, requiritur

4. Primò: ùt dispensandi sint ordinariæ illius jurisdictioni subjecti, quales non sunt respectu illius subditi Archiepiscopi, utì nec respectu hujus subditi suffraganeorum, utpote quorum superior non est, nisi in casibus ad eundem per appellationem devolutis. *c. duo. & c. pastoralis. de offic. Ordinar.* vel dum denegata subditis suffraganei absolutione

lutione, hi pro ea recurrant ad Metropolitanum, Henriq. *l.* 4. *c.* 13. *n.* 3. Avil. *de irreg. d.* 10. *du.* 6. *notab.* 2. *concl.* 1. Sanch. *l.* 4. *in deca. c.* 32. *n.* 12. Castrop. *n.* 6. Quod ipsum licet Henriq. & Avila extendant ad tempus, quo Metropolitanus visitat diœcesin suffraganei, ita ut is tunc dispensare possit cum subditis suffraganei in irregularitate eorum, rectius tamen id negant Suar. *de cens. d.* 41. *s.* 2. *n.* 12. Sayr. *in clavi reg. l.* 6. *c.* 11. *n.* 80. Sanch. *in decal. l.* 2. *c.* 11. *n.* 6. Castrop. *l. c. n.* 6. cùm id nullibi concessum metropolitano, etiamsi ei concessa potestas pro tunc absolvendi subditos suffraganeorum, *c. fin. de censibus. in* 6. Nomine autem Episcopi in Trid. pro dispensationibus faciendis non venit Vicarius illius generalis, nisi specialiter ei concessa hæc potestas. Castrop. *n.* 7. Sanch. *l.* 2. *de mat. d.* 40. *n.* 11. citatis aliis. Neque etiam Prælati regulares respectu religiosorum sibi subditorum, quia non habent diœcesin, quod, ut fruantur hoc privilegio, requirere videtur Trid. dum dicit: *Episcopis in sua diœcesi.* Sanch. *de mat. l.* 8. *d.* 2. *n.* 3. unde teste Rodriq. *qq. reg. Tom.* 1. *q.* 6. *a.* 9. Pius V. in motu quodam proprio hanc facultatem Trid. absolvendi & dispensandi extendit ad Prælatos regulares, etiam locales religionum exemptorum respectu suorum religiosorum, unde hi poterunt quo ad hoc cum suis subditis in foro conscientiæ, quod possunt Episcopi virtute Trid. ut probat Rodriq. *l. c.* Suar. *Tom.* 4. *in* 3. *part. d.* 30. *s.* 2. *n.* 7. Sanch. *in decal. l.* 2. *c.* 11. *n.* 7. Veniunt tamen nomine Episcopi Capitulum sede vacante, utpote succedente in iis, quæ competunt Episcopo jure ordinario speciali ùt Abb. *in c. verum de foro compet. n.* 9. Felin. *in c. cum te. de rescript. num.* 17. Sanch. *de mat. d.* 2. *n.* 10. Hæc autem potestas dispensandi in irregularitatibus & absolvendi à quibuscunque casibus occultis competit Episcopis jure ordinario, & non tanquam sedis Apostolicæ delegatis, ùt Sanch. Castrop. *ll. cit.* Idem competit Abbatibus aliisque Prælatis habentibus propriam diœcesim, in qua exercent jurisdictionem quasi episcopalem independenter ab Episcopo, Sayr. *in clavi reg. l.* 6. *c.* 12. *n.* 83. Avil. *l. c. d.* 20. *du.* 6. cùm hæc potestas contenta in Trid. utpote beneficium Principis sit, latè interpretanda, & hi Prælati non differant nisi consecratione ab Episcopis, qui etiam non consecrati id possunt, ùt Sanch. *de mat. l. c.* Suar. *d.* 41. *s.* 2. *n.* 7. Nomine subditorum in dicto decreto veniunt, qui in diœcesi Episcopi habent domicilium stabile, etsi partiale, utpote habentes quoque aliud in alia diœcesi. Sanch. *in decal. l.* 2. *c.* 11. *n.* 8. Castrop. *n.* 8. item ex recepta sententia, qui majore tantum parte anni in diœcesi commorantur, ùt Sanch. *de mat. l.* 3. *d.* 23. *n.* 11.

5. Requiri secundò videtur ad usum facultatis dispensandi in irregularitate concessæ Episcopo per Trid. ut eam exerceat in sua diœcesi, ùt vult Bonac. *de irreg. d.* 7. *q.* 5. *p.* 1. *n.* 5. Verùm dictis verbis: *in diœcesi sua*: non videtur limitare consilium ad exercendam eam tantùm in sua diœcesi, quia aliàs clarioribus verbis usum fuisset, dum inhibuit Episcopis exercere pontificalia in aliena diœcesi, & præterquam quòd verba illa non addiderit, cùm loqueretur de dispensationibus, sed tantùm, dum agebatur de potestate absolvendi à casibus occultis & reservatis, ùt notant Sanch. *in decal. l. c. n.* 12. Suar. *l. c. n.* 10. Sensum illorum non inferunt, quòd Episcopus extra suam diœcesim existens non possit dispensare, sed potiùs contrarium, nimirum quòd existens extra diœcesim suam possit dispensare in qualibet irregularitate, & absolvere à quibuscunque, cum subdito suo existente quoque extra suam diœcesim, quia jurisdictionem voluntariam ubilibet exercere potest.

6. Requiritur tertiò: Ad dispensandum ab Episcopo in irregularitate ut ortum habeat ex delicto occulto, quale est, quod probari quidem potest testibus, ignoratur tamen à majore parte populi seu communitatis, ubi commissum est, v. g. à sex, dum in ea sunt decem. Quòd si tamen de delicto in una parte populi publico & notorio, in altera parte ignorato & probabiliter non sciendo seu publicando petatur absolutio vel dispensatio, posse Episcopum virtute Trid. absolvere, vel in irregularitate inde orta dispensare censent Sanch. *l.* 2. *c.* 11. *n.* 21. Avila *p.* 2. *c.* 7. *d.* 1. *du.* 11. *concl.* 3. eò quòd esse occultum, vel non esse occultum intelligi debeat in ordine ad locum, in quo petitur dispensatio, cujus contrarium Castrop. *l. c. n.* 10. censet probabilius, quia irregularitas talis dici non potest ex delicto occulto, cùm, quod in una parte est publicum, absolutè dici debeat publicum, ne aliàs vix inveniretur irregularitas, in qua Episcopus dispensare non possit, cùm nulla sit irregularitas, quæ alicui ignota non sit. Multò magis requiritur, ut irregularitas non sit deducta ad forum contentiosum, etiamsi dispensatio petatur in eo loco, ubi ad illud deducta non sit. Dicitur autem deducta ad forum contentiosum, dum delatum est Judici & delatio intimata parti seu hæc citata, imò si dicatur judicium non incipere à citatione, sed à litis contestatione, ùt tradunt Gl. *in L. si is Romæ. v judicium.* & Gl. *in C. relatum. de off. deleg.* Decius & Alciat. *in rub. de in jus vocando.* poterit Episcopus, quamdiu lis contestata non est, absolvere ab irregularitate, Castrop. *l. c. n.* 11. quod idem poterit, postquam ad forum contentiosum irregularitas deducta, & irregularis ex defectu plenæ probationis, vel falsis probationibus absolutus fuit, ab instantia & observatione judicii, etiam per sententiam interlocutoriam, maximè verò per sententiam definitivam, cùm per utramque judicium sit finitum, ita Henriq. *l.* 14. *c.* 20. *n.* 4. Sanch. *de mat. l.* 8. *s.* 34. *à n.* 17. Mol. *de just. tr.* 3. *d.* 79. *n.* 8. Filliuc. *tr.* 20. *c.* 10. *n.* 169. Bonac. *Tom.* 1. *d.* 7. *q.* 5. *p.* 1. *num.* 5. *vers. dixi.* & alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c. n.* 12. Item idem posse Episcopum, dum delictum integrè probatum, & reus condemnatus & punitus, docent Laym. *L.* 1. *Sum. tr.* 5. *p.* 5. *c.* 9. *n.* 6. Hurtad. *diffic.* 20. *n.* 68. Sanch. Avil. Henriq. eò quòd jam satisfactum fini, ob quem Concil. negavit Episcopis facultatem absolvendi, qui fuit, ne reus absolveretur à delictis publicis eorúmque pœnis, priusquam publico scandalo satisfieret, & ne authoritas Judicum minueretur, si pendente eorum judicio reus absolveretur, quod etsi probabiliter dici censeat Castrop. *n.* 13. probabiliùs tamen existimat contrarium cum Gutt. *L.* 1. *can. qq. c.* 3. Garcia. *de benef. p.* 7. *c.* 11. *n.* 20. & Bonac. *d.* 7. *q.* 5. *p.* 1. *n.* 6. *circa finem*, eò quòd factâ illa deductione integráque probatione & condemnatione delictum publicum sit & notorium notoreitate juris, in Trident. autem concessa non sit facultas dispensandi in irregularitate orta ex publico & notorio delicto.

7. Denique hìc notanda sequentia; primò: quòd cùm potestas hæc dispensandi ab irregularitate concessa sit Episcopis, & verba illa: *pro foro conscientiæ:* à Trid. apposita sint, dum loquitur de absolutione à casibus reservatis, & non, dum loquitur de dispensatione, ea non tantùm pro foro conscientiæ, sed etiam pro foro externo servire debeat. Sanch.

l. 2. in decal. c. 11. n. 12. Castrop. *l. c. n. 14.* Secundò: quòd, cùm hæc potestas sit jurisdictionis voluntariæ, utì & absolutio, & jure ordinario competat Episcopis, sit ab illis delegabilis. Majol. *L. 2. de irreg. c. 2. in fine.* Sanch. *l. 8. de dispens. d. 3. n. 3.* Suar. *de cens. d. 41. s. 2. num. 15.* Avil. *p. 7. de irreg. d. 10. du. ult.* Bonac. *de irreg. d. 7. q. 5. p. 1.* Castrop. *n. 15.* Tertiò: Quòd, si de pluribus irregularitatibus impetranda dispensatio, facienda necessariò mentio illarum, quæ sunt ex diverso delicto, quia auferri potest una sine altera, si verò irregularitates plures sint ejusdem rationis, V. G. ex pluribus celebrationibus in excommunicatione, necessarium sit exprimere eas in genere, non tamen singulas vices in particulari. Henriq. *L. 12. de mat. c. 10. n. 3.* Sanch. *de mat. d. 24. n. 7.* Nav. *c. 27. n. 32.* Avil. *l. c. du. 8.* Castrop. *n. 16.* Suar. *d. 44. s. 2. n. 28.* certum id esse dicens de irregularitatibus homicidii. Quartò: Exceptionem à potestate seu privilegio dispensandi in privilegio concesso religionibus & Episcopo esse strictè interpretandam, v. g. si in privilegio excipiatur exceptio irregularitatis ex bigamia, non de similitudinaria bigamia, sed de propriè tali intelligendum est, Castrop. *num. 17.* cum Laym. *l. c.* Quintò: Episcopum vel Prælatum conscium irregularitatis, in qua dispensare potest, si irregularem admittat ad Ordines vel beneficium, censeri dispensare cum eo. Sylv. *v. irregularitas. q. 28.* Majol. *de irreg. l. 5. c. 51. num. 8.* Suar. *d. 41. s. 3. n. 4.* Avil. *l. c. du. 6.* Sayr. *l. 7. thes. c. 14. n. 11.* Bonac. *l. c.* Castrop. *n. 18.* quæ tamen tacita dispensatio facta à Prælato Papâ inferiore non admittitur in foro externo, Castrop. *l. c.* & apud hunc Suar. citans Abb. Felin. Jo-And. Nav. &c. Sextò: Dispensatum etiam à Papa ad Ordines, non censeri hoc ipso ad beneficia curata, dignitates & prælaturas. Imola *in c. postulasti. de rescript. num. 4.* Felin. *n. 10.* Sa. *v. dispensatio. n. 14.* Sayr. *l. 6. thes. c. 11. n. 12.* Castrop. *n. 19.* Item dispensatum ad Ordines, censeri dispensatum ad solos Ordines minores, quia dispensatio strictè interpretanda, dispensatio facta initiato minoribus intelligenda est facta pro majoribus, ne sit inutilis & frustranea, Sanch. *de mat. d. 1. n. 26.* Castrop. *n. 20.* Septimò: Episcopum concedentem dimissorias ad Ordines hoc ipso concedere facultatem, ut ab ordinante dispensetur in irregularitate, alióque impedimento impediente susceptionem Ordinum. Angel. *v. irregularitas. n. 34.* Sylv. *ibid. q. 9. n. 11. infine*, cùm concessâ facultate ad Ordines, concessa sint ea, sine quibus illi susci pi nequeunt. Arg. *c. præterea. de off. deleg.* & *L. 2. ff. de jurisdict. omn. Jud.* quod verum esse ait Castrop. *n. 21.* si Episcopus dimittens sit conscius irregularitatis; secus, si sit ignarus impedimenti, eò quod esto dispensatio irregularitatis præmittenda sit susceptioni Ordinum, non tamen necessarium eam præmitti ab eo, qui Ordines ex delegatione collaturus est. Ita Castrop. *l. c.* cum Sanch. *l. 8. d. 1. n. 25.*

Quæst. 522. Privatio numerata inter pœnas ecclesiasticas quid sit, & qualiter incurratur quisque ejus effectus?

1. Resp. ad primum: Privatio hæc est pœna ecclesiastica, quâ quis ob delictum privatur beneficio dignitate vel officio ecclesiastico priùs ritè obtento.

2. Resp. ad secundum: Incurritur vel ipso jure, dum nimirum à jure ita annexa est perpetrationi criminis, ut eâ completâ quamprimum sine facto, citráque omnem Judicis sententiam beneficio, dignitate, officio exutus existat, aliquando ministerio seu per sententiam Judicis, dum nimirum etsi jure seu per leges decreta sit crimini, non tamen incurritur actu, priusquam ademptio per sententiam condemnatoriam sequatur, quâ reus non solùm commisisse crimen declaretur, sed expresè irrogetur & infligatur, ita ut priusquam hæc accidat, beneficium ab alio impetrari nequeat, neque à reo resignari possit, qui etiam fructus ante hanc sententiam fecit suos, post eam restituere non teneatur. Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 8. n. 8.* Laym. *l. 4. tr. 2. c. 17. num. 2.* Pith. *ad tit. de concess. præb. num. 27.*

3. Resp. ad tertium: Privationis ipso jure inductæ effectus notabiles sunt sequentes; primò: quòd ipso criminis perpetrati facto amittatur titulus seu proprietas beneficii, ita ut illud vacet, & tanquam tale impetrari possit ab alio, Arg. *c. licet. de præb. & dignit. in 6.* Secundò: quòd ab ipso commissi criminis die proventus beneficii non faciat suos, & à tunc perceptos restituere teneatur. *Extrav. cùm detestabile. 2. inter comm. de Simon.* Tertiò: Quòd sic privatus beneficio illud amplius permutare aut in favorem resignare non possit. Quartò: Quòd si sic privatus moriatur non tanquam per obitum, sed tanquam ex delicto vacans beneficium impetrari possit, eò quòd titulus & proprietas illius jam ante obitum fuerit amissa. Azor. *p. 2. inst. mor. l. 7. c. 17. q. 2.* Barb. *de off. Epis. Alleg. 67. à num. 253.* Non tamen possessionem beneficii statim dimittere teneatur reus, sed in ea perseverare possit, donec super beneficii & fructuum retentione impetret dispensationem, vel à competente Judice per sententiam declaretur reus criminis, cui annexa privatio; ùt Covar. *l. c.* Felin. *in C. Rodulphus de rescript. n. 38.* Sotus *l. 2. de just. q. 6. a. 5.* Gutt. *l. 2. qq. can. c. 5. n. 28.* Azor. *l. c. q. 3.* Piasec. *pr. episc. p. 2. c. 4. a. 14. n. 18.* Cætera de hac privationis pœna accuratè tractata invenies in *meo foro benefic. parte 3. locis designatis in indice dicta part. v. privatio.*

Quæst. 523. Depositio quid & quotuplex sit?

1. Resp. ad primum: Depositio, de qua hìc est pœna ecclesiastica, quâ clericus removetur perpetuò & ex jure ordinario irremissibiliter à beneficio, officio, ab ordine puta Clericali, Sacerdotali, Episcopali, non quidem quò ad characterem, quia hic inamissibilis seu indelebilis, sed quò ad exercitium, seu executionem illius, v. g. ministrationem solennem in ordine Subdiaconi & Diaconi, celebrationem, absolutionem Sacramentalem, collationem Ordinum à beneficio, v. g. à parochia ejúsque administratione, perceptione fructuum, non tamen à titulo seu proprietate illius, unde patet, eam vix differre à suspensione perpetua, cùm nec illa privet proprietate, sed solùm administratione, Castrop. *tr. 29. d. 4. p. ult. n. 1.* quamvis, ùt Idem cum Abb. *in c. veritatis de dolo & contumac. n. 3.* Suar. *de cens. d. 30. s. 1. à n. 4.* Laym. *L. 1. sum. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 2. & 3.* depositus ipso beneficio privandus veniat, & ferè semper eo privetur, quia privatur in perpetuum officio, ratione cujus beneficium conceditur, & nemo beneficium habere debeat, qui ejus fructuum perceptione & administratione perpetuò est interdictus. Unde non immeritò Abb. depositionem quandoque vocat privationem beneficii, quin &, ubi in jure quis jubetur deponi à solo officio, nullâ factâ mentione de beneficio, cui officium

ficium correspondet, hoc ipso indirectè deponendum esse à beneficio ob eandem rationem, quia beneficium datur propter officium, cum gl. *in can.* 1. *caus.* 1. *q.* 3. Suar. *l. c. n.* 14. & Laym. *l.c.* asserit Reiffenst. *h. t. n.* 23.

2. Resp. ad secundum: depositio alia est verbalis totalis, de qua hucusque dictum, quæque intelligitur, dum quis simpliciter & sine addito jubetur deponi, fitque & fieri solet per sententiam oretenus proferendam, & est propriè simpliciter loquendo depositio. Barb. *de off. & potest. Episc. alleg.* 110. *n.* 2. Alia partialis, quæ vel à solo officio vel à solo beneficio dejicit criminatum, quâ si signatè quis in jure deponitur à solo beneficio, nequaquam ab Ordinibus & officio depositus aut deponendus est. Suar. *de cens. d.* 30. *S.* 1. Reiffenst. *h. t. n.* 7. dum autem depositus beneficio spoliatus non est, alimenta ei assignanda ex fructibus beneficii, ne cum opprobrio mendicare cogatur. Felin. *in c. ex parte. de accusat. n.* 4. Suar. *l. c. n.* 3. & 4. Sayr. *L.* 4. *thes. c.* 22. *in fine.* Castrop. *l. c.* Avil. *de cens. p.* 4. *d. unic. du.* 1. *concl.* 3. Laym. *L.* 1. *Sum. tr.* 5. *p.* 3. *c.* 5. *n.* 2. & 3. quin etiam post beneficii spoliationem subministranda hæc alimenta, censent Sayr. & Avila. Verùm posterioris contrarium rectiùs doceri à Covar. *L.* 3. *var. c.* 13. *n.* 8. & Bonac. *de cens. Tom.* 1. *d.* 4. *p. unic. n.* 8. ait Castrop. *l. c.* eò quòd depositus sibi imputare debeat eam, quam patitur, necessitatem, neque in opprobrium clericatûs cedat, quòd sic depositus hac alimentorum privatione puniatur, maximè, ùt Laym. *n.* 3. si post depositionem incorrigibilis existat.

Quæst. 524. *Num depositus simpliciter & absolutè privetur privilegio clericali fori & canonis?*

Resp. negativè: nisi in sententia depositionis expressè exprimatur hæc privatio. Abb. *in c. at si Clerici de judiciis. §. de adulteriis. n.* 2. Nav. *c.* 27. *n.* 81. Diaz. *pract. à n.* 9. Suar. Avil. *LL. cit.* Bonac. *l. c. n.* 3. Castrop. *l. c. n.* 2. Barb. *p.* 3. *de potest. episc. alleg.* 110. *n.* 3. Wiestn. *h. t. n.* 73. arg. *c. cum non ab homine. de judiciis.* ubi Clericus depositus non permittitur curiæ sæculari, nisi crescentiâ fiat incorrigibilis, quam ipsam etiam limitationem ad summum habere veritatem post incorrigibilitatis declarationem, quinimò satis probabile esse, opus esse non solùm sententiâ declaratoriâ incorrigibilitatis, sed etiam privativâ dicti privilegii ob incorrigibilitatem, eò quòd nullibi cautum videatur amitti privilegium illud clericale, astruit Castrop. *l. c. n.* 3. citans pro hoc Laym. *l. c. tr.* 6. *p.* 5. *c.* 5. *n.* 3. Suar. *l. c. n.* 7. Tolet. *L.* 1. *c.* 50. *§. adverte.*

Quæst. 525. *An & quando Episcopus in pœna depositionis dispensare possit?*

Resp. tametsi, ùt dictum in definitione depositionis, ea ex natura sua sit perpetua & irremissibilis, & vel hoc ipso inducat perpetuam inhabilitatem ad quodvis beneficium, tam à quo depositus est, quàm ad aliud denuò obtinendum, ùt cum Suar. *l. c. n.* 5. Reiffenst. *h. t. n.* 26. potest tamen Episcopus cum clericis ob adulterium eóque minora crimina post peractam pœnitentiam dispensare, eósque in integrum restituere ex concessione ab Alexand. facta *in cit. c. at si Clerici.* Abb. *in cit. c. §. de adulteriis, à n.* 1. Barb. *ibid. n.* 8. & Gonz. *n.* 1. qui etiam hanc restitutionem depositorum cum Abbate astruit Capitulo sede vacante. His non obstante, quòd depositus sit infamis. *can. infames. 6. q.* 1. infames autem famæ restituere solius sit Papæ, arg. *c. cum te. de Sent. & rejudic. L.* 1. §. 10. *ff. de postul.* Nam etsi soli Papæ & Supremo Principi directa restitutio famæ seu in integrum ratione famæ reservetur, indirecta tamen, seu quæ fit per quandam consequentiam *cit.* §. 10. permittitur Prætori; unde licet Episcopus in pœna infamiæ dispensare non possit, potest tamen dispensationem, tollendo depositionem, indirectè tollere infamiam ex ea ortam: ita Abb. *in cit. c. at si clerici. num.* 15. Wiestn. *h. t. n.* 75. Reiffenst. *n.* 29.

Quæst. 526. *Crimina, ob quæ Clericus in perpetuum deponi potest, quænam sint?*

Resp. tametsi priscis canonibus severiori disciplinæ ecclesiasticæ moribus magìs accommodatis multa istiusmodi crimina depositionis pœnæ obnoxia numerarentur, & inter ea adulterium, stuprum, incestus, furtum, homicidium simpliciter talia, iisque etiam minora crimina, hodiedum tamen, rigore illo non parùm remittente, non nisi criminibus, non tantùm purè ex natura sua & objecto gravibus, sed circumstantiis & adjunctis qualitatibus valde atrocibus & scandalosis prudenti arbitrio Judicis hæc pœna depositionis statuenda & infligenda, v. g. adulterio, stupro & incestui violento, homicidio voluntario præmeditato, furto sacrilego rei pretiosæ, aut in majore quantitate, concubinatui notorio & post multas monitiones continuato &c. ita Abb. *in c. at si clerici. de judic. n.* 33. Laym. *L.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 5. *n.* 2. Castrop. *tr.* 29. *p. ult. n.* 4. Arg. *c. si autem. de cohab. Cler. & mul.* Trid. *Sess.* 22. *de observand. in celebr. missar.*

Quæst. 527. *Quid, & quotuplex sit degradatio?*

1. Resp. ad primum: degradatio (quæ & depositio realis vocatur) est pœna ecclesiastica, quâ Clericus Ordine & munere clericali, & consequenter omni beneficio & officio nec non fori & canonis per sententiam solenniter perpetuò privatur & Curiæ sæculari traditur ab eadem juxta leges puniendus, sive ùt alii, ut transeat in potestatem sæcularem, ut instar laici incarcerari ac puniri secundùm leges civiles possit. Dicitur autem: *per sententiam*, quia non infligitur ipso jure, sed per Judicem ecclesiasticum imponi debet, cùm ad eam requiratur certa solennitas jure præscripta. *c. degradatio. h. t. in* 6. Dicitur quoque: *privatur privilegio fori & canonis*, quod tamen ad degradationem tantum verbalem extenditur, Barb. *ibid. n.* 9. Abb. *in c. ad abolendam. de hæret.* cùm, ùt cum gl. *in c. degradatio. in* 6. *v. privilegio. n.* 11. Reiffenst. *h. t. n.* 34. Wiestn. *n.* 76. solummodò verbaliter degradatum percutiens non incurrat excommunicationem. *can. si quis suadente.*

2. Resp. ad secundum: degradatio distincta à depositione simplici, alia est verbalis, quæ fit per sententiam authenticam & solennem, alia realis seu actualis, quæ hanc sententiam certis ceremoniis & ritibus exequitur.

Quæst. 528. *A quibus fiat degradatio?*

1. Resp. primò: degradatio Episcopi verbalis fieri potest à solo Summo Pontifice. *c. accusat. & c. quamvis. 3. q.* 6. Castrop. *cit. p. ult. n.* 7. cum Abb. *in c. grave nimis, de prabend. n.* 4. & *c. non*

Poteſt. de ſent. & re judic. cognitio verò fieri debet à Metropolitano convenientibus Epiſcopis totius provinciæ, quos ad minimum eſſe debere 12. præter Metropolitanum aſtruunt Abb. *in cit. c. non poteſt.* Avil. *p. 4. de unic. du. 4. concl. 2.* Henriq. *L. 13. c. 55. n. 2.* Caſtrop. *l. c. n. 7.* Sic quoque in religioſos exemptos nullum alium quàm Pontificem ferre poſſe ſententiam degradationis, nisi fortè ex conſuetudine vel privilegio id comperat eorum Prælato regulari, ùt cum Nav. *L. 15. conſilior. conſ. 58. de reg. n. 3.* Caſtrop. *l. c.* quale privilegium tametſi neget Avila, ſe inveniſſe in compend. privileg. Minorum, Caſtrop. tamen affirmat, poſſe ad hunc caſum extendi privilegium, quod habetur in *compend. privileg. Societatis JESU, v. Prælatus. §. 3.* nimirum Præpoſitos & Rectores circa religioſos ſuos quò ad facultatem abſolvendi & diſpenſandi in irregularitatibus poſſe, quod poſſunt Epiſcopi in Clericos & laicos ſibi ſubjectos.

2. Reſp. Secundò: Sententiam degradationis verbalis ferre poſſe Epiſcopum proprium confirmatum, etiam non conſecratum (quia non eſt actus Ordinis, ſed Jurisdictionis) in Clericos ſibi ſubjectos uti & ex ejus delegatione Sacerdotem ſimplicem, tradunt Suar. *cit. d. 30. S. 1. n. 18.* Bonac. *c. 1. d. 4. de cenſ. p. unic. n. 10. & 11.* Laym. *l. c. num. 2.* Cön. *d. 16. n. 6.* Avil. *l. c. §. ſecundò ſequitur.* Caſtrop. *cit. n. 7.* unde à potiore id poterit capitulum ſede vacante, utpote ſuccedente Epiſcopo in jurisdictione per vicarium ſuum à ſe electum, Caſtrop. Avil. *ll. cit.* Wieſtn. *h. t. n. 78.* Reiffenſt. *n. 39.* cum communi, contrarium docente Abb. *in c. at ſi Clerici.* Imola *in c. transmiſſam de elect.* Sarmiento & aliis ſentientibus, hanc degradationis ſententiam ſpectare ad Epiſcopum conſecratum. Porrò ad hanc, utì & ad degradationem realem requiruntur plures perſonæ aliæ præter Epiſcopum proprium aut vicarium generalem illius vel capituli ab eo ſpecialiter deputatum condemnationi ſeu degradationi præſentes. In degradatione clerici in Minoribus conſtituti aliqui de clero capitulum repræſentantes, alioquin ſententia erit nulla, *c. penult. 15. q. 7. c. 1. de exceſſ. Prælat.* nisi aliud conſuetudine inductum, ut Suar. *l. c. n. 19.* Laym. *l. c. n. 4.* cum gl. communiter recepta *in c. 2. de pœnis. in 6. v. præſentia.* In degradatione clerici in Sacris conſtituti plures alii Epiſcopi requiruntur, tres in degradatione Diaconi vel Subdiaconi, in degradatione Presbyteri ſex, ut Bonac. *l. c. n. 12.* Cöninch. *l. c. num. 8.* Clar. *pract. crim. L. 5. q. 74.* Caſtrop. *l. c. num. 8.* juxta *can. felix. can. ſi autem. 15. q. 7.* juncto *c. 1. de hæret. in 6.* quæ tamen hodiedum quò ad degradationem conſtitutorum in Sacris mutata ſunt per Trid. *Seſſ. 13. c. 4. de reform.* ita ut loco Epiſcoporum, non tantùm pro crimine hæreſis, ſed & generaliter pro aliis criminibus præter proprium ſufficiant totidem Abbates uſum mitræ & baculi habentes, & ubi hi commodè haberi non poſſunt, Prælati alii ſeu in dignitate eccleſiaſtica conſtituti, vel perſonæ graves conſilio & ſcientiâ juris commendabiles, ùt Suar. *l. c. n. 20.* Barb. *de off. & poteſt. epiſc. alleg. 110. n. 26.* Caſtrop. *cit. n. 8.* Wieſtn. *h. t. n. 79.* Reiffenſt. *num. 41.* Et hæc quò ad degradationem Epiſcopo inferiorum, de Epiſcopis ſiquidem degradandis quò ad ea, quæ jure antiquo ſtatuta, Trid. nihil immutavit, ùt Cön. *l. c. n. 9.* Caſtrop. *l. c.* De cætero dicti ſuffragatores ſeu aſſeſſores Epiſcopi proprii, ſive ſint Epiſcopi, ſive Abbates aliive, in hac degradatione non habent votum tantùm conſultativum, ſed & deciſivum, eò quòd jure antiquo Epiſcopi illi aſſiſtentes erant quò ad cauſæ cognitionem & ſententiæ prolationem ſimul Judices ſeu conjudices, ùt colligitur ex *c. 3. de ſent. & re judic.* & *ibi* gl. & *c. fin. 15. q. 7.* in quo modo aſſiſtendi Trid. nihil immutavit, ùt docent Suar. *de cenſ. d. 30. S. 1. n. 20.* Barb. *3. p. de poteſt. Epiſc. alleg. 120. n. 20.* Cön. *l. c. n. 8.* Avil. *l. c. du. 5. in fine.* Henriq. *l. c. n. 2.* quos citat & ſequitur Caſtrop. *l. c.* qui etiam cum Abb. *in c. non poteſt. n. 16.* & Felin. *ibid. num. 16.* Bonac. *d. 4. p. unic. n. 14.* aliiſque ab eo relatis ait: non poſſe procedi ad degradationem Sacerdotis (idem eſt de Diacono) nisi hi Aſſeſſores cum Epiſcopo conſentiant, juxta *c. non poteſt.* dum interim in degradatione Clericorum in minoribus conſtitutorum conſenſus horum aſſiſtentium unanimis, aut etiam majoris numeri non requiratur.

3. Reſp. tertiò: degradationis realis ſeu actualis, quæ etiam à Trid. vocatur ſolennis, miniſter proprius eſt Epiſcopus conſecratus, ita ut à proprio etiam non conſecrato fieri nequeat, cum videatur eſſe Ordinis epiſcopalis. Barb. *l. c. n. 110. n. 24.* Laym. *l. c. n. 5.* cum gl. *in c. transmiſſam. de elect. v. de talibus.* unde fieri non poteſt per vicarium Capituli Sede vacante, nisi hic ſit Epiſcopus conſecratus, quamvis autem Bonac. *l. c. n. 11.* probabiliter exiſtimet ſolum Epiſcopum proprium eſſe hujus degradationis miniſtrum, ita ut ne quidem ex hujus delegatione ſubditum illius degradare poſſit Epiſcopus alienus, etiamſi conſecratus, eò quòd Trid. dicat: Epiſcopum per ſe debere degradare ſubditum, verius tamen cenſet Caſtrop. *n. 9.* contrarium, cum Suar. *l. c. n. 18.* & Laym. *l. c. c. 5. n. 5.* & verba illa: *per ſe ipſum:* illud ſolùm importare, quòd degradare nequeat per vicariũ, qui nõ ſit Epiſcopus conſecratus.

Quæſt. 529. Quis modus, ſeu quæ forma & ſolemnitates obſervandæ in ipſa actuali degradatione?

REſp. forma hæc ſeu ſolemnitates hæ præſcriptæ in *c. degradatio. §. actualis verò. de pœnis in 6.* utì & in Pontificali Romano ſunt ſequentes: primò poſt decretam per Epiſcopum coram requiſitis aſſiſtentibus hanc degradationem coram eodem Epiſcopo degradaturo induto pontificali habitu in Eccleſia alióve loco ſacro conſiſtente, inducitur degradandus ſacris quoque veſtibus, ac ſi celebraturus aliúmve actum ordinis ſui, à quo degradandus, exercere vellet, indutus, in manibus gerens inſtrumenta Ordinum, à quibus degradandus. Dein præſente Judice ſæculari Epiſcopus publicè aufert ſingula retrogrado ordine incipiendo ab illo, quod in ultima ordinatione acceperat, uſque ad illud, quod in collatione primæ tonſuræ acceperat. Seu porrigi ſolet; tunc tondetur & raditur illi caput, ne ullum ſtatûs clericalis veſtigium appareat, prolatis interea certis verbis, quæ effectum ſingulorum declarent, & præſentibus horrorem incutiant, v. g. ad ablationem inſignium Sacerdotalium dicendo: *auferimus tibi veſtem Sacerdotalem & honore Sacerdotali privamus,* ac tandem ſubjiciendo: authoritate Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritûs S. & noſtrâ tibi habitum clericalem auferimus & deponimus, degradamus, ſpoliamus & exuimus te omni Ordine, beneficio & privilegio clericali, ac denique ſic degradatus traditur curiæ ſæculari. Ad hanc verò executionem neceſſariam non eſſe præſentiam dictorum aliorum Epiſcoporum aut Abbatum, quia id nullibi cautum eſt, ſed Epiſcopum proprium ſe ſolo eam facere poſſe, tenent Sylv. *v. degradatio. n. 1. in fine.* Sayr. *L. 5. theſ. c. 22. n. 7.*

Suar.

Suar. *d.* 30. *S.* 2. *n.* 6. Laym. *in Sum. L.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 5. *n.* 4. quos citat & sequitur Castrop. *l. c. num.* 10. contrarium tenentibus Bonac. *d.* 4. *p. unic. n.* 6. Reiffenst. *h. t. n.* 45. videtur tamen necessaria præsentia Judicis sæcularis, ut Reiffenst. *l. c.* quamvis Castrop. *n.* 11. dicat: frequenter fieri hanc degradationem seu executionem præsente Judice sæculari, cui degradatus privilegiis clericalibus exutus tradatur puniendus, apud quem Episcopus Judex ecclesiasticus efficaciter, id est, seriò & ex animo intercedere debet, ut citra mortis periculum sententiam moderari velit, non quidem ad evitandam irregularitatem, quam omissâ illâ intercessione incurri à Judice ecclesiastico, utpote per traditionem illam degradati, ad apprehensionem & condemnationem illius ad mortem secutam exinde in judicio sæculari cooperante ad illam, & contra illa intercessione interpositâ liberari ab irregularitate ecclesiasticum Judicem non secus ac clericis agentibus in sæculari judicio pro reparatione sibi illati damni ad evitandam irregularitatem necessaria est talis intercessio seu protestatio expressa, se non cupere mortem damnificatoris, volunt Covar. *p.* 2. *in Clem. si furiosus.* §. 5. *n.* 6. Oliva *fori eccles. p.* 2. *q.* 11. *n.* 37. Sayr. *L.* 6. *thes. c.* 16. *n.* 4. Avil. *de cens. p.* 7. *d.* 5. *S.* 2. *du.* 2. Bonac. *d.* 7. *q.* 4. *p.* 1. *n.* 3. Castrop. *tr.* 29. *d.* 6. *p.* 14. §. 1. *n.* 1. & alii passim. Nihilominus Judicem ecclesiasticum in traditione degradati omittentem dictam intercessionem absolvunt alii, in quorum opinionem propendet Suar. *de cens. d.* 47. *S.* 1. *n.* 12. & quam verisimiliorem dicit Wiestn. *h. t. n.* 85. tum quia Judex ecclesiasticus clericum degradatum non tam tradit ad pœnam sanguinis, etsi hanc ex hac traditione secuturam cognoscat, quàm eum privilegio Clericali exutum & curiæ sæculari subjectum declarat, eáque declaratione factâ, minister sæcularis curiæ eum apprehendit, tum quia intercessionem illam ad irregularitatem evitandam necessariò interponendam, neque *c. novimus. de V. S.* in quo se fundant adversarii, neque ullo alio canone sit expressum, irregularitas autem non contrahatur præterquam in casibus in jure expressis, quin & in dubio juris, num irregularitas actu aliquo contrahatur, ea non contrahi censeatur. arg. *c. is qui. de Sent. excomm. in* 6. Inquisitoribus verò hæreticæ pravitatis necessariam non esse dictam intercessionem ad vitandam irregularitatem, quia tantùm iis prohibita censetur mortis & mutilationis executio, non autem illius sententia, docet Castrop. *l. c.* citatis aliis, unde & illi instare possunt pro executione sententiæ, casu quo negligentes invenerint Judices sæculares. De cætero Judex laicus, cui degradatus traditus, non potest cognoscere de modo, valore & justitia processûs, quem Episcopus in degradando Clerico formavit, si materia sit merè spiritualis & actus Ordinis episcopalis. *c. decernimus. c. quanto. c. si Judex de Sent. excom. in* 6. multóque minus contra degradatum novum processum, si delictum sit merè ecclesiasticum, v. g. hæresis, Apostasia, sacrilega celebratio missæ, aut auditio confessionis Sacramentalis, ut cum communi Abb. *in c. ad abolendam. de hæret. n.* 12. Felin. *ibid. n.* 5. Clarus §. *fin. q.* 97. *n.* 7. si tamen crimen, ob quod Clericus depositus fuit, mixti fori, ita ut de illo per laicum commisso aliàs cognoscere valeat Judex laicus, ùt sunt Sodomia, alteratio monetæ, Judex laicus non tenetur stare processui facto, sed, si vult, potest, (non tamen tenetur) novum processum instituere contra degradatum, & eum, prout invenerit, conformiter legibus judicare & punire, ita Reiffenst. *h. t. n.* 51. citatis Abb. *in c.* 1. *de off. Ordinar. n.* 14. Clar. *l. c. q.* 96. *n.* 7. Laym. *L.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 5. *n.* 6. Arg. *Novell.* 123. *cap.* 21.

Quæst. 530. *Quæ crimina actuali degradationi & traditioni curiæ sæcularis sint obnoxia?*

Resp. Pœna hæc statuta Clericis in Sacris constitutis ob quatuor crimina in jure expressa; Primum est hæresis. *c. excommunicamus.* §. *damnati c. ad abolendam. de hæretic.* & *eod. in* 6. si tamen in ea hæreticus sit contumax, vel in eam relapsus, tametsi velit se corrigere, ùt Mol. *tr.* 3. *d.* 49. *n.* 15. Barb. *de potest. Episc.* 3. *p. alleg.* 110. *n.* 111. Sayr. *thes. c.* 22. *n.* 16. Bonac. *d.* 4. *p. ult. n.* 12. juxta *c. ad abolendam.* & *c. Super eo. de hæret. in* 6. Secundum falsificatio literarum apostolicarum. *c. ad falsariorum. de crim. falsi*, nisi fortè Pontifex pœnam mortis commutet in perpetuum carcerem, juxta *c. novimus.* §. *pro illo de V. S.* Abb. *in c. at si Clerici. de judic. n.* 37. Laym. Sayr. Barb. *LL. cit.* Tertium Sodomia, non semel, sed aliquoties commissa, ex *constit. Pii V.* 70. *incipiente: horrendum illud scelus.* in qua omnes clerici sæculares & regulares cujuscunque gradûs & dignitatis (etiamsi Episcopi & Cardinales) illud scelus exercentes ejusdem canonis authoritate omni privilegio clericali, omníque officio, dignitate, beneficio privantur. Nav. *c.* 27. *n.* 249. Diaz. *pract. crim. c.* 80. Barb. *l. c. n.* 29. Sayr. *l. c. n.* 12. Castrop. *l. c.* de Graff. *L.* 2. *decis. c.* 90. Quartum: calumnia & conspiratio in proprium Episcopum. *c. Si quis Sacerdotum.* 11. *q.* 1. quod tamen intelligendum, si accedat incorrigibilitas, ùt cum gl. communiter recepta *in c. si qui sunt.* 2. *q.* 7. *v. recuperatores.* & in *c. novimus. de V. S. v. tradatur.* Abb. *in c. at si clerici. de judic. num.* 37. Sylv. *v. degradatio. q.* 2. Sayr. *l. c. n.* 18. Laym. *l. c. c.* 5. *circa finem.* Barb. *l. c. n.* 12. Castrop. *cit. n.* 12. ubi ait: si ob homicidium simplex clericus non traditur curiæ sæculari ab ea puniendus, juxta *c. cùm ab homine. de judic.* etiam ob contumeliam & convicium Episcopo irrogatum eidem tradi non debet.

De cætero in eo, num præter enumerata delicta sint & alia, ob quæ Clericus, maximè Sacerdos & Religiosus, degradari & curiæ sæculari tradi possit, esto, incorrigibilis non sit, non conveniunt AA. negant Diaz. *l. c.* referens alios, Clarus *L.* 5. *q.* 36. *num.* 31. Bossius *tr. crim. tit. de for. comp. num.* 135. & 136. Scaccia *de judic. p.* 1. *c.* 11. *n.* 60. & 61. Sayr. *l. c. n.* 20. Host. *in c.* 1. *de homicid. n.* 2. Covar. *L.* 2. *Var. c.* 20. *n.* 7. Farin. *pr. crim. q.* 8. *n.* 81. Fagn. *in c. cum non ab hom.* Pignat. *Tom.* 7. *cons.* 33. *à n.* 23. apud Wiestn. *h. t. n.* 88. Affirmant è contra probabiliùs, pro quolibet crimine enormi & notabiliter scandaloso Clericum in Sacris constitutum posse actualiter degradari & curiæ sæculari tradi, Abb. *in c. cùm non ab hom.* & *c. at si Clerici. n.* 39. Sylv. *v. degradatio. q.* 2. Tolet. *Lib.* 1. *c.* 50. *vers. tertia.* Laym. *l. c. c.* 5. *in fine.* Mol. *tr.* 3. *d.* 49. *n.* 19. Bonac. *de cens. d.* 4. *p. unic. n.* 6. Barb. *l. c. alleg.* 110. *n.* 13. Castrop. *l. c. n.* 13. teste consuetudine, cui non obstat textus *c. cùm non ab hom.* exigens incorrigibilitatem, cùm loquens de delicto quolibet, ob quod plerumque non est tradendus Clericus curiæ sæculari, nisi adsit incorrigibilitas, non tamen prohibet Ecclesiam pro crimine enormi non exspectatâ incorrigibilitate reum tradere curiæ sæculari, cùm Ecclesia ipsa non habeat pœnam, quam possit imponere tali delicto enormi, censet Castrop. quale quodnam sit, remittendum Judicis

arbitrio censet Clarus *L.* 5. §. *fin. q.* 36. *n.* 31. & Castrop. homicidium qualificatum v. g. Prælati, Sacerdotis, patris, fratris, item Assassinium, deprædationem communium bonorum &c.

Quæst. 531. *An & à quo degradatus restitui possit?*

1. Resp. primò: degradatus verbaliter ob delicta adulterio minora post peractam pœnitentiam restitui potest, non obstante infamiâ ortâ ex delicto per Episcopum, Castrop. *n.* 14. idque citra consensum capituli, ùt cum gl. *in c. cùm ex eo. de elect. in 6. v. Episcop.* Decius *in c. at si Clerici. vers. de adulteriis. n.* 20. Roman. *cons.* 325. *in fine.* Alterius *Tom.* 2. *d.* 2. *q.* 9. *vers. quamvis.* Bonac. *Tom.* 1. *de cens. d.* 4. *p. unic.* Castrop. *n.* 15. quia ùt idem, nullus est textus in jure hunc consensum capituli exigens, cum *c. at si Clerici.* verba illa *cum Clericis* non activè, sed passivè sint accipienda:

2. Resp. secundò: justè degradatum actualiter (intelligendum videtur, antequam traditus Curiæ sæculari) ob delicta adulterio graviora nullus præter Pontificem restituere potest, tum quia à gradu & statu Clericali omnino & irremissibiliter jure ordinario degradatus dejicitur, arg. *c. si læsis. & c. qui semel. dist.* 50. Bonac. *l. c. n.* 1. Castrop. *num.* 16. si verò injustè quis degradatus fuit, ipsi, qui sententiam tulit, incumbit eam emendare, adeóque, cùm non solus Episcopus, sed simul cum eo Episcopi alii, Abbates vel personæ in dignitate constitutæ sententiam degradationis tulerint, simul per eos corrigenda sententia, Castrop. *n.* 16. Arg. *c. Episcopus presbyter.* 11. *q.* 3. ut per quas causas nata est degradatio, per easdem dissolvatur, quamvis addat non improbabiliter Alterium *l. c.* cum Speculatiore docere, solum Episcopum sententiam iniquè factam revocare & emendare, cùm ejus muneris sit subditum injustè gravatum defendere & injuriam ei irrogatam depellere.

TITULUS XXXVIII.
De pœnitentiis & remissionibus.

Quæst. 532. *Pœnitentia pro quô supponat, seu quotupliciter sumatur?*

Resp. Pœnitentia, si spectes etymon nominis, deducitur à pœna & pœnitere, significátque in genere juxta Isidorum *L.* 3. *etymolog. c. ult.* conversionem seu mutationem mentis, dum nempe pœnitet aliquem seu dolet quis de actu à se habito, vellétque illum non commissum. Si verò spectes frequentiorem ejus usum, sumitur seu supponit tripliciter; primò & convenientiùs suo etymo, prout est specialis virtus, quæ ex D. Thom. 3. *p. q.* 85. *a.* 2. & 3. describi solet: detestatio seu dolor animi de peccato commisso, quatenus illud est offensa seu injuria illata Deo, susceptus ex intentione compensandi & abolendi eam; vel si lubet loqui de pœnitentia habituali, dic: est habitus ad talem detestationem inclinans, de qua virtute quia Theologi Scholastici ex professo satìs fusè tractare solent, pœnitentiam hoc modo acceptam prætermimus, & ad Theologos remittimus. Sumitur secundò: prout est Sacramentum novæ Legis institutum à Christo, *Joan.* 20. *vers.* 22. pro reconciliatione hominis cum DEO per modum judicii, continens in se dolorem, confessionem seu accusationem sui & satisfactionem, propter quam judicii formam, etsi non desint Canonistæ fusè de ea tractantes, eam tamen quoque Theologis tam moralibus quàm Scholasticis quà talem accuratè, ùt solent, explanandam relinquimus, sumitur tertiò: pro satisfactione, quæ DEO pro admissa contra eum injuria & offensione, aut etiam justitiæ publicæ satisfit, adeóque ab ea præscindit, quæ tanquam pars integralis Sacramenti pœnitentiæ injungitur à Confessario, unde etiam pœnitentia, quâ satisfactio est, alia est privata seu occulta, quæ, ùt dictum, imponitur pro peccatis secretis in actu confessionis Sacramentalis, alia publica, quæ imponitur & peragitur pro peccatis manifestis. de qua agitur in *c. manifest. h. t.* quarum alia est solennis, quæ præscribitur, in Concilio Agathensi relato *in c.* 64. *dist.* 50. olim injungi solita in initio quadragesimæ, servatis certis solennitatibus seu ritibus ibi expressis per solum Episcopum vel Sacerdotem de ejus mandato nonnisi pro peccato valde enormi, toti communitati scandaloso & pernicioso, & non nisi semel imponitur *c.* 2. *dist.* 3. *de pœnitent.* Host. *in Sum. h. t. n.* 55. Sylv. *v. pœnitent. q.* 1. & 2. Publica verò, sed non solennis pœnitentia est, quæ fit publicè in facie Ecclesiæ cum dictis solennitatibus jure præscriptis v. g. si injungeretur alicui peregrinatio cum pera & baculo benedictis, quam non tantùm imponere potest Episcopus, sed etiam quilibet Sacerdos & multò magìs pœnitentiarius generalis Episcopi propter grave & publicum crimen, non tamen scandalosum, Sylv. & Pirh. *ll. cit.* Non tamen Clericis, non tantùm solennis, sed nec publica pœnitentia est imponenda, nisi sint depositi. Gl. *in c.* 1. *h. t.* Sylv. Host. Pirh. *ll. cit.* sed nec confessarios pro peccatis publicis in confessione auditis posse imponere pœnitentias publicas, docet Nav. *in c.* 2. *de pœnit. à n.* 87. & in *man. Prælator. c.* 8. *n.* 10. quia vel sic revelaretur sigillum confessionis, nisi tamen pœnitens expressè vel tacitè consentiat, ut confessio Sacramentalis publicetur, &, peccatum à se commissum revelari permittat, idque ob eam causam, ut DEO & populo, quem scandalizavit, satisfiat; sed cum matura deliberatione, quia nimirum peccatum est hujusmodi, ut peccantis correctio & aliorum emendatio publicam pœnitentiam requirat.

Quæst. 533. *Quænam sit pœnitentia occidentis Presbyterum?*

Resp. Plectitur triplici pœnâ, nimirum primò: ùt pœnitentiam agat 12. annis, v. g. jejunando certis diebus in hebdomade vel peregrinando aut aliud opus pœnitentiæ exercendo arbitrio prudentis confessarii. Secundò: ut privetur in perpetuum cingulo militari, & deponatur à dignitate sua, nec inter milites numeretur tanquam exauthoratus. Host. *in c. presbyterum. h. t. v. cingulo.* Abb. *ibid.* qui etiam inde infert, posse Judicem ecclesiasticum privare laicum militiâ temporali, utì idem resolvit Palat. *in repet. c. per vestras de donat. inter vir. & uxor. notab.* 2. §. 1. *n.* 5. extendúntque id ipsum ad milites Ordinum militarium. Roderiq. *qq. regul. q.* 62.

62. *a.* 5. Bobadil. *in polit. l.* 2. *c.* 17. *n.* 81. Barb. *in c.* 2. *h. t. n.* 2. ùt & ipsi, si occidant Clericum, privari possint privilegio & cingulo militari, tam per Judicem sæcularem, coram quo & conveniri possint uti & ad militem creatum à Rege vel Imperatore, item ad Doctorem, qui privari possit propterea insignibus doctoralibus. Tertiò: Ut privetur facultate contrahendi matrimonium, ita ut vitam solitariam ducat, & sine sobole decedat. Abb. *l. c.* Covar. *de Sponsal. p.* 2. *c.* 6. *n.* 5. Vivald. *in candelab. p.* 1. *de mat. n.* 5. Sanch. *de mat. l.* 7. *d.* 6. *num.* 9. ubi: quòd requiratur, ut reus de occisione Sacerdotis sit convictus. Vide Barb. *l. c. n.* 4. non tamen dirimitur contractum, ùt Gl. *in cit. c. presbyterum. v. sine spe conjugii.* Præter quas pœnas posse Judicem laicum uti & ecclesiasticum in foro suo contra occisorem Sacerdotis procedere ad pœnas graviores, notant Pirh. *h. t.* & alii.

Quæst. 534. *Quæ pœnitentia indicenda illi, qui defendendo suam libertatem vel ecclesiam occidit aliùm, dum excessit modum?*

REsp. Imponi debere illi pœnitentiam arbitrariam, & mitem seu tolerabilem & humanæ imbecillitati accommodatam, asserit Barb. *ad c. significavit. h. t. n.* 1. citatis Alagone *in compend. juris can. pag.* 744. Vivian. *in rational. l.* 5. *Jur. Pontif. pag.* 251. Jo-And. Host. Abb. Anchar. & alii additâ etiam ratione, ne ipsi aut alii retardentur, verùm, quia loquitur non de pœnitentia publica seu extrasacramentali, sed de Sacramentali & privata, quam Sacramenti pœnitentiæ partem integralem diximus, eâ relictâ, ad pœnitentias publicas ratione fractionis sigilli confessionis pergimus. Unde sit

Quæst. 535. *Quænam sit pœnitentia frangentium sigillum Sacramentale, & quæ ad subeundam illam requirantur?*

1. REsp. ad primum: Antiquo jure præter perpetuam ab ordine Sacerdotali depositionem stabili mansione privari, & perpetuò ignominiosè circumire debebant, juxta *can. Sacerdotes dist.* 6. *de pœnit.* ubi: *qui hoc fecerit* (nimirum sigillum violaverit) *deponatur & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat*, quæ tamen pœna seu pœnitentia, utpote vergens in opprobrium ordinis Clericalis & Spirituale damnum peregrinantis ob circumvagationem continuam mutata postmodum in perpetuam detrusionem manente pœna depositionis. *c. omnis utriusque* §. *caveat. h. t.* & ibi Barb. *n.* 28. citatis pluribus aliis, quæ ipsa pœna denuo abiit in desuetudinem & mutata in perpetuos carceres, ita ut ad eam requiratur sententia derogatoria, ùt de Lugo *de pœnit. d.* 23. *n.* 147. Fagund. *in præcept. Eccles. l.* 6. *c.* 7. *n.* 2. Reiffenstul. *h. t.*

2. Resp. ad secundum: Ut tamen hæc damnatio ad carceres perpetuos infligatur, requiritur primò: ut revelans sit Sacerdos nempe ipse confessarius. Arg. *c. Sacerdos & c. omnis utriusque.* ita ut ei non subjaceant adstantes, qui peccata confitentis audientes ea revelant aliis, vel eorum notitiam & Schedulas confessionis scriptas habent & produnt, vel qui ea à confessario iniquè revelanda audiverunt. Secundò: ut revelet peccatum mortale vel veniale verum in specie vel in genere dicat: Titium confessum esse peccatum mortale; Suar. *de pœnit. d.* 33. *s.* 8. Dian. *tr.* 11. *p.* 5. *resol.* 51. ita ut, licet aliàs sub sigillum naturale cadentia, v. g. defectus natalium, vel quid probrosum, aut præjudiciosum pœnitenti revelantes peccent graviter, sint pœnâ arbitrariâ graviore Judicis quàm violantes secretum naturale puniendi, non tamen pœnæ ordinariæ violantium sigillum Sacramentale subjaceant. Reiffenst. *n.* 6. cum cit. AA. Tertiò: Ut peccatum revelet. præsumptuosè, id est, malitiosè graviter, Arg. *cit. c. omnis utriusque.* §. *caveat*, ita ut licet confessarius ex ignorantia, inadvertentia, ebrietate revelans aliquid in confessione auditum aliquâ pœnâ extraordinariâ puniri valeat, non tamen pœnâ ordinariâ violantium sigillum confessionis, nisi in foro externo staret contra ipsum præsumptio, quòd cum sufficiente advertentia, adeóque præsumptuosè & malitiosè propalasset, uti id fieret, nisi ex circumstantiis probaret contrarium. Quartò: ut confessarius non ipsi pœnitenti sine ipsius venia objiciat, sed cuiquam alteri revelet, cùm revelare propriè non dicatur, nisi qui commissum sibi alteri, cui id ignotum prodit, qualis non est ipse pœnitens.

Quæst. 536. *Quis sit Judex in causa violati sigilli, qualiter procedere debeat, & qualiter probandum hoc crimen in ordine ad pœnitentiam publicam pro eo infligendam?*

1. REsp. primò: Solus ecclesiasticus, & quidem Episcopus Ordinarius rei est Judex in causa violati sigilli Sacramentalis, ùt cum communi de Lugo *l. c. n.* 148. Gobath. *Quinar. tr.* 5. *n.* 200. eò quòd causa hæc ratione annexi Sacramenti sit naturâ suâ Spiritualis & ecclesiastica, unde si Principes & Judices sæculares huic crimini quandoque pœnas ordinariâ graviores inflixerunt, uti teste Aldrete *l.* 2. *Eccles. discipl. c.* 19. *n.* 2. apud Reiffenst. *h. t. n.* 10. fecit Jacob. Rex Arragon., dum in Concilio Gerundensi Episcopo violatori hujus sigilli linguam à tergo extrahi jussit, id factum vel ex delegatione apostolica, vel procedendo contra Sacerdotes priùs degradatos, & curiæ sæculari traditos.

2. Resp. ad secundum: Ad hoc ut Judex Ecclesiasticus instituere possit processum contra violatorem sigilli, non requiritur, ut is ad hoc petat & obtineat licentiam à pœnitente, cujus peccata sacrilegè revelata fuerunt, ùt probabiliùs contra Gobath sentire videtur Stoz. *in tribunal. pœnit. l.* 2. *q.* 4. *à n.* 288. quem secutus est Reiffenst. *h. t. n.* 11. Arg. *c. Sacerdos. dist.* 6. *de pœnis.* & *c. omnis utriusque h. t.* dum ibi nullâ prorsus mentione factâ de habenda licentia pœnitentis præcipitur, ut pœnæ ibidem præscriptæ inferantur violantibus sigillum, & ob eam rationem, tum quòd ex hoc processu nullum emergat præjudicium pœnitenti, utpote qui exinde nec inquiri nec puniri potest, dum hæc notitia peccati illius revelata habeat se, ac si non esset, tum quòd nulla per hoc irrogetur Sacramento irreverentia, sed potiùs eviterur, dum fideles, videntes tam severè contra violatores sigilli procedi, animantur potiùs ad peccata confitenda quàm ab hoc absterrentur.

3. Resp. ad tertium: Quod spectat ad probationem hujus criminis, si quis viâ inquisitionis, aut denunciationis, vel accusationis de violatione sigilli interrogatus fateatur se esse reum alia probatione opus non est. Arg. *L. generaliter C. de numerat. pecun. c. fin. de cohabit. Cler. & mulier.* cùm propria confessio sit optima probatio, si verò dicat, se notitiam peccati non habere ex confessione, sed tanquam aliunde sibi notum manifestasse, incumbit ei pro-

probare, quâ viâ vel modo illam notitiam acquisiverit, & si in hac probatione deficiens, in negatione violati à se sigilli perseveret, ex præsumptione violati sigilli punitur pœnâ aliquâ extraordinaria, ùt Sylv. *v. confess. 3. n. 5.* Abb. *in c. omnis. h. t. n. 26.* de Lugo *l. c. n. 151.* plenè autem convictus subire cogitur pœnam ordinariam, si fateatur, se peccati notitiam habuisse quidem ex confessione, sed cum licentia pœnitentis revelasse, probanda est ei hæc licentia, saltem si pœnitens eum accuset, aut aliàs neget, se dedisse hanc licentiam, cùm licentia hæc sit quid facti, quod non præsumitur, sed ab allegante probari debet, juxta *c. cum in jure. de off. deleg.* si tamen non pœnitens, sed tertius quis accuset, is afferre debet alias probationes ob præsumptionem, quæ stat pro confessario tanquam viro bono, adeóque servante sigillum, donec probetur contrarium, quin &, si pœnitens accusator neget se dedisse veniam, creditur confessario sibi datam licentiam in casu, quo revelatio parùm aut nihil præjudicat pœnitenti & confessarius est vir prudens & integræ famæ; secus si revelatio esset multùm damnosa pœnitenti vel alicui tertio, & pœnitens probatæ vitæ, Reiffenst. *n. 16.* cum Dian. *p. 1. tr. 11. resol. 52.* Ac denique cæteris paribus in dubio confessario potiùs asserenti sibi datam veniam, quàm pœnitenti id neganti credendum, eò quòd in factis spectantibus ad officium Judicis, & quæ aliter fieri nequeunt, pro Judice præsumatur, Mascard. *de prob. concl. 951. n. 20.* Reiffenst. *n. 19.* Arg. *can. hoc etiam 2. q. 6.* De cætero ad probationem hujus criminis sufficiunt testes singulares, tum quia valde enorme est delictum, & summè præjudicans, tum quia ordinariè est difficilis probationis, Tanner. *Tom. 4. d. 6. q. 9. num. 122.* Stoz, *l. c. à n. 281.* Reiffenst. *n. 18.* & alii.

Quæst. 537. Indulgentia quid sit & quotuplex?

1. RESp. primò: Indulgentia accepta à Conciliis & SS. Patribus pro justa & liberali debiti remissione, juxta *c. quod autem h. t.* & *c. indulgentia. eod. in 6.* communiter, adeóque non pro absolutione Sacramentali à peccatis quò ad culpam, definitur; quòd sit pœnæ temporalis pro peccatis actualibus remissis quo ad culpam debitæ relaxatio seu solutio de thesauro Ecclesiæ per applicationem satisfactionis Christi & Sanctorum. Supponit itaque hæc definitio per Sacramentum pœnitentiæ in re aut voto susceptum, perque illum ipsum actum quo culpa remittitur quò ad pœnam æternam, remanere plerumque pœnam aliquam temporalem in hac vita oratione, jejuniis aliísque operibus piis satisfactoriis solvendam, aut in purgatorio luendam, juxta quod definit Trid. *sess. 13. c. 7. & 8.* Bellar. *l. 4. de pœnit. à c. 3.* Suar. *de pœnit. d. 37. s. 1.* Laym. *l. 5. tr. 6. c. 15. n. 1.* Item à Christo Ecclesiæ suæ relictum meritorum suorum & satisfactionum thesaurum infinitum, nec non meritorum Sanctissimæ Matris, aliorúmque Sanctorum ipsis ad plenam suorum reatuum deletionem non necessarium cumulum, ex quo quantum necesse, applicare debet vel immediatè per Christum, ùt latroni in cruce vel per usum Sacramentorum aut extra Sacramenta per suum in terris vicarium concessa illi à Christo potestate in beato Petro.

2. Resp. secundò: Indulgentia multifariam dividitur, primò: Alia est totalis, alia partialis. *Extrav. unigenitus 2. inter communes.* totalis est, per quam tota pœna in hac vel altera vita; partialis, per quam pars duntaxat illius remittitur. Secundò: Alia est personalis, alia realis seu localis, prout per se & directè conceditur personæ opus aliquod pium peragenti; vel loco, v. g. Sacello aut Ecclesiæ applicatur, prodéstque in eo orantibus, aut quid pium exercentibus; vel rei, v. g. statuæ, imagini, rosario, numismati affigitur. Tertiò: Alia est perpetua, quæ durat, donec revocetur, vel res aut locus, cui directè conceditur, intereat seu destruatur, alia temporalis, quæ datur ad certum tempus, quo exacto exspirat. Quartò: Alia datur pro vivis, dum nimirum satisfactiones Christi & Sanctorum applicantur vivis per modum absolutionis factæ ei, cui dantur ex thesauro Ecclesiæ seu satisfactionibus Christi & Sanctorum. Alia pro defunctis per modum suffragii & solutionis exhibendo Deo ex eodem thesauro satisfactionem & pretii solutionem adjunctis precibus, ut eam in satisfactionem pro debito pœnæ temporalis misericorditer acceptare, illámque ejus intuitu remittere dignetur ad animam è purgatorio liberandam. Ita Suar. *l. c. d. 53. s. 2. n. 4.* Laym. *l. c. c. 7. n. 3.* Castrop. *tr. 24. d. unic. p. 2. n. 10. & 11.* Unde jam patet ratio distinctionis inter concessionem indulgentiarum pro defunctis, & concessionem indulgentiarum pro vivis, dum concessio earum pro vivis continet non solùm veram thesauri satisfactionum Christi & Sanctorum distributionem & applicationem, sed etiam veram absolutionem, remissionem & condonationem pœnæ temporalis mediâ illâ satisfactione ex thesauro Ecclesiæ desumptam & Deo exhibitam, Atque ita Papa simul nomine Christi pœnas debitas remittendo, clavibus Ecclesiæ potestatéque solvendi utitur, & verè jurisdictionem suam in fideles viventes exercet, concessio verò indulgentiarum pro defunctis nullam absolutionem vel remissionem à Pontifice factam continet, utpote qui nullam in defunctos jurisdictionem, sed solùm satisfactionem ex thesauro Ecclesiæ, in quem jurisdictionem habet, accipit, eámque viventibus tradit, ut eam summo Deo offerant pro defunctis, qui eam pro sua benignitate acceptans debitas pœnas defunctis immediatè remittit, atque ita solâ pretii debiti exhibitione per viventes factâ & illius à Deo acceptatione fit pœnæ remissio, ita Castrop. *cit. n. 11.* citatis Bellarm. *de indulgent. c. 5.* Suar. *d. 49. s. 4. à n. 9.* Valent. *Tom. 4. d. 7. q. 20. p. 1. circa med.*

Quæst. 538. Quinam possint indulgentias concedere?

1. RESp. Petrum, omnésque illius successores à Christo accepisse potestatem concedendi indulgentias, tam plenarias & totales, quàm partiales, veluti Ecclesiæ Rectores & Christi in terris vicarios quò ad distribuendum fidelibus indulgentiarum thesaurum dispensativè & unà cum potestate hac communicandi eam aliis facultatem certum est, prout sumitur ex *Extrav. de pœnis & remiss.*

2. Secundò: Competere quoque Concilio generali saltem, si unitum est suo capiti, potestatem concedendi indulgentias etiam plenarias, certum est. Quin & prout tempore sedis papalis vacantis ab eo distinctum est, habere illud potestatem concedendi indulgentias, quia dispensatio bonorum communium Ecclesiæ, quam sede pontificiâ vacante repræsentat Concilium generale, pertinere ad illud videtur, docent Corduba *de indulg. q. 12.* Nav. *eod. tit. not ab. 31. n. 2.* Henriq. *31. n. 1.* apud Castrop. *l. c. p. 5. n. 2.* præsertim cùm concessio indulgentiarum sit actus jurisdictionis, quæ competit Concilio generali pro eo tempore. De cætero contrarium

trarium, nimirum Concilium generale, sive vivo Pontifice ejus authoritate congregatum, sive eo mortuo à Christo nullam accepisse potestatem concedendi indulgentias, ac proinde solùm ex facultate Pontificis eas concedere posse sentiunt probabiliùs, Suar. *de indulg. d.* 51. *S.* 1. *n.* 7. Bellarm. *l. c. c.* 11. concl. Laym. *L.* 5. *Sum. tr.* 7. *c.* 4. *n.* 1. quos citat & sequitur Castrop. *l. c. n.* 3. idémque cum D. Tho. *in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *a.* 4. tenent Durand. & alii, quatenus Soli Pontifici, nullâ factâ mentione Concilii generalis, tribuunt hanc facultatem ex ea ratione, quòd Christus soli Petro dixerit: *pasce oves meas:* eique soli, ejúsque Successoribus Ecclesiam commisit, & consequenter non Concilio generali à Pontifice, distincto etiam tempore sedis vacantis, relicto ei pro tunc exercere ea quæ ad regimen Ecclesiæ necessaria, donec fiat electio novi Pontificis, inter quæ non est concessio indulgentiarum, atque ita dominium thesauri satisfactionum Christi & Sanctorum non commisit Christus Ecclesiæ pro illo tempore, sed Soli Petro & successoribus illius, illúdque deficiente ejus successore sibi reservavit ad electionem usque novi successoris.

3. Tertiò: potestatem concedendi indulgentias etiam particulares concessam Episcopis & inferioribus Prælatis non immediatè à Christo, sed mediatè, mediante delegatione Pontificis ab eo dimanare, habet sententia communior, quam tenent Suar. *d.* 55. *S.* 2. *à n.* 3. Laym. *l. c. n.* 2. Bonac. *d.* 6. *q.* 1. *p.* 3. *n.* 2. Barb. *de Potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 88. *num.* 5. Castrop. *l. c. n.* 6. Arg. *cit. Extrav. unigenitus* contra Sotum *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. *a.* 4. Benzon. *de Jubilæo. q.* 30. Valent. *d.* 7. *q.* 10. *p.* 3. & alii sentientes potestatem hanc eis concessam jure divino, dependente tamen à Pontifice; ratio responsionis est, quòd esto Episcopalis dignitas ejúsque jurisdictio ut ordinaria sit instituta à Christo quò ad effectum, ut mediis Episcopis Pontifex Ecclesiam gubernaret, Pontificíque præceptum, ut Episcopo constituto eam jurisdictionem tribuat, quæ ad rectum diœcesis suæ regimen videbitur necessaria, non tamen ex eo rectè inferatur, Episcopis concessam facultatem concedendi indulgentias, aut etiam Pontificem obligatum esse, ad eam concedendam, cùm etiam ùt Castrop. *l. c. n.* 3. eam negare possit Concilio generali, quia ea potestas necessaria non est ad gubernationem diœcesis. Ad hæc, si Christus potestatem hanc concessisset Episcopis æquè ac Pontifici, non posset Pontifex absque evidente & publica causa restringere eam Episcopis majori ex parte, cujus tamen contrarium sæpe factum est. Nihilominus licet Episcopi hanc potestatem à Christo non habeant, & Pontifex à Christo obligatus non sit hanc eis communicare, decuit tamen Episcopos eâ gaudere, non quidem absolutè, ne per indiscretas & superfluas indulgentias, quas plures Prælati concederent, si absolutam potestatem ad eas concedendas haberent, & sic claves Ecclesiæ contemnerentur, & pœnitentialis satisfactio enervaretur, ùt dicitur *c. cum ex eo h. s.* sed cum limitatione, prout *eod. c.* subjungitur, dum ibi constituitur & permittitur illis in anniversario dedicationis aut etiam aliàs, quando Episcopo placuerit concedere 40. dierum indulgentias, quam postremam indulgentiam Archiepiscopus quoque concedere potest per totam provinciam, seu in- & pro omnibus suffraganeorum suorum diœcesibus, etsi non sit in actu visitationis, cum quò ad actum illum omnes fideles provinciæ censeantur subditi Archiepiscopo. Arg. *c. nostro h. t.* & ita tradunt Quaranta *V. Archiepiscopi authoritas. n.* 31. Bonac. *l. c.* Suar. *d.* 55. *S.* 3. *n.* 7. Castrop. *l. c. n.* 8. Barb. *l. c. num.* 15. Porrò est hæc potestas Archiepiscopi & Episcopi sic limitatè concessa non delegata, sed ordinaria, quippe jure communi in perpetuum annexa dignitati Episcopali, adeóque ab iis delegabilis Clerico, etiam non constituto in Sacris, ùt cum communi Suar. *l. c. num.* 6. Barb. *l. c. n.* 10. Azor. *p.* 2. *L.* 3. *c.* 55. *q.* 5. Bonac. *l. c. p.* 3. *n.* 11. Bellarm. *de indulg. L.* 1. *c.* 11. Castrop. *l. c. n.* 10. Quin &, ùt Suar. *l. c. S.* 6. *n.* 3. delegabilis laico à Pontifice de plenitudine potestatis; præter eam autem vi *citatorum cap. nostro* & *c. cùm ex eo.* sublatam Episcopis potestatem concedendi ampliores indulgentias, ùt Suar. *l. c. S.* 3. éique inhærens Castrop. *n.* 11. juxta quod declaratum *c. ult. h. t. in* 6. Unde, si Episcopus ampliores, quàm ei permissum, concederet indulgentias, concessionem non solùm ex parte, sed totam fore nullam, tenent graves AA. apud Suar. *cit. S.* 3. *n.* 12. ex ea ratione: quòd hæc concessio, utpote unica & indivisibilis, non possit esse ex parte irrita, & ex parte valida, quemadmodum juxta gl. Bart. & alios, si Judex potens condemnare tantùm in decem, condemnet in viginti, condemnatio non est valida quò ad decem, & invalida quò ad reliquos decem, sed tota & absolutè invalida, verùm verius esse, solùm invalidam quò ad excessum illius, docent cum gl. *in c. ult. & c. cum ex eo. h. t.* & Abbate *ibid.* Suar. *l. c. S.* 3. *n.* 14. Ricc. *in pr. fori Eccles. decis.* 117. *n.* 5. Navar. *de indulg. l. c.* Azor. *l. c. q.* 5. Bonac. *de indulg. q.* 1. *p.* 3. *n.* 4. Barb. *l. c. n.* 22. Laym. *l. c.* Castrop. *n.* 13. quorum fundamentum est *reg. Jur.* 37. *in 6. utile per inutile non vitiatur*, quæ maximè locum habet in concessione libera & favorabili, ùt constat in donatione, quæ quò ad quantitatem à lege taxatam & permissam est valida, quia est actus liberalitatis juxta *L. intelligenda*, quando utile ab inutili separari potest, juxta *L.* 1. §. *Trebatius ff. de aqua quotid. & est.* uti contingit in præsenti, dum, esto concessio sit indivisibilis physicè, est tamen divisibilis moraliter ratione objecti, quod divisibile est. De cætero quæ dicta sunt hìc de restrictione illa potestatis concedendi indulgentias facta Episcopis, non tantùm locum habent in concessione publica communi & solenni, ùt volunt aliqui graves DD. sed & in secreta, quæ fit in foro Sacramentali, Suar. *l. c. n.* 15. Castrop. *n.* 16. quia textus *c. cum ex eo.* quo fit dicta restrictio, utitur particulâ negativa: *non excedat*, *non extendatur:* adeóque, cùm nulla apposita sit limitatio, de qualibet concessione intelligi debet, ne, si scirent Episcopi, in secreta concessione non esse sibi restrictam facultatem, eâ sæpissime uterentur, vel tum per se ipsos, tum mediis aliis Sacerdotibus, quibus eam delegare possunt, & sic frustraretur finis hujus limitationis, qui est, ne nimiâ indulgentiarum concessione enervaretur satisfactio pœnitentialis. Ut autem sub dicta limitatione Episcopus concedere possit indulgentias, etsi non requiratur, ut sit consecratus, cùm concessio illa non sit actus Ordinis, sed jurisdictionis, eas tamen concedere nequit, si sit excommunicatus, Valent. *Tom.* 4. *d.* 7. *q.* 20. *p.* 3. Suar. *l. c. à n.* 18. Barb. *l. c. n.* 12. Castrop. *l. c. n.* 18. cùm excommunicatio privet saltem licito usu jurisdictionis ecclesiasticæ, quin & excommunicatus denunciatus privetur ipsâ potestate, ùt Castrop. uti nec subditis suis concedere potest, ut ab alieno Episcopo indulgentias obtineant, quia illa concessio est quædam jurisdictionis delegatio, quæ fieri nequit ab excommunicato vitando. Sed neque ullatenus hæc potestas limitata

concessa Episcopo extendit se ad defunctos, quippe non subditos illius. Suar. *l. c. n.* 9. Sa. *V. indulgentia. n.* 9. Bellarm. *L.* 1. *n.* 11. Laym. *L.* 1. *c.* 4. *n.* 1. Castrop. *l. c. n.* 9. & alii passim cum communi; residetque hæc applicatio indulgentiarum penes solum Pontificem, in aliis verò ex illius tantùm delegatione, quæ rarò fieri solet. Castrop. *tr.* 24. *d. unic. p.* 10. *num.* 8. ubi etiam, quòd necessarium in concessione exprimi defunctos, pro quibus intentionem suam declarat Pontifex.

4. Quartò: non minorem, imò fere majorem quàm Episcopi & Archiepiscopi potestatem largiendi indulgentias pro provinciis suis habent Sedis apostolicæ Legati. Abb. *in c.* 1. *de Off. Legat. n.* 2. quæ quanta singulis competat, cùm jure communi expressum non sit, ex usu & commissione seu legationis eorum literis est desumendum. S. R. E. Cardinalibus competit quoque potestas largiendi indulgentias centum dierum pro Titulis suarum ecclesiarum, non quidem de jure communi, sed ex speciali privilegio, ùt Bolognet. *de indulg. num.* 21. apud Wiestn. *h. t. num.* 150. imò ex consuetudine absque scripto, ùt Nav. *notab.* 21. apud Gobath *de indulg. n.* 55. Prælatos verò sæculares inferiores Episcopo ipsúmque Vicarium generalem Episcopi quà talem eâ potestate de jure communi non gaudere certum est; idem est de Prælatis & Superioribus Regularium, quamvis horum permultis respectu suorum subditorum ex privilegio competat potestas concedendi aliquas indulgentias, quæ quanta sit, ex tenore talium privilegiorum eorundem desumendum.

Quæst. 539. *Num consuetudine legitimè præscriptâ inferiores Episcopo Prælati acquirere possint potestatem dandi indulgentias?*

Resp. in hoc non convenire AA. negant id ipsum Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *a.* 4. Suar. *d.* 55. *S.* 4. *n.* 3. & alii apud Laym. *l. c. c.* 4. *n.* 3. eò quòd vel Pontifex sciat talem consuetudinem, & toleret, & hinc censetur tacitè approbare talem potestatem, adeóque ea non vi consuetudinis, sed tacito ipsius Papæ consensu acquiritur: vel ignorat, & tunc nulla nascitur consuetudo, quia deficit consensus ad illam inducendam necessarius. Affirmant è contra cum gl. *fin. in c. accedentibus de excess. Prælat.* Laym. *l. c. n.* 4. Gobat *n.* 79. quorum sententiam non improbabilem dicit Pirh. *h. t. n.* 46. quia consensus Papæ, alteriúsve legislatoris ad consuetudinem requisitus per ipsos canones & leges approbantes legitimam consuetudinem eíque vim juris non scripti conferentes habetur seu suppletur.

Quæst. 540. *Ubi & quibus indulgentiæ concedi possunt?*

Resp. cùm concessio hæc sit actus jurisdictionis non contentiosæ, sed voluntariæ, neque strepitum judicii contineat, extra territorium sibi subditis ubicunque existant, indulgentias concedere potest, nihilominus vi hujus jurisdictionis, quæ in non subditos exerceri nequit ligando & solvendo, indulgentiæ exteris concedi non possunt, juxta *c. quod autem. h. t.* ubi quod indulgentiæ, quæ conceduntur ab Episcopo ad annum in dedicatione ecclesiarum, vel contribuentibus ad reparationem pontium potestate ecclesiastica, tanquam ob actum pium, conceduntur non nisi subditis diœcesanis, aut qui in diœcesi per majorem aut notabilem anni partem commorando quasi domicilium in ea sortiuntur, conferri aut ab iis lucrari possint, nisi tamen exteris proprii eorum Episcopi specialiter consenserint, concedi indulgentias ab Episcopo alieno, ùt Abb. *in cit. c. quod autem. n.* 7. pia loca visitare aut peregrinari volentibus consulens, ut abituri indulgentias in terris illis alienis lucrandi licentiam à proprio Episcopo petant. Sic indulgentiarum omnino incapaces sunt infideles, cùm Ecclesiam non ingressi per Baptismũ spirituali & Ecclesiasticæ potestati non subjiciantur. An verò, non obstante carentiâ Baptismi, concedi possint catechumenis per modum suffragii, incertum est, affirmat Nav. *de indulg. not.* 31. *in fine.* Benzon. *L.* 5. *de jubil. c.* 15. *du.* 28. *assert.* 6. Henriq. *L.* 7. *c.* 18. *n.* 3. quod probabile reputat Laym. ex ea ratione, quod applicatio indulgentiarum non expostulet jurisdictionem, ideóque defunctis existentibus in purgatorio prodest. Ad hæc satisfactiones propriæ possunt applicari illis, ergo etiam communes per pastores Ecclesiæ, contrarium verius censent Suar. *d.* 52. *S.* 4. *num.* 8. Filliuc. *tr.* 8. *c.* 8. *q.* 10. *n.* 214. Bonac. *d.* 6. *de indulg. q.* 1. *p.* 5. *n.* 2. Castrop. *l. c. p.* 8. *n.* 2. ex ea ratione, quòd Ecclesia nunquam fuerit usa illo modo applicationis, quod signum est, hanc potestatem ei non competere. His tamen non obstante, indulgentiæ à Papa toti Ecclesiæ & ab Episcopo communitati diœcesanæ ab ipsis concedentibus lucrari possunt, etsi nemo jurisdictionem in se ipsum exercere possit, ùt cum D. Thom. *in addit. ad* 3. *part. q.* 27. *a.* 4. Suar. *L.* 6. *de LL. c.* 12. *n.* 8. Laym. *L.* 1. *tr.* 4. *c.* 27. *n.* 31. Barb. *de potest. Episc. cit. al-leg.* 88. *n.* 28. & alii communiter; cùm hi concedentes non debeant esse deterioris conditionis quàm eorum subditi, cúmque hæc concessio seu dispensatio thesauri Ecclesiæ non sit actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ inter eos, à quo & in quem exercetur, non requirit distinctionem, de quo *lib.* 3. *tit.* 7. Idem dicendum de exemplis à jurisdictione, quòd, etsi habere se videantur ùt extranei, fruantur tamen indulgentiis Episcopalibus, ne exemptio inducta in favorem, in illorum odium & dispendium detorqueatur. Nav. *notab.* 31. *num.* 13. Chokier. *de Jurisd. Ordinar. in exempt. q.* 58. *n.* 5. Pirh. *h. t. n.* 47.

Quæst. 541. *Quæ conditiones requirantur in lucraturo indulgentias?*

1. Resp. præterquam quòd debeat esse subditus largientis indulgentias & baptizatus, item in statu viæ, cùm existentibus in cœlo nihil prosint, dum non habent quicquam culpæ, quod per illas iis remittatur, & existentibus in purgatorio etsi prosint, hi tamen eas propriè non lucrantur, sed iis per modum suffragii applicantur, existentibus etiam, in limbo non prosint, quia baptismo carent, & membra Ecclesiæ non sunt, requiritur primò, ut non sint excommunicati excommunicatione majore, cùm ea priver communibus Ecclesiæ suffragiis, Sacrificiis, orationibus, bonísque inter membra Ecclesiæ unita distribuendis, juxta *can.* 32. *& can.* 105. *caus.* 11. *q.* 3. & ita ex communiore tradunt Suar. *d.* 12. *S.* 2. *n.* 3. Sa. *v. indulgentia. n.* 2. Laym. *l. c. tr.* 7. *c.* 6. *n.* 2. Castrop. *l. c. p.* 8. *n.* 5.

2. Secundò: requiritur, ut tempore, quo quis eas lucraturus est, sit in statu gratiæ, tum quia indulgentia non nisi verè pœnitentibus applicatur, tum quia manens astrictus pœnæ æternæ, non est capax remissionis pœnæ temporalis, cùm non videatur convenire divinæ providentiæ & gubernationi remittere pœnam ei, qui in culpa, ob quam reatus

reatus pœnæ contractus, perseverat, prout cum D. Thom. *l. c. a.* 2. & communi docent Castrop. *l. c. n.* 3. Bonac. Suar. Laym. Sa. *ll. cit.* sed neque remoto peccato, in quo alicui concessa indulgentia, illa consequitur suum effectum, quemadmodum Sacramentum susceptum cum obice, eo sublato, consequitur suum effectum, veriùs contra Paludan. *in* 4. *dist.* 20. *q.* 4. *a.* 3. Sylv. *l. c. n.* 7. Henriq. *L.* 7. *c.* 9. *n.* 13. tradit Castrop. *l. c. n.* 4. *vers. at longè.* eò quòd indulgentia nunquâ constituta in suo esse (qualis est collata seu potiùs oblata tempore peccati mortalis) non possit suum effectum seu remissionem pœnæ pro peccato debitæ mediâ satisfactione Christi & Sanctorum habere, in quo est differentia lata inter Sacramenta & indulgentias, cùm Sacramẽta, quæ recedente fictione effectum habent, peccatori applicata in suo esse fuerint perfectè constituta, secus ac indulgentiæ.

3. Tertiò: requiritur operis injuncti executio, ita ut, si opus injunctum ob impotentiam aliámve causam non exequeris, indulgentiam non consequeris, cùm concessio sub aliqua forma & conditione facta, ea non servata, corruat. arg. *L.* 54. *&* 55. *de condit. & demonst.* idque etiam, licet partem operis exequeris, non consequeris partem indulgentiæ, quia non pars indulgentiæ ob dimidiatum opus, sed indulgentia propter opus perfectum sit promissa; Suar. *d.* 52. *S.* 3. *n.* 3. Laym. *l. c. n.* 3. Bonac. *d.* 6. *q.* 1. *p.* 3. *n.* 20. Castrop. *l. c. p.* 9. *n.* 1. Navar. *de indulg. not.* 9. *n.* 4. nisi tamen in concessione indulgentiæ caveatur: eam concedi impeditis opus injunctum exequi, utì fit *in Extrav. unigenitus. de pœn. & remiss.* ubi conceditur jubilæum Romanum omnibus visitantibus limina Apostolorum, etiam iis, qui eo animo iter arripientes impediti fuerunt Romam pervenire, vel nisi omissio partis operis ita fuerit levis, ut omittens censeatur moraliter opus implevisse, v. g. omittendo unum Ave, secus si opus injunctum esset trina recitatio orationis dominicæ & angelicæ, & quis tantùm bis recitaret illam, cùm, etsi omissio in se esset levis, non tamen respectu operis injuncti levis esset. Suar. *l. c. S.* 5. *n.* 3. Præterea requiritur, ut opus taliter præstetur, qualiter illud præstare voluit concedens indulgentias, quia, cùm concessio illa sit donatio concedentis, potuit is nolle eam facere, non nisì sub conditione operis taliter præstandi. Hinc si voluerit Pontifex, opus totum fieri in statu gratiæ, id taliter exequendum, etsi illud aliàs de se necessarium non sit ad lucrandas indulgentias, sed sufficiat opus compleri seu ultimum opus fieri in statu gratiæ, cùm indulgentia non concedatur ob satisfactionem & meritum operis injuncti, sed ob illius honestatem, ad quam exercendam Papa procurat homines allicere promissione indulgentiarum, Suar. *cit. S.* 5. *à u.* 6. Graff. *de indulg. c.* 5. *n.* 48. Nav. *not.* 19. *n.* 17. Bonac. *l. c. q.* 5. *n.* 10. Castrop. *l. c. p.* 8. *num.* 3. *vers. notanter dixi* & *p.* 9. *n.* 3. Valent. *q.* 20. *p.* 5. *ad fin.* De cætero certum est, opus injunctum debere esse in se honestum, cùm aliàs ad finem concessionis indulgentiarum, qui est honor Dei, non conduceret. Quin & nullam circumstantiam vitiari debere, docent Nav. *l. c. n.* 6. Rodriq. *Tom.* 2. *qq. regul. q.* 99. *a.* 6. Cõninch. *d.* 12. *du.* 8. eò quòd censeant opus ob pravum finem vel circumstantiam vitiatum displicere Deo, ideóque in illius honorem cedere non posse, & consequenter aptum non esse, ut ratione ipsius Satisfactio Christi applicetur & remissio peccatorum concedatur. Contrarium tamen docent Corduba *de indulg. q.* 22. Suar. *l. c. S.* 6. *à num.* 2. quibus inhæret Castrop. *cit. p.* 9. *n.* 5. dum dicunt certum esse, Pontificem posse concedere indulgentiam sub conditione operis de se boni & honesti, etiamsi in individuo honestum non sit, cùm possit sine ullo opere indulgentiam concedere, & sic concedere præsumendus sit, dum opus aliquod exigit sine ulla limitatione; distinguit Laym. *L.* 5. *Sum. tr.* 7. *c.* 6. *à num.* 3. dum ait, videndum esse, num opus injunctum, etsi vitiatum, conducat ad finem intentum à Pontifice, ùt contingit in datione eleemosynæ ad bellum contra Turcas, & tunc ad consequendas indulgentias, secus, si ad illum finem non conducat; quam doctrinam, etsi verissimam esse dicat Castrop. *cit. p.* 9. *num.* 7. negat tamen opus injunctum fini à Pontifice intento non conducere, tametsi malè fiat, seu si vitietur ob circumstantiam vel finem per illud intentum ab eo, cui conceduntur indulgentiæ, & licet sub ea ratione vitiati non conducat ad placendum Deo, impetrandum ab eo beneficium, ad ea tamen conducere potest, quatenus servit ad excitandos alios fideles ad pœnitentiam, & ad fovendam religionem; ita ille. Sed neque requiritur ad lucrandas indulgentias, ut opus injunctum exequaris animo & intentione formali lucrandi indulgentias, bene tamen, ut exequaris illud ex intentione habituali & interpretativa, qualem censetur habere quilibet Christianus de suscipiendis remediis salutis suæ, ùt patet in suscipiente extremam unctionem, etiam dum sensibus destitutus animam agit absque eo, quòd habeat intentionem actualem formalem suscipiendi eam, ita cum Suar. *d.* 56. *S.* 1. *n.* 7. & Laym. *l. c. ante med. n.* 2. Castrop. *l. c. n.* 8. Item non requiritur, ut per se ipsum opus injunctum quis exequatur, dum illud actionem personalem non continet, sed v. g. sit datio eleemosynæ, quam quis facere potest per famulum tanquam instrumentum suum, nisì tamen concedens indulgentiam præscripserit vel permiserit expressè aliud, v. g. exigendo dationem eleemosynæ ab eodem, qui indulgentias lucraturus est, fieri, ut vel sic ejus pietatem foveat, vel meritum augeat; secus verò est, si opus spectet actionem personalem, v. g. sit jejunium, visitatio Ecclesiæ, oratio, Sacramentorum susceptio, cùm quis nequeat dici jejunans, orans &c. dum ex mandato domini famulus ejus jejunat, orat &c. Laym. *l. c. du.* 3. *n.* 5. Suar. *d.* 52. *S.* 7. Castrop. *n.* 9. nisì tamen iterum concedens aliud permiserit, v. g. ut visitetur ejus nomine ab alio Ecclesia, quem tamen necesse non est esse in statu gratiæ, etsi aliàs illum requisiverit in lucraturo indulgentias.

Quæst. 542. *Num uno eodémque tempore diversis actibus, quorum singulis diversæ indulgentiæ concessæ, lucrari quis possit indulgentias?*

RESP. affirmativè cum Bonac. *de indulg. d.* 6. *q.* 1. *p.* 5. *n.* 31. & Castrop. *cit. p.* 9. *n.* 14. sic si recitanti rosarium & audienti missam diversæ concessæ indulgentiæ, utraque simul obtinere potest tempore auditionis Sacri recitans rosarium, quia unumquodque opus æquè eodem quàm diverso tempore impleri potest, & æquè valet ad complendam suæ concessionis causam.

Quæst. 543. *Num eadem indulgentia repetito eodem opere obtineri possit?*

RESP. Sub distinctione, si indulgentia concedatur sine ulla determinatione temporis, vel etiam ad longum tempus, poterit obtineri sæpius non tantùm in vita, sed etiam intra annum, mensem, hebdomadam, si eo tempore opus injunctum sæpius devotè & prudenter perficiatur, Nav. *l. c. Notab.* 19.

n. 19. Cordub. *L.* 5. *q.* 35. Suar. *d.* 57. *S.* 1. *n.* 4. Sa. *v. indulg. n.* 7. Bonac. *l. c. n.* 32. si verò concedatur cum limitatione brevis temporis, uti solet concedi in festo alicujus Sancti, vel per ejus octavam, semel tantùm obtineri poterit, quia illa temporis determinatio indicat intentionem Pontificis esse tantùm unius indulgentiæ lucrationem; D. Thom. *in addit. q.* 35. *a.* 2. *ad* 4. Tolet. *L.* 6. *c.* 28. *ad finem.* Castrop. *l. c. n.* 16. Nav. Suar. Sa. *ll. cit.*

Quæst. 544. *Num, qui opus injunctum exequitur tepidè seu remissè, vel ex aliqua circumstantia vitiatum, minus consequatur indulgentiæ, quàm qui illud exequitur omnino honestè & ferventer?*

Resp. sub distinctione: si non complet sufficientiam causa finalis, quia requirebatur opus honestè & ferventur factum, eo casu opus remissè executus non consequitur integram indulgentiam, secus est, si opus etiam tepidè factum finalem causam indulgentiæ concessæ complet (uti necessariò præsumendum, dum Pontifex indulgentiam absolutè concedit præstito simpliciter injuncto opere, cùm Pontifex credat per opus injunctum, quomodocunque fiat, sufficientiam causæ finalis concessionis compleri, ne aliàs nullæ indulgentiæ moraliter certæ essent) tunc enim ob majorem vel minorem devotionem in executione operis exercitam nec major nec minor indulgentia obtinetur, sed semper æqualis, quia indulgentia non nititur devotione operis, sed legitimâ causâ liberalis donationis, ita ut effectum habeat solùm ex voluntate donantis, ex postulantis qualemcunque executionem operis. ita Suar. *d.* 52. *S.* 8. *à n.* 3. Filliuc. *tr.* 8. *c.* 6. *q.* 14. *n.* 164. Graffis. *de indulg. c.* 5. *n.* 60. & alii quos citat & sequitur Castrop. *n.* 19. Neque his obstat, quòd in *Extrav. antiquorum. de pœnit. & remiss.* ait Bonifacius, postquam concessisset indulgentiam plenissimam visitantibus limina Apostolorum: *Unusquisque tamen plus merebitur & indulgentiam efficaciùs consequetur, qui Basilicas ipsas amplius & devotius visitaverit.* quia id intelligendum, quantum est ex se ex opere injuncto.

Quæst. 545. *An dum indulgentia concessa iis, qui contriti & confessi Ecclesiam aliquam visitaverint, requiratur confessio actualis?*

Resp. in hoc casu necessariò præmittenda non est confessio actualis ei, qui se nullo peccato mortali gravatum sentit, quia credendum non est, Pontificem verbis ita generalibus & communibus voluisse imponere lucraturo indulgentias onus illud confessionis liberæ, unde si confessio absolutè expostulata, intelligi debet de obice ad indulgentiam suppositio, Suar. *l. c. S.* 3. *n.* 5. Laym. *L.* 5. *Sum. tr.* 7. *c.* 6. *du.* 5. *concl.* 1. Castrop. *l. c. n.* 20. Bonac. *de indulg. q.* 1. *p.* 5. *n.* 7. referens alios. Necessariam tamen esse confessionem actualem, dum ea possibilis est (stante enim impossibilitate confessionis præsumi potest Papa nolle fidelem contritum privari indulgentiâ, ùt Sa & Laym. *ll. cit.*) & non sufficere solam contritionem in voto, seu contritionem in eo, qui sibi conscius peccati non confessi consultiùs & securiùs esse asserunt Durand. *in* 4. *dist.* 20. *q.* 4. Navar. *not.* 18. Cajet. *opusc. de indulg. c.* 10. Cöninch. *d.* 12. *du.* 7. *n.* 38. Laym. *l. c.* Castrop. *n.* 21. & alii, eò quòd Papa postulet contritionem & confessionem, idque ideo, quod, licet contritio perfecta tollat obicem peccati, sit tamen difficilis & incerta, & ut effectus indulgentiæ sit securior; ita Castrop. *l. c.* qui etsi fateatur sic consulendum fidelibus, ait tamen cum Suar. *d.* 50. *S.* 5. *n.* 10. Filliuc. *l. c. n.* 148. probabilissimum esse, ex dictis verbis non requiri confessionem, eò quòd Papa dictis verbis non videatur aliam diligentiam expostulare, quàm quæ necessaria est, ut thesaurus ille Ecclesiæ applicari possit fidelibus, quod fieri potest, si verè pœnitentiam agant, aut tametsi confessi non sint; quin imò nomine contritionis venire quoque attritionem ait idem, apud quem vide plures hujus declarationes & limitationes.

Quæst. 546. *Jubilæi nomen & initium unde, in quo differat ab indulgentia plenaria, & qualiter definiendum?*

1. Resp. ad primum: Jubilæi nomen ab Hebraico nomine Jobolæus, quod Hebræis annus quinquagesimus remissionis, utpote quo servi donabantur libertate, relaxabantur delicta, prædia divendita ad antiquos possessores & exules in patriam, pristinámque libertatem revertebantur, significabat, ùt constat ex *num. ult. & Levit.* 15. translatum est ad tempus gratiæ significandum.

2. Resp. ad secundum: Jubilæi usus etsi antiquissimus, extendatúrque ab aliquibus ad tempora Apostolorum; à quo tamen Pontifice primò authenticè & in scriptis concessus, incertum est. Jubilæum Romanum centesimo quovis anno concessit Bonifac. VIII. *Extrav. antiquorum de pœnit. & remiss.* Clem. VI. *Extrav. unigenitus. eod.* reduxit ad annum quinquagesimum. Sixtus IV. *Extrav. quemadmodum tit. eod.* ad annum 25. quod usque huc confirmarunt sequentes Pontifices, & in specie Gregor. XIII. in *constit. Sua.* 10. quæ incipit: *Dominus ac redemptor noster*, quam latè expendit Nav. *not ab.* 31. *& seq.* de quibus vide Castrop. *tr.* 24. *d. unic. p.* 12. *à n.* 1.

3. Resp. ad tertium: differt jubilæum ab indulgentia plenaria, quòd ultra hanc contineat facultates aliquas, v. g. potestatem absolvendi ab omnibus casibus seu peccatis & censuris reservatis, etiam ordinario & ipsi Papæ, modò absolvendus non sit excommunicatus à Judice, vel non excommunicatus, suspensus, interdictus, publicè & nominatim denuntiatus, vel casus reservatus in Bulla cœnæ, ab his enim nisi in Bulla exprimantur, absolvendi potestatem non competere confessario affirmat cum pluribus Gobat. *num.* 247. quamvis hujus contrarium cum pluribus teneat Castrop. *cit. p.* 12. §. 2. *n.* 9. quem vide. Item potestatem vota quæcunque etiam juramento firmata, in alia etiam aliquando minoris valoris quàm actio voto promissa, exceptis votis castitatis perfectæ & religionis, uti & iis, quorum commutatio cedit in præjudicium tertii, à quo votum utpote cadens in ejus favorem, est accepratum, cùm potestas relaxandi tale votum in concessione generali non veniat, sed tacitè excepta intelligatur, Suar. *de voto c.* 15. *n.* 10. Gobat. *num.* 290. circa quam absolutionem, à reservatis & votorum commutationem lucrandi jubilæi causâ concessam plura dubia eruditè resoluta vide apud Castrop. *tr.* 24. *de unic. p.* 12. §. 3. *à n.* 5. per plures numeros sequentes.

4. Resp. ad quartum: jubilæum definiri potest, quòd sit indulgentia plenaria à Summo Pontifice (utpote qui solus indulgentiam plenariam cæterósque favores in jubilæo expressos concedere possit.

c. cum

c. cùm ex eo. & c. dilectus de temp. ordinat. ibique Gl. *v. permissa.* & Abb. *n.* 3. Sanctarel. *de jubilæ. c.* 3. *du.* 2.) concessa fidelibus visitantibus certas ecclesias & certa pia opera peragentibus, de quibus sit

Quæst. 547. *Quænam in specie opera præscripta sint volentibus lucrari indulgentias.*

1. Resp. primò in genere: Opera in jubilæo præscripta in alia pia opera saltem aliunde indebita & æqualis cum præscriptis valoris commutari possunt per confessarium cum iis, qui claustro, perpetuo carcere, captivitate, infirmitate alióve impedimento detinentur, ut opera in Bulla jubilæi expressa vel eorum aliquod moraliter, hoc est, sine notabili aut magna difficultate peragere nequeant. Laym. *l.* 5. *tr.* 7. *c.* 8. *num.* 12. Gobat. *à n.* 99. Wiestn. *h. t. n.* 179. *in fine.*

2. Resp. secundò in specie: Opera plerumque in Bullis jubilæi præscripta sunt sex: Primum visitatio quatuor ecclesiarum, nimirum in urbe SS. Apostolorum Petri & Pauli, Basilicarum S. Joannis in Laterano, & S. Mariæ majoris ecclesiarum, quæ à Romanis, intellige, non tantùm civibus, sed & incolis quibuscunque Romæ per longum tempus, V. G. per annum degentibus per 30. dies continuos, vel interpolatos semel de die per forenses & peregrinos (esto origine sint Romani) ibi ad breve tempus commorantibus per 15. istiusmodi dies visitandæ, Castrop. *cit. p.* 12. §. 1. *n.* 6. Gobat. *num.* 126. unde huic obligationi non satisfaceret, qui unam harum ecclesiarum aliquo die non visitaret, etsi eam alterâ die visitaret bis. Castrop. *l. c.* Nav. *not.* 32. *n.* 41. extra urbem verò quatuor quoque Ecclesiæ aut capellæ, vel pauciores, vel etiam una, si mens Papæ in Bulla expressa id patiatur, ab Ordinario loci præscriptæ, ita tamen, ut si is plures, v. g. quinque vel sex præscripserit, non necessariò omnes visitandæ, sed sufficiat tot obire, quot præscriptæ Romanis, eò quòd locorum Ordinarii conditionibus à Papa præscriptis alias addere non possint, ùt Gobat. *l. c.* Wiestn. *h. t. n.* 184.

3. Secundum opus est oratio, intellige, vocalis quinque *pater & ave*, si totidem determinatè exigantur, vel etiam exigatur oratio per aliquod temporis spatium, si tamen omnino indeterminata præscripta oratio, sufficere orationem breviorem, etiam unius *pater & ave* existimant, Suar. *de pœnit. d.* 52. *s.* 8. *n.* 5. Gobat. *n.* 140. quamvis suadeant longiorem. Facienda autem ea oratio ad intentionem Papæ. V. G. pro exaltatione matris Ecclesiæ, pro extirpatione hæresum, concordia Principum Christianorum &c. Wiestn. *num.* 185. cum Dian. *p.* 1. *tr.* 11. *resol.* 33. & de Lugo *de pœnitent. d.* 27. *n.* 85. & alii, quos citat.

4. Tertium: Confessio secundum dicta tamen de hoc *quæst. ante hanc penult.* quibus addendum, quòd, si semel rite confessus, antequam cætera opera perficiat, labatur iterum in mortale, indulgentiam jubilæi lucrari possit sine nova confessione, modò cætera opera prævià contritione compleat in statu gratiæ, cùm Bulla jubilæi confessionem ad summum unam præscribat, Gobat. *n.* 157. Lugo *num.* 100.

5. Quartum: S. communio, quæ etsi in Bullis jubilæi anni Sancti non exprimatur, eam tamen ad consequendam indulgentiam illius necessariam esse, cùm in cæteris jubilæis necessaria esse credatur, supponit Filliuc. apud Gobat. *n.* 176. Unde qui ob periculum vomitûs aliúdve impedimentum Eucharistiam sumere nequeunt sine ea in alia pia opera commutatione indulgentias non lucrari, ideóque pueros faciliùs ad communionem admittendos tempore jubilæi quàm alio censet Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 4. *num.* 3.

6. Quintum est jejunium tribus diebus, scilicet feriis quartâ, sexta & Sabbatho eodem modo, cum vel sine abstinentia à lacticiniis obeundum pro aliorum ab Ecclesia præscriptorum jejuniorum observatione hoc vel illo loco à fidelibus exigi solet, observandum hoc jejunium etiam à pueris alísque à jejunio ab Ecclesia præscripto quacunque de causa excusatis, si indulgentias lucrari velint, licet infirmis, pauperibus, operariis, alísque sine notabili difficultate vel detrimento jejunare non valentibus jejunium in alia opera pia æquipollentia commutari possit. Laym. *l. c. c.* 8. *n.* 12. Lezan. *l. c. n.* 12. Gobat. *n.* 210. Wiestn. &c.

7. Sextum est eleemosyna, sive præstatio alicujus ex septem operibus misericordiæ corporalis, hâc enim satisfit Bullæ jubilæi præscribenti inter cæteras conditiones eleemosynam ex mente D. Tho. 2. 2. *q.* 32. *a.* 5. sufficit autem eleemosyna etiam minima, si simpliciter vel pro arbitrio vel pront singulis charitas suggesserit, detur, Gobat. *n.* 219. allegatis Dianâ & Bonac. si tamen Bulla dicat: *pro cujusque facultate*, largior danda à Principibus, Magistratibus & divitibus, quàm à pauperibus, aut mendicando vel labore manuum victum quærentibus.

Quæst. 548. *Num opera omnia præscripta unâ eâdémque hebdomadâ aut etiam uno eodémque loco peragenda?*

1. Resp. ad primum: Opera omnia unâ eâdémque hebdomadâ peragenda esse, absolutè affirmant Henriq. *l.* 7. *c.* 11. *n.* 2. Sanctarel. *de jubil. c.* 7. *du.* 1. apud Castrop. *l. c. p.* 12. *n.* 18. esse id verius & securius tenent Laym. *l. c. c.* 8. *n.* 10. de Lugo *de pœnit. d.* 27. *n.* 205. Gobat. *n.* 212. Castrop. *l. c. n.* 19. quamvis addat, quòd licet hæc sententia in praxi sit tenenda, probabilitate tamen non careat, posse aliqua opera fieri in una, & reliqua in altera, dum v. g. jubilæum concessum ad duas hebdomadas; ratio autem, quòd complenda sint in una hebdomada, aut saltem id sit securius, passim assignatur illa, quòd concessio etiam liberalis jure non prosit, nisi observetur forma, & impleatur conditio in ea requisita, Arg. *l.* 2. & 3. *ff. de donat.* forma autem Bullæ jubilæi satis disertè videatur requirere completionem omnium operum factam unâ eadémque hebdomadâ, dum Papa ait: *Qui ecclesias designatas visitaverint, & feria* 4. *&* 6. *& Sabbatho alterius ex duabus hebdomadis jejunaverint, paritérque peccata sua confessi, Sanctissima communione refecti fuerint, eleemosynam tribuerint &c.* ad hæc horum verborum, si ambigua essent, optima interpres sit consuetudo & praxis fidelium, opera illa omnia unâ hebdomadâ peragentium & credentium, se aliàs non lucraturos jubilæi indulgentias.

2. Resp. ad secundum: Etsi securius fortè sit omnia opera exequi in uno eodémque loco, vel proprii domicilii, vel in alio publicati jubilæi, verius tamen est lucraturum jubilæi indulgentias, si parte operum v. g. visitatione ecclesiarum in aliquo loco, reliqua impleat in alio, ad quem fortè negotiorum causâ excurrit. Laym. *l. c. n.* 11. De Lugo *n.* 124. Gobat. *n.* 89. ex ea ratione, quòd per præsentiam in loco publicati jubilæi quilibet in eo existens, ad eúmque veniens jus consequendi plenariam indulgentiam acquirat, eò quòd illa omnibus in eo

præsentibus tempore durantis jubilæi concedatur, quo jure proinde quæsito privandus non est inde egrediens, sed illud secum deferat.

Quæst. 549. An & qualiter durante jubilæo indulgentiæ, aliæque facultates suspendantur aut amittantur?

1. Resp. primò: Solæ plenariæ indulgentiæ etiam ad instar jubilæi concessæ à sede Apostolica durante jubilæo suspenduntur, ùt constat ex *Extrav. quemadmodum. de pœnit. & remiss.* & Bulla Gregor. XIII. quæ incipit: *Quoniam Sancti jubilæi*: quam refert verbotenus Nav. *notab. 33. de indulg.* & magna ex parte Castrop. *l. c. n. 7.* quæ etiam indulgentiæ plenariæ singularibus personis concessæ, quæ aliàs suspensæ non erant, suspenduntur, præcipitúrque, ne aliæ interim indulgentiæ plenariæ publicentur, & in usum deducantur sub excommunicatione ipso facto incurrenda, manentibus interea in vigore indulgentiis particularibus, quin imò & indulgentiis plenariis, quæ per modum suffragii defunctis applicari possunt, saltem quæ extra jubilæum applicari nequeunt vivis, cùm harum consecutio consecutionem jubilæi non impediat, ùt cum Laym. *l. 5. tr. 7. c. ult. in princ.* Castrop. *l. c.* Sed & excipiuntur ab hac suspensione indulgentiæ plenariæ concessæ Basilicis & Ecclesiis Urbis Romanæ, etiam sitis extra illius mœnia, eò quòd in his cesset finis intentus per suspensionem aliarum indulgentiarum, ne videlicet à peregrinatione Romana retrahantur, dum facultates Romæ propositas domi consequi valent. Zerol. *prax. episc. v. annus Sanctus n. 3.* Gobat. *n. 41.* quos citat Wiestn. *h. t. num. 195.* Item non excipiuntur indulgentiæ per Bullam Cruciatæ concessæ, quia privilegia hujus Bullæ dantur per modum contractûs, dum pro iis expenduntur duo regales. Privilegia ita concessa revocata non censentur per clausulam generalem, nec revocari valent, nisi factâ aliquâ compensatione; ùt Lezana. *l. c. n. 5.* Castrop. *loc. cit. §. 1. n. 10.* Dian. *p. 1. tr. 11. resol. 97.* Ac denique non excipitur indulgentia plenaria & jubilæum Compostellanum, de quo vide Castrop. *cit. p. 12. §. 1. n. 8.*

2. Resp. secundò: Revocantur cum indulgentiis plenariis facultates omnes & indulta quæcunque concedi solita unà cum indulgentiis jubilæi invitandi ad illud gratiâ, qualia reputantur solùm ea, quorum fit mentio in *Extrav. quemadmodum*, nimirum facultas eligendi confessarium cum potestate absolvendi à reservatis, censuris, aliisque pœnis. Item commutandi, vel in iis dispensandi, remittendi seu componendi malè ablata, utpote quæ frequenter concedi solent jubilæi consequendi gratiâ, & moraliter necessaria commoda illius consecutioni, unde facultates eligendi confessarium sine illa qualitate absolvendi à reservatis non suspenduntur, utì nec, quæ habentur cum illa qualitate, modò non habeantur à Pontifice vel ejus authoritate concessæ, sed concessæ ab Episcopis aliisque Prælatis authoritate ordinariâ utentibus. Ita Castrop. *l. c. n. 9.* Item facultates absolvendi à reservatis &c. quas regulares aliique habent per privilegia Apostolica independenter à jubilæo, ùt cum communi de Lugo *d. 20. n. 145.* Porrò hæc indulgentiarum & facultatum suspensio inchoatur ab apertione portæ Sanctæ, & durat ad ejusdem reclusionem, quarum illa fit ab initio Vesperarum Vigiliæ Nativitatis Domini, hæc à fine Vesperarum ejusdem Vigiliæ anno insequente, quâ occlusione factâ indulgentiæ omnes, quæ erant suspensæ, statim, & sine alia Papæ innovatione vel confirmatione reviviscunt Castrop. *cit. §. 1. n. 13.* Gobat. *à n. 50.*

TITULUS XXXIX.

De Sententia excommunicationis, suspensionis & interdicti.

CAPUT I.

De censura in genere.

Quæst. 550. Quid sit censura?

1. Resp. Censura, prout hoc loco accipitur, explicatiùs sic definiri potest: quòd sit pœna spiritualis medicinalis, quâ potestas ecclesiastica externa fideles suos delinquentes & contumaces bonorum quorundam Spiritualium usu privat ad eorum correctionem. Dicitur primò: *Pœna*, quia est privatio boni alicujus ob delictum.

2. Dicitur secundò: *Spiritualis:* Ad distinctionem pœnarum corporalium & temporalium, v. g. pecuniæ, carceris, exilii, qualis non est censura, utpote quæ nec afflictionem corporis, neque privationem bonorum temporalium principaliter intendit, etsi quandoque privationem bonorum temporalium per accidens & secundariò secum trahat, ùt dum excommunicatio privat communione politicâ & forensi, ex qua privatione plura quoque temporalia damna excommunicato provenire necesse est, quin & fructibus beneficii & quotidianarum distributionum, Laym. *l. 1. tr. 5. c. 1. n. 1.* Suar. *Tom. 5. de cens. d. 1. s. 1.* Hurtad. *de cens. difficul. 1.* Castrop. *tr. 29. d. 1. p. 1. n. 2.* Avila *de cens. p. 1. du. 4. n. 2.*

3. Dicitur tertiò: *Medicinalis:* quia non est pura pœna vindicativa sceleris jam patrati, cùm intendat correctionem futuram delinquentis, id est, inobedientis potestati ecclesiasticæ præcipienti vel prohibenti aliquid sub censura. Arg. *c. de sent. excom. in 6.*

4. Dicitur quartò: *Quâ potestas ecclesiastica:* siquidem potestas merè Sæcularis cum Ecclesiastica negotia tractare non possit, juxta *can. judicatum, dist. 89. c. decernimus. de judic. c. si Judex h. t. in 6.* capax non est potestatis & juris ferendi censuras. Nav. *man. c. 27. n. 9.* Covar. *in c. alma. p. 1. §. 11. n. 3.* Laym. *l. c. c. 3. num. 2.* competit hæc potestas censuras ferendi potestati ecclesiasticæ jure divino, utpote collata immediatè à Christo hisce verbis: *Matth. 16. v. 19. Quæcunque alligaveritis super terram. & Joan. 21. v. 17.*

5. Dicitur quintò: *Externa:* hoc est, potestas seu jurisdictio extendens se quoque ad forum externum,

num, expressa his verbis à Christo *Matth. c.* 18. *v.* 17. *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, id est, à communione segregatus, constátque ex definitione Concil. Constantiensis *Sess.* 8. *errore* 30. *& Sess.* 15. *errore* 9. & ex constante ab Apostolorum tempore deducta Ecclesiæ traditione & unanimi SS. PP. & DD. consensu, utì & ex ea ratione, quòd Ecclesia non possit cognoscere peccata merè interna, adeóque nec de iis judicare, nec ea punire, quibus autem in specie concessa hac potestas, resolvetur paulò post speciali *quæst.*

6. Dicitur sexto: *Fideles:* hoc est baptizatos, rationis ac doli capaces, viatores, tam laicos quàm Clericos, quia hi omnes & soli sunt subditi Ecclesiæ, eam ingressi per baptismum. *Can. de Judæis. dist.* 45. *& c. gaudemus de divortiis.* in quos verò in specie ferri nequeant censuræ, dicetur quoque paulò pòst speciali *quæst.*

7. Dicitur septimò: *Suos:* id est jurisdictioni ordinariæ vel saltem delegatæ ferentis subjectos, *c. à nobis de sent. excom.* cùm par in parem, *c. innotuit de elect.* inferior in superiorem, *c. cùm inferior. de majorit.* imperium non habeat. Hinc summus Pontifex, quia nulli subjectus & omni jure humano superior est, nulli censuræ obnoxius est, Laym. *l. c. c.* 4. *n.* 4. Castrop. *l. c. p.* 6. *n.* 3. de quibus item plura in sequentibus.

8. Dicitur octavo: *Delinquentes:* cùm enim, ùt dictum, sit pœna medicinalis, necessariò culpam aliquam per ipsam corrigendam supponit. Circa quod tamen notanda diversitas inter censuras, dum excommunicatio major, cùm sit pœna omnium maxima, tam à jure quàm ab homine non nisì delinquenti ipsi infligitur, interdicto verò quandoque innocentes subjiciuntur, v. g. dum eidem civitas aliáve tota communitas ob delictum alicujus seu aliquorum supponitur, ut delinquens illius caput, aut quædam ejus membra suâ culpâ innocentes alios gravari animadvertentia citiùs resipiscant. Quod idem etsi aliqui extendant ad suspensionem, dum volunt, suspenso collegio vel capitulo etiam singulares illius personas culpæ expertes suspendi, rectiùs tamen id ipsum, nimirum suspensionem propriè dictam privantem jure proprio contrahi ob culpam merè alienam, negant Nav. *cit. c.* 27. *n.* 151. Henriq. *c.* 34. *n.* 1. Laym. *l. c. tr.* 5. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 1. apud Wiestn. *h. t. n.* 11. eò quòd suspensio sit gravis pœna, ea autem supponat culpam, quæ suos authores tenere debet, nec ultrà protrahenda quàm delictum fuerit repertum. *c. quæsivit. de his qui à majori.* de quo vide plura apud Castrop. *tr.* 29. *d.* 4. *p.* 3. ubi ex professo, num suspensio alicui infligi possit ob culpam alienam.

9. Dicitur nono: *Et contumaces:* nimirum in Ecclesiam præcipientem aut prohibentem aliquid sub censura, ùt Suar. *d.* 5. *s.* 5. *n.* 6. Cöninck *d.* 13. *du.* 8. *concl.* 6. Laym. *l. c. p.* 1. *c.* 5. *n.* 2. Unde censuram non incurrit committens peccatum solo jure naturæ prohibitum. Abb. *in c. quâ fronte. de appell. n.* 10. Suar. *d.* 4. *s.* 5. *n.* 6. cùm censura sit pœna inobedientiæ, contemptûs & contumaciæ contra potestatem ecclesiasticam, dum autem dicitur ob contumaciam incurrendam requiri contumaciam, intelligendum non est, quòd semper requiratur contumacia expressa & formalis, cùm sufficiat virtualis & contemptus Ecclesiæ interpretativus, in eo consistens, quòd quis sciat aliquid per legem aut legitimum Superiorem ecclesiasticum sub censura prohibitum, & tamen faciat: Atque ita ad excommunicationem semper requiritur contumacia, quæ sit causa immediata excommunicationis, sive præcesserit aliud factum sive non, dum nimirum citatus quis stare noluit juri, *c. ex parte de V. S.* dum autem delictum aliud præcessit ac proinde sententia excommunicationis processit non tantùm ob contumaciam, sed etiam propter illud delictum, tale delictum vocatur causa excommunicationis, non immediata, sed mediata tantùm, Reiffenst. *h. t. n.* 13.

10. Dicitur decimo: *Bonorum quorundam usu privat*, scilicet publicorum & communium, cujusmodi sunt beneficiorum administratio, exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ, perceptio Sacramentorum, indulgentiæ & publica Ecclesiæ suffragia, aliáque similia bona spiritualia externa, non tamen bona propria & interna animæ, ùt sunt dona gratiæ, virtutum theologicarum & moralium habitus, earúmque actibus merendi, impetrandi, satisfaciendi vis, his enim spoliare, earúmve usu interdicere nequit potestas ecclesiastica. Castrop. *l. c.* Laym. *l. c. d. & c.* 1. *n.* 2.

11. Dicitur denique: *Ad eorum emendationem*, sunt enim, ùt aliquoties dictum, pœnæ medicinales, non mortales, idcirco delinquente à contumacia recedente, sunt relaxandæ. *c. ex literis de constitut. & c. quâ fronte. de appellat*; cìsque canonica monitio seu commonitio præmittenda. *c. statutum. & c. Romana h. t. in* 6. ubi sententia excommunicationis absque competente monitione promulgata vocatur injusta.

Quæst. 551. *Quotuplex sit censura?*

Resp. Tres sunt celebriores divisiones censuræ; duæ primæ accidentales, nimirum ratione modi eas ferendi, tertia essentialis tanquam generis in species. Prima itaque censura alia est seu fertur ab ipso jure, nimirum per canones, constitutiones & statuta authore Prælato Ecclesiastico illorum conditore. Altera ab homine, quæ à Judice vel Prælato per modum mandati vel sententiæ judicialis fertur. Estque inter hos duos modos ferendi censuram hoc discrimen, quòd censura lata à jure, mortuo illius conditore canonis, seu constitutionis, perseverat canon, constitutio sic & ipsa censura. Lata ab homine ejus jurisdictione, morte vel alio modo finitâ, ipsa quoque exspiret, & à nullo alio incurratur, etsi, qui eam incurrerunt, ligati maneant, donec absolvantur. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 2. Castrop. *l. c. d.* 1. *p.* 2. *n.* 8. Ad hæc censura lata à jure nunquam ferri potest pro peccatis præteritis, sed solùm pro futuris, lata ab homine non solùm pro futuris, sed etiam pro præteritis in eorum satisfactionem & emendationem, Castrop. *l. c.* Censura lata ab homine subdividitur in specialem, quæ ob particulare factum & in personas determinatas fertur, ùt si Episcopus excommunicaret Petrum ob illius à beneficio absentiam. Et in generalem, ùt si excommunicaret omnes, qui furtum commiserunt. Neque his contrarium statuitur seu definitur in *c. Romana: de sent. excom. in* 6. dum ibi dicitur: *Caveant, ne tales excommunicationes, sive specialiter, sive generaliter pro culpis futuris ferre præsumant.* Indéque quidam dubitant, num quis præter Pontificem possit ferre censuram pro culpis futuris; nam præterquam id possint, qui pollent potestate legislativâ, ita ut tunc censura talis sit censura lata à jure, hic ad summum prohibetur censuram non à legislatore volente per hoc condere legem ferre, talem censuram per modum sententiæ, nisì subsit rationabilis causa, eáque in sententia exprimatur, præterquam

quòd

quòd Suar. & Cöninch apud Castrop. *n.* 4. censeant, non contineri in eo textu præceptum, sed solùm admonitionem, prout indicat verbum illud: *Caveant:* & si præceptum contineretur, consuetudine tamen videnti & non contradicente Principe sit abrogatum.

2. Secundò: Censura præsertim, quæ est à jure, alia est sententiæ latæ, alia sententiæ ferendæ. Prior est, quam delinquens ipso facto seu criminis perpetratione sine alia sententia condemnatoria incurrit, quales jure decretæ intelliguntur verbis præteriti vel præsentis temporis significationem habentibus. V. G. excommunicamus, anathematizamus, suspendimus, qui hoc fecerit, noverit se excommunicatum, excommunicationi subjaceat, vel in eam incidat: Prohibemus sub excommunicatione ipso jure, vel ipso facto sine alia sententia incurrenda &c. Censura sententiæ ferendæ est, quæ licet à jure statuta, à delinquente tamen non ipso facto statim incurritur, sed per sententiam à Judice infligenda, cujusmodi censura denotatur ferè verbis futuri temporis. V. G. excommunicabitur, suspendetur, vel excommunicetur: prohibemus sub excommunicatione: volumus excommunicari; ita ferè Sylv. *v. excommunicatio.* 1. *n.* 22. Castrop. *de lege pœnal. l.* 2. *c.* 1. Suar. *de cens. d.* 3. *s.* 3. *à n.* 1. Laym. *l. c. n.* 3. ut autem censura censeatur latæ sententiæ, non ambiguis, sed manifestis verbis est exprimenda, cùm in pœnis benignior interpretatio sit facienda. Castrop. *l. c. n.* 5.

3. Tertiò: Censura essentialiter trifariam dividitur, nimirum alia est excommunicatio, alia suspensio, alia interdictum, ùt constat ex *c. statutum. de sent. excom. in* 6. & præter has tres species censuræ non esse aliam tenent Nav. *man. c.* 27. *num.* 1. Lambertin. *de jurepat. p.* 1. *l.* 2. *q.* 9. *a.* 3. *n.* 3. Ugol. de cens. *tab.* 1. *c.* 26. Garc. *de benef. p.* 7. *c.* 13. *n.* 2. Suar. *Tom.* 5. *in* 3. *part. d.* 1. *s.* 3. Avil. *de cens. p.* 1. *du.* 5. Laym. *l. c. c.* 2. *n.* 1. Castrop. *l. c. p.* 1. *n.* 4. dicens communem & verissimam contra Sotum *in* 4. *dist.* 22. *q.* 3. *a.* 1. aliósque Thomistas tribus dictis speciebus addentes cessationem à divinis, & irregularitatem ex delicto, & alios, insuper annumerantes depositionem & degradationem, ita ut velint esse septem species censuræ, cujus contrarium ex *c. quærenti de V. S.* ubi Pontifex interrogatus de censuris, illas tres tantùm enumeravit, quæ responsio cùm sit in materia doctrinali, æquivalet huic absolutæ: non sunt nisi tres dictæ, ne aliàs esset responsio imperfecta. Item ex ea ratione, quòd definitio censuræ communiter recepta nulli alteri speciei nisi tribus enumeratis conveniat, dum cessatio à divinis est species quædam interdicti, vel non est tam pœna fidelibus imposita, quàm signum quoddam mœroris Ecclesiæ ob injuriam sibi factam, depositio verò, degradatio & irregularitas non sunt pœnæ medicinales delinquente emendato auferendæ, sed ex se perpetuæ; censuræ autem etsi quoque privent fideles bonorum spiritualium usu, relinquunt tamen potestatem illum usum recuperandi.

Quæst. 552. *Quinam in specie habeant vel non habeant potestatem ferendi censuras?*

1. REsp. primò: Potestate ordinariâ, qualis est, quæ alicui officio vel dignitati ecclesiasticæ, prout sunt ab Ecclesia instituta, annectitur in perpetuum, censuras ferre possunt imprimis summus Pontifex respectu omnium fidelium, ùt Catholici omnes, dein Episcopi & Archiepiscopi in sua diœcesi quò ad sibi subditos. *c.* 1. *de off. Ordinar.* Trid. *sess.* 6. *de reform. c.* 3. & *sess.* 14. *c.* 4. ita tamen, ut Archiepiscopus illas ferre nequeat respectu subditorum suorum suffraganeorum, nisi dum suffraganei diœcesim visitat, vel causa subditorum suffraganei ad ipsum devolvitur, *c. venerabilibus de sent. excom. in* 6. Tertiò Cardinales in ecclesia sui tituli, *c. his quæ de majorit. & obed.* & *ibi DD.* Quartò Legatus sedis Apostolicæ in provincia suæ legationis. *c. Legatus. de off. legat. in* 6. Quintò: Vicarius Episcopi generalis, quippe idem constituens cum Episcopo tribunal. *c.* 2. *de consuetud. in* 6. *c. Romana de appel. in* 6. idem est de Vicario capituli sede vacante, Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 16. & à fortiore de ipso Capitulo. *c. unic. de majorit. in* 6. Sextò: Concilia generalia per totam Ecclesiam, provincialia in sua provincia. Septimò: Abbates, Priores, Præpositi ecclesiarum collegiatarum, & qui jurisdictionem in foro externo habent, Archidiaconi & Archipresbyteri, quietsi ex primæva sua institutione eâ potestate carebant, *c.* 5. *de off. Archipresb.* modò tamen eorum aliqui ex consuetudine eam habent, Arg. *c. veniens. de eo qui furtivè ordin. suscepit.* & *c. dubium de elect.* Octavò ex privilegio Papæ annexo eorum officio religiosorum Generales, Provinciales, Præpositi, Rectores, Guardiani, aliique Superiores locales habent, non tamen parochi, cùm in foro externo jurisdictionem non exerceant. Sylv. *v. excommunicatio.* 1. *n.* 5. Nav. *man. c.* 27. *n.* 5. Suar. *de cens. d.* 2. *s.* 2. Castrop. *tr.* 2. *d.* 1. *p.* 4. *n.* 2. non obstante textu *c. cùm ab ecclesiar. de off. ordinar.* ubi rata habetur excommunicatio facta à plebano; nam is plebanus erat Præpositus Ecclesiæ collegiatæ, ùt notat Avil. *de cens. p.* 2. *c.* 3. *du.* 2. vel ut Abb. *in cit. c. n.* 2. habebat hanc potestatem, vel si parochis concessa fuerit, eam contrariâ consuetudine abrogatam dicit Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 2. *a.* 1.

2. Resp. secundò: Ex delegatione hanc potestatem habere possunt, quibus supradicti ordinariâ potestate gaudentes eam commiserint, cùm potestas eo ipso, quòd ordinaria sit, possit delegari, prout constat ex *tit. de off. Ordin.* modò tamen is, cui delegatur, sit ejus capax, hinc is, cui delegatur, tempore delegationis debet habere usum rationis, debet esse baptizatus, item Clericus, seu habere primam tonsuram, quia merè laicus est incapax hujus jurisdictionis suscipiendæ. *c. Ecclesia S. Mariæ. de constit. c. judicatum. d.* 89. Adeóque nec religioso professo laico ea conferri aut delegari potest. Suar. *d.* 2. *s.* 2. *n.* 11. Laym. *l.* 1. *sum. tr.* 5. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 2. Castrop. *l. c. d.* 1. *p.* 4. *n.* 3. Sed nec esse debet conjugatus, tametsi enim Ordines minores habeat sitque addictus obsequio alicujus ecclesiæ, & habitum Clericalem gestet (ob quæ privilegio canonis & fori gaudeat *c.* 11. *de clericis conjugatis*, junctoTrid. *sess.* 23. *c.* 6. *de reform.*) Ordinum tamen beneficiorúmque & jurisdictionis administrationisque est omnino incapax, juxta expressum textum *c. sanè. de Cler. conjug.* Abb. *ibid.* Covar. *c. alma mater. p.* 1. §. 11. *n.* 3. Cöninch. *d.* 13. *du.* 4. Suar. *d.* 2. *s.* 3. *n.* 1. Laym. Castrop. *ll. cit.* unde nec ex dispensatione Episcopi hæc potestas laicis & conjugibus committi potest, cùm nemini præter Pontificem concessum sit adversus consuetudinem & Decreta universalis Ecclesiæ procedere. Suar. Laym. Castrop. *ll. cit.* Atque ex his à fortiore constat, fœminam hujus jurisdictionis incapacem esse, ùt dicitur in *c. de monialibus. de sent. excom.* & *c. dilecti. de majorit. & obed.* de cujus *cap.* intellectu vide Castrop. *cit. n.* 3. *in fine.* Verùm tamen incapacitatem hanc non

esse

esse juris divini, ita ut nec Pontifex ex plenitudine potestatis hanc jurisdictionem concedere valeat fœminæ, verius esse censet Castrop. *l. c. num. 5.* citans pro hoc Paludan. *in 4. dist. 19. q. 2. a. 1.* Nav. *L. 5. Consil. 1. de Sent. excom.* Sayr. *de cens. L. 1. c. 5.* Filliuc. *tr. 11. c. 2. q. 8.* Hurt. *de cens. diffic. 4. n. 3.* Laym. *l. c. n. 4.* eò quòd, licet potestas ferendi censuras sit Spiritualis, non sit tamen potestas Ordinis, sed Jurisdictionis spiritualis, hujus autem fœmina non videatur incapax jure divino, cùm ex privilegio Pontificis conferre possit beneficia Clericis, eósque instituere in Ecclesiis, & iis præcepta imponere, juxta *c. dilecta de margarit. & obed.*

Quæst. 553. In quos censura ferri possit, vel non possit?

Resp. Non nisi in hominem baptizatum, rationis compotem, viatorem, inferenti censuram subjectum ferri potest, Nav. *man. c. 27. n. 13.* Suar. *Tom. 5. de cens. d. 5. S. 1.* Laym. *l. c. c. 4. num. 1.* Cöninck *d. 13. du. 6.* Castrop. *l. c. p. 6. n. 1.* Hinc ferri nequit primò: in bruta, quia culpæ capacia non sunt, nec jurisdictioni subjecta, ideóque dum creaturæ irrationales fidelibus nocentes anathematizantur ab Ecclesia, id solùm intelligendum, quòd Ecclesia illas detestetur & execretur. Castrop. *l. c.* Neque secundò: in Paganos, Judæos, Catechumenos, quia potestati Ecclesiæ non subjiciuntur. Ecclesiam non ingressi, juxta illud Apostoli 1. *ad Corinth. 5. quid mihi de his, qui foris sunt.* Secus de Hæreticis, Apostatis, Schismaticis utpote per baptismum subditis potestati Ecclesiæ, quam subterfugere non possunt. Neque tertiò: in defunctos, Covar. Suar. Nav. *ll. cit.* Laym. *l. c. n. 2.* cum communi, quia ampliùs Ecclesiæ non subjecti, sive sint in cœlo sive purgatorio aut inferno. Hinc mandans occidi aliquem, non incurrit excommunicationem, si moriatur ante executionem mandati, dúmque *c. à nobis. il. 2. de Sent. excom.* Papa definit, posse excommunicatum absolvi post mortem, quia Ecclesia potest ligare & solvere defunctum, loquitur de absolutione & ligatione indirecta, quatenus Ecclesia præcipere potest fidelibus, ne corpus excommunicati signis pœnitentiæ decedentis sacræ sepulturæ tradant ob excommunicationem, quâ defunctus, dum viveret, ligabatur, néve suffragia pro eo offerant, & è contra, si decesserit pœnitens, concedere, ut illa beneficia præstentur defuncto. Ita Covar. *l. c. n. 8.* Suar. *l. c.* Castrop. *cit. p. 6. n. 1. vers. tertio.* Neque quartò: in expertem rationis tunc, quando causam censuræ dabat, si verò compos erat rationis, efficacem causam censuræ incurrendæ dedit, & tempore, quo hæc infligenda in ebrietatem vel amentiam etiam perpetuam incidisset, utique eâ ligaretur, cùm usus rationis & libera voluntas requiratur tunc solùm, quando ponitur causa censuræ, & non, quando ea contrahitur, Laym. *l. c. c. 4. n. 3.* Suar. *d. 5. S. 1. n. 20.* sic qui sanæ mentis mandat occidi Clericum, & tempore interfectionis ebrius vel amens est, non effugit excommunicationem, à qua tamen, si amentia perpetua est, absolvendum eum esse dicunt Suar. Laym. *ll. cit.* Cöninch. *l. c. à num. 45.* De cætero etsi neget Ugolin. *de cens. c. 17. n. 5.* censuram ferri posse in impuberes, etsi usu rationis polleant, eò quòd Ordinem judiciarium non satìs percipiant, nec stare possint in judicio ad se defendendum & agendum, juxta *c. ult. de judiciis. in 6.* contrarium tamen de censura ipso jure annexa delicto tradunt Castrop. *l. c. n. 2.* Cöninch, *l. c.* Suar. *l. c. n. 17.* Hurt. *de cens. diffic. 7. n. 30.* idémque de lata per statutum, nisi contrarium ex consuetudine constet, cùm ad talem censuram non requiratur citari delinquentem aut stare in judicio. Idem de censura per specialem sententiam ferenda in talem impuberem dicit quidem Castrop. eò quòd, esto, ignoret impubes Ordinem judiciarium, de eo tamen instrui potest sicut alius pubes, posítque medio procuratore stare in judicio, & respondere, addit tamen non esse adeò conveniens, impuberes ligari censurâ, eò quòd usus & recepta consuetudo habeat contrarium. Quintò: ferri nequit in non subditos, unde Pontifex nullâ censurâ ligari potest, utpote supra jus omne humanum, ùt dictum suprà, item neque Imperator aut Rex ab Episcopo censurâ affici possunt, neque Episcopi generali juris constitutione censuram incurrunt, nisi in ea fiat specialis mentio eorum, juxta *c. Quia periculosum. de Sent. excomm. in 6.* quòd tamen solùm loqui de suspensione & interdicto notat Suar *d. 5. S. 4. n. 3.* Denique qui existentes extra territorium lege illius non ligantur etiam censurâ impositâ per talem extra territorium ligari non possunt, cùm censura sit pœna transgressionis legis, ubi nulla est transgressio, ibi nulla est impositio pœnæ, adeóque nulla est censura ibi imposita, Castrop. *tr. 3. d. 1. p. 24. §. 5. n. 23.* circa quod tamen notandum cum Eodem *num. 24.* quòd si in uno territorio inchoatum delictum, cui annexa censura, & in altero consummatum, censuram non incurri ipso facto, quia non est imposita ob inchoationem delicti, sed ob consummationem, consummatio autem contigit extra territorium, & consequenter extra jurisdictionem Judicis imponentis legem, pro quo citat Suar. *de cens. d. 5. S. 4. n. 8. & 9.* Sylv. *v. excommunicatio. 2. n. 8.* Salas. *d. 14. S. 5. n. 71.*

Quæst. 554. Ob quam causam inferri possit censura?

1. Resp. primò: Supponendo censuram infligi non posse nisi pro culpa, cùm sit pœna medicinalis, quæ necessariò supponit culpam corrigendam, quod ipsum quidem etiam locum habet, dum communitati alicui infligitur censura suspensionis & interdicti, ea censura tamen non supponit delictum omnium & singulorum istius communitatis membrorum, dum sæpe inter illos multi innocentes ab illo delicto, ob quod censura lata, qui nihilominus eâ ligantur ob delictum communitatis, cujus contrarium est in excommunicatione, dum excommunicari non possit communitas, nisi expressè separentur innocentes.

2. Resp. secundò: Excommunicatio major aliáve gravis censura inferri nequit, nisi ob culpam mortaliter gravem externè consummatam contra Ecclesiasticæ potestatis præceptum contumaciter commissam. Dicitur primò: *censura gravis ob culpam seu peccatum grave:* quia pœna debet proportionari culpæ. *c. cum non ab homine. de judiciis.* Hinc excommunicatio major, suspensio, interdictum, prout hodie feruntur, infligi non possunt ob culpam venialem. Suar. *de cens. d. 4. S. 4.* Sanch. *L. 6. mor. c. 4. n. 55.* Laym. *l. c. c. 5.* Vasq. *tr. 2. d. 158. c. 5.* Cöninch. *d. 13. du. 8. concl. 2.* Castrop. *tr. 29. d. 1. p. 7. n. 2.* & de excommunicatione majore apertè ex Trid. *Sess. 25. c. de reform. & c. nemo Episcoporum, & c. nullus Sacerdos 11. q. 3.* Navar. *27. n. 9.* Covar. *c. almæ mater. 1. p. §. 9.* quibus non obstat, quòd excommunicatio in aliquibus textibus juris videatur ferri ob causam levem,

nam non intelligendi de causa levi absolutè, sed quæ sæpe ex circumstantiis redditur gravis, ùt Castrop. *l. c. n.* 2. cum Cöninch. *l. c.* dicitur autem excommunicatio adhuc levis, quæ etsi non privet re adeò levi, sed quia privat usu aliquo Sacramentorum passivo, & potest tolli à quovis Sacerdote, & ideo infligi ob culpam venialem potest. Castrop. *tr.* 29. *d.* 2. *p.* 18. *n.* 7. & cum eo Reiffenst. *h. t. n.* 9. utì etiam quandoque ob levem aliquam suspensionem, v. g. ab uno actu electionis, à missa celebranda ad unum alterúmve diem, ùt Pirh. *h. t. n.* 27. Laym. Nav. Suar. &c. Dicitur secundò: *externè consummatum:* quia sufficere ad incurrendam censuram peccatum internè consummatum, etsi probabiliter satìs teneant gl. *in Clem.* 1. *de hæret.* & alii, quos referunt Sanch. *in Decal. c.* 8. *n.* 9. Farin. *de hæres. q.* 192. Barb. *de potest. Episc. alleg.* 40. *à n.* 6. eò quòd tradant, Ecclesiam habere jurisdictionem in actus merè internos, dum v. g. absolvere potest à peccatis merè internis, eáque reservat, vota irritat &c. adeóque actus internos punire potest; contrarium tamen seu censuras se non extendere ad actus purè internos verius censent Nav. *cit. c.* 27. *n.* 66. Covar. *reg. peccatum. p.* 2. *n.* 7. Vasq. 1. 2. *d.* 160. Avil. *p.* 1. *du.* 10. Hurt. *de cens. diff.* 11. *n.* 49. Castrop. *l. c. p.* 7. *n.* 4. Suar. *de cens. d.* 4. *S.* 1. referens plures. Estque ratio manifesta, quia Ecclesia est sensibilis & visibilis adeóque potestatem habere non potest in id, quod insensibile & invisibile est, neque etiam, quæ ei occulta sunt, punire potest, rationes etiam in contrarium adductæ minùs efficaces videntur, ùt est illa, quòd potestas Ecclesiæ sit spiritualis; nam esto, sit talis saltem moraliter, quia tamen inest hominibus, qui corporales sunt, extendere se nequit ad res purè spirituales, item: absolvit à peccatis purè mentalibus, dum ea fiunt illi manifesta, reservat peccata occulta, non exercendo in ea jurisdictionem, sed potiùs eam negando &c. cæteras dilutas vide apud Castrop. *num.* 5. Dicitur tertiò: *ob peccatum ab Ecclesiastica potestate specialiter prohibitum, contumaciter commissum:* quod satìs declaratum suprà in definitione censuræ; quibus adde, ferri non posse censuram pro peccato præterito in ejus punitionem, sed necessariò ferendam pro peccato futuro vel in præteriti satisfactionem, Nav. *cit. c.* 27. *n.* 9. Ugol. *de cens. tab.* 1. *c.* 9. §. 5. Covar. *c. alma mater. p.* 1. §. 9. *n.* 4. Suar. *d.* 4. *S.* 5. Laym. *l. c. c.* 5. *num.* 3. Castrop. *l. c. n.* 8. juxta *c.* 1. *de Sent. excom. in* 6. eò quòd, cùm censura ex sua institutione sit medicina præservativa & coërcitiva peccati, nequeat infligi pro peccato purè præterito, quia illi, quatenus præteritum, mederi non potest; Item non nisì pro externè completo in suo genere secundùm proprietatem verborum contentorum in præcepto seu lege infligente censuram, quia leges pœnales strictè interpretandæ, Cöninch. *l. c. concl.* 7. Suar. *d.* 4. *S.* 3. *n.* 7. Nav. *L.* 5. *Consilior. cons.* 7. *n.* 1. Sanch. *de matr. L.* 3. *d.* 2. *n.* 5. Castrop. *l. c. n.* 10. Arg. *c. perpetuo. de elect. in* 6. unde censuram latam contra committentem delictum non afficere mandantem aut consulentem illud, nisì in lege exprimatur, probabiliùs docent Cajet. *v. excommunicatio sub princ.* Armill. *eod. n.* 2. Nav. *cit. n.* 27. *n.* 51. Henriq. *L.* 13. *de excomm. c.* 17. *n.* 2. Sanch. *l. c. d.* 49. *n.* 7. Avil. Hurt. & plures alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c. n.* 12. eò quòd mandans in rigore dici nequeat illud delictum facere, ùt Bart. *in c. sed unius.* §. *servus de injuriis. n.* 2. Jason. *in L. si quis id. ff. de jurisd. omn. Jud. n.* 36. Clarus *L.* 5. §. *fin. q.* 89. Pacian. *tr. crim. L.* 9. *c.* 32. *num.* 2. ex eo, quòd mandatum & consilium præcedant factum, & sint causa moralis illius, adeóque sub facto comprehendi non debeant, & ùt diversa puniantur. Et licet mandans absolutè dici posset delictum committere, non tamen adhuc in proprio & rigoroso sensu, quo requiritur non moralis, sed physica factio, ùt Castrop. *n.* 14. illud certum videtur, mandantem, si contra illum lata censura, illam non incurrere, dum mandatum, antequam datum executioni, revocavit efficaciter, secus tamen, si revocavit, quantum potuit, sine effectu tamen, quia non desinit esse causa moralis delicti, ùt Castrop. *n.* 15. citato Cöninch. *d.* 14. *du.* 15.

Quæst. 555. *An & qualis præmonitio necessariò præmittenda censuræ ferendæ?*

1. Resp. Primò: ad incurrendam censuram ipso jure latam vel per sententiam aut decretum generale sub censura ipso facto incurrenda aliquid faciendo, nulla prærequiritur monitio seu comminatio censuræ incurrendæ. *c. reprehensibilis. de appell.* cum enim jus, talisque sententia generalis sit publica, in se per se continuò monent, nisi tamen jus ipsum expressè vellet monitionem præcedere, unde potest ac debet Judex commisso delicto delinquentem publicè denunciare & declarare censuratum, v. g. excommunicatum, Arg. *c. conquesti h. t.* Nihilominus debere adhuc citari delinquentem obnoxium censuræ ipso jure latæ ad hoc, ut defendere se possit, si forsan causam habeat excusantem à censura, tradit Nav. *cit. cons.* 9. *n.* 4. cúmque secuti Engels *h. t. n.* 9. & Reiffenst. *h. t. n.* 23. quin & volunt per textum & gl. *in Clem.* 3. *de censib.* & *Clem.* 2. *de pœnis* denunciationem seu declarationem excommunicationis à jure latæ esse nullam, nisi talis citatio præcesserit, nisì delictum & contumacia delinquentis non resipiscentis esset notoria.

2. Resp. Secundò: ad incurrendam censuram saltem excommunicationis ab homine latam requiritur necessariò prævia monitio seu comminatio illius, est communis & certa, juxta *c. reprehensibili. de appell. c. Sacro. h. t. c. Romana. c. Statutum, c. Constitutionem h. t. in* 6. quia fertur ob contumaciam & ob inobedientiam actualem, & qui monitus non est, rebellis & contumax non est, nihilominus tamen, cùm censura suspensionis & interdicti non ùt mere censuræ, sed ùt pœnæ vindicativæ infligantur, imponi tunc possunt nullâ præmissâ comminatione, Arg. *c. Cùm in cunctis.* §. *fin. de elect. c. Sacro. h. t.* Castrop. *l. c. p.* 5. *n.* 5. debet hæc monitio ordinariè esse trina cum competente intervallo dierum. *cit. c. Constitutionem.* gl. *in cit. c. Sacro. v. competenti,* vel una æquivalens tribus Arg. *L. contumacia* §. 1. *ff. de re judicata,* tum ut contumacia delinquentis magìs appareat, tùm ut habeat spatium ad defensionem proponendam, vel ad satisfactionem præstandam. Suar. *d.* 3. *S.* 12. *n.* 4. & 5. Hurtad. *de censur. diffic.* 20. *n.* 86. Laym. *L.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 6. *in fine.* Estque tempus ad trinam vel unam trinæ æquivalentem competens concessum exprimendum in ipsa sententia, Castrop. *l. c. p.* 5. *num.* 8. si verò feratur sententia excommunicationis non observatâ illâ trinitate monitionis, sententia erit quidem injusta, non tamen invalida, nisi fortè censura lata fuerit adversus participantes & communicantes cum excommunicato, *c. Statuimus. c. Statutum de Sent. excom. in* 6. Castrop. *l. c.* cum AA. paulò antè cit. item debet monitio illa fieri in scriptis con-

tinentibus causam, ob quam lata censura, ita ut, si pronunciata sine sufficiente causa (secus urgente legitimâ causâ) verbotenus Judex eam proferens (excepto Episcopo) ab ingressu Ecclesiæ & divinis officiis ipso jure suspendatur, &, si interea divinis se ingesserit, fiat irregularis, juxta *c.* 1. *de Sent. excom. in 6.* Item debet hæc monitio in scriptis tradi reo vel coram illo legi, & quidem coram testibus, qui de ea tradita vel lecta testari possint, qui tamen si se malitiosè absconderet & declinaret, sufficit eam fieri ad ejus domum, vel in Ecclesia, platea alióve loco publico, ex quo in ejus notitiam facilè devenire posset, affigi, *c. Sacro. de Sent. excom. c. Quoniam.* §. *porro. ut lite contestata*, Suar. *l. c. d.* 3. *S.* 11. Covar. *in c. alma mater. p.* 1. §. 9. *n.* 4. Castrop. *l. c. n.* 11.

3. Resp. Tertiò: adhuc monitio prævia necessariò requiritur, dum censura à jure statùta est sententiæ ferendæ, Arg. *c. reprehensibilis. de appell.* dum ibi universaliter & indistinctè præcipitur, ut præmittatur canonica monitio, nisi censura à jure imposita sit sententiæ latæ ipso jure incurrenda, quæ tamen responsio locum non habet, ubi crimen & contumacia est notoria, cùm, ubi excessus est notorius, accusatione, examinatione, & probatione opus non sit. *can. manifesta. & seq. caus.* 2. *q.* 1. *c. bonæ. de elect.*

Quæst. 556. *Quibus de causis excusetur quis ab incurrenda censura?*

1. Resp. Primò: Ignorantia quælibet, modò crassa & supina non sit, excusat à censura, adeóque, sive ea sit facti, ùt dum ignorat, id, quod facit, contineri inter prohibita sub censura, v. g. dum percutit quis clericum putans esse laicum, *c. Si verò de Sent. excom.* sive sit juris, ùt dum quis percutit clericum minorum Ordinum, nesciens percussioni talis Cleri statutam censuram. *c.* 2. *de constit. in 6.* éstque utriusque eadem ratio, nimirum quòd, cùm censura ex sua institutione sit ad exercendos & continendos rebelles & inobedientes, eâ ignoratâ hanc vim habere nequit, ac ita non incurritur, cúmque sint pœnæ, quæ virtualiter contemptum legis requirunt, tales esse non possunt, dum ignoratur factum esse contra legem. Neque his obstat, quod delinquentes contra alias leges sub certa pœna aliquid prohibentes eâdem pœnâ justè plectantur, etsi ignorent pœnam, sub qua lex aliquid prohibuit, ùt constat ex praxi recepta, nam in hac est disparitas inter censuras & pœnas vindicativas, quòd ad has nulla requiratur contumacia, sed sola sufficiat simplex inobedientia erga Deum vel legislatorem humanum, ob quam tum in vindictam sceleris, tum ob terrorem aliorum pro bono & tranquillitate communi scienter agentibus contra legem infliguntur pœnæ, etsi hæ antecedenter ignorentur, censuræ verò utpote pœnæ medicinales requirant contumaciam consistentem in eo, quòd quis sciens aliquid prohibitum sub censura, & tamen illud committat contra legem Ecclesiasticam, sícque eam quasi contemnat, ita Reiffenst. *h. t. n.* 31. cum Sylv. *v. ignorantia. n.* 14. & Nav. *cit. c.* 27. *n.* 274. Unde jam etiam stante dubio juris & facti, quod adhibitâ debitâ diligentiâ vinci non potuit, non tenetur quis reputare se ligatum censurâ. Sanch. *in Decal. c.* 10. *num.* 56. Castrop. *l. c. p.* 8. *num.* 8. eò quòd in illo casu ei censura non satis sit promulgata, neque dici possit eam contemnere, quam justè impositam ignorat. Ita cum D. Thom. *quodlibet.* 4. *a.* 14. Sanch. *l. c. n.* 57. & 58. Castrop. *l. c.* secus est de eo, qui scit censuram latam, dubitat tamen, num à censura, quâ se ligatum fuisse scit, sit absolutus, is debet se reputare adhuc ligatum, quia pro censura, ejúsque ligamine stat possessio, Arg. *c. Sicut de Sent. excomm.* Item de eo qui dubitat, num appellationem præmiserit censuræ, vel legitimè ab ea appellaverit. Sayr. *de cens. L.* 1. *c.* 16. Sanch. *l. c. n.* 59. Castrop. *l. c.* qui tamen *n.* 61. tradit, quòd etsi stante legitimo dubio reputare se non debeat pro censurato, in foro conscientiæ & exteriore, id tamen non tenere quò ad Episcopatum aliámve dignitatem Ecclesiasticam, eò quòd turpe sit aliquando ab ea deturbari, comperta veritate censuræ.

2. Resp. Secundò: regulariter quis excusatur à censura ex gravi metu, v. g. mortis, mutilationis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum, qui committit aliquid sub censura prohibitum. Suar. *d.* 4. *S.* 3. *num.* 14. Laym. *L.* 1. *Sum. tr.* 5. *p.* 1. *c.* 5. *in fine.* Cöninck. *d.* 13. *du.* 12. *n.* 99. *& seq.* Castrop. *l. c. n.* 10. Pirh. *h. t. n.* 47. & alii cum communi, quia leges Ecclesiasticæ regulariter non obligant cum periculo vitæ, membrorum, alteriúsque gravis damni. Arg. *c.* 4. *de reg. Jur.* quia lex humana debet esse accommodata humanæ fragilitati; dum autem lex non obligat, ejus transgressione censura ei annexa non incurritur. Dixi tamen *regulariter*: quia in casibus extraordinariis, dum v. g. observatio legis humanæ necessaria pro conservando bono communi aut ejus transgressio cederet in contemptum fidei vel potestatis Ecclesiæ, sicut ea ex metu gravi facta non excusat à peccato mortali, sic nec à censura, si illa ei imposita. Laym. *l. c. n.* 9. Suar. *de cens. d.* 6. *S.* 3. Castrop. *l. c.* Idem esse, dum Ecclesia prohiberet quid sub censura, quod aliàs jure naturali prohibitum est, v. g. fornicationem, furtum, homicidium, quia nulla est ratio, ob quam in eo casu dici posset præceptum Ecclesiasticum cessare, cùm ex eo præcepto non astringatur quis ad aliquid peragendum vel omittendum, quod eo præcepto seclusò peragi aut omitti non debeat. Ita contra Cöninck cum Hurt. *de cens. diffic.* 23. *num.* 10. Castrop. *l. c. n.* 11. qui tamen addit, quòd, si tali præcepto naturali adderetur aliqua circumstantia, eídemque annecteretur censura v. g. prohibendo fornicationem in templo sub censura, excusetur fornicator à censura, si eam gravi metu adactus committeret in templo, quia non est censendus delinquere contra jus Ecclesiasticum, sed tantùm contra jus naturale.

3. Resp. tertiò: excusatur quis à censura non tantùm, quando innocens est à culpa, cui ea imposita, coram Deo & quò ad forum externum, ùt consentiunt omnes, verùm etiam quando nocens est, si culpa exteriùs probata non est, quamvis Judici privatim notum sit, esse nocentem, quia Judex censuram ferre non potest ex notitia privata, éstque talis illius sententia nulla, cùm sententia sit actus publicus & forensis judicii. Castrop. *n.* 12. cum Nav. *in c. cùm contingat. de foro. comp. caus. nullitatis.* 8. An verò è contra re ipsâ innocens, legitimè tamen probatus nocens seu reus delicti, cui imposita censura, ligetur censurâ, in eo, inquam, non conveniunt AA. affirmant cum Gl. *in c.* 1. *de Sent. excom. in 6. v. propter quam.* Durand. *in* 4. *d.* 18. *q.* 4. Cordub. *L.* 1. *q.* 43. referens plures, eò quòd Judex juxta allegata & probata procedat justè, quòd bona, quibus fideles per censuram privantur, dispositioni Ecclesiæ subdantur, quibus proinde in hoc casu innocentem privare possit, tum ut judicii æquitas servetur, tum ne Ecclesiæ authoritas contemnatur, quòd præcepto lato à Judice procedente secundum Ordinem juris nequeat resisti, sed potiùs ob-

servandum, saltem in facie Ecclesiæ, ùt cum Div. Thom. *in 4. dist. 18. q. 2. a. 1.* plurimi apud Castrop. *l. c. num. 3.* Econtra innocentem probatum nocentem aliquâ censurâ ligari posse, negant Cajet. *2. 2. q. 70. a. 4. ad 1.* Sotus, Covar. Avila. Suar. & alii, ex ea ratione, quòd verisimile non sit, Christum reliquisse Ecclesiæ potestatem privandi innocentem tantis bonis spiritualibus, cùm privatio hæc nec publicæ disciplinæ nec Judicis authoritati tuendæ expediat, sed ad id sufficiat, ut is, in quem fertur talis sententia, in facie Ecclesiæ & coram scientibus censuram & innocentiam ignorantibus se gerat, ac si verè ligatus censurâ, ad quod vi prædictæ sententiæ videtur obligatus. Castrop. *n.* 15. distinguit, ita, ut res, quæ præcipitur, sub censura sit iniqua Judice ignorante iniquitatem, non teneatur, nec possit parere sententiæ. v. g. dum ligatus impedimento dirimente per sententiam jubetur contrahere & consummare matrimonium, quia præsumenda non est Ecclesia velle, ut sibi contra legem divinam & naturalem obediatur, utì sentiunt omnes, sed si, quod præcipitur sub censura, nulli legi adversetur, etsi probabile censeat ligari alienum in hoc casu censurâ, si non pareat, contrarium censet probabilius, eò quòd durum & ab Ecclesiæ benignitate alienum sit, cogere & obligare sub censura ad solvendum & exequendum quid tanquam debitum, quod nullo modo debitum est, & licet in exteriori foro debitum esse demonstretur, id solùm probat, aliquem obligatum esse id exequi, dum præceptum tale sine scandalo non potest non observari, & hoc non ex vi talis præcepti, utpote quod nullum est, sed ex vi juris naturalis, quo tenetur quis potestati publicæ justè & juridicè præcipienti obedire, unde si tali præcepto non tantùm secreto, sed & publico, non obediatur, non incurritur exinde censura, nec obligatio abstinendi in publico ab omnibus actibus, qui per censuram exerceri prohibentur, ùt Suar. Laym. Cöninck censent, sed ex vi præcepti naturalis, quo tenetur quis censuram communi hominum sensu veram observare, ùt Castrop. *cit. n.* 15. *junctò n.* 16.

Quæst. 557. *Censura qualiter tollatur?*

1. Resp. primò: Censura semel incursa non tollitur, nisì per absolutionem ab ea, cùm tolli nequeat, nisì à potestate collata Petro solvendi ligatos, cujus potestatis actus est absolutio. Castrop. *tr. 29. d. 1. p. 11. §. 1. num. 2.* Neque enim tollitur morte infligentis eam, cùm, licet ab eo pendeat in fieri, non tamen in conservari, quia non est præceptum, sed pœna transgressionis præcepti, quæ durat, quousque legitimè tollatur. Arg. *c. Si Episcopus 11. q. 3. c. Pastoralis. §. præterea. de Off. Ord.* Suar. *de cens. d. 7. S. 1.* Laym. *L. 1. Sum. tr. 5. p. 1. c. 7. n. 1.* Castrop. *l. c.* Hurt. *de excom. diffic. 1. d. 14.* Neque perfectè cessat morte censurati, tametsi enim quâ parte ligabat censuratum viventem, ejus morte pereat, non tamen quâ parte obligabat fideles abstinere ab ejus communicatione, dum & hi eo mortuo tenentur à sepeliendo ejus corpore, utì & ab offerendo pro ejus anima preces publicas abstinere. Suar. *l. c. S. 7. n. 5. & 6.* Laym. *l. c.* Castrop. *l. c. n. 3.* Covar. *in c. alma mater. p. 1. §. 1. n. 8.* Neque denique satisfactione parti læsæ præstitâ & emendatione solâ, dum, licet imponatur, ut parti satisfiat, & delinquens corrigatur, ex eo tamen solùm sequitur, quòd debeat censura à Judice auferri, non verò quòd ea ex se cesset; qualiter verò etiam, dum non absolutè, sed pro determinato tempore fertur, adhuc non tollatur sine absolutione, vide apud Castr. *cit. n.* 4.

2. Resp. secundò: Potest absolutio à censura fieri variis modis, nimirum vel simpliciter & absolutè, dum ea conceditur emendato & à contumacia decedente; vel sub conditione aliqua, quæ si respiciat tempus præsens vel præteritum propriè conditio non est, cùm non suspendat actum, sed eâ existente valet absolutio, eâ deficiente non tam corruit, quàm nulla unquam fuit, si respicit tempus futurum, v. g. dum dicitur: Absolvo te ab incursa excommunicatione, quamprimum satisfeceris, suspensa manet, usque dum præstita satisfactio, quâ præstitâ jam absolutio evasit absoluta. Sed neque jure divino neque humano magìs irritam aut prohibitam talem absolutionem quam excommunicationem ipsam sub conditione de futuro factam, cum communi tenent Covar. *l. c. n. 6.* Suar. *l. c. d. 7. S. 8. n. 7.* Laym. *l. c. c. 7. n. 1.* Vasq. *de excom. du. 18.* Castrop. *l. c. §. 2. n. 2.* citatique ab eo Nav. Cön. Hurt. modò tamen rationabilis sit causa conditionatè absolvendi, cùm aliàs talis modus absolvendi alienus sit à praxi & usu recepto. His de cætero non obstante, quòd concedi nequeat absolutio Sacramentalis à peccatis sub tali conditione de futuro, siquidem absolutio à peccatis non pendet immediatè à voluntate absolventis, sed remotè quatenus ex illa voluntate apponitur materia & forma Sacramenti à Christo institutа, quibus positis, non potest illorum effectus ex humana voluntate dependere, absolutio autem à censura aliisque pœnis immediatè pendet à voluntate absolventis exteriùs expressa, ideòque illius effectus suspendi potest. Ita Castrop. *l. c. n. 3.*

3. Resp. tertiò: Est & alius modus absolvendi à censura, dictus ad cautelam, quo cavetur damnum, quod ex censura ignota tam censurato quàm aliis provenire poterat, & hinc frequenter præmittitur tum absolutioni à peccatis ob vitandam Sacramenti irreverentiam, tum Ordinum receptioni, tum beneficiorum, aliorúmque privilegiorum collationi ad vitandam eorum invaliditatem. Hæc absolutio ignoranti censuram petenti absolvi à quacunque censura, si fortè aliquâ ligatus esset, concedenda est. Castrop. *n. 4.* Hæc si petatur pro foro conscientiæ factâ promissione de satisfaciendo, ubi constiterit adfuisse censuram, concedenda est. Castrop. *n. 5.* cum Sayr. *thes. L. 2. c. 16. n. 19.* Si verò in foro externo petatur generatim absolutio à censura, eò quòd petens nullius in particulari suspicionem habeat nullâ præmissâ causæ cognitione, nullâque datâ cautione, ea conceditur. At si alicujus specialis censuræ, de qua habetur suspicio, utique is saltem semiplenè probare debet absolvendus, se illâ censurâ ligatum non esse, vel quia sententia lata desuper continet errorem, vel lata post interpositam legitimam appellationem, vel quacunque alia de causa. Abb. *in c. Apostolica. de censib. n.* 10. Felin. *n.* 22. Covar. *l. c. §. 12. n. 7.* Sayr. Ugol. & alii apùd Castrop. *l. c.* Item citandus, ad cujus instantiam excommunicatio lata, item Judex qui eam tulit, si processit ex officio, & si in probatione defecerint, condemnandi, & reus absolvendus. Porrò absolutionem hanc ad cautelam præstare poterit, qui ab ea censura absolutè absolvere potest, an verò cuilibet Judici delegato competat hæc potestas, valde variant AA. ùt legere est apud Castrop. *l. c.*

4. Resp. quartò: Est quoque modus alius absolvendi à Censura, qui vocatur: ad reincidentiam, eò quòd absolutus in eam iterum incidat, si opus sub censura præceptum non exequatur, utuntur hoc modo frequenter Judices in debitis pecuniariis, dum ex consensu creditoris debitorem absolvunt ab excommunicatione incursa ob non solutum debitum, im-

impositò præcepto, ut intra tot dies fiat solutio, sin minùs, eâdem censurâ denuo ligetur. Sic etiam absolutus à sede Apostolica ejúsve Legato, Nuncio cum mandato comparendi coram Ordinario vel alio, à quo sit pœnitentiam accepturus, vel cum obligatione parti satisfaciendi, si tale præceptum negligat, reincidit in censuram Castrop. *l. c. n.* 7. & 8. Fit hæc absolutio ad reincidentiam modo adhuc alio, dum nimirum absolvitur quis pro aliquo tempore absolutè, & pro reliquo tempore sub conditione, v. g. absolvitur quis à Judice ad tres dies ex consensu creditoris & in perpetuum, si intra illos dies debitum solvat. Item alio modo hac absolutione ad reincidentiam absolvitur quis, nimirum in ordine ad aliquem tantùm effectum, v. g. ad collationem beneficii alicujus, ad ferendum testimonium, in quo casu absolvi aliquem non à censura, sed ab uno illius effectu, v. g. incapacitate conferendi beneficii, ferendi testimonii, tradit Castrop. *n.* 12. uti &, quòd nullus præter Pontificem uti possit hoc modo absolvendi à censura, quia nemini concessum stante censurâ illius effectum impedire, cùm censura suos effectus habeat à pontificia institutione, quam nullus alius à Pontifice mutare possit, excepto tamen unico casu, qui tamen ab ipso Pontifice conceditur ob necessitatem, dum nimirum cuicunque Judici, tam ordinario quàm delegato, tametsi potestatem non habeat absolvendi à censuris, datum est, ut excommunicatum absolvere possit non absolutè, sed ad effectum dicendi testimonium, quando aliâ viâ veritas cognosci non potest, *c. veniens, de testib. junctò c. præterea. de off. Jud. deleg.* Laym. *l. c. c.* 7. *in fine*, Sayr. *thes. l.* 2. *c.* 16. *n.* 15. Castrop. *cit.* §. 2. *n.* 2.

Quæst. 558. *Quâ formâ & ritu concedatur absolutio à censura?*

1. Resp. primò: Nulla forma in jure desuper præscripta, sed sufficit, quæ voluntatem absolventis declaret, ùt si dicatur: ego te absolvo ab excommunicatione &c. imò: absolvo te: si præmissa petitio absolutioni à censura. Ugol. *de cens. lib.* 1. *c.* 23. Sayr. *thes. l.* 2. *c.* 16. *n.* 3.

2. Resp. secundò: Ligatus pluribus censuris etiam ejusdem rationis, potest absolvi ab una, & non ab alia, secus ac accidit in absolutione à peccatis mortalibus, potest etiam ab omnibus absolvi unâ absolutione, si absolvens habeat eam potestatem & voluntatem. Sayr. *l. c. c.* 11. *à n.* 16. quam voluntatem non habere censetur, si unam tantùm censuram aperuit pœnitens, *c. cùm pro causa. de sent. excom.* Abb. *ibid. n.* 6. Covar. *in c. alma mater. p.* 1. §. 1. *n.* 13. Potest fieri verbis & scripturâ, tam in foro exteriori quàm conscientiæ, ùt usus probat, quin & eam fieri signis aliis non esse mortale, ait Hurt. *d.* 14. *de excom. diff.* 14. quod non credit Castrop. *l. c.* §. 3. *n.* 3. maximè in absolutione judiciali, quia adversatur consuetudini receptæ in re gravi. De cætero ritus observandus in absolutione judiciali ab excommunicatione, præscribitur in *c. à nobis. de sent. excom.* & Pontificali Romano, de quo vide Castrop. *l. c. n.* 4.

3. Resp. tertiò: Inter conditiones ad absolvendum à censura, prima est potestas, quæ nemini non Clerico etiam in articulo mortis concessa. Nav. *c.* 26. *n.* 26. Covar. *l. c. n.* 9. Castrop. *l. c. n.* 5. potestatem hanc habet, cui commissa absolutio satisfactione non præstitâ, si absolvendus impotens satisfacere præstet cautionem pignoratitiam vel fidejussoriam, aut si hanc præstare nequeat, juratoriam. Vasq. *de excom. du.* 20. Avil. *p.* 2. *c.* 7. *du.* 8. Sayr. *l.* 2. *thes. c.* 17. *n.* 11. Castrop. *n.* 6. cùm potestas absolvendi parte satisfactâ subintelligitur, in quantum fieri potest servato juris ordine, quem Ordinem quia violat Judex contentus cautione juratoriâ, dum censuratus præstare potest satisfactionem, peccat graviter, Arg. *c.* 2. *de sent. excom. in* 6. invalidè quoque absolvit, si est Judex delegatus, quia delegans censendus non est concedere potestatem absolvendi contra juris Ordinem & in præjudicium tertii. Ita Vasq. *loc. cit.* Suar. *d.* 7. *s.* 5. *n.* 42. Cön. *d.* 14. *du.* 16. *num.* 121. cujus contrarium probabile esse docent Hurt. *d.* 14. *diff.* 5. *n.* 22. Sanch. Avil. quos sequitur Castrop. *l. c.* Secunda conditio tenens se quoque ex parte absolventis est libertas à coactione & metu, à quocunque coactio & metus procedat; quod procedit, tametsi Judex sub conditione futura censuram imposuisset, & ante completam conditionem cogeretur revocare mandatum, ea revocatio nulla esset, Suar. *d.* 7. *s. n.* 13. Sayr. *l. c. l.* 1. *c.* 21. *n.* 30. Item procedit in absolutione ab excommunicatione minore. Tertia conditio est, ut absolvens in causa principali non decipiatur, ùt dum absolvendus fingeret se parti satisfeciisse, vel propositum satisfaciendi habere, quod non habet, absolutio, utpote per subreptionem obtenta, non valeret. Sayr. *l. c. num.* 27. Covar. *l. c.* §. 11. *n.* 14. Castrop. *l. c. n.* 8. Quarta ex parte absolvendi petitio absolutionis, non quidem ut sine ea absolutio non habeat effectum, sed ut convenienter concedatur; nam cùm censura imposita ad correctionem censurati, expedit illum humili postulatione demonstrare, se esse correctum. Arg. *c. per tuas. de sent. excom.* dum aliàs posset invito concedi. Suar. *d.* 7. *s.* 7. Castrop. *l. c. n.* 9. Sayr. *l. c.* Denique licet non requiratur, absolvendum esse præsentem Judici absolventi, Nav. *c.* 26, *n.* 14. Sylv. *v. absolutio* 3. *n.* 9. Henriq. *l.* 3. *de excom. c.* 29. *n.* 1. Castrop. *l. c. n.* 10. ut tamen sic liceitè fiat, adesse debet causa urgens, cùm sic expediat, tum ad reverentiam censurarum, tum ad majorem humilitatem & cautionem censurati, idem dicendum de absolutione petenda per procuratorem, Sayr. Suar. Nav. Henriq. Castrop. *ll. cit.* ad quod tamen is habere debet mandatum speciale. Gl. *in c. qui ad agendum. de procurator. in* 6. *v. vel paciscì.* Ugol. *Tab.* 1. *c.* 29. §. 1. *n.* 3. quin & jurare, se præstaturum omnia, quæ absolvendus præstare deberet, si præsens adesset; ad quod tamen juramentum non eget speciali mandato. Castrop. *cit. n.* 10.

Quæst. 559. *Quinam absolvere possint à censuris?*

1. Resp. Primò: à censuris ab homine specialiter latis absolvere potest primò: qui eas tulit, nisi sit specialiter interdictum. *c. Verbum. de pœnitentia. dist.* 1. *c. pastoralis.* §. *præterea. de Off. Ordinar.* D. Thom. 3. *p. in additionib. q.* 24. *a.* 1. Suar. *d.* 7. *S.* 2. Covar. *in c. alma mater. p.* 1. §. 12. *num.* 2. Laym. *L.* 1. *Sum. tr.* 5. *p.* 1. *c.* 7. *n.* 2. Abb. *in c. prudentiam.* §. *fin. de Off. delegat.* Felin. *ibid. n.* 19. Sayr. *L.* 2. *thes. c.* 20. Nav. *c.* 27. *n.* 40. Castrop. *l. c.* §. 4. *num.* 1. idque etiam, si reus domicilium suum mutet, adhuc ab eo, qui tulit censuram, absolvi potest. Arg. *c. Proposuisti. de foro comp.* Gl. *ibid. v. citatus*, mutatione enim domicilii subterfugi nequit jurisdictio authoris censuræ. Suar. *l. c.* Sayr. *l. c. n.* 4. Item, etiamsi appellationem interposuerit censuratus, cùm per appellationem ferens censuram non privetur jurisdictione suâ, quò ad ea, quæ appellationi non obstant, qualiter ei non obstat absolutio à censura, sed potiùs eam juvat, cùm sit id, quod appellatione intenditur. *c. si à Judice. de appell. in* 6. Abb. *in c. quæstiones. de appell. num.* 7. Suar.

servandum, saltem in facie Ecclesiæ, ùt cum Div. Thom. *in 4. dist. 18. q. 2. a. 1.* plurimi apud Castrop. *l. c. num. 3.* Econtra innocentem probatum nocentem aliquâ censurâ ligari posse, negant Cajet. *2. 2. q. 70. a. 4. ad 1.* Sotus, Covar. Avila. Suar. & alii, ex ea ratione, quòd verisimile non sit, Christum reliquisse Ecclesiæ potestatem privandi innocentem tantis bonis spiritualibus, cùm privatio hæc nec publicæ disciplinæ nec Judicis authoritati tuendæ expediat, sed ad id sufficiat, ut is, in quem fertur talis sententia, in facie Ecclesiæ & coram scientibus censuram & innocentiam ignorantibus se gerat, ac si verè ligatus censurâ, ad quod vi prædictæ sententiæ videtur obligatus. Castrop. *n.* 15. distinguit, ita, ut res, quæ præcipitur, sub censura sit iniqua Judice ignorante iniquitatem, non teneatur, nec possit parere sententiæ. v. g. dum ligatus impedimento dirimente per sententiam jubetur contrahere & consummare matrimonium, quia præsumenda non est Ecclesia velle, ut sibi contra legem divinam & naturalem obediatur, utì sentiunt omnes, sed si, quod præcipitur sub censura, nulli legi adversetur, etsi probabile censeat ligari alienum in hoc casu censurâ, si non pareat, contrarium censet probabilius, eò quòd durum & ab Ecclesiæ benignitate alienum sit, cogere & obligare sub censura ad solvendum & exequendum quid tanquam debitum, quod nullo modo debitum est, & licet in exteriori foro debitum esse demonstretur, id solùm probat, aliquem obligatum esse id exequi, dum præceptum tale sine scandalo non potest non observari, & hoc non ex vi talis præcepti, utpote quod nullum est, sed ex vi juris naturalis, quo tenetur quis potestati publicæ justè & juridicè præcipienti obedire, unde si tali præcepto non tantùm secreto, sed & publico, non obediatur, non incurritur exinde censura, nec obligatio abstinendi in publico ab omnibus actibus, qui per censuram exerceri prohibentur, ùt Suar. Laym. Cöninck censent, sed ex vi præcepti naturalis, quo tenetur quis censuram communi hominum sensu veram observare, ùt Castrop. *cit. n.* 15. *junctò n.* 16.

Quæst. 557. *Censura qualiter tollatur?*

1. Resp. primò: Censura semel incursa non tollitur, nisì per absolutionem ab ea, cùm tolli nequeat, nisì à potestate collata Petro solvendi ligatos, cujus potestatis actus est absolutio. Castrop. *tr. 29. d. 1. p. 11. §. 1. num. 2.* Neque enim tollitur morte infligentis eam, cùm, licet ab eo pendeat in fieri, non tamen in conservari, quia non est præceptum, sed pœna transgressionis præcepti, quæ durat, quousque legitimè tollatur. Arg. *c. Si Episcopus 11. q. 3. c. Pastoralis. §. præterea. de Off. Ord.* Suar. *de cens. d. 7. S. 1.* Laym. *L. 1. Sum. tr. 5. p. 1. c. 7. n. 1.* Castrop. *l. c.* Hurt. *de excom. diffic. 1. d. 14.* Neque perfectè cessat morte censurati, tametsi enim quâ parte ligabat censuratum viventem, ejus morte pereat, non tamen quâ parte obligabat fideles abstinere ab ejus communicatione, dum & hi eo mortuo tenentur à sepeliendo ejus corpore, utì & ab offerendo pro ejus anima preces publicas abstinere. Suar. *l. c. S. 7. n. 5. & 6.* Laym. *l. c.* Castrop. *l. c. n. 3.* Covar. *in c. alma mater. p. 1. §. 1. n. 8.* Neque denique satisfactione parti læsæ præstitâ & emendatione solâ, dum, licet imponatur, ut parti satisfiat, & delinquens corrigatur, ex eo tamen solùm sequitur, quòd debeat censura à Judice auferri, non verò quòd ea ex se cesset; qualiter verò etiam, dum non absolutè, sed pro determinato tempore fertur, adhuc non tollatur sine absolutione, vide apud Castr. *cit. n.* 4.

2. Resp. secundò: Potest absolutio à censura fieri variis modis, nimirum vel simpliciter & absolutè, dum ea conceditur emendato & à contumacia decedente; vel sub conditione aliqua, quæ si respiciat tempus præsens vel præteritum propriè conditio non est, cùm non suspendat actum, sed eâ existente valet absolutio, eâ deficiente non tam corruit, quàm nulla unquam fuit, si respicit tempus futurum, v. g. dum dicitur: Absolvo te ab incursa excommunicatione, quamprimum satisfeceris, suspensa manet, usque dum præstita satisfactio, quâ præstitâ jam absolutio evasit absoluta. Sed neque jure divino neque humano magìs irritam aut prohibitam talem absolutionem quam excommunicationem ipsam sub conditione de futuro factam, cum communi tenent Covar. *l. c. n. 6.* Suar. *l. c. d. 7. S. 8. n. 7.* Laym. *l. c. c. 7. n. 1.* Vasq. *de excom. du. 18.* Castrop. *l. c. §. 2. n. 2.* citatique ab eo Nav. Cön. Hurt. modò tamen rationabilis sit causa conditionatè absolvendi, cùm aliàs talis modus absolvendi alienus sit à praxi & usu recepto. His de cætero non obstante, quòd concedi nequeat absolutio Sacramentalis à peccatis sub tali conditione de futuro, siquidem absolutio à peccatis non pendet immediatè à voluntate absolventis, sed remotè quatenus ex illa voluntate apponitur materia & forma Sacramenti à Christo institutа, quibus positis, non potest illorum effectus ex humana voluntate dependere, absolutio autem à censura aliisque pœnis immediatè pendet à voluntate absolventis exteriùs expressa, ideòque illius effectus suspendi potest. Ita Castrop. *l. c. n. 3.*

3. Resp. tertiò: Est & alius modus absolvendi à censura, dictus ad cautelam, quo cavetur damnum, quod ex censura ignota tam censurato quàm aliis provenire poterat, & hinc frequenter præmittitur tum absolutioni à peccatis ob vitandam Sacramenti irreverentiam, tum Ordinum receptioni, tum beneficiorum, aliorúmque privilegiorum collationi ad vitandam eorum invaliditatem. Hæc absolutio ignoranti censuram petenti absolvi à quacunque censura, si fortè aliquâ ligatus esset, concedenda est. Castrop. *n. 4.* Hæc si petatur pro foro conscientiæ factâ promissione de satisfaciendo, ubi constiterit adfuisse censuram, concedenda est. Castrop. *n. 5.* cum Sayr. *thes. L. 2. c. 16. n. 19.* Si verò in foro externo petatur generatim absolutio à censura, eò quòd petens nullius in particulari suspicionem habeat nullâ præmissâ causæ cognitione, nullâque datâ cautione, ea conceditur. At si alicujus specialis censuræ, de qua habetur suspicio, utique is saltem semiplenè probare debet absolvendus, se illâ censurâ ligatum non esse, vel quia sententia lata desuper continet errorem, vel lata post interpositam legitimam appellationem, vel quacunque alia de causa. Abb. *in c. Apostolica. de censib. n.* 10. Felin. *n.* 22. Covar. *l. c. §. 12. n. 7.* Sayr. Ugol. & alii apùd Castrop. *l. c.* Item citandus, ad cujus instantiam excommunicatio lata, item Judex qui eam tulit, si processit ex officio, & si in probatione defecerint, condemnandi, & reus absolvendus. Porrò absolutionem hanc ad cautelam præstare poterit, qui ab ea censura absolutè absolvere potest, an verò cuilibet Judici delegato competat hæc potestas, valde variant AA. ùt legere est apud Castrop. *l. c.*

4. Resp. quartò: Est quoque modus alius absolvendi à Censura, qui vocatur: ad reincidentiam, eò quòd absolutus in eam iterum incidat, si opus sub censura præceptum non exequatur, utuntur hoc modo frequenter Judices in debitis pecuniariis, dum ex consensu creditoris debitorem absolvunt ab excommunicatione incursa ob non solutum debitum, im-

impositò præcepto, ut intra tot dies fiat solutio, sin minùs, eâdem censurâ denuo ligetur. Sic etiam absolutus à sede Apostolica ejúsve Legato, Nuncio cum mandato comparendi coram Ordinario vel alio, à quo sit pœnitentiam accepturus, vel cum obligatione parti satisfaciendi, si tale præceptum negligat, reincidit in censuram Castrop. *l. c. n.* 7. & 8. Fit hæc absolutio ad reincidentiam modo adhuc alio, dum nimirum absolvitur quis pro aliquo tempore absolutè, & pro reliquo tempore sub conditione, v. g. absolvitur quis à Judice ad tres dies ex consensu creditoris & in perpetuum, si intra illos dies debitum solvat. Item alio modo hac absolutione ad reincidentiam absolvitur quis, nimirum in ordine ad aliquem tantùm effectum, v. g. ad collationem beneficii alicujus, ad ferendum testimonium, in quo casu absolvi aliquem non à censura, sed ab uno illius effectu, v. g. incapacitate conferendi beneficii, ferendi testimonii, tradit Castrop. *n.* 12. uti &, quòd nullus præter Pontificem uti possit hoc modo absolvendi à censura, quia nemini concessum stante censurâ illius effectum impedire, cùm censura suos effectus habeat à pontificia institutione, quam nullus alius à Pontifice mutare possit, excepto tamen unico casu, qui tamen ab ipso Pontifice conceditur ob necessitatem, dum nimirum cuicunque Judici, tam ordinario quàm delegato, tametsi potestatem non habeat absolvendi à censuris, datum est, ut excommunicatum absolvere possit non absolutè, sed ad effectum dicendi testimonium, quando aliâ viâ veritas cognosci non potest, *c. veniens, de testib. junctò c. præterea. de off. Jud. deleg.* Laym. *l. c. c.* 7. *in fine*, Sayr. *thes. l.* 2. *c.* 16. *n.* 15. Castrop. *cit.* §. 2. *n.* 2.

Quæst. 558. *Quâ formâ & ritu concedatur absolutio à censura?*

1. Resp. primò: Nulla forma in jure desuper præscripta, sed sufficit, quæ voluntatem absolventis declaret, ùt si dicatur: ego te absolvo ab excommunicatione &c. imò: absolvo te: si præmissa petitio absolutioni à censura. Ugol. *de cens. lib.* 1. *c.* 23. Sayr. *thes. l.* 2. *c.* 16. *n.* 3.

2. Resp. secundò: Ligatus pluribus censuris etiam ejusdem rationis, potest absolvi ab una, & non ab alia, secus ac accidit in absolutione à peccatis mortalibus, potest etiam ab omnibus absolvi unâ absolutione, si absolvens habeat eam potestatem & voluntatem. Sayr. *l. c. c.* 11. *à n.* 16. quam voluntatem non habere censetur, si unam tantùm censuram aperuit pœnitens, *c. cùm pro causa. de sent. excom.* Abb. *ibid. n.* 6. Covar. *in c. alma mater. p.* 1. §. 1. *n.* 13. Potest fieri verbis & scripturâ, tam in foro exteriori quàm conscientiæ, ùt usus probat, quin & eam fieri signis aliis non esse mortale, ait Hurt. *d.* 14. *de excom. diff.* 14. quod non credit Castrop. *l. c.* §. 3. *n.* 3. maximè in absolutione judiciali, quia adversatur consuetudini receptæ in re gravi. De cætero ritus observandus in absolutione judiciali ab excommunicatione, præscribitur in *c. à nobis. de sent. excom.* & Pontificali Romano, de quo vide Castrop. *l. c. n.* 4.

3. Resp. tertiò: Inter conditiones ad absolvendum à censura, prima est potestas, quæ nemini non Clerico etiam in articulo mortis concessa. Nav. *c.* 26. *n.* 26. Covar. *l. c. n.* 9. Castrop. *l. c. n.* 5. potestatem hanc habet, cui commissa absolutio satisfactione non præstitâ, si absolvendus impotens satisfacere præstet cautionem pignoratitiam vel fidejussoriam, aut si hanc præstare nequeat, juratoriam. Vasq. *de excom. du.* 20. Avil. *p.* 2. *c.* 7. *du.* 8. Sayr. *l.* 2. *thes. c.* 17. *n.* 11. Castrop. *n.* 6. cùm potestas absolvendi parte satisfactâ subintelligitur, in quantum fieri potest servato juris ordine, quem Ordinem quia violat Judex contentus cautione juratoriâ, dum censuratus præstare potest satisfactionem, peccat graviter, Arg. *c.* 2. *de sent. excom. in* 6. invalidè quoque absolvit, si est Judex delegatus, quia delegans censendus non est concedere potestatem absolvendi contra juris Ordinem & in præjudicium tertii. Ita Vasq. *loc. cit.* Suar. *d.* 7. *s.* 5. *n.* 42. Cön. *d.* 14. *du.* 16. *num.* 121. cujus contrarium probabile esse docent Hurt. *d.* 14. *diff.* 5. *n.* 22. Sanch. Avil. quos sequitur Castrop. *l. c.* Secunda conditio tenens se quoque ex parte absolventis est libertas à coactione & metu, à quocunque coactio & metus procedat; quod procedit, tametsi Judex sub conditione futura censuram imposuisset, & ante completam conditionem cogeretur revocare mandatum, ea revocatio nulla esset, Suar. *d.* 7. *s. n.* 13. Sayr. *l. c. l.* 1. *c.* 21. *n.* 30. Item procedit in absolutione ab excommunicatione minore. Tertia conditio est, ut absolvens in causa principali non decipiatur, ùt dum absolvendus fingeret se parti satisfeciisse, vel propositum satisfaciendi habere, quod non habet, absolutio, utpote per subreptionem obtenta, non valeret. Sayr. *l. c. num.* 27. Covar. *l. c.* §. 11. *n.* 14. Castrop. *l. c. n.* 8. Quarta ex parte absolvendi petitio absolutionis, non quidem ut sine ea absolutio non habeat effectum, sed ut convenienter concedatur; nam cùm censura imposita ad correctionem censurati, expedit illum humili postulatione demonstrare, se esse correctum. Arg. *c. per tuas. de sent. excom.* dum aliàs posset invito concedi. Suar. *d.* 7. *s.* 7. Castrop. *l. c. n.* 9. Sayr. *l. c.* Denique licet non requiratur, absolvendum esse præsentem Judici absolventi, Nav. *c.* 26, *n.* 14. Sylv. *v. absolutio* 3. *n.* 9. Henriq. *l.* 3. *de excom. c.* 29. *n.* 1. Castrop. *l. c. n.* 10. ut tamen sic liceitè fiat, adesse debet causa urgens, cùm sic expediat, tum ad reverentiam censurarum, tum ad majorem humilitatem & cautionem censurati, idem dicendum de absolutione petenda per procuratorem, Sayr. Suar. Nav. Henriq. Castrop. *ll. cit.* ad quod tamen is habere debet mandatum speciale. Gl. *in c. qui ad agendum. de procurator. in* 6. *v. vel paciscì.* Ugol. *Tab.* 1. *c.* 29. §. 1. *n.* 3. quin & jurare, se præstaturum omnia, quæ absolvendus præstare deberet, si præsens adesset; ad quod tamen juramentum non eget speciali mandato. Castrop. *cit. n.* 10.

Quæst. 559. *Quinam absolvere possint à censuris?*

1. Resp. Primò: à censuris ab homine specialiter latis absolvere potest primò: qui eas tulit, nisi sit specialiter interdictum. *c. Verbum. de pœnitentia. dist.* 1. *c. pastoralis.* §. *præterea. de Off. Ordinar.* D. Thom. 3. *p. in additionib. q.* 24. *a.* 1. Suar. *d.* 7. *S.* 2. Covar. *in c. alma mater. p.* 1. §. 12. *num.* 2. Laym. *L.* 1. *Sum. tr.* 5. *p.* 1. *c.* 7. *n.* 2. Abb. *in c. prudentiam.* §. *fin. de Off. delegat.* Felin. *ibid. n.* 19. Sayr. *L.* 2. *thes. c.* 20. Nav. *c.* 27. *n.* 40. Castrop. *l. c.* §. 4. *num.* 1. idque etiam, si reus domicilium suum mutet, adhuc ab eo, qui tulit censuram, absolvi potest. Arg. *c. Proposuisti. de foro comp.* Gl. *ibid. v. citatus*, mutatione enim domicilii subterfugi nequit jurisdictio authoris censuræ. Suar. *l. c.* Sayr. *l. c. n.* 4. Item, etiamsi appellationem interposuerit censuratus, cùm per appellationem ferens censuram non privetur jurisdictione suâ, quò ad ea, quæ appellationi non obstant, qualiter ei non obstat absolutio à censura, sed potiùs eam juvat, cùm sit id, quod appellatione intenditur. *c. si à Judice. de appell. in* 6. Abb. *in c. quæstiones. de appell. num.* 7. Suar.

cit. ſ. 2. n. 32. Dixi autem : *Niſi ſpecialiter fuerit authori cenſuræ interdictum abſolvere cenſuratum :* cujus plures caſus enumeratos vide apud Caſtrop. *loc. cit. num. 4.* Secundò: Abſolvere poteſt Succeſſor in munere & dignitate ferentis cenſuram, cùm cenſeatur eadem cum prædeceſſore perſona, *can. ſi Epiſcopus 11. q. 3.* proceditque id ipſum in Succeſſore Judicis delegati, *c. paſtoralis. §. præterea. de off. Ordinar.* Laym. *cit. c. 7. §. de Succeſſore*, item in Succeſſore ad tempus, ùt patet in capitulo ſede vacante, quod poteſt abſolvere per Vicarium à ſe electum excommunicatos etiam ab Epiſcopo. *c. 3. de ſuppl. neglig. Prælat. in 6. c. unic. de major. & obed.* Tertiò : Superior ferentis cenſuram, ſi ejus Superior ſit pleno jure, v. g. Papa reſpectu omnium Ordinariorum, Generalis reſpectu Provincialium, Provincialis reſpectu Rectorum, Epiſcopus reſpectu ſui Vicarii, delegans reſpectu ſui delegati, utpote qui utentes ſuo jure non irrogant injuriam inferiori, niſi tamen contrarium habeat conſuetudo, ùt dum regulares Epiſcopo ſubjecti ſuſpenſi vel excommunicati à ſuo Prælato in cauſa concernente religioſam diſciplinam nequeunt abſolvi ab Epiſcopo, niſi fortè interpoſitâ appellatione. Gl. *in c. quanto. verſ. ſi Prælati. de off. Ordinar.* Abb. *in c. reprehenſibilis. de appell. n. 11.* Idem eſt in aliquibus Archidiaconis, à quorum latis cenſuris ex conſuetudine & privilegio nequit abſolvere Epiſcopus, utì nec ab eo appellari, niſi ad Archiepiſcopum vel Papam. Arg. *c. dilecto. de off. Archid.* Sayr. *cit. c. 20. n. 16.* nunquam tamen Superior, etſi validè poſſet abſolvere, debet cenſuratos ab inferiore abſolvere, niſi priùs ſatisfactionem plenam exigat, & inferiorem moneat, ne ejus authoritas contemni videatur, Gl. *in c. cùm eccleſiarum. v. non relaxes.* Abb. *in c. dilecto. de off. Archid. n. 7.* Covar. *in c. alma mater. §. 12. n. 3.* Ugol. *de cenſ. tab. 1. c. 4. §. 1. n. 7.* Caſtrop. *l. c. n. 6.* Laym. *cit. cap. 7. verſ. deinde.* Dixi autem: *Superior pleno jure:* quia quidam Superiores, quia tales non ſunt pleno jure, ſed in certis caſibus, abſolutè abſolvere nequeunt pro libitu à cenſuris inferiorum, v. g. Archiepiſcopus reſpectu ſuffraganeorum, non niſi tempore viſitationis, *c. cùm ex officiis. de præſcript.* vel in cauſa ad ipſum per appellationem devoluta, & tunc vocatis partibus & cognitione cauſæ præmiſsâ. Arg. *c. Romana. & c. venerabilibus. de ſent. excom. in 6.* Porrò delegatus cum cauſæ cognitione abſolvere poteſt à cenſura lata à delegante, modò delegans privatus non ſit jurisdictione. Caſtrop. *l. c. num. 8.* Sayr. *cit. c. 20. n. 14.* cum communi, delegatus verò, cui absque cognitione cauſæ poteſtas ferendi cenſuras conceſſa, abſolvere nequit, quia necdum tantùm miniſterium illi delegatum, Laym. *l. c.* Suar. *l. c. n. 8.* Sayr. *l. c. n. 24.* Nav. *c. 27. n. 40.* Et hæc de cenſura lata ſpecialiter ab homine, de cenſura enim lata ab homine generaliter, omnes illi abſolvere poſſunt, qui poſſunt ab ea abſolvere, ſi lata fuiſſet à jure, quia ex abſolutione talis cenſuræ ab aliis facta non turbatur tribunal Judicis ferentis eam, cùm reus non fuerit nominatim citatus, & ita docent Covar. *l. c. n. 4.* Sayr. *l. c. n. 2.* Nav. *c. 27. n. 44.* Suar. *l. c. n. 23.* Laym. *l. c. n. 3.* Caſtrop. *l. c. n. 10.* pluréſque apud illum.

2. Reſp. ſecundò: à cenſura juris, quam author illius, ſive ſit Epiſcopus, ſive Papa, ſibi non reſervavit, abſolvere poſſunt ſuos ſubditos, ſi habeant jurisdictionem in foro externo, ùt Epiſcopi, Abbates, Guardiani, Rectores, Priores & ſimiles. Gl. Abb. Felin. Caſtrop. *l. c. §. 5. n. 1.* & Covar. *l. c. n. 4.* Nav. *c. 27. n. 39.* Henriq. *l. 13. c. 27. n. 3.* parochum quoque aliúmve Sacerdotem proprium potentem abſolvere à peccatis mortalibus à cenſura non reſervata poſſe abſolvere, etſi negent Gl. *in c. ſi Epiſcopus. de pœn. & remiſſ. v. reſervantur.* Sayr. *theſ. L. 2. c. 19. in fine.* Covar. *l. c.* teſtans eſſe receptum in praxi & ſpectatâ conſuetudine, eò quòd ſicut ad excommunicandum, ita etiam ad abſolutionem à cenſura requiratur jurisdictio in foro judiciali, contrarium nihilominus tanquam communius & magìs receptum inter Theologos tenent Innocent. *in c. nuper de ſent. excom. n. 6.* Hoſt. *ibid.* D. Thom. *in addit. 3. p. q. 23. a. 2.* Sylv. *v. excom. 1. n. 4.* Vaſq. *de excom. du. 19.* Suar. *l. c. ſ. 3.* Avil. *de cenſ. p. 2. c. 7. d. 1. du. 4.* Hurt. *d. 15. diff. 2.* & plures alii, quos refert & ſequitur Caſtrop. *l. c. num. 3.* Arg. *cit. c. nuper.* ubi dicitur: quod author canonis, ſi non reſervavit ſibi abſolutionem, eo ipſo videatur conceſſiſſe relaxationem aliis, neque contrarium probat ratio ab adverſariis allata; nam licet parochus hanc ùt & poteſtatem ligandi non habeat vi muneris ſui, non tamen probatur, illum eam non habere ex delegatione juris, ùt cum Ugol. *cit. c. 10. §. 5. n. 3.* Caſtrop. *n. 4.* & poſſe illum eam tanquam muneri ſuo ex diſpoſitione juris annexam delegare alteri; docent Cön. *d. 14. du. 6. concl. 2. num. 230.* Suar. *l. c.* eámque illi conceſſam non tantùm pro foro interno pœnitentiali, ſed & pro foro externo, utpote quod præcipuè ſpectant Decreta pontificia, tradunt iidem Ugol. *cit. §. 5.* Suar. *cit. ſ. 3. n. 19.* Caſtrop. *l. c.*

3. Reſp. tertiò: à cenſura juris reſervata authori illius abſolvere nemo poteſt, niſi ipſe author ejúsque Succeſſor, Superior, Delegatus. Arg. *cit. c. nuper.* quamvis dentur caſus aliqui, in quibus hanc poteſtatem conceſſit ipſe author canonis, quos relatos vide apud Caſtrop. *n. 5.* De cætero pro articulo mortis omnibus Sacerdotibus etiam excommunicatis poteſtatem abſolvendi ab omni cenſura ſive à jure ſive ab homine lata (præſtito tamen priùs juramento ſiſtendi ſe ei, à quo de jure abſolvendus erat) conceſſit Trid. *ſeſſ. 14. c. 7.*

CAPUT II.

De Cenſuris in ſpecie, excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto.

Quæſt. 560. Quid & quotuplex ſit excommunicatio?

1. Reſp. ad primum: Eſt cenſura eccleſiaſtica, quâ homo Chriſtianus à communione ſeu corpore fidelium excluditur, & bonis, quæ illi inter ſe communicant, privatur. Dicitur primò: *Cenſura*, quia cenſurat & corrigit rebelles & contumaces mediâ plurium bonorum eccleſiaſticorum privatione, dúmque dicitur: *Corrigit contumaces*, oſtenditur, quòd ſit pœna medicinalis, in quibus quia convenit cum ſuſpenſione & interdicto, adeóque in hac definitione ſtat loco generis; dum autem quando-

que

que fertur in eos, quorum correctio & emendatio non præsumitur, est quasi per accidens, & fit ideo, ne alii communicatione cum illis inficiantur, juxta *c. resecanda. & c. corripiantur. 24. q. 3.* Dicitur: *Ecclesiastica:* quia ab Ecclesia constituta, & non nisi à potestate ecclesiastica infligitur, in quo adhuc convenit cum cæteris censuris, utì & in eo, quod dicitur: *Homo Christianus*, hoc est: baptizatus, cætera stant loco differentiæ. Per bona verò illa, quibus illa separatione à corpore fidelium privatur, non intelliguntur fides, charitas, gratia, donáque alia supernaturalia, quibus fideles Christo tanquam capiti uniuntur, neque ea opera bona, quæ singuli fideles nomine suo præstant, his enim Ecclesia non privat, nec privare potest, cùm illius dispositioni non subdantur, neque illa, quæ excommunicatis etiam denunciatis in eorum emendationem & satisfactionem privatâ intentione & nomine proprio singuli fideles communicare & Deo offerre possunt, ùt notant Avila *de cens. c. 6. d. 4. du. 1. concl. 2.* Nav. *l. c. n. 36.* Laym. *l. c. p. 2. c. 1. n. 4.* Sed quæ præstantur & offeruntur nomine Ecclesiæ, ùt sunt orationes publicæ & suffragia, divina officia, usus passivus Sacramentorum, in quibus participant & communicant fideles, non excommunicant inter se, item bona, quæ percipiuntur ex convictu purè externo, puta, ex colloquiis, contractibus, commerciis, Castrop. *tr. 29. d. 2. p. 1. n. 3.* Porrò excommunicatio etsi præcisè & in rigore significet separationem à communi usu, sæpe tamen venit nomine anathematis tanquam execrabile & maledictum quid vitandum, & quamvis sumatur ad distinctionem excommunicationis minoris, ùt Covar. *l. c. num. 6.* Suar. *l. c. d. 8. s. 2. n. 9.* Sayr. *l. c. c. 3. n. 6.* sumitur tamen ad significandam excommunicationem majorem, ac præcipuè incursam ob hæresim vel illius suspicionem, utpote omnimodam & præcipuam ab Ecclesia separationem, juxta Trid. *sess. 25. c. 3. de reform.* & textum *c. cùm non ab homine. de judicus*, item ad significandas certas quasdam excommunicationis solennitates, juxta textum. *c. debent. 11. q. 3.*

2. Resp. ad secundum: Excommunicatio sic declarata dividitur primò: In majorem, quæ privat activâ Sacramentorum administratione, & passivâ receptione & suffragiis Ecclesiæ & communione fidelium. Et minorem, quæ privat solâ passivâ receptione Sacramentorum. Et hinc licet hæc excommunicatio sit verè & propriè excommunicatio, prolata tamen absolutè excommunicatio semper de majore intelligitur, ùt expresè definitur *c. si quem. penult. de excom.* Secundò: Dividitur in latam à jure, durans in perpetuum; & in latam ab homine, durans solùm, dum is vivit, & in officio perseverat. Et hæc in generalem & specialem; utraque in eam, quæ est latæ sententiæ, & quæ est sententiæ ferendæ, juxta ea, quæ dicta sunt suprà de censura in genere, ubi & qui excommunicare & excommunicari possint, & quomodo infligenda excommunicatio, quæ omnia complectitur Castrop. *loc. cit. p. 3.*

Quæst. 561. Qui excommunicati vitandi, & qui non?

1. Resp. primò: Supposito tanquam certo, nullum peccatorem jure divino prohibitum esse communicare cum alio fideli, neque hunc communicare cum peccatore, adeóque, etsi potestas excommunicandi concessa sit Ecclesiæ à Christo, institutionem tamen excommunicationis ortum habere à sola Ecclesia, ne aliàs, si esset juris divini, Ecclesia nihil quò ad excommunicationem extendere aut restringere posset. Castrop. *l. c. p. 4. n. 2.* Ex qua institutione Ecclesiæ excommunicati alii sunt tolerati, id est, quòd nullus fidelium eos vitare prohibeatur, sed cum illis, sicut cum aliis, tam in divinis, quàm humanis & politicis communionem & commercium habere liberè possit, quamvis ipsi, dum obstinati manent, communionem, quantum est in illis, vitare & nullatenus se in eam ingerere debeant, nisi à fidelibus aliis ad hoc requirantur. Alii sint vitandi, ita ut non tantùm ipsi omnem cum aliis communionem, sed & alii cum iis ipsis vitare teneantur. His suppositis

2. Resp. secundò: Olim seu jure antiquo excommunicati omnes excommunicatione majore publici quidem, seu notorii publicè, occulti verò occultè vitandi ab omnibus fidelibus, Arg. *c. cùm non ab homine. h. t.* hodiedum tamen post Concilium Constantiense celebratum circa annum 14 4. sub Martino V. nullus excommunicatus ex quacunque causa à fidelibus necessariò vitandus, nisi sit excommunicatus specialiter & nominatim quò ad personam à Judice ecclesiastico publicè denunciatus, vel nisi sit notorius percussor clerici, & propterea excommunicationi canonis: *Si quis suadente diabolo &c.* subjectus, ùt constat ex *constit.* Martini V. quæ incipit: *Ad evitandam*, quæ licet non reperitur in Tomis Conciliorum, refertur tamen à Nav. *c. 27. n. 25.* Gutt. *l. 1. qq. Canon. c. 1. n. 1.* Sayr. *l. c. c. 12. n. 6.* cujus tenorem recitat Castrop. *l. c. n. 3.* eámque esse majoris longè authoritatis quàm constitutionem Concilii Basileensis authoritate omni destituti, utpote acephalum, & hoc Concilium in Concilio Lateranensi sub Leone X. Sess. 11. dicitur: Conciliabulum, quod in multis erravit, & cujus decreta plura revocavit Eugenius IV. ac proinde sine ulla moderatione tenendam docent Sayr. *l. c. n. 9.* Suar. *d. 9. s. 2. n. 5.* Gurt. *l. c. n. 14.* Laym. *l. c. p. 2. c. 4. n. 2.* Castrop. *l. c. n. 5.* relatis insuper aliis.

3. Resp. tertiò: Quod itaque spectat percussorem Clerici, etsi is etiam non denunciatus vitandus sit, requiritur tamen ad vitationem illius, ut facta ab eo percussio notoria sit, tam ex facto quam ex jure, Castrop. *l. c.* notorium verò percussorem censendum non esse respectu cujuscunque, cui certò de percussione constaret, ùt docet Suar. *d. 7. s. 2. n. 3.* sed ad notoreitatem, reddentem percussorem Clerici excommunicatum vitandum requiri, ut percussio commissa sit coram majore parte populi, viciniæ, vel communitatis, in qua ad minus sint decem, & quibus constet nullo suffragio nullâve excusatione percussionis injustitiam celari posse, ita ut percussio facta coram duobus vel tribus testibus, etsi nota sit, & in judicio probabilis, non tamen notoria simpliciter, prout exigit Concilium Constantiense, veriùs sentiunt Laym. Castrop. *ll. cit.* Hurt. *d. 2. de excom. diff. 3. n. 10.* Con. *d. 14. du. 2. n. 11.* Nav. *c. 25. n. 75. &c.* De cætero solam famam de percussione Clerici vel excommunicationis denunciatione sufficere ad vitationem excommunicati, si fama orta à fide dignis plenè & integrè probata, quia præstat moralem certitudinem, quæ videtur in his rebus sufficiens. Arg. *c. illud. de Cler. excom. minist.* & Abb. *ibid.* tradunt Nav. *c. 27. n. 25.* Covar. *l. c. p. 2. n. 4.* Sayr. *l. c. n. 22.* Laym. *loc. cit.* Castrop. *cit. p. 4. n. 7.* Porrò tametsi probabile sit, posse quoque excommunicatum denunciatum & notorium percussorem Clerici manifestum in uno loco vitari ubivis etiam publicè, quia excommuni-

catio jure vel facto publica in uno loco absolutè publica est, & ut satis probari potest, adeóque tribuit fidelibus potestatem vitandi talem excommunicatum, uti etiam probabile est, quòd, ùt docent Henriq. *l.* 13. *c.* 24. *n.* 1. Vasq. *de excom. du.* 8. *num.* 2. Filliuc. *tr.* 13. *c.* 3. *q.* 7. *n.* 49. fideles teneantur eum vitare, cùm Concilium Constantiense præcipiat vitare excommunicatum denunciatum & manifestum Clerici percussorem, neque id restringat ad locum dennnciationis vel percussionis, nihilominus Castrop. *n.* 8. ùt ait, verius existimat cum citatis à se Sanch. *l.* 2. *in decal. c.* 11. *n.* 20. Avil. *de cens. p.* 2. *c.* 6. *d.* 11. *du.* 12. Duran. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 5. *in fine.* fideles liberos esse in hoc ab obligatione illa vitandi tales excommunicatos, eò quòd excommunicatus in uno loco non sit censendus publicatus in alio, cùm, esto, denunciatio afficiat personam, id tamen intelligendum respectu eorum, quibus denunciatur, seu in quorum notitiam devenire potest denunciatio.

Quæst. 562. *In quibus rebus cum excommunicatis toleratis communicare possint non excommunicati?*

REspons. Licitum est cum excommunicatis toleratis, id est, non denunciatis, nec notoriis percussoribus Clerici communicare in politicis, ac si excommunicati non essent, adeóque etiam extra casum urgentis necessitatis, quia in *Extrav. ad evitandam*: permittitur fidelibus, Cöninck. *d.* 14. *du.* 3. *concl.* 1. Hurt. *de excomm. d.* 2. *diff.* 4. Castrop. *l. c. p.* 5. *num.* 2. cum communi. licitum quoque est cum illis communicare in divinis, dummodo ad hoc non inducantur, sive non sint causa illius communicationis, Cön. *l. c. concl.* 2. Laym. *l. c. c.* 4. *n.* 5. sic potes assistere tali excommunicato sacrificanti, & permittere, ut is tibi sacrificanti assistat, cùm non sis causa peccati, quod ille committit; sic quoque licitum est inducere excommunicatum, ut is coram te celebret, & Sacramentum tibi ministret, officium divinum tecum reciter, si urgeat necessitas, vel specialis utilitas, qualis esset, si non reperiatur alius, qui æquè bene tibi præstet hæc beneficia, Cön. *l. c. du.* 5. *concl.* 3. Castrop. *num.* 3. non enim peccat communicando cum illis excommunicatis, quia id non est prohibitum, neque inducendo ad peccatum, quia non inducis illos ad iniquam Sacramentorum administrationem, cùm postules illam secundum se, quæ per se licitè fieri potest ab excommunicato tolerato stante necessitate vel utilitate petentis. Sed neque esse illicitum inducere citra necessitatem excommunicatum toleratum ad Sacramenta ministranda aliáque similia præstanda, probabiliùs docent Sanch. *de matr. L.* 7. *d.* 9. *n.* 8. Sayr. *l. c. num.* 10. Henriq. *L.* 14. *c.* 6. Hurt. *l. c.* Filliuc. *tr.* 11. *c.* 3. & 4. quos citat & sequitur Castrop. *l. c. n.* 5. contra Suar. *d.* 2. *S.* 4. *n.* 10. Laym. *l. c. num.* 5. Pontium *de mat. L.* 5. *c.* 18. §. 9. Cön. *l. c.* docentes id non licere, non quia peccatur contra præceptum censuræ, sed contra religionem vel Charitatem inducendo excommunicatum ad actum, quem positâ censurâ exercere non potest. Ratio verò nostræ responsionis est, quòd Concilium Constantiense concesserit fidelibus potestatem communicandi cum excommunicatis non denunciatis, sed toleratis, tam in divinis quàm humanis quæ facultas frustranea & inutilis esset, si virtute religionis vel charitatis ab ea communione arceri deberent, unde jam excommunicati tolerati nullo modo privantur potestate exercendi actus, qui in fidelium utilitatem cedere possunt, nimirum Judex potestate judicandi, Prælatus potestate dispensandi, conferendi beneficia, absolvendi à censuris & peccatis; cùm enim permissum sit subditis hæc petere à Superiore excommunicato, necesse est illum posse ea illis concedere, Castrop. *cit. p.* 5. *n.* 6.

Quæst. 563. *In quibus casibus visitari debeant excommunicati publicè & nominatim denunciati & notorii percussores clericorum?*

1. REsp. Hos potissimùm contineri in *c. excommunicatos* 11. *q.* 3. & ex eo probari esse illicitos, suntque sequentes hoc versiculo comprehensi.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur,

Per *os* intelligitur collocutio & discursus cum tali excommunicato etiam per literas, internuncium aliáque similia signa, similiter per particulam hanc prohibentur oscula, amplexus & similia signa amicitiæ, nec non receptio munerum. Reiffenst. *h. t. n.* 142. ex Bonac. *Tom.* 1. *d.* 2. *de excomm. p.* 6. *c.* 2.

2. Per *orare* prohibetur omnis communicatio cum illis in sacris & divinis, puta, in precibus publicis, non tamen privatim pro illis factis, processionibus, missis cum illis auditis aut coram illis celebratis, unde si excommunicatus talis missâ jam inchoatâ eam auditurus ingrediatur Ecclesiam, moneri potest ac debet, ut exeat, & quòd si exire recusaverit, novam excommunicationem Papæ reservatam incurrit. *Clem.* 2. *h. t.* potéstque per vim expelli, si autem nec hoc fieri possit, fortè ob potentiam ejus, erunt Officia divina, præsertim missa, omittenda, modò Sacerdos necdum venerit ad canonem, vel ùt alii, ad consecrationem, tunc enim oportebit eum pergere, usque ad sumptionem, ne sacrificium maneat incompletum, peractâ autem sumptione Calicis Sacerdos debet discedere & reliqua peragere in Sacristia, vel penitus omittere, si talis non sit locus, cæteri fideles, excepto ministro altaris, statim post excommunicatum monitum, ut exeat, intellectóque illum non velle exire, nec posse expelli, debent discedere, alioquin participarent cum excommunicato in divinis, & excommunicationem saltem minorem incurrerent. Bonac. *l. c. p.* 3. §. 1. *n.* 3. Reiffenst. *n.* 144.

3. Per *vale* prohibetur & intelligitur omnis honorifica salutatio etiam verbis facta.

4. Per *τὸ*: *communio* quævis conversatio & communicatio politica in contractibus, judiciis, laboribus, exercitiis, ita ut nullatenus licitum sit cum excommunicato inire contractum, stare cum eo in judicio, collaborare, seu idem cum illo opus facere.

5. Per *τὸ*: *mensa*, communicatio in conviviis in sumendo cibo & potu, ita ut licitum non sit comedere ac bibere cum excommunicato vitando, etiamsi is sit cum aliis in eadem domo, collegio, convictu, monasterio, peccatur proinde in his omnibus conversando cum excommunicato, & quidem mortaliter, si communicatio sit notabilis, vel in divinis publicè celebratis; si verò sit in politicis, tantùm venialiter, ùt Bonac. *l. c. p.* 6. *n.* 5. Nav. *c.* 27. *num.* 29. Item Clericus communicando in his cum excommunicato à Papa per sententiam nominatim & publicè denunciato, incurrit præter peccatum excommunicationem majorem, laicus verò minorem, Sylv. *V. excommunicatio* 5. *n.* 22. Barb. *in c. Significavit. h. t. n.* 2. Gonzal. *ibid. n.* 4. Reiffenst. *l. c.* ac denique communicans cum excommunicato in cri-

crimine criminoso, id est, cooperans crimini & contumaciæ, propter quod lata est in aliquem excommunicatio, præbendo ei auxilium, consilium, favorem, incurrit præter peccatum mortale excommunicationem majorem, Reiffenst. *n.* 149. juxta communem.

Quæst. 564. *An & in quibus casibus licitum communicare cum excommunicatis vitandis?*

Resp. Plures hujusmodi sunt causæ & casus, qui specificantur in *can. multos* 11. *q.* 3. comprehensi hoc versiculo.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

1. Prima itaque causa, ob quam communicare licitum cum excommunicato denunciato & notorio percussore Clerici, denotata per τὸ: *utile*, est utilitas tum spiritualis tum temporalis tam excommunicati quàm communicantis, sic enim ob spiritualem utilitatem licet eum verbis ac factis ad conversionem & resipiscentiam cúmque eo agere de iis, quæ pertinent ad ejus absolutionem, juxta *c. ex voluntate. h. t.* licet communicanti ab eo petere instructionem spiritualem & consilium, si non est alius, à quo æque bene eam accipere possit, quia tamen regulariter lectio Theologica non videtur esse ita necessaria & utilis spirituali audientis saluti, docent plures, ùt Cön. *d.* 11. *du.* 12. *n.* 122. Hurt. *d.* 9. *diff.* 4. *n.* 18. Avil. *p.* 2. *c.* 6. *d.* 11. *du.* 3. *concl.* 8. Laym. *L.* 1. *Sum. tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 16. Castrop. *tr.* 29. *d.* 2. *p.* 19. *n.* 2. contra Sotum & Sayr. tenentes communicationem se non extendere ad tradendam excommunicato, aut ab eo audiendam Theologiam, multóque minùs licitum audire concionem excommunicati ob scandalum, Castrop. *l. c.* sic ob utilitatem temporalem communicantis licet illi ab excommunicato petere & recipere eleemosynam, exigere ab eo debitum. *c. si vero. h. t.* convenire eum in judicio, *c. intelleximus. de judiciis* ab eodem Medico, Advocato, aut aliàs experto medicinam vel consilium petere dum non est alius, qui æque utiliter consulere potest. Laym. *l. c.* Bonac. *l. c. q.* 2. *p.* 6. §. 2. *à n.* 9. Avil. *d.* 11. *n.* 2.

2. Secunda causa per τὸ: *lex* indicata est lex matrimonii, vi cujus potest uxor communicare cum marito excommunicato denunciato, non tantùm quò ad thorum & cohabitationem, seu spectantibus ad exigendum & reddendum debitum, sed & in aliis, puta colloquiis familiaribus, mensâ, gubernatione domûs Arg. *can. Quoniam multos.* 11. *q.* 3. *juncto. c. inter alia h. t.* sic vice versâ in iis communicare potest vir cum uxore excommunicata, ùt cum communi D. Thom. *in addit. ad* 3. *p. q.* 23. *a.* 2. Suar. *d.* 15. *S.* 4. *n.* 14. Vasq. *de excom. du.* 9. *n.* 3. Bonac. *d.* 2. *de excom. q.* 2. *p.* 6. §. 2. *n.* 24. Sanch. *L.* 9. *de mat. d.* 14. *n.* 26. Laym. *l. c.* Cön. *l. c. n.* 123. Castrop. *l. c. n.* 5. citatis plurimis aliis ex ea ratione, quòd dispositum in uno correlativo, censeatur quoque dispositum in alio, ubi eadem est ratio, qualis est in præsenti, nempe periculum animarum & incontinentiæ, quod in utroque conjuge æquè procedit, unde in hoc casu æquè viro excommunicato unor non excommunicata reddere debet debitum, quàm maritus non excommunicatus uxori excommunicatæ, Cön. Laym. *ll. cit.* Suar. *l. c. num.* 2. Castrop. *l. c. n.* 7. quæ tamen intelligenda de marito & uxore excommunicatis ob aliam causam, quàm matrimonii, eò quòd, si excommunicati ob matrimonium contractum cum probabili impedimento dirimente, nequaquam licita esset communicatio, quia esset participatio in scelere, ob quod lata excommunicatio. Sylv. *v. excomm.* 5. *n.* 4. Ugol. *tab.* 2. *de cens. c.* 23. §. 6. *n.* 4. Sanch. *l. c.* Cön. *l. c. n.* 133. Laym. *l. c. n.* 16. Castrop. *l. c. n.* 8.

3. Tertia causa designata per τὸ *humile*, est subjectio, vi cujus liberi cum parentibus excommunicatis, servi & subditi cum Dominis & Superioribus, milites cum Ducibus belli communicare non prohibentur, Arg. *can. quoniam multos*, 11. *q.* 3. utì etiam è contra parentes, domini superiores cum liberis, servis & subditis. Circa quæ notanda sequentia; primò: quòd respectu parentum comprehendantur in hac constitutione favorabili filii etiam naturales & adoptivi, item nepotes & pronepotes, affines; utì gener, nurus, privignus & privigna, pupilli & minores respectu tutoris & curatoris. *L. filii L. liberorum. ff. de V. S. L. Adoptivum. ff. de in jus. voc.* Suar. *d.* 15. *S.* 5. *à n.* 3. Sayr. *de excom. L.* 2. *c.* 14. *n.* 10. Castrop. *n.* 9. cum communi. Comprehenduntur quoque satis probabiliter filii emancipati, cùm verè sint filii & parti subjecti, ratione cujus filiationis & subjectionis debitæ obligati sunt communicare cum patre, & ita docent Suar. *l. c.* Ugol. *l. c.* §. 7. Reginald. *lib.* 32. *n.* 109. Hurt. *l. c. d.* 9. *diff.* 4. *n.* 2. Bonac. *l. c. n.* 28. Castrop. *n.* 10. contrarium non minùs probabiliter docente Sayr. *l. c. c.* 14. *n.* 10. Saltem si non habitent cum parentibus; cùm *c. quoniam multos:* concedatur filiis hæc communicatio, quia illis necessaria ob communem cum parentibus habitationem & receptionem alimentorum, quæ cessant in emancipatis. Secundò: respectu dominorum ab excommunicatione ob communicationem cum iis excusantur non tantùm propriè servi seu mancipia, de quibus id constat ex *cit. c. quoniam multos:* & ùt certum docent Ugol. *l. c.* §. 8. Suar. *l. c. à n.* 12. Sayr. *l. c. n.* 14. Castrop. *n.* 11. sed etiam inservientes alicui, sive gratis, sive ex pretio, etsi rusticani sint, ùt Ugol. Sayr. Nav. Avila. *ll. cit.* An verò fruantur hoc privilegio tales servientes, si domino jam excommunicato suas operas addixerint, controvertitur, negant Suar. *d.* 15. *S.* 5. *n.* 13. Ugol. Sayr. Avil. apud Castrop. *n.* 13. Arg. *c. inter alia de sent. excom.* Ubi conceditur famulis communicatio cum dominis, si ante eorum excommunicationem suas operas locârint & subjectionem contraxerint. Et quia aliàs tempore excommunicationis contracta subjectio esset iniqua, At si famuli sine ulla sua culpa servitia addixerint domino jam excommunicato, v. g. quia ignorabant illum excommunicatum, vel quia ob necessitatem urgentem ei excommunicato locarunt operas suas, possunt in famulatu permanere, ac si ante excommunicationem eidem subjecti essent, cùm enim nullam culpam admiserint in addictione famulatûs & subjectionis, non debent communicatione cum illo, aliis famulis concessâ, privari Suar. *l. c.* Laym. *l. c. L.* 1. *Sum. tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 17. Cön. *d.* 14. *du.* 12. *n.* 127. Castrop. *num.* 14. quin etiam si subjectionem culpabiliter contraxerint cum dominis excommunicatis, etsi quidam negent, posse illos communicare cum illis, dicántque esse sententiam communem, contrarium tamen esse probabilissimum, asserunt Cön. *cit. du.* 12. *n.* 28. Bonac. *l. c. n.* 33. imò Castrop. *n.* 15. dicit, se judicare illud certissimum, si sine gravi suo damno non possint recedere à famulatu, tum quia lex Ecclesiastica non solet cum tanto damno subditorum inducere obligationem, tum quia *c. quoniam multos*: liberam facultatem concessit omnibus famulis communicandi cum dominis suis excommunicatis absque eo, quòd id restrinxerit ad eos, qui ante excommunicationem subjectionem

contraxerunt. Ad hæc tametsi famuli contrahentes subjectionem cum jam excommunicatis iniquè egerint, contractus tamen sit validus, adeóque, cùm obligatio famulatûs non elidatur per præsentem excommunicationem, sequatur manifestè famulos ad prædictam communicationem teneri. His non obstante, quòd nemo possit se obligare directè ad communicandum cum excommunicato, quia esset obligatio ad id, quod per legem excommunicationis prohibitum est; nam talis famulus potest se obligare ad hoc indirectè, si ex obligatione alterius permissi contractus hæc obligatio subsequitur, Castrop. *cit. n.* 15. Item excusatur à communicando cum excommunicata tota familia excommunicati, juxta textum clarum *c. Si vero, h. t.* Sayr. *l. c. c.* 14. *n.* 16. Castrop. *l. c. n.* 16. quia familiares omnes sine gravi damno à consortio illius abstinere non possunt. Item Clerici, qui sunt *in* famulatu Episcopi, secus si extra ejus familiam morantur, ita Arg. *c. miratus.* 93. *dist.* & *c. ult. de excess. Prælat.* Suar. *d.* 15. *S.* 7. Avil. *de cens. p.* 2. *c.* 6. *d.* 11. *du.* 8. Sayr. *l. c. num.* 17. Henriq. *lib.* 13. *c.* 7. Castrop. *n.* 17. Item religiosi cum suis superioribus excommunicatis, utpote iis strictiùs subjecti quàm famuli, à qua subjectione recedere non valent, Suar. *l. c. n.* 2. Sayr. *l. c. n.* 18. Bonac. *l. c.* §. 2. *n.* 26. aliique apud Castrop. *n.* 18. Item milites à communicatione cum suo duce excommunicato, quia sunt verè famuli, & Duci subjecti. Sylv. *v. excomm.* 5. *n.* 4. Sayr. *l. c. c.* 14. *n.* 9. Castrop. *num.* 19. Bonac. &c. Item etsi Vasallos non excusari à communicatione cum dominis, quia non sunt famuli, aut de familia eorum, probabiliùs doceant Bonac. *l. c.* §. 2. *n.* 40. Hurt. *d.* 9. *diff.* 4. *n.* 15. Castrop. *n.* 20. videatúrque id ipsum decidi in *c. Sanctorum.* 15. *num.* 6. probabile tamen quoque videtur contrarium, eò quòd per excomunicationem domini non amittatur dominium, ùt Suar. *d.* 15. *S.* 6. *n.* 5. Bonac. *l. c.* Filliuc. *tr.* 13. *c.* 6. *q.* 9. Ugol. *l. c.* §. 9. & consequenter non eximantur à domino fidelitatis, sed possint & debeant domino præcipienti obedire & tributa solvere, & hâc ratione cum domino communicare. Porrò dicti omnes tam in divinis quàm in humanis communicare possunt cum personis, quibus subjiciuntur, v. g. servi comitari dominos ad audiendum sacrum, horas cum illis recitare. Suar. *l. c. n.* 22. Sa. *v. excommunicatio. n.* 45. Laym. *l. c. n.* 17. Sanch. *de mat. L.* 9. *d.* 14. *n.* 5. Castrop. *l. c. n.* 22. qui tamen addit, hanc communicationem extendi non debere ad ministrationem & receptionem Sacramentorum, cùm hæc non competant servis ratione famulatûs.

4. Quarta causa excusans à communicatione cum excommunicato notata per *tò res ignorata*, est ignorantia excommunicationis, intellige quælibet, sive sit ignorantia juris, sive facti, etiam vincibilis & culpabilis, modò non sit crassa & affectata, ùt rectiùs Suar. *d.* 15. *S.* 3. *n.* 3. Cön. *d.* 14. *du.* 12. *n.* 124. Hurt. *d.* 9. *de excomm. diff.* 44. *num.* 26. Castrop. *n.* 24. eò quòd, si Pontifex *cit. c. quoniam multos.* intenderet excipere solos ignorantes invincibiliter, nullum favorem exhiberet, cùm illi ipso jure naturali à culpa & pœna immunes sint communicando cum excommunicato; unde ut quis à communicatione excommunicati teneatur abstinere, debet illi moraliter certò constare, illum esse excommunicatum vitandum, cùm stante de hoc vel de denunciatione dubio iniquè judicatur quis excommunicatus esse. Nav. *c.* 27. *n.* 27. Suar. *l. c. n.* 4. Sanch. *L.* 1. *in decal. n.* 69. Bonac. *l. c.* §. 2. *n.* 42. Laym. *l. c. c.* 2. *in fine.* Castrop. *n.* 25. Hanc verò certitudinem præstat fama publica à viris fide dignis orta, Sayr. Sanch. Hurt. Avila, Covar. apud Castrop. *n.* 26. Item testimonium duorum vel trium asserentium aliquem excommunicatum denunciatum esse. Item testimonium Parochi ostensis literis excommunicationis & denunciationis. Sylv. *v. excom.* 5. *n.* 28. Sanch. *de mat. L.* 2. *d.* 93. *n.* 36. Bonac. *l. c. n.* 47. Castrop. *l. c.* secus verò, si Parochus id solùm oretenus affirmaret, quia uni testi, quantumcunque fide digno, etsi possim, non tamen teneor credere. Arg. *c. de nobis. de testib.* De cætero agnitus ùt excommunicatus vitandus in dubio præsumi non debet absolutus, cùm absolutio sit quid facti, quod in dubio non præsumitur, sed debet probari. Sylv. *v. excomm.* 5. *n.* 26. Suar. *l. c. n.* 7. Laym. *cit. c.* 2. *n.* 18. probatur autem absolutio sufficienter tum famâ publicâ, tum testimonio viri digni, etiam ipsius excommunicati, dum aliàs ei prudenter credi potest, præsertim, si is longo tempore se ùt absolutum gessit. Nav. Suar. Bonac. *ll. cit.*

5. Quintâ causâ significatâ per *tò necesse*: tollitur prohibitio communicandi cum excommunicato, ùt constat ex *c. quoniam multos.* & *c. inter alia. h. t.* dum necessitas communicandi cum eo gravis est, sive sit spiritualis, sive temporalis, sive ex parte communicantis, sive ex parte excommunicati, sicut cum communi Suar. *l. c. S.* 3. *à n.* 8. Sayr. *l. c. c.* 14. *à n.* 29. Hurt. *cit. diff.* 4. *in fine.* Castrop. *l. c. n.* 28. quæ tamen communicationis permissio cessat, si quis æquè bene à non excommunicato subsidium spirituale vel temporale sibi necessarium obtinere potest. Castrop. *cit. n.* 28. citatis aliis.

Quæst. 565. *Quinam sint effectus excommunicationis majoris?*

1. Resp. Sunt fere sequentes; primus: privatio usus Sacramentorum tam activi quàm passivi, *c. Cùm illorum. h. t. c. fin. de Cler. excom. minist.* ita ut si excommunicatus etiam toleratus quodcunque Sacramentum extra necessitatem perciperet, peccaret mortaliter, quia ageret in re gravi contra præceptum Ecclesiæ, à qua tamen culpa excusaretur ob periculum mortis, mutilationis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum, quod alias incurreret ex non perceptione Sacramentorum, ùt Castrop. *tr.* 29. *d.* 2. *p.* 7. *n.* 1. Cum communi D. D. quia lex Ecclesiastica non censetur ita rigidè obligare, valeret interim talis perceptio absque tali necessitate facta, cùm valor Sacramentorum non pendeat ex voluntate Ecclesiæ, sed ex institutione Christi, quæ optimè stat cum iniqua recipientis perceptione, ita Suar. *de cens. d.* 10. *S.* 3. *n.* 1. Vasq. *de excom. du* 4. Avil. *p.* 2. *c.* 6. *d.* 3. *du.* 4. Laym. *l. c. c.* 2. *n.* 1. Castrop. *l. c. n.* 2. *&c.* Excipitur tamen receptio Sacramenti pœnitentiæ, quæ, quia pro materia proxima requirit rectam pœnitentis dispositionem, eâ deficiente nequit subsistere; deficeret autem, si pœnitens malitiosè reticeret censuram, vel vellet sine gravi causa absolvi à peccatis, antequam esset absolutus à censura. Ita Castrop. *l. c.* cum citatis AA. De cætero excommunicatus vitandus illicitè recipiens aliquod Sacramentum, nullam incurrit pœnam excepto Sacramento Ordinis, ob cujus receptionem ab exercitio Ordinis suscepti suspenditur & incurrit irregularitatem, *c. Cùm illorum. de Sent. excom.* Suar. *l. c. S.* 3. *n.* 6. Castrop. *l. c. n.* 6. Cön. *d.* 14. *du.* 5. *n.* 32. cum communi.

2. Secundus effectus est: privatio communium Ecclesiæ suffragiorum, *c. Sacris. h. t.* ita ut pro excommunicatis saltem vitandis ministri Ecclesiæ Sacrificia & orationes quascunque Ecclesiæ nomine

extra

extra feriam sextam paraſceves offerendo graviter peccent, illicitè quoque ea offerri pro excommunicatis toleratis docent Covar. *in c. alma mater. p.* 1. §. 6. *n.* 4. Bellarm. *de missa L.* 2. *c.* 6. Suar. *d.* 9. *S.* 2. *n.* 16. An verò pro illis contritis, & quando per illos non ſtat, quò minùs abſolverentur ab excommunicatione, offerri poſſint ſuffragia dicta, controvertitur; affirmant Covar. *l. c.* Sayr. *theſ. L.* 2. *c.* 4. *n.* 5. Henriq. *l. c. de miſſa c.* 15. *n.* 3. Navar. *de orat. & hor. can. c.* 19. *n.* 68. & alii, eò quòd credendum non ſit, Eccleſiam velle privare contritos & pœnitentes his ſubſidiis, cùm ſolùm, ùt à contumacia recederent, pœnam excommunicationis inflixerit. Negant è contra Sotus *in* 4. *diſt.* 2. 2. *q.* 1. *a.* 1. §. *attamen.* Suar. *d.* 8. *S.* 3. Laym. *l. c. c.* 2. *n.* 4. Hurt. *d.* 2. *de excom. diff.* 5. & alii, quos citat & ſequitur Caſtrop. *l. c. p.* 6. *num.* 8. ex ea ratione, quòd excommunicatus, etſi ſit contritus & contumaciæ eum pœniteat, non excutiat excommunicationem, utpote quæ non pœnitentiâ, ſed abſolutione tollitur, perſeverante autem excommunicatione perſeveret ejusdem effectus. In eo pariter controvertunt AA. num orationes publicæ & ſacrificia offerri poſſint pro excommunicatis toleratis. Negant Sotus *l. c. a.* 4. *concl.* 2. Covar. *l. c.* Vaſq. *l. c. du.* 2. Bellarm. *de miſſa. L.* 2. *c.* 6. Suar. *d.* 9. *S.* 2. *n.* 4. & alii, eò quòd in *Extrav. ad evitanda.* permittatur communicare cum excommunicatis non denunciatis in iis, quæ in utilitatem fidelium cedere poſſunt, quia in favorem illorum lata fuit iſta conſtitutio; in favorem autem & utilitatem offerentium orationes publicas & ſacrificia pro excommunicatis ea non cedunt. Ad hæc Idem Concilium expreſſit, ſe nolle per illam communionem permiſſam cum excommunicatis favere illis, maximè autem faveret illis permittendo communionem orationum & ſacrificiorum, nihilominus contrarium probabiliùs cenſet Caſtrop. *n.* 10. citatis Ugol. Sayro, Hurt. Còn. eò quòd, idem Concilium Conſtantienſe permiſerit communicare cum excommunicatis etiam vitandis, etiam in divinis ob favorem, ex ea ratione, ne agitarentur ſcrupulis, dubitando, an hi vel illi excommunicati vel vitandi ſint. Ad hæc fideles ob illas oblationes accipere poſſint ſtipendia & ſpeciale meritum, adeóque dici non poſſit illas non cedere in utilitatem eorum.

3. Tertius effectus eſt: privatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ, *c. Sacris. & Clem.* 1. *de ſepult. c. conſuluiſti. de conſecrat. Eccleſ.* eò quòd, ut dicitur *c. Sacris.* quibus non communicamus vivis, non debemus communicare defunctis. Extenditur hæc privatio ad excommunicatos etiam toleratos, niſi exhibitis ſignis contritionis deceſſerint, cùm enim excommunicatio inflicta ob peccatum mortale, decedenti ſine pœnitentiæ ſignis Eccleſiaſtica ſepultura concedi non debet, quia ſic decedens regno cæleſti excluſus, & ſuffragiorum Eccleſiæ incapax eſt, ſi verò excommunicatus non toleratus pœnitens deceſſit ante ſepulturam abſolvendus fuit, at ſi impœnitenter deceſſit, extra locum ſacrum ſepeliendus, eſt abſque aliqua pompa funerali, hoc eſt, abſque Clericorum cantu & honorifico comitatu, ita ut peccent mortaliter Clerici, qui more Eccleſiaſtico canentes funus excommunicati denunciati deducerent, utì etiam ſæculares difficulter à mortali exculandos, ſaltem ob ſcandalum, ait Caſtrop. *l. c. n.* 13. ſi autem in loco ſacro ſepultus eſt exhumandus eſt, ſi ab aliis fidelium corporibus diſcerni poteſt, & locus ſacer, quia tali ſepulturâ pollutus, & incapax factus, ne ibi divina officia celebrentur, aut corpus fidelis alicujus ibidē ſepeliatur, reconciliari debet, prout hæc omnia traduntur in *c. Conſuluiſti de conſecrat. Eccleſiæ. c. unico. tit. eod. in* 6. *c. à nobis. & c. Sacris. de Sent. excom.* Porrò quinam veniant nomine ſepelientium & num & quæ pœnæ extendantur ad eos, qui talem excommunicatum ſepeliunt, vide apud Caſtrop. *cit. p.* 6. *n.* 15.

4. Quartus effectus eſt inhabilitas ad dignitates, beneficia & officia Eccleſiaſtica quæcunque obtinenda (puta Legati, Delegati, Inquiſitoris, Adminiſtratoris Epiſcopatûs, Vicarii generalis, Epiſcopi, Provincialis, Generalis, Rectoris, Guardiani Ordinum, Caſtrop. *l. c. n.* 9. citatis plurimis) ita ut, licet aliàs excommunicatus ſit toleratus, paſſiva ejus electio, præſentatio, nominatio, collatio ſit irrita. *c. poſtulaſti. de Cler. excom. miniſt.* Covar. *l. c. p.* 1. §. 7. *n.* 1. Suar. *d.* 13. *S.* 2. *num.* 1. Garc. *de benef. L.* 7. *c.* 13. *n.* 1. Caſtrop. *l. c. p.* 10. *n.* 1. Nav. *c.* 27. *num.* 21. Cum prorſus communi citatis plurimis aliis, quia excommunicato prohibitum eſt officium divinum, propter quod, & non niſi ejus capacibus datur beneficium; beneficio tamen jam poſſeſſio non privatur, potéſtque ante excommunicationem collati beneficii jam excommunicatus capere poſſeſſionem. Extenditur reſponſio ad quamcunque beneficii acquiſitionem, ſive ea fiat causâ permutationis, ſive reſignationis. Garc. *l. c. n.* 15. Azor. *p.* 2. *L.* 6. *c.* 7. *q.* 8. Covar. *l. c. n.* 2 ita tamen, ut excommunicatio adeſſe debeat tempore, quo beneficium permutatum vel reſignatum confertur, cum, ſi tunc abſolutus eſt ab ea, valida eſt ejus acquiſitio tempore, quo permutabatur vel reſignabatur, eſſet excommunicatus, Caſtrop. *l. c. n.* 2. cum Garc. *l. c. n.* 19. Item extenditur, etiamſi excommunicatus eſſet ignarus ſuæ excommunicationis, etſi enim ignorantia excuſet à culpa, non tamen tollit inhabilitatem provenientem à cenſura; & ita tenent Garc. *l. c. n.* 9. Suar. *d.* 13. *S.* 2. *n.* 3. Covar. *l. c. n.* 3. Leſſ. *L.* 2. *c.* 34. *n.* 117. Cön. *d.* 14. *du.* 9. Bonac. An verò extendatur ad acceptationem beneficii factam tempore excommunicationis, ad quod electus quis non excommunicatus, controvertitur, utramque partem plurimis AA. & rationibus firmat Caſtrop. *l. c. n.* 13. *junctо n.* 16. eadem eſt controverſia de acceptatione collationis, de quo vide eundem *à n.* 19.

5. Quintus effectus eſt inhabilitas ad penſionem Eccleſiaſticam, non tantùm illam, quæ ex fructibus alicujus beneficii extracta in perpetuum propriiſſima dicitur, & eſt beneficium ſimplex ſeu præſtimonium, & illius incapacem eſſe excommunicatum, extra dubium eſſe ait Caſtrop. *loc. cit. num.* 6. Sed & ad illam, quæ, etſi in eo recedat à natura beneficii, quod non datur tamen ob munus aliquod ſpirituale exercendum, v. g. Vicarii Epiſcopalis, vel etiam Coadjutoris, cùm in hac acquiſitione penſionis procedat eadem ratio nullitatis, quæ in acquiſitione beneficii. Secus eſt in ea penſione, quæ ob ſervitium Eccleſiæ conceditur, nullum tamen munus ſpirituale exigit, quæque merè laicis conferri ſolet, hujus enim collatio nullo jure colligitur irrita, cùm nec fundetur in titulo ſpirituali, neque ob ſpirituale exercitium à quo excommunicatus excluditur. Item extendit ſe hæc inhabilitas excommunicati ad penſionem, quæ partim eſt temporalis, partim ſpiritualis, qualis eſt, quæ concedi ſolet reſignanti & permutanti beneficium vel liti cedenti, non habenti ſuſtentationem, utpote quæ, in quantum ad ſui collationem requirit ordinem, & loco beneficii eſt, unde ad eam acquirendam Pontifex requirit, talem penſionarium abſolutum eſſe à cenſuris, eſt ſpiritualis, in quantum verò nullum munus annexum Ordini exigit, & ita docent cum communiore Sayr. *de cenſ. L.* 2. *c.* 2. *n.* 15. Suar. *d.* 13. *S.* 1. *n.* 9. Reginald.

l. 32. *n.* 45. Garc. *de benef. p.* 2. *c.* 5. *n.* 106. Ugol. *l. c. c.* 13. §. 2. *n.* 8. Filliuc. *tr.* 12. *c.* 5. *q.* 4. Castrop. *l. c. n.* 7. qui tamen cum Sa. *v. homicida. num.* 21. & Laym. ait contrarium non carere probabilitate.

6. Sextus effectus est: Privatio distributionum, quæ dantur pro præsentia, quia excommunicatus interesse nequit divinis officiis, à quibus absentes distributiones non percipiunt. Arg. *c. unic. de Cler. non resid. in* 6. Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* Covar. *l.* 3. *Var. c.* 13. *n.* 8. Garc. *de benef. p.* 7. *c.* 13. *n.* 125. Monet. *de distrib. p.* 2. *q.* 15. *n.* 18. Fructibus verò grossis ipso facto non privari excommunicatum cum Gl. *in c. pastoralis. de appellat. v. subtrahuntur* & communiore contra Abb. *in idem. c. n.* 17. & Gutt. *l.* 1. *qq. can. c.* 1. & alios docent Sanch. *de mat. l.* 3, *d.* 51. *n.* 12. Vasq. *de benef. c.* 3. §. 3. *du.* 4. Laym. *l. c. n.* 9. Bonac. *l. c. p.* 4. §. 2. *n.* 2. Castrop. *loc. cit. p.* 11. fusè ac eruditè hanc *quæst.* tract. quem vide, ratio potissima est, quòd nullo textu juris hæc privatio ipso jure infligatur, dum textus *c. pastoralis.* & alii commodè intelligi possunt, & consequenter ob hujus sententiæ benignitatem debent de sententia ferenda.

7. Septimus effectus est, quòd excommunicatus etiam toleratus impetrare nequeat rescriptum pontificium, neque gratiæ, neque justitiæ, nisi in causa excommunicationis & appellationis, ùt constat ex *c.* 1. *de rescript. in* 6. Atque ita invalida est impetratio rescripti ad lites multóque magis ad beneficia, dispensationes, gratias alias & similia, Suar. *de cens. d.* 17. *s.* 1. Henriq. *l.* 13. *c.* 13. *n.* 1. Castrop. *l. c. p.* 12. *n.* 1. proceditque id ipsum non tantùm in excommunicato vitando, sed etiam in tolerato, ùt Castrop. *l. c.* & alii communiùs contra Archid. *in cit. c.* 1. *de rescript. in* 6. Nav. *l.* 5. *conf. tit. de sent. excom. consil.* 44. *n.* 22. Extenditque hanc doctrinam Nav. *l. c. n.* 2. & 6. ad rescript. Imperatoris & Regis, affirmátque rescripta ab excommunicato impetrata esse nulla, quod melius rejiciunt Suar. *l. c.* Bonac. *d.* 2. *q.* 2. *p. ult.* Castrop. *l. c. n.* 3. Sed neque concessiones & gratiæ Prælatorum inferiorum Pontifice irritantur vi excommunicationis, quia nomine rescripti non veniunt, nec ullibi reperiuntur declaratæ irritæ, Nav. *l. c. consil.* 2. 3. *q* 1. *edit.* 2. Suar. *l. c. n.* 2. Castrop. *n.* 4. Laym. *l. c. c.* 2. *n.* 11. De cætero quia rescriptis pontificiis consuetum est inseri absolutionem ab omnibus censuris ad effectum valoris rescripti, effectus hic excommunicationis rarò locum habere potest, Castrop. *l. c. n.* 2. Cön. *d.* 14. *du.* 10.

8. Octavus effectus est: Privatio omnis jurisdictionis ecclesiasticæ, ita ut tam in foro externo acta jurisdictionis ab excommunicato ipso jure sint nulla, *can. audivimus.* 24. *q.* 1. *c.* 24. *de sent. & rejudic.* ita ut alium excommunicare nequeat, beneficia conferre. Arg. *c. unic. ne sede vac. in* 6. neque eligere *c. cum dilectus. c. cum inter. il.* 2. *de elect.* quia hæc ut præcipua cum fidelibus communicatio indignúmque ab Ecclesia segregatum illius vices gerere, peccant proinde mortaliter excommunicati etiam tolerati exercendo actum talis jurisdictionis, si ad id non fuerint requisiti, secus, si tolerati ad hoc requirantur, Castrop. *l. c. p.* 13. *n.* 1. quin & ab excommunicato tolerato validè exercentur tales actus, si à fidelibus non excipiatur contra eos, prout sumitur ex *c. exceptionem. de except.* & *c.* 1. *eod. in* 6. & passim tradunt AA. Suar. *d.* 11. *s.* 4. *n.* 1. Gutt. *qq. can. c.* 1, *n.* 28. Less. *l.* 2. *c.* 29. *du.* 7. *num.* 17. Laym. *cit. c.* 2. *n.* 13. Covar. *in c. alma mater. p.* 1. §. 7. *n.* 9. Castrop. *l. c. n.* 3. citatis plurimis aliis. Unde talis excommunicatus toleratus, contra quem exceptum non est, validè exercere potest officium Judicis ecclesiastici & parochi, excipiénsque contra illum probare tenetur intra octo dies speciem excommunicationis illius authorem, aliàs excommunicatio erit nulla, sic quoque valere actus jurisdictionis coactivæ, v. g. excommunicationem & præcepta lata ab eo verius censet Castrop. *n.* 6. citatis pro hoc Gutt. Cön. Bonac. contra Suar. Laym. Hurt. qui tamen etiam consentiunt oppositæ sententiæ, dum excommunicatio est occulta, ne aliàs acta à tali Judice infirmentur ob impedimentum, ùt Gl. *inc, ad probandum. de sent. & re judic.* De cætero omnem jurisdictionem ademptam excommunicato vitando docent communiter omnes, sicque nullam esse factam ab eo absolutionem, dispensationem, delegationem, latam ab eo sententiam, collationem beneficii, electionem, præsentationem, postulationem, solennem possessionis collationem, singula declarans extendendo & limitando ostendit & probat Castrop. *cit. p.* 13. *à n.* 9. per plures numeros, quem vide.

9. Nonus effectus est: Privatio communionis forensis seu actuum pertinentium ad judicium externum, sive ecclesiasticum, sive laicale tam civile quàm criminale, ita ut in nullo horum possit esse Judex, Actor, Advocatus, Procurator, tabellio, testis, quod intelligendum de solis excommunicatis vitandis, non de toleratis, quatenus acta ab iis valent, nisi quis de eorum inhabilitate ad standum in judicio informatus, tunc enim etiam acta ab iis in judicio irrita sunt. Etsi autem Judex excommunicatos vitandos repellere à judicio sub gravi obligatione teneatur, & toleratos repellere possit, non tamen ad hos repellendos tenetur, nisi excommunicatio sit notoria, vel aliquis contra eos excipiat, ita fere Reiffenst. *h. t. n.* 71. qui etiam rectè notat *n.* 27. excommunicatos vitandos reos in quovis judicio stare posse ac debere, cùm aliàs in judicio accusari & conveniri nequirent, ac ita à malitia sua commodum reportarent, *c. intelleximus. de judiciis.*

10. Decimus effectus est: Privatio usûs cujuscunque officii publici, v. g. tutoris, curatoris, executoris testamenti, præfecti hospitalis & alii, de quibus incidenter dictum *n.* 4. quorum tamen hoc munere fungentium acta valebunt, si contra eos exceptum non fuerit, Suar. *d.* 16. *s.* 8. *n.* 4. Castrop. *p.* 15. *n.* 1. ubi is de his pluribus. Wiestn. *h. t. n.* 44.

11. Undecimus effectus est privatio communionis politicæ communicationis, quæ non tantùm celebratione contractuum & negotiatione, sed & quæ cohabitatione, victu, familiari conversatione, colloquiis & officiosis salutationibus exercetur. *can. sicut. can. ad mensam* 11. *q.* 3. *c. nuper.* & *c. si aliquando. h. t.*

12. Duodecimus effectus est, quòd si per annum in excommunicatione insorduerit, id est, pertinaciter perstiterit, de hæresi reddatur suspectus, ita ut contra illum tanquam de hæresi suspectum procedi possit, ùt statuitur in Concilio Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de reform.* ac insuper, si nullum impedimentum alleget, séque purgare recuset, etiam condemnari valeat ùt hæreticus. *c. cum contumacia. de hæreticis in* 6. eò quòd talis videatur omnino contemnere potestatem Ecclesiæ, cujus claves & excommunicationem non curat. Insuper si quis non excommunicatus propter suspicionem hæresis, vel alterius criminis conjuncti cum contumacia (quia citatus non comparet) excommunicatus fuerit, & in tali excommunicatione perseveraverit, censetur is con-

convictus de tali crimine. Arg. *c. excommunicatus, §. qui autem. de hæreticis.* Covar. *l. c. §. 7. n. 10.*

Quæst. 566. Excommunicationis minoris quis effectus?

Resp. Excommunicationis minoris sic dictæ, non quidem quòd in se sit leve quid, sed respectu majoris, utpote habens minores effectus, quàm excommunicatio major, tum quia non semper, ùt illa, incurritur per peccatum mortale, sed quandoque per veniale, tum quia reservata non est, sed ab ea absolvere potest quilibet potens absolvere à peccatis, hujus inquam excommunicationis effectus principalis, directus & unicus in hoc toto consistit, quòd quis eâ ligatus nullum Sacramentum licitè recipere possit, sed peccet graviter illud percipiendo. *c. fin. de Cler. excom. minist.* plura satis fusè tractata à me de excom. in Indice fori mei benef. vide *lib. 1. & 2. decret. v. excommunicatio & v. excommunicatus.*

Quæst. 567. Quid & quotuplex sit suspensio?

1. Resp. ad primum: Suspensio propriè dicta est censura ecclesiastica, quâ minister Ecclesiæ formaliter impeditur seu prohibetur ab actu aliquo potestatis ecclesiasticæ exercendo, differt à cæteris duabus censuris in eo, quòd, etsi & eæ impediant exercitium & usum potestatis ecclesiasticæ, id tamen non faciant, quatenus præcisè functiones ecclesiasticæ sunt, provenientes & dependentes ab officio & beneficio, solúmque competunt Clericis, sed alio titulo; excommunicatio quidem, quatenus tales actus habent rationem communicationis cum aliis fidelibus, aut usus passivi Sacramenti alicujus, interdictum verò, quatenus sunt quædam divinorum participatio per præsentiam & assistentiam facta, præterquam quòd differat suspensio, & afficiat solas personas ecclesiasticas, aliæ censuræ etiam laicas, Castrop. *tr. 29. d. 4. p. 1.* Wiestn. *h. t. à n. 99.* Differre quoque suspensionem à depositione verbali, quòd non, ùt hæc, privet exercitio actuum ecclesiasticorum in perpetuum & sine spe restitutionis volunt aliqui, quod ut exprimant, addunt in definitione: ad tempus: ùt Scotus *in 4. dist. 25. q. 1.* verùm si suspensio totalis dicatur ea, quæ est ab officio & beneficio in perpetuum durans, necesse habent dicere, esse illam eandem cum depositione, Laym. *l. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 1.* Unde hæ duæ pœnæ propter magnam similitudinem in Sacris Canonibus quandoque promiscuè usurpantur.

2. Resp. ad secundum: Præterquam quòd suspensio communiter dividatur in eam, quæ est latæ sententiæ, nimirum à jure ipso inflictæ, & in eam, quæ est sententiæ ferendæ, nimirum inflicta per sententiam Judicis. Alia est suspensio ab officio, quâ prohibetur executio Ordinum, jurisdictionis vel alterius potestatis ecclesiasticæ exercitium. Alia est à beneficio, quâ beneficiatus ab usu juris administrandi & percipiendi fructus sui beneficii arcetur. Alia est ab officio & beneficio simul, & hæc dicitur quandoque totalis: Tam ea, quæ est ab officio tantùm, quàm quæ est à beneficio tantùm, est vel totalis vel partialis, prout alicui vel omni prorsus officii aut officiorum usu, vel uno Ordinis aut Ordinum omnium actu interdicitur, fructuum beneficii omnium vel partis eorum perceptio adimitur, Laym. *l. c. p. 3. c. 1. n. 2.* Pirh. *h. t. n. 198.* Atque ita hæ suspensiones per se loquendo inter se distinguuntur, dum neque suspensio ab officio includit per se suspensionem à beneficio, neque suspensio à beneficio suspensionem ab officio, Reiffenst. *h. t. n. 168.* His non obstante, quòd beneficium detur propter officium, cùm beneficio semel canonicè obtento, non eo ipso amittat perceptionem fructuum, quòd peragere nequeat officium ei annexum, prout patet in Clerico ægrotante, vel reddito inhabili. Si tamen suspensio ab officio esset perpetua & in effectu depositio, tunc totaliter suspensus ab officio, saltem per sententiam, privandus esset beneficio, cùm beneficium detur propter officium, & consequenter suspensio talis ab officio secum traheret, aut includeret suspensionem à beneficio seu perceptionem fructuum beneficii, ita tamen, ut, sicut depositus, ita & suspensus alimenta recipiat ab Ecclesia, ne in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare cogatur. Quòd si etiam absolutè sine limitatione suspensio infligatur, neque ulla ex adjunctis limitatio colligi possit, an sit suspensio ab officio tantùm vel à beneficio tantùm, censenda erit suspensio totalis seu ab utroque simul, cùm tunc non sit ratio, cur potiùs de una quàm de alia sit intelligenda, Laym. *l. c.* Suar. *d. 25. s. 2. n. 9.* Castrop. *l. c. p. 1. n. 3.*

Quæst. 568. Suspensio quibus & à quibus infligatur?

1. Resp. ad primum primò: Solis Clericis ea infligi potest, cùm versetur necessariò circa Officia & Beneficia Ecclesiastica, quorum laici capaces non sunt. Gl. *in c. quicunque. v. ministros de sent. excom. in 6.* Abb. *in c. dura. de crim. falsi n. 10.* Nav. *c. 27. n. 150.* Suar. *d. 18. s. 2. n. 1.* Castrop. *l. c. n. 4.* His non obstante, quòd Abbatissæ, Prioriss æ aliæque præfectæ monialium non improbabiliter suspendi possint ab officio. ùt Nav. *l. c. n. 151.* Henriq. *l. 13. de excom. 31. n. 2.* Laym. *l. c. p. 3. c. 1. n. 2.* sintque personæ ecclesiasticæ jurisdictionis capaces; verius tamen, quòd earum potestas non sit vera jurisdictio ecclesiastica, sed potiùs aliqua potestas œconomiæ, & cùm non ab ordine ecclesiastico proveniat, suspensio illarum ab actibus dictæ potestatis, non sit propriè suspensio, ob cujus violationem incurratur irregularitas. Valent. *Tom. 4. d. 7. q. 18. p. 1. pronunciato 1.* Sayr. *thes. l. 4. c. 1. n. 16.* Suar. *l. c.* Castrop. *l. c. n. 3.* Item potest omnibus Clericis infligi, excepto Pontifice, cujuscunque sint dignitatis, quamvis sub decreto generali suspensionis non comprehendantur Episcopi & alii Superiores Prælati, nisi eorum expressa fiat mentio. *c. quia periculosum. de sent. excom. in 6.* quod ipsum etsi negent aliqui de Episcopis non consecratis, verius tamen extendunt alii ad Episcopos electos & confirmatos tantùm. Laym. *l. c. p. 3. c. 2.* Suar. *d. 20. s. 2. n. 7.* Castrop. *l. c. n. 5.* Sayr. *l. 4. c. 12. num. 1.* Hurt. *de suspens. diff. 9. n. 33.* Henriq. *l. 13. c. 14. n. 2.* Extenduntque hoc privilegium Sayr. Laym. Hurt. Henriq. Ad Cardinales, comprehendi quoque sub suspensione generali etiam religiosos primâ tonsurâ insignitos, tradunt Suar. *l. c. n. 9.* Castrop. *l. c. n. 6.*

2. Resp. ad primum Secundò: Suspensio non tantùm ad singulares personas, sed ad integras communitates Clericorum, v. g. ad totum Capitulum se extendere potest Pirh. *h. t. n. 206.* juxta dicta à nobis suprà, arg. *c. quia sæpe. de elect. in 6.*

3. Resp. ad secundum primò in genere: Suspensionem à jure latam solus juris conditor statuere potest; latam ab homine is, qui potest excommunicare, plerumque infligere potest, cùm regulariter

potestas pro omnibus censuris committatur, quia censuræ omnes ad eundem finem referuntur, & se invicem juvant, nempe ad comprimendam delinquentium contumaciam, Nav. *c.* 27. *a.* 159. Sayr. *l. c. c.* 2. *n.* 1. Suar. *l. c. n.* 2. Castrop. *l. c. p.* 2. *n.* 1, nulla tamen est repugnantia, quin sola potestas suspendendi absque potestate excommunicandi, vel è contra, alicui concedatur, cùm censuræ sint diversæ. Suar. Castrop. *ll. cit.*

4. Resp. Ad secundum in specie censura ab alio quàm à Clerico inferri nequit, quia est actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ solùm Clericis convenire potest. Gl. *in c. Dilecta. de major. & obed. V. jurisdictionem.* Abb. *ibidem.* Vivald. *tr. de suspens. n.* 151. Sayr. *thes. L.* 4. *c.* 2. *n.* 9. Castrop. *d.* 4. *p.* 2. *n.* 3. contra Sylv. *V. Abbatissa. & V. suspensio.* Henriq. *L.* 13. *de excomm. c.* 35. *n.* 1. censentes Abbatissam suspendere posse Clericos Ecclesiarum sibi subjectarum. Arg. *cit. c. cum dilecta.* quam tamen suspensionem ab Abbatissa factam non habere propriè rationem censuræ, sed solum cujusdam prohibitionis, tenent alii AA. paulò antè citati. Ad hanc inferente suspensionem requiritur jurisdictio pro foro externo respectu illius, quem suspendere intendit, Castrop. *l. c.* & dictum est suprà, hæc autem illius jurisdictio debet esse expedita, id est, non impedita ullâ censurâ; quare si censurâ aliquâ ligatus esset, nequit censuram ferre, non solùm licitè, sed nec validè, si censura illa denunciata sit, at seclusâ denunciatione peccabit ferens suspensionem, nisi id faciat ad instantiam partis. Castrop. *l. c.* cum Avil. *p.* 3. *de censur. d.* 4. *du.* 1. *concl.* 3. Porrò quod attinet ad Episcopos, etsi jure antiquo sine Capitulo suspendere non poterant, juxta *c. penult.* 15. *q.* 7. & *c.* 1. *de excess. Prælat.* hodiedum tamen illam solennitatem consensûs Capituli in proferendis censuris suspensionis & interdicti abrogatam esse, dum videmus passim Episcopos absque ullo Capituli consensu requisito pœnam suspensionis in Clericos proferre. Ita Abb. *in cit. c. de excess. Prælat.* Suar. *l. c. d.* 28. *S.* 1. *n.* 4. *in fine.*

Quæst. 569. *Quæ forma in ferenda suspensione?*

1. Resp. primò: Tametsi jure antiquo ab Episcopo suspensio ferri non poterat, esseque ita irrita sententia desuper lata ab Episcopo, nisi præsentiâ Clericorum firmaretur, juxta *c. penult.* 15. *q.* 7. non tamen ampliùs in usu est illud decretum, neque etiam receptum in usu fuit, solennitatem tamen illam consensûs Capituli requisitam ad inferendam Clericis pœnam suspensionis & interdicti consuetudine abrogatam, notant cum Abb. Suar. *d.* 28. *S.* 1. *n.* 4. Castrop. *l. c. p.* 2. *n.* 2.

2. Resp. secundò: etsi suspensioni ferendæ nulla certa forma præscripta, requiri tamen præcedentem monitionem ad eam, dum fertur ut censura seu ad correctionem & reprimendam contumaciam delinquentis, patet ex eo, quòd Ecclesiæ constare nequeat de contumacia & inobedientia alicujus, nisi priùs eum moneat, & ita tenent Nav. *c.* 27. *n.* 159. Valent. *Tom.* 4. *d.* 7. *q.* 18. *p.* 1. *pronunciato.* 7. unde etiam probabile satis esse dicunt Suar. *l. c. S.* 5. *n.* 2. Avil. *p.* 3. *d.* 3. *du.* 1. *concl.* 3. Henriq. *L.* 13. *c.* 39. *n.* 4. Castrop. *l. c. p.* 4. *n.* 2. ferentem suspensionem sine tali monitione esse suspensum per mensem ab ingressu Ecclesiæ, secus est, seu monitio necessaria non est, dum fertur suspensio in puram pœnam delicti, Nav. Avil. Castrop. *ll. cit.* juxta *c. tam literas. de testib.*

3. tertiò: Suspensio ferri debet in scriptis exprimendo causam, ob quam fit, & insuper instrumentum dari desuper suspenso, si is illud postulet, Suar. *l. c. n.* 3. Nav. Avil. *ll. cit.* Castrop. *n.* 3. Arg. *c.* 1. *de Sent. excom. in* 6. Judéxque hujus constitutionis temerarius violator per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ & divinis officiis suspenditur. Castrop. *l. c.*

Quæst. 570. *An & qualiter ob culpam alienam & propriam incurratur suspensio?*

1. Resp. ad primum: incurri ea potest ob culpam alienam, dum suspensâ communitate ab officio plures sæpe personæ singulares immunes à culpa propter quam communitas suspenditur, simul suspenduntur, non quidem quò ad se & secundum munus, quod singuli ùt personæ particulares exercere possunt, sed quò ad actiones totius communitatis, quas illa ùt talis exercet, quod non est singulares personas puniri; sed communitatem delinquentem, prout in interdicto non puniuntur innocentes, sed Ecclesia justas ob causas sua officia & beneficia subtrahit tam nocentibus quàm innocentibus, respectu quorum hæc subtractio non est pœna, & sic suspensio, quæ propriè pœna non est, privans jure quæsito privativè proprio nullatenus contrahi potest ob culpam alienam. Nav. *c.* 27. *n.* 151. Suar. *l. c.* Sanch. *cit. L. . . d.* 32. *n.* 9. Hurt. *de suspens. diff.* 9. & alii, quos citat & sequitur Castrop. *l. c. p.* 3. *n.* 2.

2. Resp. secundò: Ob culpam levem suspensionem infligi posse tenent, ac probant Cajet. *in Sum. v. suspensio.* Armill. *eodem in princ.* Nav. *l. c.* Henriq. *l. c. n.* 1. Medin. & alii, ex eo, quòd illa sufficiat ad excommunicationem minorem, etsi hæc videatur major pœna, quia privat majoribus bonis, nempe Sacramentorum usu & perceptione, nihilominus prout communiter fertur, neque à Judice, multòque minùs à jure infligi solet ob culpam levem, quia ex se grave malum est, ideóque gravem culpam supponit, ùt tenent Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 3. *a.* 3. Vasq. *d.* 158. *n.* 49. Suar. *d.* 28. *S.* 4. *n.* 6. Laym. *l. c. n.* 3. Sanch. *l. c.* Castrop. *l. c. n.* 4. citatique ab illo alii, non obstante, quòd excommunicatio minor excellentioribus bonis privet, cùm id ipsum compensetur per hoc, quòd faciliùs excommunicatio minor tolli possit per cujuscunque Sacerdotis absolutionem, quod in suspensione non procedit. Adde esse probabile, aliquam suspensionem ad modicum tempus à Judice infligi posse ob levem culpam, ùt notant Laym. Castrop. Sanch. & alii.

Quæst. 571. *Qui sint effectus suspensionis?*

Resp. Primarii fere effectus illius exprimuntur & declarantur in ipsa illius definitione, præter quos si suspensus ab officio exerceat actum per suspensionem sibi interdictum culpabiliter, incurrit irregularitatem *c.* 1. *de sent. & re judic.* Si verò suspensus à beneficio seu ejus administrationi se ingerit, aut fructus percipit, non efficitur quidem irregularis, perdit tamen ipso jure beneficium, Pirh. *h. t. n.* 209. Reiffenst. *h. t. n.* 175. & alii. Item absolutè suspensus ab officio redditur ineligibilis ad beneficium, quia beneficium datur propter officium. Laym. *l. c. c.* 2. *n.* 3. Cön. *d.* 15. *du.* 2. *concl.* 3. Henriq. *L.* 13. *c.* 32. *n.* 3. Castrop. *l. c. p.* 5. *§.* 1. *num.* 2. cum communi contra Hurt. Item reddit colla-

collationem suspenso factam irritam ipso jure, ùt veriùs sentire videntur Arg. *c. bonæ memoriæ de ætate & qualit.* Gl. *ibid. v. suspensi.* Garc. *de benef. L. 7. c. 14. à n. 1.* pluribus rotæ decisionibus hanc sententiam comprobans. Bonac. *Tom. 1. d. 3. de susp. p. 2. n. 13.* Castrop. *l. c. n. 3.* Less. Paris. Navar. & alii contra Abb. *in c. vel non est de temp. Ord. n. 4.* Suar. *d. 26. S. 3. n. 8.* Hurt. *de susp. diff. 4. num. 8.* Laym. *l. c. c. 1. n. 4.* negantes esse irritam, sed venire irritandam. Item suspensus ab officio Sacramenta ministrans & officia divina solenniter in choro exercens non lucratur fructus & distributiones correspondentes istis exercitiis & officiis, ùt Covar. *4. Decret. p. 2. c. 6. §. 8. n. 7. in fine.* Rebuff. *praxi benef. tit. de Simon. in resignat. num. 15.* Vivald. *Candelab. Sacram. p. 2. in mater. de susp. num. 171.* contrarium tamen, nempe dictos fructus correspondentes officio iniquè exercito lucrari & retineri posse à suspenso, tenentibus Avil. *3. p. de cens. d. 2. du. 1. concl. 6.* Sanch. *L. 3. de mat. d. 51. num. 12.* Castrop. *l. c. n. 7.* eò quòd pœnæ extendendæ non sint sine manifesto textu juris, nullibi autem habeatur suspensum exercentem officium, à quo suspensus est, privari ipso jure fructibus correspondentibus tali officio. Item suspensus absolutè ab officio privari voce in Capitulo, eò quòd habere vocem in Capitulo sit usus & exercitium officii Ecclesiastici, Gl. *in c. Cùm dilectus de consuetud. V. à suspensis.* Abb. *ibid. num. 20.* Felin. *in c. Apostolicæ. de except.* Sayr. *thes. L. 4. c. 5. n. 2.* contrarium sentiente ex opposita ratione Castrop. *l. c. n. 9.* Item suspensus ab actibus jurisdictionis invalidè absolvit sacramentaliter, nisi propter suspensionem occultam error sit communis, in quo casu Ecclesia supplet jurisdictionem, Arg. *c. Infamis 3. q. 8.* Cæteri verò actus Ordinis à suspenso exerciti, etsi sint illiciti, sunt tamen validi. *c. Cùm dilectus. de consuetud. c. Cùm inter. de elect.* de effectibus suspensionis à beneficio pleraque dicta hinc inde in antecedentibus; plura vide apud Castrop. *l. c. §. 2. per tot.* utì & §§. *sequentibus.*

Quæst. 572. Quibus modis tollatur suspensio?

Resp. tribus, primò: Si imposita suspensio ad tempus vel sub conditione, illo elapso vel illâ impletâ, per se ipsum absque alia superioris absolutione, Nav. *l. c. n. 161.* cum communi. Secundò: suspensio, quæ est censura propriè dicta, propter contumaciam inflicta tollitur absolutione, sed non nisi cessante contumaciâ, Laym. *l. c. cap. 4.* Tertiò: relaxatione seu dispensatione, si ea lata ut pura pœna ob peccatum præteritum sive in perpetuum, sive ad certum tempus, & illo necdum elapso. Reiffenst. *h. t. n. 177.* cum Laym. *l. c.*

Quæst. 573. Quid & quotuplex sit interdictum?

1. Resp. ad Primum: in sensu canonico & præsentis Rubricæ acceptum definiri solet, quòd sit censura Ecclesiastica, quâ omnium divinorum officiorum, Sacramentorúmque quorundam & sepulturæ Ecclesiasticæ participatio prohibetur, Suar. *de cens. d. 32. S. 1. n. 2.* Laym. *L. 1. tr. 5. p. 4. c. 1. n. 1.* desumitur à Covar. *in c. alma. p. 2. §. 1. n. 3.* Nav. *c. 27. n. 162.* Sylv. *v. interdictum. 1. n. 2.* ex *c. non est. de spons. & mat.* & *c. quod in te. de pœnit. & remiss.* Differt ab aliis censuris, non quòd Sacramentis, Ecclesiasticis divinísque officiis & sepulturâ Ecclesiasticâ privet, quatenus ea sunt quædam cum aliis communicatio, ùt excommunicatio, neque quatenus sunt functiones quædam Ecclesiasticæ potestatis, ùt suspensio, sed quatenus participationis per assistentiam & præsentiam rerum spiritualium rationem habent, Pirh. *h. t. n. 215.* Et licet affinis sit cessationi à divinis, ab ea tamen quoque differt, quòd cessatio à divinis oriatur ex mandato Ecclesiastico, quo Clerici in aliquo loco cessare jubentur ab officiis divinis in signum maximi justíque doloris & tristitiæ, conceptæ ob gravissimam injuriam sibi & honori divino illatam, ùt Suar. *d. 39. S. 1. n. 3.* Nav. *l. c. n. 188.* Laym. *l. c. c. 6. n. 1.* ex *c. Quamvis. de off. Ordinar. in 6.* adeóque non sit censura, ùt interdictum. Item quod cessatio hæc nunquam à jure, sed semper ab homine, nullíque determinatè personæ imponatur, quòd violans temerariè hanc cessationem, etsi peccet, nullam incurrat irregularitatem, quod sepultura seu depositio cadaveris cujuscunque fidelis etiam laici in loco sacro sine officio funebri tempore cessationis à divinis concessa sit, quorum omnium contrarium est in interdicto, Suar. *l. c. n. 13.* Laym. *n. 4.* Pirh. *h. t. n. 262.*

2. Resp. ad Secundum: aliud est locale, quod directè fertur in locum, quatenus prohibentur in eo fieri & audiri missæ, divina officia, sepulturæ Ecclesiasticæ, quódque indirectè tantùm afficit personas, dum sunt in eo loco interdicto; Unde hæ possunt alibi interesse divinis, Sacramenta recipere, sepeliri in loco sacro, Arg. *c. Si sententia. de Sent. excomm. in 6.* Estque hoc interdictum locale, aliud generale, nimirum dum interdicitur locus varia sub se loca complectens, v. g. regnum, provincia, civitas; aliud particulare, quo interdicitur Ecclesia aliqua particularis. Aliud est interdictum personale, quod immediatè & directè fertur in personam, quo ea arcetur à participatione aliquorum Sacramentorum, officiorum, sepulturæ in quocunque loco, quódque interdictum sequitur personam, quocunque ierit, Arg. *cit. c. sententia,* ubi etiam, quòd, si populus alicujus terræ interdicatur, singulares personæ interdici censeantur, quod interdictum, utì & locale, duplex est, generale vel particulare, prout nimirum vel totus populus alicujus districtûs, civitatis &c. tota civitas, integra universitas, collegium vel una tantùm aut plures personæ interdicuntur. Aliud est interdictum mixtum, quod includit locale & personale, quo nimirum locus & personæ illius interdicuntur.

Quæst. 574. Quænam & qui interdicto generaliter lato comprehendantur?

1, Resp. primò: Loquendo de interdicto personali, si aliud expressum non sit, interdicto generaliter Clero non censetur interdictus reliquus populus, & è contra interdicto populo non censetur interdictus Clerus. *cit. c. si sententia.* Secundò: interdicto generaliter Clero non comprehenduntur religiosi utriusque sexûs; etsi enim in materia favorabili nomine Cleri veniant religiosi sexus utriusque, non tamen in materia odiosa, ùt dici solet *L. 3. tit. de vita & honest. Cler.* Tertiò: interdicto generali Cleri non comprehenduntur Episcopi, nisi in eo exprimantur, juxta *c. Periculosum. de Sent. excom. in 6.* nec Prælati Ecclesiastici, aut etiam Canonici Cathedrales, sed soli inferiores sæculares, quia hi soli veniunt in materia odiosa. Quartò: per interdictum generale vel Cleri interdictæ non censentur Ecclesiæ vel loca sacra illius loci, unde etsi in iis divina celebrari & singulares personæ interdictæ

dictæ ea audire nequeant, alii tamen non interdicti, V. G. peregrini, in iis celebrare & divina audire valeant, Nav. *c.* 27. *n.* 167. Castrop. *tr.* 29. *d.* 5. *p.* 2. §. 2. *n.* 11. Reiffenst. *h. t. num.* 189. cum Gl. *in cit. c. si sententia, v. in Clerum.*

2. Resp. secundò: De interdicto locali primò interdictâ civitate, castro aut villâ censentur quoque interdicta eorum suburbia & continentia ædificia, ne cæteroquin sententia suspensionis vilipendatur, si possent in dictis suburbiis divina celebrari, & sic incolæ facili labore illuc concurrentes vim interdicti effugere. *c. si civitas de sent. excom. in 6.* Secundò: si Ecclesia interdicta nec in ejus capella, nec in ejus cœmiterio ei contiguo quis sepeliri potest; secus, si contigua non sint, *cit. c. si Civitas.* Porrò contigua dicuntur, quorum extrema se invicem contingunt, sive quando inter parietem Ecclesiæ & capellam vel cœmiterium nihil mediat, Barb. *in c. si Civitas.* Pirh. *h. t. n.* 225. Reiffenst. *h. t. num.* 191. Tertiò: si interdicta tota civitas omnia loca continentia & non contigua, tantùm, si verò una Ecclesia sit interdicta, loca tantùm contigua censetur Interdicta, interdicto verò cæmiterio non censetur interdicta Ecclesia, *c. unic. de Consecrat. Eccles. in 6.* Quartò: Interdicta civitate vel diœcesi censetur etiam Interdicta Ecclesia Cathedralis ibi existens. Suar. *d.* 32. *S.* 2. *n.* 21. Castrop. *l. c.* §. 1. *num.* 3. & 4. contra Covar. *in c. alma. p.* 2. §. 1. *n.* 4. Arg. *c. Si civitas.* & ex ea ratione, ne aliàs eluderetur tale Interdictum talis civitatis celebrando nimirum & audiendo Divina in Cathedrali.

Quæst. 575. *Ad Interdictum locale servandum quinam teneantur?*

Resp. Sub obligatione gravi ad Interdictum tam generale quàm particulare tenentur omnes tam incolæ quàm extranei, tam regulares quàm sæculares, tam exempti quàm non exempti, nisi speciali super hoc muniti privilegio, ùt habet communis & certa per textum expressum. *c. Authoritate. de privileg. in 6.* & *c. licet eod.* ex ea ratione, quòd per Interdictum locale privatio divinorum affixa sit loco respectu cujusvis personæ. Circa quod notandum quoque, quòd, qui causam dederunt interdicto locali, non tantùm in loco interdicto, sed etiam in quovis loco alio prohibeantur celebrare & audire divina, Sylv. *V. Interdictum* 2. *n.* 7. Suar. *de cens. d.* 37. *S.* 1. *n.* 15. Barb. *in c. si sententia. de sent. excom. in 6. n.* 3. Ubi illis tantùm incolis loci interdicti conceditur audire divina in alio loco non interdicto, qui causam interdicti non dederunt.

Quæst. 576. *Quinam sint effectus Interdicti & qualiter singuli intelligendi?*

Resp. Esse eorum tres, qui in ipsa Interdicti definitione exprimuntur, quorum primus est administratio quorundam Sacramentorum, qualis tamen non est Baptismus, hic enim non tantùm parvulis, sed & adultis tempore interdicti licitè administratur propter moræ periculum, *c. Quoniam. h. t. in 6.* Idem est de Sacramento confirmationis, quæ etiam adultis tempore interdicti localis & personalis generaliter lati cum consueta solennitate dari potest; unde & Chrisma in Cœna Domini confici potest, juxta expressum textum. *cit. c. quoniam,* quamvis specialiter interdictis, sicut & iis, qui generali interdicto causam dederunt, Sacramentum confirmationis dari non possit. Suar. *d.* 32. *S.* 2. *num.* 9. Bonac. & alii. Sacramentum quoque pœnitentiæ non tantùm morituris, sed & sanis (nisi sint excommunicati, vel nisi causam interdicto dederint, & necdum satisfecerint, aut idoneam de satisfaciendo cautionem præstiterint) administrari potest. *c. alma mater, de sent. excom. in 6.* unde & tunc moribundis Sacramentum Eucharistiæ per modum viatici dari potest, ùti & in probabili periculo mortis, ex infirmitate, difficili partu, condemnatione, imminente prælio, aliáve simili causâ. *c. quod in te. de pœnitent. & remiss. c. permittimus. h. t.* De cætero tempore interdicti negatur sanis Sacramentum Eucharistiæ. Gl. communiter recepta *in cit. c. alma. v. admittantur.* Item Sacramentum extremæ unctionis, *cit. c. quod in te,* quod tamen infirmo non valenti ampliùs recipere aliud Sacramentum dicto tempore dari posse, censent Castrop. *tr.* 29. *d.* 5. *p.* 4. §. 1. *n.* 20. Pirh. *h. t. n.* 234. Item Sacramentum Ordinis prohibetur dari personis interdictis aut in loco interdicto, quod tamen etiam Clericis specialiter non interdictis conferri posse in casu magnæ necessitatis & penuriæ Sacerdotum, volunt Sylv. *v. interdictum.* 5. *n.* 9. Pirh. *h. t. n.* 235. & alii. Ac denique tempore interdicti prohibetur benedictio nuptialis, quamvis matrimonium sine ea licitè contrahatur tempore interdicti & ab interdictis, Sylv. *v. interdictum* 5. *n.* 9.

2. Secundus effectus interdicti est privatio divinorum officiorum. *c. permittimus. h. t.* & *c. si sententia. eod. in 6.* per quæ intelliguntur functiones & actiones spirituales, quæ primò ac per se annexæ sunt Ordini sacro, quæque ex institutione Christi & Ecclesiæ à solis Clericis exercentur, ùt sunt in specie sacrificium missæ, solennes benedictiones templi, fontis baptismalis, aquæ benedictæ, cinerum, candelarum, orationes & lytaniæ cum solenni processione, & quævis publica & solennis oratio, præsertim horarum canonicarum, quæ tamen privatim dici debent ab iis, qui aliàs ad illas tenentur, etsi sint interdicti, quibus tamen officiis divinis non annumerantur conciones, quas etiam tempore interdicti haberi posse in Ecclesia censent Nav. *c.* 27. *n.* 176. Suar. *d.* 34. *S.* 3. *à n.* 1. eò quòd non ad præcandum, sed ad populum instruendum & à vitiis avocandum, & ad Deo & Ecclesiæ obediendum ordinentur. Hic tamen secundus effectus has patitur limitationes, quòd tempore interdicti generalis in Ecclesiis & monasteriis quotidie celebrari possint missæ aliáque officia divina, sicut extra tempus interdicti, modò serventur conditiones quatuor. Primò: ut id fiat non pulsatis campanis pro Convocatione populi, nec pulsatis tintinnabulis ad *Sanctus,* & elevationem S. Hostiæ, possint tamen pulsari campanæ ad habendam concionem, ad salutationem angelicam, ùti & ad deportationem viatici ad infirmum tintinnabula, ùt Sylv. *V. interdictum* 5. *n.* 7. Suar. *l. c. S.* 2. *n.* 19. Covar. *in c. alma. p.* 2. §. 4. *n.* 5. Reiffenst. *h. t. num.* 207. cùm hæc non veniant nomine officiorum divinorum. Secundò: ùt missæ aliáque officia divina fiant submissâ voce absque organo & solenni cantu. Tertiò: ut fiant januis clausis, ita ut, etsi fideles ad missam aliáque divina convenire, Ecclesiam ingredi, & divina audire valeant extra tamen existentes videre nequeant, quid ibidem agatur, Reiffenstuel. *h. t. num.* 209. Arg. *Clem.* 1. *de sent. excomm.* Quartò: ut personaliter interdicti, & qui interdicto generali causam dederunt, excludantur, & ad audienda divina nullatenus admittantur. Quibus addendum, quod juxta *c. alma.* in quatuor festivitatibus. Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes & Assumptionis B. V. Mariæ à primis Vesperis usque ad completorium festivitatis inclusivè interdictum suspendatur, ita ut Sacrificium missæ aliáque divina cum omni solennitate celebrari

lebrari valeant, excommunicati quoque, & qui interdicto causam dederunt, interesse quidem possint, non tamen altari appropinquare valeant: oblationem faciendo, quæ suspensio interdicti extensa à Martino V. & Eugenio IV. ad festum & totam octavam corporis Christi, teste Pirh. *h. t. num.* 246. apud Reiffenst. *h. t. n.* 211.

3. Tertius effectus interdicti est privatio sepulturæ ecclesiasticæ, sic intelligendus, ut imprimis in loco sacro interdicto nullus quantumvis innocens, infans & amens, sepeliri possit, nisi privilegium habeat, ut præter alios habent Clerici personaliter non interdicti, & qui interdicto causam non dederunt, & tempore interdicti illud servarunt; hi enim in eo sepeliri possunt cum silentio, id est, sine campanæ pulsatione, divino officio & aliis consuetis solennitatibus, *c. quod in te*, cujus dispositio etsi loqui videatur de interdicto generali, speciale tamen excludere non videtur, ùt Sylv. *l. c. num.* 10. Abb. *in cit. c. quod in te. n.* 10. apud Reiffenst. *h. t. n.* 212. Possunt tamen tempore generalis interdicti homines illius loci personaliter non interdicti extra locum illum efferri, & in alio loco sacro non interdicto sepeliri. arg. *c. si sententia. de sent. excom. in 6.* Imò etiam posse eum, qui tempore interdicti sepultus in loco non sacro, cessante interdicto exhumari, & in locum sacrum transferri, si commodè fieri potest, ùt cum Gl. *in c. à nobis. il. 2. de sent. excom. in 6. v. forma.* Nav. *man. c.* 27. *n.* 176. Pirh. *h. t. n.* 246. Reiffenst. *h. t. n.* 214.

Quæst. 577. *Qualis sit obligatio servandi interdictum, & quæ pœna illud violantium?*

1. Resp. ad primum: Est obligatio gravis, adéoque violare illud, ex genere suo est peccatum grave, seu peccatum mortale, quia est contra præceptum Ecclesiæ in materia gravi. Ita communis & certa.

2. Resp. ad secundum: Personæ ecclesiasticæ tam regulares quàm sæculares incurrunt primò: Irregularitatem, juxta expressum textum *c. is qui. & c. is, cui h. t. in 6.* Secundò: Suspensionem ab officio, beneficio & jurisdictione, *c. tanta est. de excess. Prælat.* Gl. *ibid. v. irritas.* Abb. *n.* 1. Suar. *l. c. s.* 4. *n.* 16. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 3. *n.* 3. & alii volentes hanc pœnam incurri ipso facto à quibuscunque interdicti violatoribus, contra Gonz. *in c. fin. de excess. Prælat. n.* 2. Bonac. & alios probabiliter docentes ordinariè illos non suspensos ab officio & beneficio, sed suspendendos, argumento desumpto ex secunda parte *cit. c. finalis.* Tertiò: Privantur jure electionis activæ & passivæ, ita ut nec eligere valeant. *c. is qui. h. t. in 6.* nec eligi aut postulari, *c.* 1. *de postul.* Sylv. *v. interdictum.* 6. *q.* 2. Quartò: perdunt ipso facto privilegium aliàs illis competens de jure. *c. quod in te. de pœnit. & remiss. & c. is cui. h. t. in 6.* vi cujus tempore interdicti sepeliri possunt in loco sacro. Quintò: Religiosi, etiam exempti, non observantes interdictum generale locale, quod ab Ecclesia Cathedrali & parochiali observari vident, præter memoratas pœnas incurrunt excommunicationem, *Clem.* 1. *h. t.* Porrò religiosi etiam exempti, non solùm servare, sed etiam publicare tenentur interdictum aliásque censuras ab Episcopo latas, ubi is illud mandat. Concil. Trid. *sess.* 21. *de regular. c.* 12. De cætero diligenter notandum, quod ad finem hujus tituli ex *Clem. gravi. h. t.* cum Suar. *de cens. d.* 22. *s.* 4. *n.* 27. & Pirh. *h. t. n.* 245. rectè monet & inculcat Reiffenst. *h. t. n.* 225. nimirum quòd, etsi contra laicos interdictum violantes pœnæ speciales in jure non statuantur, illud tamen certum, quòd laici quicunque, præsertim domini temporales & eorum officiales, qui Clericos quomodolibet compellunt in loco interdicto missas & alia divina publicè & solenniter celebrare, item campanis vel voce præconis alióve modo excommunicationis vel interdicti sententia innodatos ad audienda divina convocant, item qui eosdem nominatim excommunicatos vel interdictos, ne ad Clericorum monitionem de ecclesiis tempore divinorum exeant, aut ipsimet excommunicati vel interdicti ad monitionem exire recusant, vel divinis se violenter ingerunt, gravissimè peccent & excommunicationem Papæ reservatam ipso facto incurrant.

TITULUS XL.

De Verborum Significatione.

Cùm præsens, uti & sequens titulus per omnes Decretalium libros diffusi pleraque hinc inde sufficienter declarata contineant,

exemplo aliquorum Canonistarum fusiorem eorum tractationem consultò declinamus, aliquas solùm regulas præsentis tituli summariissimè perstrinxisse contenti. Unde sit:

Quæst. 578. *Quænam sint regulæ de verborum significatione interpretanda?*

1. Resp. Sunt fere sequentes, prima: Verba intelligenda sunt cum effectu, ita ut aliquid operentur, & non sint superflua. *L.* 1. §. *hæc autem verba. ff. quod quisqu. juris. c. relatum. de Cler. non resid.* censentur autem tunc aliquid operari, quando etiam solius majoris declarationis, cautelæ, & omnis dubitationis tollendæ vel efficacioris voluntatis causâ ponuntur, aut exprimunt, quod tacitè jam inest, aut in genere continetur. Abb. *in c. si adversus. de hæret.* Arg. *l. quæsitum.* §. 4. *ff. de fundo instruend.*

2. Secunda: Sunt intelligenda secundum subjectam materiam & naturam actûs vel contractûs, de quo agitur, & secundum qualitates personæ, ad quam sunt relata, *c. quemadmodum. de jurejur. c. constitutum. de religios. domib.* Menoch. *præsump.* 104. *n.* 29. proferens enim verba, præsumitur ea accommodare materiæ, actui, contractui, de quo agitur, & personæ, ad quam diriguntur, *c.* 8. *h. t. l. non aliter. ff. de legat.*

3. Tertia: Quando verborum sensus dubius in utramque partem malam & bonam accipi potest, accipiendus est in eo, qui excludit delictum, adeò ut potiùs interpretatio & significatio verborum impropria admittatur, quàm delictum, *c. ejusdem. de R.*

l. merito. pro socio, quia nemo in dubio deliquisse præsumitur.

4. Quarta: Verba clara non amittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam.

5. Quinta: In dubio illa interpretatio præferenda, quæ non derogat juri quæsito alterius. *Can. denique* 14. *q. 5. c. super eo. de off. delegat. l. nec avus. c. de emancipand. lib.* Ita ut ad hoc præjudicium avertendum verba etiam impropriè accipiantur, Tusch. *concl.* 128. *n.* 1. procedítque hæc regula non tantum in privatorum actibus & dispositionibus, v. g. contractibus, testamentis, sed etiam in decretis ac beneficiis Principum, *cit. L. nec avus. & L. prætor ait.* §. 10. & 16. *ff. ne quid in loco publ.* utì & in quibusvis privilegiis & rescriptis Pontificum, etiamsi cum clausula: *Ex certa scientia vel motu proprio*, emanata, cùm omnia hæc tacitè includant hanc clausulam: *Salvo jure tertii*; vel, *sine præjudicio tertii. c. licet. de Off. Ordinar. c. dubium. de privileg. c. quamvis de rescript.* ex ea ratione, quòd jus tertio quæsitum etiam publicâ authoritate non nisì necessitatis vel utilitatis publicæ causâ auferri possit, & hâc etiam urgente supremus Princeps vel Papa illud auferre non censeatur, nisì exprimat. Innocent. *in c. innotuit. de elect.* Pirh. *de constit. n.* 20. Reiffenst. *h. t. n.* 6.

6. Sexta: Verba interpretanda sunt, ut evitetur omne absurdum, ita ut ad hoc evitandum etiam improprietas verborum admittatur. Tusch. *Lit. A. concl.* 66. *n.* 17. Barb. *de axiomat. Jur. axiom.* 2. *v. absurdum.* Arg. *l. nam absurdum. ff. de bonis libertorum.*

7. Septima: Verba sunt interpretanda, ut eorum correctio & contradictio excludatur, *c. inter dilectos. de fide instrum. v. cæterum. de elect. c. cùm expediat. de elect. in* 6. quia nemo idem velle & nolle vel à sua dispositione illico recedere, & se in continente corrigere præsumitur.

8. Octava: Verba sequentia interpretationem accipiunt à præcedentibus ejusdem dispositionis, & viciſsim. *L. si servus, in fine. ff. de legatis.* 3. Similes regulas vide apud Barb. *de axiomat. Juris*, nec non *de appellat. juris & dictionibus usu frequentibus.*

FINIS.

INDEX

INDEX

Accuratus & copiosus Rerum omnium, in hoc Libro Quinto contentarum.

Prior numerus quæstionem significat; ubi duo sunt numeri, posterior paragraphum quæstionis indicat.

Abbas *vid.* Prælatus.

AB Abbatis sui Accusatione non sunt repellendi monachi. 10. 6.

Ab Abbate vel Priore monasterij facta unio, etiam cum consensu Metropolitani, sed proprio Episcopo inconsulto, est nulla. 415. 2.

Abbates & Prælati, qui nullius sunt diœcesis, omnimodam & quasi ordinariam jurisdictionem in Clerum & populum habent, exclusis Episcopis. 415. 3.

Abbas Monasterij, cui unitur monasterium desolatum, potest omnibus juribus ac privilegijs, aliàs competentibus monasterio destructo uti per habitudinem ad illud. 456.

Abbatibus aliísque Prælatis habentibus propriam diœcesim, in qua jurisdictionem quasi Episcopalem independenter ab Episcopo exercent, competit potestas illa absolvendi ab irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto. 521. 4.

Abbatum habentium usum mitræ & baculi, si haberi possunt, sex assistentia requiritur in degradatione verbali & reali constitutorum in Sactis. 528. 2.

Abbates, Priores, Præpositi Ecclesiarum collegiatarum, &, qui Jurisdictionem in foro externo habent, possunt censuras infligere. 552. 1.

Abbatissa.

Abbatissæ, Priorissæ aliæque præfectæ monialium non improbabiliter suspendi possunt ab officio. 568. 1.

Tametsi dicantur personæ Ecclesiasticæ, verius tamen, quòd earum potestas non sit vera jurisdictio Ecclesiastica, sed potiùs potestas quædam œconomica, ob cujus violationem non incurritur irregularitas. *ibid.*

Abigeatus.

Abigeatus quid. 333. 1.

Abigeatus pœnæ. 333. 2.

Abortus.

Abortum animati fœtûs in utero procurans verum parricidium committit, & pœnarum statutarum parricidis jure civili est reus; si verò fœtus animatus non fuit, jure civili non infligitur pœna mortis, sed arbitraria Judicis. 217. 1.

Jure Ecclesiastico per se vel per alium directè vel indirectè procurantes abortum fœtûs animati incurrunt irregularitatem, excommunicationem, privilegij Clericalis privationem, inhabilitatem ad officia & beneficia ipso jure, etsi crimen occultum; &, si crimen committens sit Clericus, depositionem, degradationem, & traditionem Curiæ sæcularis post sententiam saltem declaratoriam. 217. 2.

An procurantes abortum sint homicidæ proditorii. 238. 3.

Absens, Absentia.

Absentes nequeunt accusari in delictis gravioribus cum effectu, ut contra eos feratur sententia. 16. 3.

Possunt tamen accusari ad effectum, ut à legitimo Judice citentur. *ibid.*

Absentes, si ad statutum iis tempus non adsint, citra impedimenti purgationem possunt puniri pœnâ ordinariâ vel arbitrariâ, etiam infamiæ, usque ad relegationem, non tamen pœnâ capitis. *ibid.*

Contra absentem non citatum inquiri potest. 41. 2.

Absente contumaciter reo, inquisitio de eo super speciali delicto illius facta nullo denunciante valet. 46. 2.

Absolutio, Absolvere.

Absolutus à crimine an & quando reiteratò accusari nequit. 17.

Absolutus à crimine definitivâ sententiâ vel etiam condemnatus de eo, denuo inquiri nequit. 41. 2.

Absolutionem post auditam confessionem negare pœnitenti, pecuniâ acceptâ à tertio est Simonia. 77. 1.

Idem est de negatione absolutionis à censuris. *ibid.*

Absolvere ab excommunicatione incursa ob Simoniacè provisa & recepta beneficia, ordines & admissionem ad religionem potest solus Papa, ex privilegio etiam Episcopus, & Religiosi mendicantes. 111. 1.

Absolvere à suspensione, quâ suspensus est Ordinem Simoniacè recipiens, ab executione illius, & ascendens ad superiores ordines solus Papa potest, citra quòd id possint ex privilegio Mendicantes. 111. 2.

Absolvere ab interdicto ingrediendi Ecclesiam incurso à Simoniacè ordinante solus Papa potest. 113.

Pro absolutione à pœnis Simoniæ petenda & obtinenda quò recurrendum, & qualiter concipienda supplicatio. 116.

In absolutione à pœnis Simoniæ & dispensatione quæ forma servanda? 117.

Absoluti ab hæresi adhuc sunt irregulares. 162. 1.

Absolutus ab hæresi pro foro interno, dein accusatus de ea in foro externo, non evadit pœnas hujus fori. 198.

Absolvere ab hæresi occulta subditos suos possunt Episcopi electi & confirmati, etiam extra diœcesim

cesim suam, & per Vicarium specialiter deputatum. 199. 1.
Uti & ab excommunicatione hæresi annexa, etsi Sacerdotes non sint. *ibid.*
Item à casibus Papæ reservatis, non tamen existentes extra suam diœcesim. *ibid.*
Absolvere quoque ab hæresi occulta & dicta excommunicatione potest probabiliter Capitulum Sede vacante per Vicarium suum. *ibid.*
Absolvere item ab hæresi possunt quidam Prælati Jurisdictionem ordinariam quasi Episcopalem, & quasi diœcesin habentes, idque non tantùm respectu subditorum regularium, sed & sæcularium, spectantium ad illam quasi diœcesin illorum. *ibid.*
Item Metropolitanus cum subditis suffraganeorum suorum tempore visitationis, vel dum hi appellarunt ad illum. 199. 1.
Absolutionem sui ab hæresi committere potest Episcopus lapsus in hæresin confessario suo. 199. 2.
Potestatem absolvendi ab hæresi etiam occulta alijs casibus concessam per Trid. Episcopis sublatam per Bullam Cœnæ, probabiliùs tenent plures. 200.
Absolvere pro foro interno qualiter possint Episcopi. 202.
Absolvere possunt Inquisitores ejuratâ hæresi pro foro externo ab hæresi. 203. 1.
Absolvere ab hæresi pro foro conscientiæ nulli Inquisitori quà tali competit, sed necessario fieri debet pro foro externo judiciali. 203. 2.
Absolvere ab hæresi & alijs contra fidem & censuris per se vel alios competit Generali Societatis Jesu, quam facultatem Provincialibus concedere potest, qui & ipsi eam communicare possunt alijs pro peculiaribus casibus. 204. 1.
Absolvendi potestas quæ concedatur per Bullam Cruciatæ & Bullam Cœnæ. 204. 2.
Absolvere potest quivis Sacerdos in articulo mortis (quale censetur morale periculum moriendi sine Sacramento pœnitentiæ) quemcunque hæreticum pœnitentem, aliúmque peccatorem à censuris & quibuscunque peccatis reservatis. 205.
Absolutionem in articulo mortis nemo procurare tenetur medio procuratore aut literis. *ibid.*
Absolvere pro illo articulo juxta probabiliorem non possunt à censuris, qui Sacerdotes non sunt. *ibid.*
Absolvere possunt à casibus reservatis tantùm pro foro conscientiæ, dispensare autem in irregularitate pro foro externo. 521. 7.
Non nisi absolutione tollitur censura, neque morte infligentis eam, neque morte censurati, neque præstitâ satisfactione parti læsæ, aut etiam solâ emendatione. 557. 1.
Hæc absolutio fit varijs modis. 557. 2.
Absolutio à censura dicta *quà ad cautelam* quid sit; ea, si petatur pro foro conscientiæ factâ promissione de Satisfactione, ubi constiterit eam adfuisse, est concedenda. 557. 3.
Idem est in foro externo dum petitur generaliter absolutio à censura ab illo, cui nulla est illius suspicio nullâ cautione præstanda aut cognitione causæ. *ibid.*
Absolvendi à censurâ nulla forma præscripta in jure. 558. 1.
Potest quis ligatus pluribus censuris absolvi ab una, & non ab alia. 558. 2.
Potest hæc absolutio fieri verbis & Scripturâ tam in foro exteriori quàm conscientiæ, quin & signis alijs. *ibid.*
Absolvendi à censura conditio est potestas, quæ nemini nisi Clerico, etiam in articulo mortis concessa. 558. 3.
Absolvendo à censura Judex contentus cautione, juratoriâ, dum censuratus satisfacere potest, peccat mortaliter. 558. 3.
Absolvendus censuratus impotens satisfacere, si præstet cautionem pignoratitiam, vel fidejussoriam. *ib.*
Absolvere à censuris ab homine specialiter potest, qui eas tulit, etiamsi absolvendus domicilium mutet, nisi specialiter ei fuerit interdictum. 559. 1.
A Censura juris reservata Authori illius nemo absolvere potest, nisi ipse Author, ejúsque Successor Superior delegatus. 559. 3.
Absolvendi potestatem ab omni censura omnibus Sacerdotibus, etiam excommunicatis, concessit Tridentinum pro articulo mortis. *ibid.*

Census.

Pro censu annuo ad tempus modicum elocari possunt fructus beneficiorum seu prædia Ecclesiæ, à quibus hi fructus proveniunt. 119.
Pro censu annuo jurisdictionem exercendam committentium pœnæ. 120.
Census annuus perceptus confiscatur confiscatione omnium bonorum, non verò percipiendus, nisi post condemnationem 173. 6. vid. pensio.
Census quid sit & quotuplex. 359. & seq.
Neque censûs realis constitutio neque constituti emptio aut venditio quicquam usurarij aut illiciti continet. 359. 2.
Idque procedit, sive census sit fructuarius sive pecuniarius, etiam dum est consignativus, qui non finitur obitu emptoris, venditoris aut alterius cujusdam, sed ad hæredes transit. 359. 3.
Item sive census sit redimibilis, sive irredimibilis, item, sive sit temporalis seu ad certum tempus, sive ad incertum. 359. 4.
Jure naturæ ex utraque parte tam venditoris quàm emptoris licita est emptio & venditio censûs redimibilis. *ibid.*
Jure tamen humano tam civili quàm Ecclesiastico uterque ille census, nimirum tam ex parte utraque redimibilis quàm perpetuus, prohibitus. *ibid.*
Potest tamen uterque census tam irredimibilis quàm redimibilis ex utraque parte licitè & validè vendi & emi in locis, ubi constitutiones illæ juris humani tam civilis quàm Ecclesiastici non receptæ vel abrogatæ. *ibid.*
Census merè personalis quis sit, & num & qualiter sit licitus. 360.
Ut censualis contractus in genere sit licitus, quæ requirantur. 361.

Citatio.

Citatione rei opus non est in notorijs. 4. 3.
Citatio hæretici necessaria, sive procedatur accusando sive denunciando, sive inquirendo, faciendáque sine expressione causæ, si citandus non timetur fugitivus; secus si timetur fugitivus. 188. 5.
Citatio una tribus æquivalens sufficit assignato termino competente peremptorio. *ibid.*

Clausula.

Clausula derogatoria expressa juris communis non requiritur, dum ei derogatur per privilegium. 444. 5.
Clausula derogatoria juris alicujus tertij aut statuti vel consuetudinis specialis requiritur, ut iis derogetur per privilegium. *ibid.*
Clausula generalis, quâ Princeps dicit, velle se privilegium vel constitutionem aliquam valere non obstantibus quibuscunque privilegijs, sufficienter derogat quibuscunque privilegijs, quod ipsum tamen variè limitatur. 458. 1.

Clausura.

Clausuram qualiter violent Prælati tam sæculares quàm regulares. 417. remissivè.
Clausuram monialium ingrediendi citra Scripturam obtenta licentia non valet. 433.

Clericus.

Clerici qualiter accusare possint criminaliter laicos præterquam de sua injuria. 10. 6.
Clericus tenetur ad denunciationem canonicam de crimine digno pœnâ sanguinis. 30.
Clerici alium Clericum calumniosè accusantis pœna est privatio beneficij & officij Ecclesiastici. 64. 4.
Clerici aliunde habentes amplam sustentationem, num pro functionibus spiritualibus exigere aut recipere possint spirituale tanquam stipendium. 74. 3.
Clerici lapsi in hæresin ad Ordines altiores ascendere nequeunt, in susceptis tamen ministrare possunt, postquam absoluti ab irregularitate. 162.
Clericorum bona confiscata ob hæresim cui applicanda. 172. 6.
Ob Clerici hæresim non confiscantur bona Ecclesiæ, uti prædia, domus, quæ is possidet, & ex quibus is reditus sui beneficij possidet. 173. 4.
Clericus hæreticus degradandus ab Ordinibus suis, priusquam tradatur brachio sæculari. 180. 2.
Clericus de hæresi accusari potest à laico etiam infami. 188. 2.
Clerico homicidæ non infligitur excommunicatio. 225. 2.
Clericus propter homicidium simplex non potest degradari & tradi curiæ sæculari & morte affici, sed tantùm propter homicidium qualificatum. *ibid.*
Potest ob homicidium simplex deponi ab Altaris Ministerio, damnari ad carceres, vel triremes in perpetuum. *ibid.*
Clericus deliberatè occidens perpetuò inhabilis est

ad omnia beneficia & officia Ecclesiastica obtinenda citra dispensationem, non tamen collatio ei facta est ipso jure irrita, sed prohibita. *ibid.*

Pœna quoque ei statuta est privatio beneficiorum obtentorum, non ipso jure seu facto, sed per sententiam Judicis. *ibid.*

Clericus occultus homicida potest licitè & validè uti & frui beneficio rite obtento usque ad sententiam, nisi requirat exercitium ordinis sacri, quem exercere nequit propter irregularitatem ipso facto incursam. *ibid.*

Clerici in sacris constituti & monachi exercentes Medicinam vel Chirurgiam num incurrant irregularitatem, dum ex exercitio illius etiam adhibitâ diligentiâ mors sequitur. 231.

Clericum deprehensum in adulterio si maritus percutiat, hic non incurrit pœnas canonis. 244. 2.

Secus est de Sponso, si Clericum deprehendat fornicantem cum sua Sponsa, & eum percutiat. *ibid.*

Clericus assistens in bello defensivo justo non ad pugnandum, si ob necessitatem defendendi propriam vitam occidat aliquem, non fit irregularis. 251. 2.

Clericus in bello justo adhortans milites etiam in ipso conflictu ad pugnandum fortiter non fit irregularis. 251. 3.

Clerici patriam defendendi gratiâ etsi ad pugnandum adhortari possunt, in propria tamen persona pugnare non possunt. 251. 2.

Clerici ut non incurrant irregularitatem accusando de delicto digno morte, debent expressè in judicio dicere, se non petere vindictam criminis, sed solùm reparationem injuriæ sibi illatæ. *ibid.*

Clericis absolutè prohibitum agere testes in causa criminali coram Judice laico. 255.

Clericos præsertim in sacris constitutos minùs decet immixtos reliquæ turbæ spectare supplicia reorum; per hoc tamen non incurrunt irregularitatem, nec peccant venialiter, & Sacerdotes ad summum venialiter. 258.

Clericis duellantibus præter pœnas communes illis cum laicis est depositio (id est, suspensio) ab officio & beneficio per sententiam inferenda. 274.

Clericus stuprator hodie præter dotationem stupratæ punitur pœnâ arbitrariâ vel pecuniariâ vel incarcerationis, depositionis ab officio, privationis beneficij. 293. 3.

Clericus incestum committens est perpetuò damnandus ab ordine & officio, & privandus beneficio. 301. 2.

Clericorum in Sacris constitutorum fornicantium quæ pœna. 309.

Clerici raptores & participantes cum eis in rapina puniuntur irreparabili depositione ab officio & privatione beneficij. 316. 1.

Clericis incendiarijs jure Canonico nulla pœna statuta, sed ea à Judice Ecclesiastico determinanda juxta doli, loci, damnorúmque qualitatem & quantitatem. 318. 4.

Clericus fur notorius aut damnatus furti est infamis. 328. 2.

Si tamen tantùm damnatus ad restitutionem rei ablatæ, per hoc non fit infamis. *ibid.*

Clericus fur notorius in furto notabili aut iterato deprehensus vel convictus præter pœnam infamiæ & irregularitatis ab Ordine & officio clericali deponendus &, si non resipiscat, solenniter excommunicandus, & factus incorrigibilis, tradendus Curiæ sæculari. 328. 4.

Clerico abigeo, irrogari potest pœna depositionis. 333. 2.

Si Clericus repetat usuras non nomine proprio, sed Ecclesiæ suæ, contra illum excipi nequit, quòd & ille usuras extorserit, nec restituerit. 370. 4.

Clericus usurarius si monitus non desistat, non tantùm per sententiam ad tempus suspendendus, sed & ab officio Ecclesiastico & beneficio deponendus. 372. 2.

Clerici usurarij infames sunt, & arcentur ab omnibus honoribus, dignitatibus & negotijs gerendis, quæ tamen infamia ipso facto cessat, si resipuerit, & usuras restituerit. 372. 1.

Clericis prohibitum cudere monetam ex auro arte Alchimiæ confecto sub privatione beneficiorum & inhabilitate ad ea. 376. 3.

Clerici falsificantes literas Apostolicas præter excommunicationem privantur omni officio & beneficio; &, si per se id fecerint, degradandi & curiæ sæculari tradendi. 378. 3.

Clericorum Sortilegorum pœna ordinaria præter infamiam est depositio ab officio & beneficio & detrusio in Monasterium ad agendam pœnitentiam. 384. 1.

Clericis maximè Religiosis venatio clamosa severè interdicta. 390. 2.

Clerico præsertim in majoribus constituto prohibitum proprijs manibus percutere laicum etiam delinquentem, exceptis præceptoribus moderatè percutientibus discipulos. 391. 1.

Clerici percutientis laicum pœna est arbitraria pro qualitate & circumstantia percussionis notabilis, etsi id sæpius, maxime ob leviores defectus fecerit, à statu Clericali deponendus. 391. 2.

Clerici blasphemantis quæ pœna. 398.

Clericus degradatus verbaliter, si Ordinis actum, à quo est depositus, exerceat, abscindendus ab Ecclesia, seu à communicatione Sacramentorum separandus. 401. 1.

Clerici qualiter peccent, & an puniri possint Episcopum aut Prælatum, à quo beneficium acceperunt, negando esse dominum suum. 418. 2.

Clericus privilegio Canonis uti cogitur. 442.

Clericus propter defectum in purgatione sui commissum degradatus, curiæ sæculari traditus non potest à sæculari Judice puniri pœnâ ordinariâ criminis, quâ laicus de eo convictus puniretur. 467. 2.

Clericus agere potest ad æstimationem injuriæ sibi illatæ, & petere, ut pœna pecuniaria sibi applicetur ultra damna & interesse ex injuria secuta. 440. 3.

Tam Clericis quàm laicis pœnæ pecuniariæ infligi possunt ab Episcoporum Vicarijs generalibus similibúsque Judicibus Ecclesiasticis, dum crimen est fori Ecclesiastici aut mixti. 499.

Clerici juxta modernam curiarum Ecclesiasticarum praxin etiam Sacerdotes suspecti & diffamati de criminibus enormibus quæstionibus & torturæ subjici possunt. 502.

Eorum tortura hodiedum etiam ministris laicis demandatur ab Episcopo. *ibid.*

Clericis de mandato Episcopi infligi potest verberatio saltem moderata. 502. 2.

Clericus ob quæ crimina in perpetuum deponi potest. 526.

Clerici obnoxii degradationi & traditioni curiæ sæculari ob quatuor crimina in jure expressa. 530.

Percussionis Clerici notoreitas, ut percussor sit vitandus, in quo consistat. 561. 3.

Cleri-

Clericus communicando cum excommunicato à Papa per sententiam nominatim & publicè denunciato præter peccatum incurrit excommunicationem majorem, laicus verò minorem. 563. 5.
Clerici qui sunt in famulatu Episcopi excusantur à communicatione cum eodem excommunicato, secus tamen, si extra ejus domum morentur. 564. 3.
Clerici peccant mortaliter, si more Ecclesiastico canentes funus excommunicati denunciati deducant. 565. 3.
Non nisi Clericis infligi potest suspensio. 568. 4.
Clerici tempore interdicti sepeliri possunt in loco sacro interdicto cum silentio, id est, sine compulsatione campanarum, divino officio, si ipsi specialiter suspensi non sint, aut causam suspensionis non dederint. 576. 3.

Collatio.

In collatione beneficiorum qualiter committatur Simonia. 89.

Collusio.

Quid sit collusio. 385. 1.
Ea à Civilistis prævaricatio dicitur, dum accusator in judicio proprias probationes dissimulat, & falsas rei exceptiones admittit, & tergiversatio, quando accusator ab accusatione omnino desistit. 385. 1.
Collusio in quibus casibus possit committi. 385. 2.
Collusio inter quos fieri possit. 385. 3.
Collusione interveniente si reus absolutus fuerit, potest denuo accusari, & contra eum inquiri. 386.
Si Collusio commissa, accusatore criminali desistente, potest ac debet Judex ex officio inquirere & procedere. *ibid.*
Ad colludendum si reus induxerit accusatorem & Advocatum, habetur pro victo, & sententia absolutoria rescinditur, nisi sit causa sanguinis. *ibid.*
Collusionis seu prævaricationis propriè talis pœna est arbitraria pro diversitate circumstantiarum, incurrit infamiam & à munere accusandi arcetur. 387. 1.
Si collusio fiat super beneficio Ecclesiastico, uterque colludentium privandus beneficio. *ibid.*
Prævaricatores minùs propriè tales, nimirum Advocati, procuratores puniuntur pœnâ non ordinariâ, sed arbitrariâ. 387. 2.
Procuratores prævaricati ex dolo malo in causa civili, sive criminali, desuper convicti, præterquam quòd Clienti resarcire teneantur, in nummellis exhibiti fustigatione & relegatione afficiuntur. *ibid.*
Advocati ptævaricatores pro qualitate personarum & circumstantiarum pœnâ arbitrariâ puniendi, non tamen sine nota infamiæ. 387. 2.

Concilium.

Concilio generali, neque vivo Pontifice ejus Authoritate congregato, neque eo mortuo concessam à Christo facultatem concedendi indulgentias, est probabilius. 538. 2.
Concilio generali facultatem concedendi indulgentias, denegare potest Papa, quia necessaria non est ad gubernandam Ecclesiam. 538. 3.
Concilia generalia per totam Ecclesiam, provincialia in sua provincia ferre possunt censuras. 552. 1.

Concubinarius.

Concubinarius publicus ad denunciandum aliorum delicta admittendus non est. 30.
Concubinatus quis dicatur jure civili, quis jure Canonico, quo jure prohibitus, quæ ejus pœnæ. 310.

Confessarius.

Confessarium sollicitantem in confessione ad res turpes an denunciare teneatur pœnitens, dum id probare non potest. 32. 3.
Confessario à se electo committere potest Episcopus lapsus in hæresin, ut se absolvat ab hæresi. 199. 2.

Confirmatio.

Ob confirmationis Sacramentum iteratum non incurritur irregularitas. 213.

Confiscatio.

Confiscatio bonorum Clericorum infligi potest in pœnam Clerici. 501.
Cui cedant bona confiscata Clericorum. *ibid.*

Consuetudo.

Per consuetudinem legitimè præscriptam acquiri potest privilegium. 436.
Per consuetudinem acquiri non possunt, quæ per privilegium. *ibid.*
Num consuetudine legitimè præscriptâ Prælati inferiores Episcopo acquirere possint potestatem concedendi indulgentias, controvertitur. 539.

Contractus.

Contractus vendendo & emendo cum Judæis licitus est Christianis. 134.
Contractus antichriscos quis sit, & num usurarius & illicitus. 355. remissivè.

Crimen.

Crimina, ob quæ Clericus in perpetuum deponi potest, quæ. 526.

Crimen læsæ Majestatis.

Crimen læsæ Majestatis morte non extinguitur. 195. 1.
Ob crimen læsæ Majestatis filij privantur legitima, quæ illis obvenire debebat, quia non erat filij, sed patris. 497. 1.
In crimine læsæ Majestatis etiam filij innocentes puniuntur in detestationem paterni criminis. 492. 1.

Crimen falsi seu falsum.

Crimen falsi quid sit. 374. 1.
Committitur dicto, scripto, facto, usu. 374. 2.
Per testes in judicio falsum deponentes, vel verum supprimentes ex dolo malo, & qualiter dicatur verum supprimi. 375. 1.
Item per eos, qui falsos testes subordinant. *ibid.*
Item per Judicem, qui dolo malo contra leges & Constitutiones Principum fert sententiam. *ibid.*
Item per Advocatos, qui parti adversæ causam produnt. *ibid.*
Crimen falsi scripto ab ijs committitur, qui testamentum aliúdve instrumentum scribunt, signant, recitant, signum adulterum sculpunt scienter dolo malo. 376. 1.
Item, qui nomen, cognomen, genus, parentes fraudulenter commutant; secus si id faciant citra fraudem & præjudicium alterius. 376. 2.
Item, qui titulum falsum Comitis, Baronis, Doctoris, Notarij, stemmata, insignia vel sigilla aliena assumunt alium decipiendi gratiâ. *ibid.*
Item falsa documenta, attestationes, chirographa, rationes, epistolas, contractus conficiendo, producendo, describendo, mutando veritatem immutantes. *ibid.*

Item

Item Chartas vacuas sibi subscribi, & postea alterius manum imitando obligationem suprascribi. *ibid.*

Item curantes sibi subscribi Apocham, acsi depositum restitutum. *ibid.*

Item committitur in testamentis, & ultimis voluntatibus, dum quis in testamento vel codicillo in commodum suum adscribit sibi legatum, fideicommissum. *ibid.*

Item, qui vivi testamentum aperit, etsi sit hæres. *ibid.*

Item, qui ultimam voluntatem testatoris quovis modo intervertit, testamentum amovendo, celando, comburendo, delendo, superinducendo, mutando verba & sigilla. *ibid.*

Falsitas qualiter committatur in literis Apostolicis. *ibid.*

Crimen falsi committitur facto à mercatoribus, pondera & mensuras publice probatas corrumpentibus, aut mercibus materiam adulterinam aut minùs utilem miscentibus. 376. 3.

Item à falso assumentibus sibi titulos honoris vel statûs, v. g. Clerici, Sacerdotis, Doctoris, Nobilis, Notarij, si tamen actus talibus personis competentes exerceant, aliàs erunt fallarij in scripto. *ibid.*

Item, qui diplomate & commendatitiis falsis commeant. *ibid.*

Item, qui partum alienum supponunt alicui, fingendo esse illius filium. *ibid.*

Item, ac præcipuè committitur in re monetaria falsum vel in forma, dum quis non habens potestatem cudendi eam cudit, etsi cæteroquin probam, vel habens potestatem cudendi alterius Principis vel statûs signum ei imprimit. *ibid.*

Item, qui ex materia falsa cupro, stanno cudunt monetam. *ibid.*

Item, qui ex auro arte alchymiæ confecto cudunt monetam. *ibid.*

Crimen falsi qualiter committatur usu. 377.

Ob crimen falsi ex dicto commissum testes de jure civili in causa civili dicentes falsum cum juramento, præterquam quòd teneantur ad omne damnum secutum parti læsæ, puniuntur abscissione duorum digitorum. 378. 1.

Et in criminalibus pœna talionis, etsi hæc in alijs sublata sit. 378. 2.

De jure Canonico sive Clericus, sive laicus falsum testans est infamis, & Clericus insuper punitur pœnâ arbitrariâ. *ibid.*

Judicis falsum committentis scripto pœna est privatio officij & dignitatis & inhabilitas ad judicandum, exilium, & pœna capitis pro diversitate circumstantiarum. *ibid.*

Judicis Ecclesiastici est insuper suspensio à divinis. *ib.*

Falsificantes literas Apostolicas ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, quam incurrunt etiam laici & fautores eorum, non tamen Papæ reservatam. 378. 3.

Fallarij illarum literarum Clerici privantur omni officio & beneficio in perpetuum, &, si id per se ipsos fecerint, degradandi, & curiæ sæculari tradendi. *ibid.*

Qui literas illas ab alijs falsificatas scienter impetrant, iisque utuntur, ipso facto excommunicantur, &, si Clerici, spoliantur omnibus officijs & beneficijs. *ibid.*

Item, qui tales literas ab alijs falsificatas se habere sciunt, & intra 20. dies non destruunt vel resignant, per sententiam excommunicandi reservata excommunicatione Papæ, etsi illis usi non fuerint, nec animum utendi habuerint. *ibid.*

Crimen falsi committentes facto pondera & mensuras falsificando, præter pœnam ordinariam falsi ad duplum damnantur. 378. 4.

Fallum partum supponentes damnantur ad mortem, quod tamen hodiedum mutatum in fustigationem vel relegationem. *ibid.*

Falsum committentes in cudenda moneta imperiali, imperiisque Statuum, puniuntur igne, priùs strangulandi, & omnes eorum facultates addicuntur fisco. *ibid.*

Jure Ecclesiastico excommunicatione majore feriuntur, à qua non absolvendi nisi in articulo mortis. *ibid.*

Damnum.

PEr damnum datum, de quo *tit.* 36. intelligitur factum contra jus alterius, sive in corpore sive in rebus illius animatis vel inanimatis, eas corrumpendo vel deteriorando, ut ipsius patrimonium sine ullo damnificantis lucro minuatur. 485.

Fit tribus modis, dolo, culpâ, fortuitò. 486.

Nihil interest, cujus conditionis, sexûs, qualitatis, statûs sint inferentes illud. 487. 1.

Committitur in rebus, quarum corruptione vel deterioratione alterius patrimonium diminuitur. 487. 2.

Ad damni ex mero casu fortuito orti compensationem nulla datur obligatio. 488.

Damni reparandi obligatio oritur ex culpa lata juridica, tam in foro externo, quàm interno. 489. 1.

Oritur ex culpa juridica levi & leviſſima carente omni culpâ Theologicâ pro foro externo, tam Ecclesiastico quàm sæculari ejúsque plura exempla. 489. 2.

Damni reparandi non est obligatio in foro interno ante sententiam Judicis, etiam dum ortum ex culpa leviſſima merè Juridica, v. g. ex ignorantia, inadvertentia vacante omni culpâ Theologicâ. 489. 3.

Damnum sine culpa Theologica datum compensandi dari in conscientia, probabilius videtur. 489. 4.

Si damnum importet occisionem hominis, vel pecudum gregatim pascentium, datur actio ad æstimationem, non tantùm quanti fuit tempore interitûs, sed etiam quanti retro per totum annum fuit; secus, si occidatur animal, quod gregatim non pascitur. 490. 1.

Etsi in actione ex *leg. Aquil.* regulariter solùm petatur æstimatio damni, & quanti interest damnificari, damnum non fuisse illatum, dantur tamen ex alijs legibus casus & actiones, in quibus ad plus condemnetur damnificans v. g. ad duplum. *ibid.*

Si animal pauperiem aut damnum fecerit, contra dominum illius datur actio, ita tamen, ut ei liberum sit vel animal vivum tradere, vel damnificato præstare æstimationem damni. 490. 2.

Decimæ.

Decimas Ecclesiasticas vendere quando sit Simonia. 85.

Defunctus.

Defuncto infligi nequit censura. 553.

Defunctum ligare & absolvere in quo sensu possit Ecclesia. *ibid.*

Degradatio.

Degradatio Clerici ob hæresim quid sit, coram quibus, & à quibus, & qualiter fiat. 168. 5.
Degradandus prius ab Ordinibus suis hæreticus Clericus, antequam tradatur brachio sæculari. 180. 2.
Degradatus actualiter & solenniter si non desistat ministrare in actu sibi prohibito ab Episcopo excommunicatur ipso jure, & alij cum eo communicantes. 401. 2.
Degradatio, quæ & depositio verbalis dicitur, quid sit & quotuplex. 527.
Degradationis verbalis sententiam ferre potest Episcopus proprius confirmatus, etsi non consecratus, in Clericos sibi subjectos, & ex hujus commissione etiam simplex Sacerdos. 528. 2.
Ad hanc degradationem, utì & ad degradationem realem præter Episcopum ejúsque Vicarium generalem requiruntur plures personæ præsentes. *ibid.*
In degradatione constitutorum in sacris hodiedum sufficit adesse 6. Abbates habentes usum mitræ & baculi, vel, si hi haberi non possint, alij Prælati in dignitate Ecclesiastica constituti, vel personæ graves consiliò & scientiâ commendabiles. *ibid.*
Habent hi Assessores, sive sint Episcopi, sive Abbates, sive alij, in hac degradatione votum non tantùm consultativum, sed & decisivum. *ibid.*
In degradatione Clericorum constitutorum tantùm in minoribus non requiritur assistentium illorum consensus unanimis aut majoris numeri. *ibid.*
Degradationis realis actualis solennis minister est Episcopus proprius consecratus, & per illum substitui non potest Vicarius, qui non est Episcopus. 528. 3.
In solenni illa actuali degradatione quæ solennitates observandæ. 529.
In ea juxta probabiliorem necessaria non est illa dictorum aliorum assistentium præsentia, sed potest Episcopus solus peragere hanc executionem. *ibid.*
Inter cætera videtur necessaria præsentia Judicis sæcularis, cui degradatus, exutus clericalibus privilegijs traditur puniendus. *ibid.*
Apud quem Episcopus seriò & ex animo intercedere debet, ut citra mortis periculum sententiam moderari velit, non tamen ad vitandam irregularitatem. *ibid.*
Non potest Judex ille sæcularis, cui traditus degradatus, cognoscere de modo, valore & justitia processûs, quem Episcopus in degradando servavit, si materia sit merè spiritualis, videtur tamen id posse, si crimen sit fori mixti. *ibid.*
Degradationi & traditioni curiæ sæculari obnoxia crimina Clericorum sunt contumacia in hæresi, vel in eam relapsus, falsificatio literarum Apostolicarum, Sodomia sæpius commissa, calumnia & conspiratio in Episcopum accedente incorrigibilitate. 530.
Degradatum verbaliter ob delicta minora adulterio post peractam pœnitentiam Episcopus restituere potest citra consensum Capituli. 531. 1.
Degradatum actualiter ob delicta adulterio graviora nullus præter Papam restituere potest. 531. 2.
Si degradatus quis injustè per sententiam, emendare non tantùm Episcopus, sed & alij tenentur, qui simul cum eo sententiam tulerunt assistentes Prælati. *ibid.*

Delegatus, Delegatio.

Delegatus ad universitatem causarum, si erravit in judicando, potest errorem suum corrigere; secus est in delegato ad unam causam, nisi tamen erravit tantùm in modo procedendi. 51. 2.
Cuilibet delegato Principis concessa potestas torquendi in causa criminali. 191. 4.

Delictum.

Delictum quotupliciter dicatur notorium. 2.
Delicta quænam denunciari possint charitativè. 25.
Delicta charitativè sibi denunciata an & quando manifestare possit Superior. 27.
Delicta quænam possint, vel non possint judicialiter denunciari. 36.
Delictum, dum est occultum & probari nequit, judicialiter denunciari nequit. 36. 2.
De quibus delictis inquiri possit à Judice nemine denunciante aut accusante. 42.
In delictis in flagrante deprehensis qualiter procedendum. 60.
In irregularitate ex delicto occulto proveniente dispensare potest Episcopus, non tamen in proveniente ex homicidio deliberato occulto. 264. 1.
In delictis quorum turpitudo est specialiter contra naturam, & quibus proinde ex causa perpetua & universali à DEO determinatum est supplicium mortis, Supremi Principes aggratiare nequeunt. 498. 3.
Delictum, ob quod contrahitur irregularitas, saltem ex objecto & materia, debet esse peccatum mortale, nec sufficit esse veniale ex aliqua circumstantia. 512. 3.
Ex quibus delictis incurratur irregularitas. 515.

Denunciatio, Denunciare.

Denunciatio qualiter definiatur. 21.
Denunciatio quotuplex sit. 22.
Denunciationi Evangelicæ an & qualiter præmittenda secreta monitio delinquentis. 23. 1.
Denunciare charitativè potest quilibet, etiam infamis, vel aliàs ad accusandum inhabilis. 24. 1.
Denunciandi charitativè quæ obligatio. 24. 2.
Denunciari potest delictum etiam occultissimum nulli nisi denuncianti & delinquenti notum. 25.
Denunciatione facta, dum crimen occultum est, qualiter procedere debeat Judex vel Superior. 26.
Juxta denunciantis intentionem procedere debet Superior in corrigendo & puniendo, quamdiu delictum occultum est; secus, si factum notorium. *ibid.*
Ex denunciatione haustâ scientiâ qualiter uti possit Superior. *ibid.*
In denunciando charitativè qualiter procedere debeat denuncians. 29.
A denunciando repelluntur criminosi, nisi suam suorúmve injuriam prosequantur. 30.
Ad denunciandum aliorum peccata non est habilis publicus concubinarius. *ibid.*
Denunciare nullo modo possunt, qui delicti notitiam ex sola confessione Sacramentali habent. 30.
Denunciatio judicialis potest fieri per procuratorem. 30.
Ad denunciandum judicialiter quinam teneantur citra præceptum Superioris. *ibid.*
Ad denunciationem canonicam de crimine digno pœnâ sanguinis tenetur Clericus. *ibid.*
Denunciare quandoque quis teneatur delictum occultum citra interrogationem Judicis, vel Superioris. 31.

Denunciare quando quis non teneatur delictum occultum judicialiter ad interrogationem Judicis vel Superioris. 32. 2.

Denunciandi delicta, quæ aliàs quis denunciare non tenebatur judicialiter, est obligatio vi edicti publici id præcipientis. 32. 3.

Denunciare confessarium in confessione ad res turpes sollicitantem an teneatur pœnitens, dum is id probare nequit. *ibid.*

Denunciandi delicta vi edicti publici quæ sit obligatio. 32. 4. & seq.

Denunciationi judiciali num præmittenda bina monitio charitativa. 34.

In denunciatione judiciali quænam requirantur ad legitimè procedendum. 35.

Denunciari judicialiter quæ delicta possint. 36. 1.

Denunciari judicialiter quæ delicta non possint. 36. 2.

Denunciationem judicialem cujus sit admittere. 37.

Denunciatione factâ, qualiter procedere debeat Judex. 38.

Denunciationis effectus primarius respectu Judicis est aperire ei viam ad inquirendum specialiter contra eum. 39. 1.

Per denunciationem aggravatur fama denunciati, etsi per eam non statim evadat reus. 39. 2.

Denunciatus nequit promoveri ad dignitates, éstque collatio ei facta nulla, etiam post absolutionem. *ibid.*

In quibus casibus ad officia & beneficia promoveri possit. *ibid.*

Denunciatio non impedit dignitatis possessæ administrationem aut exercitium. 39. 3.

Denunciati an sint eligibiles ad dignitatem. *ibid.*

Denunciationis judicio pendente inter subditum & Prælatum, hic contra denunciantes procedere potest. 38. 2.

Denunciatores privati causam, ob quam deficiente probatione liberarentur à præsumptione calumniæ, probare debent. 62.

Denunciatio est modus usitatus procedendi contra hæreticos. 188. 3.

Denunciatio hæc facienda in scriptis vel saltem verbis, quæ statim à Notario in scriptum redigenda, & eam à se factam denunciator jurare debet. *ibid.*

Ad denunciandum de hæresi admittuntur omnes, etiam absentes, modò propriò nomine subscribant, & juramento denunciationem firment. *ibid.*

Depositio.

Depositio pœna Ecclesiastica specialis quid & quotuplex sit. 523. 1.

Depositus simpliciter & absolutè non privatur privilegio Clericali canonis & fori, nisi expressè in sententia privatus exprimatur. 524.

Pœna depositionis, etsi sit perpetua & irremissibilis, in ea tamen cum Clericis ob adulterium minoráque crimina dispensare, eósque in integrum restituere potest Episcopus post peractam pœnitentiam. 525.

Dispensatio.

Pro dispensatione in votis, lege Ecclesiastica, impedimentis matrimonij dare & recipere quid temporale tanquam pretium. 77. 3.

Qualiter excusetur praxis Curiæ Romanæ in contrarium. *ibid.*

Dispensato nihil simile imponere possunt Episcopi, nisi quandoque Eleemosynam. *ibid.*

In dispensationum matrimonialium sibi commissarum executione pro labore suo nihil temporale exigere possunt Episcopi. *ibid.*

Secus est de recipiendo aliquid tanquam stipendium pro labore impenso in expeditione dispensationum distinctarum à matrimonialibus. *ibid.*

Dispensare possunt in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, non verò proveniente ex homicidio deliberato occulto. *ibid.*

Dispensatio an & qualiter cesset causâ illius principali. 448. 2.

Dispensationis causa verificanda & tempore quo ea impetratur, v. g. Romæ, & quo illius executio fit in partibus per Ordinarium vel Confessarium. 449.

Dispensatio non amittitur renunciatione tacitâ, sed sæpius ejus effectus tantùm suspenditur. 450. 3.

Dispensatio ad agendum aliquid amittitur voluntariè, non utendo, dum occasio & potestas est utendi illo. 451. 1.

Dispensationes in gradu prohibito ad contrahendum concessæ à Pontifice non revocantur, nisi causa justa intercedat, & insuper reddatur pretium ei, quocum est dispensatum. 457. 2.

Dispensationis revocatio fieri non potest à concedente sine causa, potest tamen cum causa. 460. 1.

Dispensationem factam ab inferiore Prælato vi collatæ ei à Papa potestatis dispensandi revocare potest Papa, non tamen alius superior inferioris Prælati. 460. 2.

Distributio.

Distributiones quotidianas non, sed solùm fructus grossos lucrantur Doctores in aliqua Academia actu docentes. 125. 2.

In distributionibus si reditus omnes consisterent, tales docentes non nisi duas partes lucrabuntur tertiâ parte accrescente præsentibus. *ibid.*

Distributionibus dari solitis pro præsentia privantur excommunicati. *ibid.*

Doctio, docere.

Pro officio doctionis scientiarum profanarum dare quid temporale non est Simoniacum. 83. 1.

Neque pro doctione S. Scripturæ, aut etiam Theologiæ Scholasticæ. 83. 2.

Traditio doctrinæ Christianæ pro pretio quando sit Simoniaca. 83. 5.

Pro docendi licentia, etiam profanam disciplinam dare & exigere pecuniam vel simile, etiam vigente alicubi in contrarium consuetudine est illicitum. 127. 1.

Non est tamen propriè Simoniacum. 127. 2.

Pro facultate docendi ab Academijs non exigitur pecunia. *ibid.*

Doctoratus.

Doctoratum seu gradum Magisterij in Theologia vendere non est Simonia. 83. 3.

Doctorum nomine qui veniant. 122. 4.

Doctores, Magistri, Licentiati, quibus fruantur privilegijs. 125. 1.

An ea competant indebitè promotis. *ibid.*

In dignitate constituti censentur & nobilibus æquiparantur. *ibid.*

Stat pro Doctoribus integritatis & innocentiæ præsumptio, unde in assequendis dignitatibus & beneficijs cæteris paribus alijs præferendi. *ibid.*

In collatione beneficij & receptione Ordinum examinandi non sunt, in promotione tamen ad parochiales examen necessario illis subeundum, etsi notoriè sint digni. *ibid.*

Criminum rei mitiùs puniendi & torturæ non ſubjiciendi, nisì in ſpecialiter exceptis. *ibid.*
Doctores ultimum ſupplicium meriti non pœnâ triremium, fuſtibus, laqueo vel ignominioſa pœnâ, ſed gladiô puniendi. *ibid.*
Docentes actu in Academia aliqua Theologiam vel jus Canonicum percipiunt fructus ſui beneficij pro tempore, quo docendi gratiâ abſunt, etſi non conducti doceant ſine ſtipendio, ſecus, ſi privatim in Monaſterio aliquo doceant. 125. 2.
Non tamen lucrantur diſtributiones quotidianas, ſed ſolùm fructus groſſos. *ibid.*
Inter Doctores quis ordo ſervandus quò ad præcedendum in itu, ſeſſione, congreſſibus, latione ſuffragiorum. 126.
Doctor inter Chriſtianos nequit eſſe Judæus. 135. 1.

Dominus.

Dominus tenetur ad reſarciendum damnum, quod fecit animal illius, eſt tamen ei liberum, vel animal vivum traderé vel præſtare æſtimationem damni. 490. 2.
Non tamen liberabitur tradendo animal, ſi ipſe in culpa eſt non bene cuſtodiendo illud, dum ferox eſſet natura ſua. *ibid.*
Domino ejúsque hæredibus rei læſæ competit actio utilis, etiam in re læſa jus vel intereſſe habentibus, v. g. Vaſallis, hypothecarijs, uſufructuarijs, *ibid.*
Dominus innocens pro ſervo non punitur. 496. 1.

Donatio.

Donatio rei temporalis purè gratuita pro conſequenda re ſpirituali prohiberi poteſt ab Eccleſia ob reverentiam rerum ſpiritualium, & ſic prohibita, ſi fiat, committitur Simonia. 84. 1.
Facta citra talem prohibitionem tanquam gratuita compenſatio eſt Simoniaca. 84. 2.
Donationes factæ uxori propter nuptias à Sponſo non confiſcantur, nisi is tempore donationis fuiſſet hæreticus. *ibid.*
Donationes factæ à marito uxori ſtante matrimonio num confiſcentur bonis mariti confiſcatis. *ibid.*

Dos.

Num tanquam dos ab ingrediente Religionem ad honeſtam ejus ſuſtentationem exigi quid poſſit. 81. 2.
An id fieri poſſit ſine Simonia, dum Monaſterium dives eſt. 81. 3.
Dos competit filiæ Judæi converſæ & baptizatæ. 139.
Dos debetur filiabus ex bonis patris confiſcatis ob crimen læſæ Majeſtatis, etſi ex illis non debeatur iis legitima. 173. 15.
Dotem filiabus præſtare tenentur hæredes, & conſequenter fiſcus, ſi ad illum devenerint bona confiſcata patris. *ibid.*
Dos uxoris ob delictum mariti non confiſcatur. 173. 17.
Et in ſpecie ob hæreſim illius, nisì tamen mulier ſciens maritum eſſe hæreticum, nupſerit illi. *ibid.*
Dos Uxoris ob delictum illius commiſſum ſtante matrimonio non confiſcatur, benè tamen alia illius bona. 173. 18.
Lucrum dotis uxoris à marito occiſæ non tranſit ad maritum aut fiſcum, ſed ad hæredes uxoris. 225. 3.
Ad dotem repetendam uxor poteſt maritum accuſare adulterij. 280.
Ad dotem repetendam ſi agatur in cauſa adulterij Judex competens eſt ſolus Eccleſiaſticus. 283. 3.
Dotari debet ſtuprata vidua in ſatisfactionem pro illata ei injuria & compenſatione negati illi matrimonij. 293. 4.
Nec dotare nec ducere in uxorem à ſe ſtupratam debet ſtuprator. 294.
Dos in qua quantitate præſtanda ſtupratæ. 296.

Duellum.

Duellum quid & quotuplex. 269.
Duellum tam ſolenne quàm privatum jure naturali ac divino tam civili quàm Canonico illicitum ſub graviſſimis pœnis prohibitum. 270. 1.
Illicitum eſt, tam quatenus offertur, quàm quatenus acceptatur ad demonſtrandam veritatem & probandam innocentiam. 270. 2.
Illicitum eſt ſuſceptum ad oſtentandam animoſitatem, vires & peritiam duellandi. *ibid.*
Item ſuſceptum ad vindicãdam privatam injuriam. *ib.*
Item ad terminandam litem civilem. *ibid.*
Duellum an liceat offerre ob defenſionem vitæ honoris fortunarum. *ibid.*
Duellum per ſe & ſpeculativè loquendo licitum eſt, dum duobus reis damnatis ad mortem promeritam indicitur à Principe, ita ut ei, qui ſuperſtes manſerit, vita condonetur. 271. 1.
Item, dum ob bonum reipublicæ totum bellum revocatur ad duorum aut paucorum militum conflictum de conſenſu Regum vel Principum judicantium id expedire. 271. 2.
Duellum ob defenſionem honoris divini, Religionis, boni communis licitum eſt acceptare oblatum. 271. 3.
Duella etſi jure civili prohibita, in ſpecie tamen hoc jure duellantibus nullæ ſtatutæ pœnæ, unde hæ hoc jure ſunt arbitrariæ. 272.
Duellantibus & duella in ſuis territorijs permittentibus Principibus quæ pœnæ ſtatutæ jure canonico. 273.
Duellantibus Clericis præter pœnas illis communes cum laicis exceptâ fortè privatione ſepulturæ Eccleſiaſticæ ſtatuta eſt depoſitio (id eſt ſuſpenſio) non nisì per ſententiam inferenda. 274.
Cum duellante Clerico, modò mors aut mutilatio non ſecuta, diſpenſare poteſt in dicta pœnâ Epiſcopus. *ibid.*

Edictum.

VI edictorum quandonam ſit obligatio denunciandi delicta. 32. 4. & ſeq.
Edicta hæc eorúmque obligatio quamdiu duret poſt eorundem promulgationem. 33.

Electio.

In electione qualiter committatur Simonia. 88. 1.
Ne electio ejúsve confirmatio impugnetur aut impediatur ab eo, qui juſtam ad hoc cauſam habet, dare quid temporale, num ſit Simoniacum. *ibid.*
Num electio tota ſit irrita, ſi per tertium Simoniacè procuratum alicui votum, cæteris legitimè eligentibus. 88. 2.
In electionibus Prælaturas, beneficia & officia Eccleſiaſtica non jure naturæ, ſed Eccleſiaſtico prohibitum eſt uti ſortibus. 383. 1.
Prohibitio eligendi per ſortes ad beneficium vel officium Eccleſiaſticum extendit ſe ad caſum, dum ex electis ad illud æqualibus ſuffragijs determinandus eſt. 383. 3.
Electio per Sortes ad officia civilia prohibita non eſt. 383. 4.
Eligi validè poteſt electione non irritandâ ad digni-

tates & officialia ligatus excommunicatione minore, non tamen ad beneficia & dignitates Ecclesiasticas. 403. 3.

Jus electionis activæ & passivæ amittunt personæ Ecclesiasticæ, tam regulares quàm sæculares violantes interdictum. 577. 2.

Emphyteusis.

Emphyteusis non confiscatur, quæ ad hæredes extraneos transire non potest, privatur tamen eâ delinquens, eáque transit ad Successores vocatos, &, si nulli vocati sunt, redit ad dominum directum. 173. 7.

Si emphyteusis transeat ad fiscum, tenetur jus integrum servare domino, quod is in ea habebat, & potest dominus cogere illum ad non vendendam illam alteri, qui potentior est, pluribúsque privilegijs gaudet. *ibid.*

Emphyteusis Ecclesiastica non potest ad hæredes extraneos transire, nisi in perpetuum concessa. *ibid.*

Est in optione Ecclesiæ, num malit revocare quàm permittere, ut ad fiscum transeat. *ibid.*

Emphyteusis fructus & commoditates, quas emphyteuta delinquens percipere debuisset rempore vitæ emphyteutæ, ad quem spectent. *ibid.*

Episcopatus.

Episcopatus & Ecclesias Cathedrales solus Papa unire potest. 415. 2.

Episcopus.

Episcopus ex privilegio absolvere potest à Simonia incursa in provisione & receptione beneficiorum, Ordinum, admissione ad Religionem. 111. 1.

Episcopus aliúsve Prælatus dispensare potest, ut beneficium ab invincibiliter ignorante Simoniacè obtentum retineatur, aut postquam bonâ fide resignatum, denuo ab illo recipiatur. 112. 1.

Secus, si Simoniacè sciente & consentiente beneficiato obtentum. 112. 2.

Episcopus dispensare nequit, ut mulier Christiana, etiam in domo sua nutriat filium Judæi. 131.

Episcopus est Judex competens & ordinarius ratione officij sui respectu omnium hæreticorum, sive sint laici sive Clerici diœcesis suæ. 183. 2.

An respectu exemptorum à sua jurisdictione sit ordinarius, an delegatus. *ibid.*

Ab Episcopi sententia in causa hæresis in exemptos lata appellari debet non ad Metropolitanum, sed ad Papam. *ibid.*

Ab Episcopo modus idem procedendi in causa hæresis servandus, quem servant Inquisitores. *ibid.*

Episcopi Vicarius generalis in causis hæresis cognoscendi & judicandi caret potestate, nisi ad hoc à suo Episcopo habeat speciale mandatum. *ibid.*

Contra Episcopos etiam titulares tantùm aliósque electos confirmatos, etsi non consecratos procedere in causa hæresis nequeunt inquisitores, etiam generales. 184. 6.

Possunt tamen dicta testium contra eos recipere ad transmittendum ea ad Pontificem. *ibid.*

Item eum clarè cognitum hæreticum, ubi de fuga suspectus, comprehendere & custodire ad mittendum eundem ad Pontificem. *ibid.*

Episcopus contra alium Episcopum hæreticum aut de hæresi suspectum in diœcesi sua subsistentem hæresim committentem inquirere & procedere potest ex potestate ei delegata per *c. ad abolendam.* *ibid.*

Episcopus (qui Inquisitor natus dicitur) qualiter procedere possit contra Inquisitores. 184. 8.

Episcopali Jurisdictioni non præjudicat delegata generaliter Inquisitoribus jurisdictio. *ibid.*

Dum Episcopus simul cum Inquisitore vel separatim ab eo procedit, qualiter communicandus processus. *ibid.*

Dum Episcopus & Inquisitor, sive divisim sive conjunctim procedunt, etsi unus sine altero procedere nequeat ad sententiam condemnatoriam hæreticè, potest tam munus sine altera procedere ad sententiam definitivam absolutoriam. *ibid.*

Episcopi electi & confirmati, etsi non consecrati, absolvere possunt ab hæresi occulta subditos suos, etiam existentes extra diœcesin suam. 199. 1.

Item ab excommunicatione hæresi annexa, etsi Sacerdotes non sint. *ibid.*

Item à casibus Papæ reservatis, non tamen existentes extra diœcesin suam. *ibid.*

Episcopus lapsus in hæresim suô modô committere potest electo à se confessario, ut se ab hæresi absolvat. 199. 2.

Episcopis sublatam esse potestatem absolvendi etiam ab hæresi occulta concessam à Trident. per Bullam Cœnæ probabiliùs tenent plures. 200.

Num saltem id possint adhuc in locis remotioribus ab urbe ob difficultatem recurrendi ad Papam. 201.

Possunt Episcopi de jure communi tanquam delegati Apostolici pro foro externo quò ad excommunicationem, modò non sint hæresiarchæ, absolvere hæreticos, ubi priùs abjurarunt hæresim. 202.

Episcopus dispensare potest in omni irregularitate proveniente ex homicidio deliberato occulto, non tamen proveniente ex homicidio deliberato notorio. 264. 1.

Potest dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio casuali, etiam intento indirectè cum causa. 264. 2.

Potest dispensare in irregularitate proveniente ex quacunque mutilatione, etiam injusta, voluntariè directè intenta, occulta tamen. 264. 3.

Episcopus Clerico duellante dispensare potest in pœna depositionis ab officio & beneficio, si ex duello non secuta mors aut mutilatio. 274.

Episcopi ob venationem clamosam sylvaticam arcentur à communione tribus mensibus. 390. 2.

Episcopi proprijs manibus Clericos sibi subjectos in ordinibus sacris constitutos correctionis gratiâ percutere non debent, sed id committere alteri Clerico, aliàs tam committens quàm exequens excommunicantur. 393.

Episcopus dispensare potest, ut per saltum promotus in ordine sic suscepto ministrare possit, & ornem omissum recipere. 409.

Secus in eo, ut quis ascendat ad Superiores Ordines, aut in iis ministret, priusquam Ordines omissos receperit. *ibid.*

Episcopus non potest excommunicare Clericos, vel eorum Ecclesias sine consensu Capituli. 414. 1.

Episcopi sine consensu Capituli nequeunt excommunicare aut suspendere Clericos aut eorum Ecclesias. *ibid.*

Episcopi nequeunt Ecclesiam alteri Prælato subjectam sine legitima causa ab illius jurisdictione & obsequio liberare. 414. 2.

Sic nequeunt Archidiaconorum aliorúmque Prælatorum Episcopis inferiorum jura, immunitates, jurisdictionem, obsequia iis præstanda, privilegio, con-

consuetudine, præscriptione acquisita eripere aut diminuere. 414. 3.
Episcopi, ubi jurisdictionem temporalem habent, debent constituere Judicem laicum in causis criminalibus. 414. 5.
Si ipse interfit executioni pœnæ temporalis sanguinis aut mutilationis irregularitatem incurrit. *ibid.*
Episcopi privativè ad Prælatos inferiores unire possunt Ecclesias suarum diœcesium, utì & monasteria & beneficia sæcularia, modò utrumque in eorum diœcesi, & neutrum exemptum. 415. 2.
Ut Episcopus validè uniat Ecclesias, requiritur justa causa & consensus Capituli. *ibid.*
Episcopi soli etiam non consecrati nec Sacerdotes concedere possunt indulgentias. 415. 5.
Episcopus subditum suum, etiam laicum, ad purgandum se de criminibus spectantibus ad cognitionem Ecclesiæ cogere potest. 465. 1.
Episcopus potest pœnas pecuniarias sibi applicare, si pauper est, aliàs locis & causis pijs applicandas. 500.
Episcopus Clericis exilium extra diœcesin irrogare potest. 504.
Episcopis conceditur facultas absolvendi ab omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto. 512. 1.
Episcopus dispensare potest in irregularitate dubia ob defectum dubium, non in notoria. 517.
Episcopi nomine pro dispensationibus in Trident. non venit ejus Vicarius generalis, nisi specialiter ei concessa potestas hæc, venit tamen nomine illius Capitulum Sede vacante. 521. 4.
Competit ea potestas absolvendi ab occultis irregularitatibus Episcopis jure ordinario & non tanquam Sedis Apostolicæ delegatis. *ibid.*
Episcopus in illis dispensare potest existens extra suam diœcesim cum subdito suo existente quoque extra illam. 521. 5.
Episcopus jurisdictionem voluntariam exercere potest ubilibet. *ibid.*
Hæc dispensandi & absolvendi potestas, cùm sit ordinariæ jurisdictionis, est delegabilis ab Episcopo. 521. 7.
Episcopus vel Prælatus conscius irregularitatis, in qua dispensare potest, admittens ad Ordines aut beneficia, censetur dispensare, quæ tamen dispensatio facta à Papâ inferiore in foro externo non admittitur. *ibid.*
Episcopus irregularitatis conscius concedens dimissorias ad Ordines, concedere censetur ordinanti potestatem ad dispensandum in irregularitate. *ibid.*
Episcopus restituere potest famam non directè, sed indirectè, tollendo directè depositionem, ex qua orta infamia. 525.
Episcopus proprius confirmatus, etsi non consecratus ferre potest sententiam degradationis verbalis in Clericos sibi subjectos, & ex hujus delegatione Sacerdos simplex. 528. 2.
Episcopus non nisi proprius consecratus est minister degradationis realis actualis solennis. 528. 3.
Episcopus degradatum verbaliter ob delicta minora adulterio post peractam pœnitentiam restituere potest citra consensum Capituli. 531. 1.
Episcopus solus est Judex in violatione sigilli Sacramentalis, qualiter procedere debeat. 536.
Episcopis concedendi indulgentias etiam particulares non concessam facultatem immediatè à Christo, sed mediante delegatione Pontificis est probabilius. 538. 3.
Episcopis non tantùm, sed etiam Concilio generali potestatem denegare potest Papa. *ibid.*
Potest Episcopus pro anniversario die dedicationis, aut etiam aliàs concedere 40. dierum indulgentias. *ibid.*
Hæc illius potestas non est delegata, sed ordinaria. *ibid.*
Si Episcopus concederet ampliores, quàm ei commissum, indulgentias, concessio non tantùm ex parte, sed ex toto erit irrita. *ibid.*
Etsi ad has indulgentias non requiratur, ut Episcopus sit consecratus, requiritur tamen, ut non sit excommunicatus. *ibid.*
Ab Episcopo proprio ubique extra territorium subditis concedi possunt indulgentiæ. 540.
Ab Episcopo alieno eæ concedi possunt non subditis illius habentibus ad hoc licentiam à proprio Episcopo. *ibid.*
Episcopus absolvere non potest regulares sibi subjectos à censura lata in causa concernente disciplinam regularem. 559. 1.
Item à latis ab aliquibus Archidiaconis ex privilegio vel consuetudine. *ibid.*
Episcopi non comprehenduntur decreto generali suspensionis, nisi fiat expressa eorum mentio. 568. 1.
Episcopi non comprehenduntur interdicto, si in eo non exprimantur. 574. 1.

Eucharistia.

Eucharistiam tenens captivam moveri potest ad illam dimittendam datâ pecuniâ. 73. 2.

Examen.

Examen an, quando & qualiter præmittendum promotioni ad gradus literarios. 124.

Exceptio.

Exceptio quid sit. 59.
Exceptio quando dicatur institui civiliter, & quando criminaliter. *ibid.*
Exceptio criminaliter facta induit naturam accusationis, ejúsque conditiones requirit. *ibid.*
Ad excipiendum de crimine non admittitur criminosus, si prosequatur bonum publicum. *ibid.*

Excessus.

Excessus Prælatorum Ecclesiasticorum in subditos Clericos qui sint. 414.

Excommunicatio.

Excommunicatio quid sit & quotuplex. 560. 1. & 2.
Etsi excommunicandi potestas à Christo concessa Ecclesiæ, institutio tamen illius non est juris divini, sed ortum suum habet à sola Ecclesia. 561. 1.
Hodiedum post Concilium Constantiense nullus ex quacunque causa excommunicatus necessariò vitandus à fidelibus, nisi sit excommunicatus specialiter, & nominatim à Judice Ecclesiastico publicè denunciatus, vel nisi sit notorius percussor Clerici. 561. 2.
Ad vitationem percussoris Clerici etsi non requiratur, ut sit denunciatus, requiritur tamen, ut facta ab eo percussio sit notoria. 561. 3.
Excommunicatio Pontifici reservata ipsô jure incurritur à quocunque beneficium quodcunque propriè tale procurante vel recipiente, conferendo, eligendo, præsentando, &c. Simoniacos. 107.
Excommunicationem Papæ reservatam incurrit committens Simoniam realem utrâque parte com-

Incestum non committit, qui contrahit matrimonium cum consanguinea sponsæ de præsenti nondum cognitæ. 300. 3.
Item qui peccat cum cognata legali per adoptionem vel arrogationem. *ibid.*
Item qui peccat cum cognata spirituali ratione baptismi vel confirmationis. *ibid.*
Incestus quandonam pœnâ mortis puniendus. 301. 1.
Incestum scienter committentes laici jure Canonico incurrunt excommunicationem. 301. 2.
Non tamen, qui ignorantes, etiam ex culpa lata, consanguinitatem, contrahunt matrimonium. *ibid.*
Clerici incestum committentes deponendi sunt ab Ordine & officio, & privandi beneficio. *ibid.*

Indulgentia.

Indulgentias concedere num competat Prælatis religiosis habentibus potestatem ordinariam & quasi Episcopalem? 415. 5.
Indulgentiæ etiam à Papa concedi nequeunt sine causa. 434.
Indulgentia quid & quotuplex sit? 537.
Indulgentias plenarias concedendi potestatem Concilium generale, sive vivo Pontifice ejus authoritate congregatum, sive eo mortuo à Christo non accepisse, sed solùm habere ex facultate à Pontifice, est probabilius. 538. 2.
Indulgentias etiam particulares concedendi potestatem Episcopos & inferiores Prælatos non habere immediatè à Christo, sed mediante Pontificis delegatione, est probabilius. 538. 3.
Quid possit quò ad concedendas indulgentias pro 40. diebus. *ibid. vide v.* Episcopus.
Potestas concedendi indulgentias non minor legatis Sedis Apostolicæ pro suæ legationis provincijs, quàm Archiepiscopis competit. 538. 4.
Hæc potestas non conceditur Prælatis Episcopo inferioribus, ipsíque Vicario generali de jure communi. *ibid.*
Num ea ab illis acquiri possit consuetudine legitimè præscripta, controvertunt AA. 539.
Indulgentiarum concessio, cum sit actus jurisdictionis non contentiosæ, sed voluntariæ, neque strepitum judicij contineant, eæ concedi possunt extra territorium ubicunque subditis ab Episcopo. 540.
Exteris concedi non possunt ab Episcopo alieno, nisi à proprio Episcopo ad hoc habeant licentiam. *ibid.*
Indulgentiarum incapaces sunt infideles. *ibid.*
Num concedi possint Catechumenis per modum suffragij, non obstante carentia baptismi, controversum est. *ibid.*
Indulgentijs Episcopalibus fruuntur exempti à jurisdictione Episcopi. *ibid.*

Ad lucrandas indulgentias requiritur, ut is sit subditus largientis illas, sit baptizatus, & in statu viæ, eas existentes in purgatorio propriè non lucrantur, sed ijs per modum suffragij applicantur. 541. 1.

Ad eas lucrandas requiritur, ut tempore lucrationis sit in statu gratiæ. 541. 2.

Neque indulgentia concessa pro tempore peccati eo submoto consequitur effectum suum. *ibid.*

Requiritur ad eas lucrandas executio totius operis injuncti, ita ut, si quis non exequatur nisi partem operis, nihil de indulgentia consequatur, nisi tamen pars omissa sit ita modica, ut opus moraliter impletum censeatur. 541. 3.

Sufficit opus compleri, seu ultimum opus fieri in statu gratiæ, nisi Papa voluerit totum fieri in gratia. *ibid.*

Requiritur, ut opus de se sit honestum, num debeat ex nulla circumstantia esse vitiatum, est inter AA. controversum. *ibid.*

Ut quis per se ipsum exequatur opus, non requiritur, nisi id ipsum concedens indulgentias requisiverit. *ibid.*

Potest quis eodem tempore diversis actibus, quorum singulis diversæ indulgentiæ concessæ, lucrari indulgentias. 542.

Indulgentia eadem repetito eodem opere sæpius obtineri potest. 543.

Num minus indulgentiæ consequatur, qui opus injunctum tepidè vel ex aliqua circumstantia vitiatum exequitur, quàm qui illud exercet perfectè & ferventer. 544.

Dum indulgentia concessa iis, qui contriti & confessi opus injunctum fecerint, non requiritur confessio actualis ab eo, qui se nullo peccato mortali gravatum sentit. 545.

Secus est, vel saltem consultius & securius confiteri actualiter, & non sufficere, dum ea confessio possibilis est in eo, qui sibi peccati mortalis non confessi conscius. *ibid.*

Ab indulgentijs plenarijs non differt Jubilæum, nisi quòd contineat præter eas potestatem absolvendi ab omnibus casibus & censuris reservatis etiam Papæ. 546.

Lucrari volentibus indulgentias Jubilæi, quænam in specie præscribi soleant opera?

Opera præscripta peragenda esse unâ eâdémque hebdomada absolutè affirmant aliqui, id tutius & in praxi tenendum, probabilitate tamen non carere sentiunt alij. 548. 1.

Solæ indulgentiæ plenariæ etiam ad instar Jubilæi concessæ à Sede Apostolica durante Jubilæo suspenduntur, præcipitúrque, ne aliæ interim indulgentiæ publicentur, & in usum deducantur sub excommunicatione ipso facto incurrenda. 549. 1.

Excipiuntur tamen ab hac suspensione indulgentiæ plenariæ concessæ Basilicis & Ecclesijs Urbis Romanæ, etiam existentibus extra mœnia illius. *ibid.*

Neque etiam per Bullam cruciatam concessæ. *ib.*

Cum indulgentijs plenarijs revocantur facultates omnes & indulta quæcunque concedi solita unà cum indulgentijs Jubilæi. 549.

Infamatio.

Infamatio sufficit ad inquirendum, non tamen requiritur infamationis probatio. 43. 2. & 3.

Infamatio nullius in particulari personæ requiritur ad instituendam inquisitionem generalem. 45.

Infamatio personæ certæ inquirendæ de certo delicto, nemine accusante & denunciante prærequiritur. 46. 1.

Citra infamationem facta requisitio reo præsente, & nihil excipiente valet. 46. 2.

Infamia, Infamis.

Infamia inflicta ob Simoniam commissam à solo Papa aboleri potest. 113. 3.

Infamia & depositio ab officio ne incurratur commissâ Simoniâ, dum ea non est juris divini, facere potest Papa. *ibid.*

Infamiam ipso facto incurrunt Apostatæ ab Ordine sacro, vi cujus repelluntur ab omnibus actibus, à quibus arcentur infames. 210. 2.

Infamia quid? 505. 1.

Infamia quotuplex? 505. 2.

Infames jure civili, infames quoque censentur jure Canonico. *ibid.*

Infamia unde contrahatur jure civili? *ibid.*

Infamia ut incurratur ex delicto, requiritur illius manifestatio & publicatio. *ibid.*

Infamia ob crimen notorium ipso jure vel per sententiam irrogata durat perpetuò, nisi à Principe, cujus Authoritate irrogatur, aboleatur. 509. 1.

Infames quinam sint? 508.

Infames accusare nequeunt; quod ipsum limitatur. 10. 10.

Infames ipso jure tam Canonico quàm civili sunt hæretici ante omnem sententiam, etiam declaratoriam criminis, si sit notorium. 166. 1.

Infames quoque sunt eorum credentes, fautores, non tamen antequam declarati, excommunicati, & ab eo tempore, intra quod contempserint facere. 166. 2.

Infames tamen non sunt filij hæreticorum & credentium, fautorum &c. illorum. 166. 3.

Infames esse possunt testes in causa hæresis. 190. 2.

Infames jure civili, infames etiam sunt jure Canonico, nisi contrarium statutum. 328. 2.

Infames sunt infamia juris ex delicto alieno filij ac nepotes injicientium manus violentas in Cardinalem. 506.

Item proditorum committentium crimen læsæ Majestatis. *ibid.*

Item illegitimè procreati, non tamen nisi respectu aliquorum effectuum tantùm, dum jure Canonico repelluntur ab Ordinibus & beneficijs non tamen à testificando in judicio, munere tabellionatûs aliisque. *ibid.*

Infames sententiâ Judicis sunt quicunque accusati & condemnati à Judice de crimine publico, id est, cujus accusatio cuilibet de populo permissa, & qualia sint ejusmodi crimina? 507.

Infamis evadit quis de tali crimine, etsi in sententia non fiat expressa, mentio infamiæ, modò in ea crimen sit expressum. *ibid.*

Infamia undecunque orta à Clerico tolli potest Authoritate Apostolicâ, utì & à laico jurisdictioni temporali Papæ subjecto, & ab omnibus quò ad effectus illis jure Canonico interdictos. 509. 2.

Infamiam, dum irrogata est à Magistratu sæculari in Ordine ad suscipiendos Ordines & beneficia abolere non solet Papa, priusquam promovendus in pristinum bonæ existimationis statum restitutus à Principe sæculari, à quo infamia irrogata, *ibid.*

Infamiâ abolitâ cessat fundata in ea irregularitas, ut ad Ordines & beneficia promoveri possit quis absque alia dispensatione. *ibid.*

Infamia specialiter inducta à jure Canonico non aboletur in Ordine ad effectus Canonicos, etiamsi restitutio famæ priùs facta à Principe sæculari. *ibid.*

Infamia solius facti ex quocunque crimine orta, facto contrario publico constanter & saltem triennio continuata vitæ emendatione aboletur. 509. 3.

Infamia facti contracta ante Baptismum, & non infamia juris tollitur per Baptismum. 521. 1.

Infans.

Infantes infidelium ante usum rationis parentibus invitis non sunt baptizandi, quod tamen pro varijs casibus limitandum. 141. 2.

Quid sit circa infantes cum patre & matre cubantes in eodem lecto, si reperiantur mortui. 216.

Per infantes expositos qui intelligantur? 218.

Infantes exponendo, dum eos commodè alere possunt parentes, graviter peccatur, etsi mors eorum non intendatur; quia mortis periculo exponuntur. 219. 1.

Casus, in quibus culpâ & pœnâ vacat infantium expositio. 219. 2.

Infantes exponentium in loco tali vel modo, ut mortem eorum prudenter prævidere debuissent, etsi eam non intenderint, eáque secuta, pœna est ultimum supplicium, eâ autem per accidens non secutâ, aliâ pœnâ corporali afficiendus parens exponens. 220. 1.

Pater exponens infantem aut consentiens in expositionem ipso facto amittit patriam potestatem, nec nomen patris aut matris retinet, nisi in quantum infanti favorabile. 220. 2.

Infantes expositi à quo alimentandi. 221. 1.

Infantem vel languidum expositum suscipiens aut sustentans nihil propterea juris in ejus personam acquirit. 221. 2.

Infanti tamen, casu, quo is bona aliqua reliquit, ab intestato succedit ille susceptor vel sustentator, exclusis fisco, parentibus & consanguineis dicti infantis. *ibid.*

In Infantem talem expositum factas expensas repetere non possunt loca ad hoc fundata, aut alij ad hoc obligati. 221. 3.

Tenentur tamen eorum parentes dictas expensas refundere, dum dicta loca fundata ad eos alendos non nisi deficientibus iis, qui ad hoc obligabantur, tenebantur. *ibid.*

Infantes istiusmodi expositos non eo ipso habendos pro illegitimis videtur probabilius. 222.

Inimicus.

Inimicus inimicum suum capitalem accusare nequit nisi ob injuriam sibi suisve ab eo illatam. 10. 13.

Inimicus capitalis admittitur ad accusandum de hæresi, sed cautè ut suspectus. 188. 2.

Inimicus reconciliatus qualiter esse possit testis in causa hæresis? 190. 2.

Inimicus semel probatus talis, præsumitur perseverare in inimicitia. *ibid.*

Injuria.

Injuria accepta pro delicto, quo alteri dolo malo infertur contumelia lædendo ejus honorem per quandam vilipensionem, despectum, probrum à quibus inferri possit? 473.

Injuria hæc qualiter inferatur verbis, scripto, facto. 474.

Potest quis pati injuriam mediante aliâ personâ immediatè injuriatâ, quæ ei conjuncta, ejus potestati vel affectui subjecta, ita ut hi nomine proprio instituere possint actionem injuriarum. 175. 1.

Quæ sint Personæ, quibus injuriatis censetur injuria illata ei, cui ratione affectûs conjunctæ sunt. 475. 2.

Injuriato qualem actionem in foro externo pariat. 476. *vide* actio, ubi de ea plura per seqq. qq.

Quibus injuriatis & qualiter concedatur hæc actio? 477.

Injuriæ verbalis retorsio accepta, prout est privata vindicta, in foro conscientiæ est illicita. 481.

Secus est de ea depurata ex intentione injuriati à ratione vindictæ privatæ per intentionem utendi illa pro defensione famæ suæ aliàs lædendæ aut avertendo à se damno. *ibid.*

Pœna injuriarum est extraordinaria arbitrio Judicis determinanda spectatis circumstantijs injuriæ. 482.

Inquisitio.

Inquisitio qualiter definiatur? 401.

Inquisitio quotuplex sit? 402.

Inquisitio fieri potest tam generalis quàm specialis à quocunque Judice, modò sit competens. 41. 1.

Inquisitio tam civiliter quàm criminaliter facta à Judice sæculari contra personam Ecclesiasticam est nulla. *ibid.*

Ut inquisitione speciali contra aliquem inquiri possit, debet is esse subjectus jurisdictioni inquirentis quò ad articulum, super quo inquiritur. *ibid.*

Inquiri potest contra absentem non citatum. *ibid.*

Inquiri potest hodiedum ex recepta consuetudine, etiam jure & foro civili de omnibus delictis, sine prævia accusatione & denunciatione. 42.

Inquiri potest de delictis, à quibus absolutus in foro conscientiæ. 42. 2.

Inquiri potest contra usurarium manifestum etiam à Judice Ecclesiastico. 42. 3.

Inquiri potest ex officio in omni causa miserabilium personarum, etiam ob privatum commodum earum. *ibid.*

Inquiri potest à Judice Ecclesiastico ex officio de impedimentis matrimonij. *ibid.*

Inquiri potest ex officio contra tutorem suspectum, idque favore pupilli, ad removendum illum. *ibid.*

Ad inquirendum contra infamatum sufficit fama. 43.

Inquisitio generalis ad plura in genere delicta nullius in specie infamationem prærequirit. 44.

Prærequirit tamen in genere ad talem inquisitionem aliquam præsumptionem, suspicionem, indicia de delictis in tali loco magis vigentibus. *ibid.*

Inquisitio generalis mixta potest & debet institui nullâ præcedente infamatione aut suspicione de aliqua in particulari persona. 45. 1.

Inquisitio talis generalis seu mixta respectu omnium criminum contra personam in specie potest fieri paternè, non judicialiter. 45. 2.

Ad Inquisitionem de persona certa super certo delicto, nemine accusante aut denunciante, requiritur ejusdem infamatio. 46. 1.

In quibus tamen casibus ea quando institui possit absque prævia infamatione? *ibid.*

Inquisitio facta citra præcedentem infamiam reo præsente, & nihil contra recipiente valet. 46. 2.

Inquisitio ex commissione Principis dicentis, sibi con-

constare de delicto, ad nullius instantiam citra infamationem certæ personæ facta, valet. 46. 3.
Secus si delegatio talis facta non motu proprio, sed suggerente alio, & Principe non addente, sibi constare de delicto. *ibid.*
Inquisitio hæc fieri debet à Judice nullâ præcedente famâ ad denunciationem ministri publici ad indaganda delicta constituti. 46. 4.
Idem est de inquisitione facta ad denunciationem viri, privati quidem, sed probi & fide digni. *ibid.*
Inquiri potest sine prævia infamatione de crimine læsæ Majestatis & similibus atrocibus, modò adsint aliqua indicia. 46. 5.
Inquiri potest de alijs delictis, qui convictus est de aliquo, cum quo illa alia connexa esse solent. 46. 6.
Ad inquirendum specialiter judicialiter ex fama contra Prælatum, quæ requirantur? 47.
Ut inquiri possit contra personam, an & qualiter constare debeat de corpore delicti? 48.
In inquisitione speciali, ut valeat, an & quæ circumstantiæ delicti interrogandæ & exprimendæ. 49.
In inquisitione speciali ante eam quæ proponenda & communicanda reo inquirendo prælenti? 50.
In inquisitionis specialis judicio an & quis Ordo judiciarius servandus? 51.
Num liceat inquirendum inducere blandis verbis ad dicendam veritatem? 52. 2.
Num liceat ei imponere juramentum de dicenda veritate, & quid, si illud transgrediatur? 52. 3. & 4.
In inquisitione speciali num interrogari possit quis de socijs? 53.
Inquisitio facienda in loco, ubi reus laborat infamiâ. 54. 1.
Inquisitio cujus sumptibus facienda? 54. 2.
Inquisitio an & in quibus casibus cessel per accusationem? 55.
Inquisitionis viâ convictus aut confessus reus delictum potest condemnari ad pœnam extraordinariam de jure Canonico. 57. 1.
Secus est de jure civili. 57. 2.
Inquisitionis contra hæreticam pravitatem origo. 184. 1.
Inquisitio tam generalis quàm specialis est modus usitatus procedendi contra hæreticos. 188. 4.
Est ea instituenda non nisi præcedente infamiâ, & quidem ex gravibus indicijs. *ibid.*

Inquisitor.

Inquisitores omnes, tam inferiores & locales, quàm supremus sunt veri Judices in suo districtu, provincia aut diœcesi. 184. 1.
Inquisitorum munere in Germania, Gallia, Polonia, ubi Authoritate Apostolicâ nulli constituti sunt, funguntur Episcopi. 184. 2.
Inquisitorum potestas & jurisdictio etsi ordinaria non sit, sed delegata à Sede Apostolica, multis tamen privilegijs jurisdictionis ordinariæ gaudent Inquisitores. 184. 3.
Vices suas committere possunt alijs. *ibid.*
Inquisitoris officium non exspirat in vita illius, qui eum deputavit. *ibid.*
Inquisitores, etsi non semper immediatè à Papa constituantur, sed & ab alijs habentibus ad hoc Authoritatem, v. g. à Cardinalibus S. Congr. S. Officij Inquisitionis, Generalibus & Provincialibus Ordinum, semper tamen censendi Delegati Sedis Apostolicæ. *ibid.*
Inquisitores regulariter procedere possunt contra omnes hæreticos, eorúmque credentes, fautores, &c. item tam contra Ecclesiasticos quàm laicos, tam Religiosos quàm sæculares, etiam contra exemptos. 184. 4.
Inquisitores contra Reges & Principes, Superiorem in temporalibus non recognoscentes, ob hæresim procedere non debent sine speciali mandato Papæ. 184. 5.
Inquisitores nequidem generales procedere possunt de crimine hæresis sine speciali Sedis Apostolicæ mandato contra Episcopos, etiam titulares, aut etiam alios electos, etsi nondum consecratos. 184. 6.
Possunt tamen dicta testium contra Episcopum recipere, ut ea mittant ad panem, quin etiam eundem clare cognitum hæreticum, ubi de fuga suspectus esset, comprehendere & custodire ad submittendum illum Pontifici. *ibid.*
Inquisitores nulli aut Ordinarij procedere possunt, aut sententiam excommunicationis, suspensionis, vel quamvis aliam promulgare contra Sedis Apostolicæ Legatos, Nuncios, Officiales sine Papæ licentia in scriptis concessa. 184. 7.
Inquisitores contra alios Inquisitores hæreticos aut de hæresi suspectos durante inquisitionis officio procedere nequeunt, possunt tamen contra eos, secretò recipere informationes super hæresi, easque Papæ transmittere. 184. 8.
Nec contra Inquisitores Episcopus procedere potest, nisi in causa speciali, ubi Inquisitor hæreses seminasset, aut seminari permitteret, & delinquentes hæreticos impunitos dimitteret. *ibid.*
Inquisitores nati dicuntur Episcopi. *ibid.*
Inquisitores contra Judæos aliósque infideles in quibus casibus procedere possint? 184. 9.
Inquisitores fidei non possunt cognoscere de causis alijs criminalibus aut civilibus, præterquam hæresis & eam concernentibus. 184. 10.
Nihilominus jurisdictionem habent in causis etiam alijs suorum Officialium & familiarium, & quidem privativè, ita ut nulli alij Judices se in iis intromittere possint. *ibid.*
Inquisitores etiam particulares ob adversam valetudinem vel absentiam aliámve causam substituere possunt etiam Generales, cum potestate etiam proferendi sententiam definitivam, & pro libitu eos iterum removere. 184. 11.
Inquisitores cum Episcopis diœcesanis in causa hæresis num simul, an verò separatim ab iis procedere possint aut debeant. 185.
Inquisitoribus generaliter jurisdictio non præjudicat jurisdictioni Episcopali, quia videtur illis concessa cumulativè non privativè; secus, si illis delegatio facta specialiter & restrictè ad certas personas. 185. 1.
Processus etsi communicandi, dum Inquisitor & Episcopus procedunt seorsim, non tamen quando simul procedunt. *ibid.*
De Inquisitoribus pluribus in eadem provincia idem dicendum, quod jam dictum de inquisitore in eadem provincia. 185. 2.
Inquisitoris officium absolutè commissum non exspirat morte committentis. 186. 1.
Inquisitorum quorumcunque officium revocari potest ad libitum Papæ. 186. 2.
Inquisitorem à se constitutum Cardinales S. Congregationis ad libitum sine legitima causa amovere nequeunt. *ibid.*
Ad Inquisitorem removendum ab officio in gene-

re sunt tres causæ, impotentia, negligentia, iniquitas. *ibid.*

Ad Inquisitorem amovendum de loco uno ad alterum, non requiritur culpa Inquisitoris. *ibid.*

Inquisitores si sint Clerici sæculares, electi à Cardinalibus S. Officij, ab iis quorumcunque delictorum rei, uti etiam electi ab aliquo Inquisitore generali puniri possunt. 187.

Si sint Religiosi, & delinquant extra suum officium contra regularem observantiam, puniri possunt à suis Superioribus regularibus, non tamen si delinquant in officio Inquisitionis. *ibid.*

Non possunt puniri à suis Prælatis, sive delinquant in officio, sive extra illud pœnâ, quæ aliquo modo retardare posset exercitium officij Inquisitionis. *ibid.*

Possunt tamen contra Inquisitores subditos suos eorum Prælati regulares sumere informationes, easque ad tribunal supremum Inquisitionis submittere. *ibid.*

Inquisitor factâ denunciatione de hæresi, non procedit ad instantiam partis, sed ex officio. 188. 3.

Inquisitores falsos testes torquere possunt, imò ut aliqui, etiam pœnâ mortis afficere, ubi is, cui crimen falsò impositum, morte afficiendus fuisset. 191. 4.

Inquisitores sententiam tam absolutoriam quàm condemnatoriam pronunciare debent consilio peritorum, non tamen tenentur illud sequi 196. 1.

Sententia hæc necessariò proferenda in scriptis, aliàs nullius est momenti. 196. 2.

Ex convenientia potiùs ferenda de die quàm de nocte. *ibid.*

Inquisitores hæreticos pœnitentes, ejuratâ hæresi, possunt ab ea absolvere pro foro externo. 203. 1.

Nulli Inquisitori quà tali competit absolvere in foro conscientiæ ab hæresi & excommunicatione reservatis, sed id necessariò fieri debet in foro externo & judiciali. 203. 2.

Inquisitores eorúmque Assessores, Consultores, Commissarij, Officiales non incurrunt irregularitatem, dum ad mortem condemnant hæreticos. 259. 2.

Inquisitoribus tantùm prohibita mortis & mutilationis executio, non tamen illius sententia. *ibid.*

Interdictum.

De interdicto ingrediente Ecclesiam incurso à Simoniacè ordinante. 113.

Interdicti celebrantis divina officia pœna est perpetua depositio ab officio & beneficio per sententiam infligenda. 401. 3.

Interdictus exercens actum Ordinis ipso jure est irregularis. 401. 5.

Interdictum Superioris violantes subditi perdunt jurisdictionem etiam Ecclesiasticam sibi competentem, súntque ipso jure suspensi ab officio, quod habent. 418. 1.

Ob violatum ab Episcopo interdictum factæ ab eo sententiæ, collationes beneficiorum, institutiones sunt irritæ. *ibid.*

Interdictum Ecclesiasticum non servans fit irregularis. *ibid.*

Interdictum violans non est ipso jure privatus beneficijs, sed privandus per sententiam. *ibid.*

Interdictum quid sit & quotuplex? 573.

Interdicto generaliter Clero, si aliud non expressum, non censetur interdictus reliquus populus, & è contra. 574. 1.

Interdicto generaliter Clero non comprehenduntur Religiosi utriusque sexûs. *ibid.*

Interdicto generaliter Clero non comprehenduntur Episcopi, nisi in eo exprimantur. *ibid.*

Interdicto generaliter Clero interdictæ non censentur Ecclesiæ vel loca sacra illius loci, quo minus in illis divina celebrari, & singulares personæ, & non interdicti, v. g. peregrini, in iis celebrare possint. *ibid.*

Interdictâ civitate, castro, villâ censentur quoque interdicta suburbia & continentia ædificia. 574. 2.

Interdictâ Ecclesiâ, nec in ejus capella, nec in ejus Cœmiterio contiguo quis sepeliri potest. *ibid.*

Interdicto Cœmiterio non censetur interdicta Ecclesia. 574. 2.

Interdictâ civitate & diœcesi, censetur interdicta Ecclesia Cathedralis ibi existens. *ibid.*

Ad interdictum tam generale quàm partiale servandum tenentur omnes tam incolæ quàm extranei, tam regulares quàm sæculares, tam exempti quàm non exempti, nisi speciali super hoc muniti privilegio. 575.

Qui interdicto causam dederunt, non tantùm in loco interdicto, sed etiam in quovis alio loco prohibentur celebrare & audire divina. *ibid.*

Interdicti tempore Baptismus ministrari potest tam adultis quàm parvulis. 576. 1.

Item Sacramentum confirmationis, & chrisma confici in Cœna Domini, non tamen iis confirmationis Sacramentum conferri, qui interdicto generali causam dederunt, aut ei, qui specialiter interdictus. *ibid.*

Item Sacramentum pœnitentiæ etiam sanis, nisi sint excommunicati, vel interdicto causam dederint, & non satisfecerint. *ibid.*

Item Sacramentum Eucharistiæ per modum viatici moribundis & in periculo probabili mortis, in difficili partu, condemnatione, imminente prælio. 576. 1.

Extra quos casus tempore interdicti dari non potest Eucharistia, nec conferri Sacramentum Ordinis personis interdictis aut in loco interdicto. *ibid.*

Tempore interdicti prohibetur benedictio nuptialis, non tamen matrimonium. *ibid.*

Interdicti effectus est privatio officiorum divinorum, & quæ per illa intelligantur, & qualiter hic effectus limitetur? 576. 2.

Effectus illius est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, ita ut in loco sacro interdicto nullus, etiam innocens, puer, amens, nisi privilegium desuper speciale habeat, sepeliri possit. 576. 3.

Tale privilegium habent Clerici specialiter non interdicti, & qui interdicto causam non dederunt, ut possint in eo sepeliri cum silentio, id est, sine campanæ pulsatione, officio divino aliisque solemnitatibus. *ibid.*

Possunt etiam alij non personaliter interdicti extra illum locum interdictum efferri, & in alio loco sacro non interdicto sepeliri, imò qui tempore interdicti sepulti in loco non sacro cessante interdicto exhumari, & transferri ad locum sacrum. *ibid.*

Interdicti violatio ex genere suo est peccatum mortale. 577. 1.

Violantes illud personæ Ecclesiasticæ tam regulares quàm sæculares incurrunt irregularitatem & suspensionem ab officio, jurisdictione, secundum aliquos ipso facto, secundum alios per sententiam. 577. 2.

Item

Item privantur jure electionis activæ & passivæ. *ibid.*

Item privilegio, quod habent clerici, quòd tempore interdicti sepeliri possint in loco sacro. *ibid.*

Religiosi etiam exempti tenentur publicare interdictum, quod observari vident ab ecclesia cathedrali & parochiali, insuper incurrunt irregularitatem. *ibid.*

Religiosi etiam exempti tenentur publicare interdictum aliásque censuras ab Episcopo latas, ubi is id mandat. *ibid.*

Tempore interdicti quotidie dici possunt missæ aliáque officia divina sine compulsatis campanis & tintinnabulis ad *Sanctus*, & elevationem S. Hostiæ. 576. 2.

Suspenditur interdictum in Festis Nativitatis B. V. Mariæ à primis vesperis, usque ad completorium festivitatis, ita ut missæ aliaque divina cum omni solennitate celebrari possint. *ibid.*

Irregularitas.

Irregularitatem incurrit suspensus ob Simoniacè susceptum ordinem, si actum Ordinis, etiam non suscepti Simoniacè scienter exerceat. 107. 3.

Irregulares & inhabiles ad Ordines recipiendos adhuc sunt hæretici notorij, etiam post absolutionem ab hæresi. 162. 1.

Eorumque filij, nepotes, descendentes per lineam paternam, descendentes per lineam maternam non nisi filij irregulares sunt, etsi catholici, & inhabiles ad beneficia, officia publica, Ordines. 165. 1.

Idem extenditur ad filios, nepotes credentium fautorum hæreticorum. 165. 2.

Ab hac irregularitate liberantur hi filij per conversionem parentum, ita ut citra dispensationem promoveri possint ad beneficia, officia publica, Ordines. *ibid.*

Irregularitatem non incurrunt Judices ecclesiastici tradentes hæreticum sæculari potestati, etiamsi is morte afficiatur. 193.

Irregularitatem impropriè talem seu ortam ex infamia incurrit apostata à sacro Ordine, si tamen inierit & consummaverit matrimonium, contrahit irregularitatem ortam ex bigamia similitudinaria, tollendam non nisi per dispensationem. 210. 2.

Irregularitatem incurrunt scienter rebaptizantes semel ritè baptizatum, secus, si id faciant sub conditione: si baptizatus non est: etsi temerè sine sufficiente inquisitione in dictam conditionem id faciant. 212.

Irregularitas non incurritur ob Sacramentum confirmationis iteratum. 213.

Irregularitatem incurrit mandans occidi alium, si mors sequatur, non secus ac in occidentibus per se. 226. 1.

Item, licet mandans revocârit mandatum, si revocatio non innotescat mandatario. 226. 2.

Item, si non ipse mandatus, sed mandatarius occasione mandatum exequendi à mandato occidi occidatur; secus, si aliunde mortem subit. *ibid.*

Non incurrit illam, si mors non sequatur. 226. 3.

Nisi mandavit Christianum occidi per assassinium. 226. 3.

Irregularitatem non incurrit mandans, si absque mandato mandatarius erat occisurus. *ibid.*

Irregularitatem incurrit consulens homicidium, si in illud consulendo influit, secus, si aliter sine illo consilio fuisset occisurus. 227.

Irregularitatem non evadit, si ante executionem revocavit consilium. *ibid.*

Irregularitatem evadit purè sine ulla cooperatione in homicidium nullo modo perpetrandum consentiens. 227. 2.

Utì & ille, qui suo nomine approbans & ratum habens nec consilium, nec favorem aut auxilium præstitit. 227. 3.

Item & ille, qui homicidam post cædem factam recipit, occultat, defendit. *ibid.*

Qui causa sunt homicidij adjuvando directè vel indirectè, fiunt irregulares, & pœnas homicidij incurrunt. 228.

Ad homicidium plures præmisso consilio concurrentes omnes fiunt irregulares, & pœnâ ordinariâ plectendi, etsi nesciatur, quis vulnus lethale inflixerit. *ibid.*

Irregularitatem non incurrit illud non impediendo, si ex sola charitate tenebatur impedire. 229. 1.

Secus est in eo, qui impedire tenebatur ex justitia. 229. 2.

Irregularis fit, & pœnâ ordinariâ plectendus occidens alium plenè ebrius, si sciat se solere in ebrietate alios periculosè invadere, & ideo se inebriat. 230. 1.

Secus est de eo, qui conscius hujus suæ infirmitatis sine tali intentione se inebriat. *ibid.*

Irregularitas non incurritur ob homicidium ex opere voluntario licito secutum, adhibitâ debitâ diligentiâ. 230. 2.

Irregularitas incurritur ob homicidium secutum ex opere licito, in quo non fuit adhibita debita diligentia cavendi periculum mortis. 230. 3.

Irregulares reputandi magistri excedentes moderationem in castigandis discipulis, si inde mors aut mutilatio sequatur. *ibid.*

Irregularitas num incurratur morte secutâ ex opere illicito, exercito tamen debitâ diligentiâ adhibitâ. 231.

Irregularitas in neutro foro incurritur, dum dubium est juris, num actui in hoc vel illo casu sit statuta 232. 1.

Indicitur ea è contra pro utroque foro, dum dubium est facti. 231. 2.

Irregularitas non incurritur ob homicidium aggressoris, qui injuriavit priùs, si fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. 234.

Irregularitas non incurritur, dum quis occidit alium ad defendendam propriam vitam aut membrorum mutilationem, servato moderamine inculpatæ tutelæ, quod ipsum variè extenditur. 240. 1.

Utì nec ob occisionem talem factam ad defensionem vitæ & membrorum parentum, consanguineorum & cujuscunque innocentis contra injustum invasorem. 241.

Irregulares qualiter fiant assistentes bello justo clerici vel laici. 251. *Vide* Bellum.

Ex defectu plenæ lenitatis qualiter incurrant irregularitatem Prætor, Judices, Assessores, Consultores, Accusatores, Testes in causa sanguinis Notarij recipientes testium depositiones, & alij ad sententiæ prolationem concurrentes. 519. 5.

Irregularitatis effectus præcipuus est privatio Ordinis licitè, non validè suscipiendi. 520. 1.

Si irregularitas superveniat ordinato, privat illum quolibet exercitio Ordinis suscepti & inhabilem reddit ad alium Ordinem suscipiendum, si verò est ex defectu corporis, impedit solum Ordinem suscipiendum & usum Ordinis suscepti, quem defectuosus exercere nequit. *ibid.*

Irregularitas nulla privat actionibus laicis cum clericis communibus. *ibid.*

Irregularitatis effectus alter est privatio quorumcunque beneficiorum obtinendorum, non tamen collationem illorum nullam, sed illicitam reddit & factam irritat. §20. 2.

Reddit quoque inhabilem ad jurisdictionem delegatam præter usum Ordinis. *ibid.*

Irregularitas partialis superveniens non ex delicto, sed defectu corporis non impedit collationem beneficij non requirentis usum repugnantem defectui. *ibid.*

Irregularitas privat beneficijs præhabitis in aliquorum sententia, contrarium sentientibus alijs, nimirum non privare illam iis, saltem ipso jure, sed requiri sententiam declaratoriam criminis. §20. 30.

Irregularitas propriè loquendo non tollitur per baptismum, cùm ea illum non antecedat, utpote introducta jure ecclesiastico. §21. 1.

Aliqui tamen defectus contracti ante baptismum post illum remanentis, ùt illegitimitas, infamia juris (secus est de infamia facti commissi ante baptismum) non tolluntur per baptismum. *ibid.*

Irregularitas orta ex defectu natalium in ordine ad suscipiendos Ordines tollitur professione seu emissione votorum in religione approbata. §21. 2.

Non tamen in ordine ad obtinendas Prælaturas & dignitates citra privilegium, *ibid.*

Irregularitas quæcunque dispensatione tollitur per Papam, etsi rariùs in irregularitate orta ex bigamia, ex homicidio voluntario dispensare soleat. §21. 3.

In irregularitatibus omnibus, excepta proveniente ex homicidio voluntario, provenientibus ex delicto occulto dispensare potest Episcopus vi Trident. *ibid.*

Ut in dictis irregularitatibus dispensare possint Episcopi, requiritur, ut dispensandi sint subjecti ordinariæ illorum jurisdictioni. §21. 4.

Ab irregularitate illa dispensare & absolvere cum quibuscunque potest Episcopus extra suam diœcesin existens cum subdito existente quoque extra illam. §21. 5.

Non potest absolvere à delicto & dispensare in irregularitate deducta ad forum contentiosum, & quæ ad illud deducta censeatur? §21. 6.

Ab irregularitate tamen absolvere potest, quamdiu lis desuper contestata non fuit. Item si, postquam deducta ad forum contentiosum, irregularis ex defectu plenæ probationis absolutus fuit ab instantia & observatione judicij. *ibid.*

Dispensatio ab irregularitate concessa non tantùm pro foro conscientiæ, sed & pro externo servire debet, secus est de absolutione à reservatis casibus. §21. 7.

Hæc potestas absolvendi & dispensandi, cùm sit ordinariæ jurisdictionis, est delegabilis ab Episcopo. *ibid.*

In dispensatione à pluribus irregularitatibus ejusdem generis sufficit eas exprimere in genere. *ibid.*

Ut in Irregularitate dispenſetur, alioque impedimento impediente Ordines dispenſet ordinans, concedere censetur Episcopus irregularitatis conscius concedens dimissorias ad Ordines. *ibid.*

Irregularitatem incurrunt excommunicati, suspensi, interdicti, si actum Ordinis alicujus verum & proprium exerceant temerè & culpabiliter, etsi actus ille sit nullus. 401. 5.

V. g. dicant missam, conferant ordinem, confirment, dent extremam unctionem, benedicant solenniter sponsis, solenniter baptizent, absolvant sacramentaliter, cantent Evangelium cum stola, Epistolam cum manipulo, &c. *ibid.*

Non incurrunt eam exercendo actum jurisdictionis, v. g. dispensando in votis, absolvendo urgente extremâ necessitate, ubi Sacerdos à censura liber haberi nequit. *ibid.*

Item, qui existentes in illis censuris ad vitandum grave scandalum vel infamiam exercent actum Ordinis. *ibid.*

Item, contra quos sententia censuræ lata evidenter est nulla. *ibid.*

Irregularitatem an incurrat actum Ordinis exercendo stante dubio, num sit excommunicatus? 402.

Irregularitatem non incurrit existens in excommunicatione minore exercendo actum Ordinis. 403. 2.

Ea incurritur à censurato exercendo actum Ordinis minoris v. g. acolytatûs cum solennitate. 403. 3.

In irregularitate contracta per ministrationem in Ordine, quem quis non habet, quis dispensare possit. 405.

Irregularitatem quando incurrant furtivè ordinati? 412.

Irregularitatem incurrit Episcopus, si interfit executioni pœnæ sanguinis vel mutilationis; secus de Episcopo jurisdictionem temporalem non habente. 414. 5.

Irregularitas strictè accipitur pro impedimento canonico arcente directè & primario à susceptione Ordinum, & indirectè & secundariò ab eorum usu. §10. 1.

Irregularitas quotuplex sit? §10. 2.

Irregularitas propriè talis nullo jure naturali aut divino inducta, nec ab homine induci potuit, nisi is legem seu jus universale ecclesiasticum condere potuerit, qualis est solus Papa. §11.

Irregularitas non contrahitur ex actu merè interno, bene tamen ex actu externo ita occulto, ut per nullos testes probari possit. §12. 1.

Actus tamen ille externus debet esse consummatus & perfectus secundum proprietatem verborum canonis irregularitatem infligentis. §12. 2.

Ut irregularitas infligatur ob delictum, debet illud saltem ex objecto seu materia esse peccatum mortale, nec sufficit esse solum veniale ex aliqua circumstantia. §12. 3.

Irregularitatis pœnam Papa irrogare nequit ob culpam venialem. *ibid.*

Ad irregularitatem quamcunque ex delicto secundum plures requiritur dolus seu contemptus. *ibid.*

Tam dubitans, num irregularitas annexa sit alicui actui, quàm sciens eam illi annexam, sed dubitans, an ipse talem actum commiserit, tenetur sub gravi peccato adhibere diligentiam ad inquirendam veritatem, & tam diu abstinere à prohibitis irregulari. §13. 1.

Irregularitatem non esse annexam tali actui, aut se talem actum commisisse probabiliter judicans, potest is tacitè reputare, se liberum ab irregularitate. §13. 2.

Irregularis in nullo foro sit, aut tenetur se habere pro tali remanente dubio juris, nimirum num lege annexa sit tali actui, secus est de remanente dubio facti. *ibid.*

Irregularitas num incurratur ab ignorante eam annexam delicto controvertunt A.A. 514.
Irregularitas contrahitur à rebaptizante seriò, scienter, & saltem solenniter & publicè, & in ea solus Papa dispensare potest. 515. 1.
Irregularitas non contrahitur ex reiteratione aliorum Sacramentorum imprimentium characterem. *ibid.*
Contrahitur ex indebita & illicita Ordinum susceptione. 515. 2.
Item à suscipiente sacros Ordines post contractum matrimonium extra casus à jure permissos. 515. 3.
Item ab exercente seriò, solenniter & ex officio Ordinem, quem non habet. 515. 4.
Item à notoriè hæreticis, apostatis à fide & schismaticis. Item probabiliter negantibus extrinsecè fidem, etsi eam interius retineant. 515. 5.
Num extendat se ad fautores, receptatores, defensores hæreticorum quà talium? *ibid.*
Item extendit se ad filios & nepotes eorum ab iis lineâ masculinâ descendentes, & quid requiratur, ut ab iis contrahatur? *ibid.*
Irregularitas quando incurratur à Prælato ecclesiastico habente jurisdictionem temporalem in constituendis ministris sanguinis. 516.
Irregulares quinam sint ex defectu natalium, 517.
Potest in illegitimitate natalium, si ea occulta est, dispensare Episcopus, secus si est notoria. *ibid.*
Quinam irregulares sint ex defectu corporis. 518.
Irregulares sunt carentes omnimodâ scientiâ ad Ordines eorúmve usumrequisita. 519. 1.
Item, qui nondum legitimam ætatem ad Ordines adepti. 519. 2.
Item servi, qui, si non contradicente Domino ordinentur primâ censurâ evadunt liberi, si ignorante Domino ordinentur minoribus, manent servi. 519. 3.
Irregularitas contrahitur ex bigamia. *ibid.*
Irregulares sunt, qui publicâ authoritate vel vi illius justè cooperantur, etsi non ita propinquè ad prolationem sententiæ mortis aut mutilationis vel executionem illius. 253.
Irregulares sunt etiam laici accusando coram Judice laico de delicto morte vel mutilatione digno ad vindictam criminis, morte vel mutilatione secutâ. 254. 1.
Secus, si etiam clericus solùm civiliter petendo præcisè injuriæ sibi illatæ reparationem, etiamsi Judex dein mortem vel mutilationem infligat, idque accusator prævideat. 254. 2.
Modò tamen accusator clericus in judicio expressè protestetur, se petere solùm reparationem injuriæ sibi illatæ. *ibid.*
Plures casus, in quibus irregularitas illa evitatur sine tali protestatione. *ibid.*
Irregulares fiunt sive laici sive clerici testes ferentes testimonium liberè (secus est de compulsis ad testificandum) dum directè de pœna mortis aut mutilationis agitur. 255.
Irregularis fit Advocatus præstans patrocinium accusatori contra reum, si hic ad mortem vel mutilationem condemnetur. 256. 1.
Idem est, si injusto & falso accusatori præstitit patrocinium, & is condemnetur pœnâ talionis. 256. 3.
Secus, si reus, cui patrocinium præstitit, nihilominus condemnetur ad mortem. 256. 2.
Irregulares sunt Notarij, aliique, qui sententiam sanguinis scribunt, subscribunt, subsignant, legunt, publicant. 257.
Item executores sententiæ & ministri justitiæ. *ibid.*
Irregulares non sunt nec clerici, nec laici, interessendo supplicijs reorum purè spectandi gratia. 258. 1.
Irregularitatem incurrit omnis Judex sive clericus sive laicus, & quicunque ad sententiam mortis aut mutilationis concipiendam, proferendámque concurrunt, ùt Assessores, Consultores. 259. 1.
Irregularitatem non incurrit Papa, utpote ejus incapax. 259. 2.
Irregularitatem ex privilegio non incurrunt inquisitores hæreticæ pravitatis, eorum Assessores, Consultores, Commissarij, Officiales, dum hæreticos ad mortem condemnant. 259. 2.
Item Prælati & Judices ecclesiastici jurisdictionem ecclesiasticam habentes clericos reos criminis digni morte à se priùs de eo convictos, declaratos, degradatos tradentes curiæ sæculari morte afficiendos. *ibid.*
Ad hanc irregularitatem tamen evitandam debet Judex ille ecclesiasticus apud Judicem sæcularem intercedere, ut velit moderari sententiam, & misericorditer agere cum reo. *ibid.*
Ad eam evitandam dicta intercessione non egent inquisitores. *ibid.*
Irregularitatem non incurrunt dicti Principes ecclesiastici alijs jurisdictionem criminalem & causas omnes sanguinis committentes, etiamsi talis commissarius dein injustè condemnet ad mortem. *ibid.*
Neque eam incurrunt Principes sive ecclesiastici sive laici condendo leges vel statuta, quibus transgressoribus imponitur pœna mortis. *ibid.*
Neque etiam si pœnam ab inferiore Judice prolatam mitigent. *ibid.*
Irregularitatem incurrunt Theologi, Canonistæ, Legistæ authoritate publicâ constituti ut interrogati dent resolutionem vel consilium, si juxta eorum responsa sequatur mors rei. 260.
Secus, si ad hoc non constituti privatim à Judice interrogati in genere respondeant, quid sit, licet prævideant, hoc intellecto Judicem inflicturum mortem. *ibid.*
Irregulatitatem non incurrit confessarius negans absolutionem sacramentalem Judici nolenti condemnare ad mortem, dum Judex ad hoc tenetur. 261.
Item, si obliget pœnitentem ad fatendum in judicio crimen dignum morte. *ibid.*
Irregularitas ex qua mutilatione oriatur. 262.
Non oritur ex abscissione cartilaginis aurium vel nasi. *ibid.*
Oritur ex abscissione partis notabilis membri principalis, juxta canones. *ibid.*
Non oritur reddendo membrum inutile ad operandum citra abscissionem illius. 262. 3.
Nec ex abscissione membri jam impediti ad suum officium, & non amplius anima informati, etsi id foris non appareat. 262. 4.
Nec reddendo aliquem ita deformem, ut ad ordines promoveri nequeat, citra tamen abscissionem. 262. 5.
Fit irregularis quis mutilando se ipsum, eodem modo, quo fieret irregularis mutilando alium. 262. 6.
In irregularitate omni dispensare potest Pontifex. 262.
Item Episcopus in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, non tamen in proveniente ex homicidio voluntario occulto. 264. 1.

Neque dispensare potest in irregularitate proveniente ex homicidio justo. *ibid.*

In irregularitate tamen proveniente ex homicidio casuali aut etiam ex proposito, non tamen directè, sed ad summum indirectè seu in causa. 264. 2.

In irregularitate orta ex quacunque mutilatione, etiam injusta, voluntariè & directè intenta, occulta tamen dispensare, potest. 264. 3.

Irregularitas fundata in infamia inducta jure civili etsi indirectè tolli possit à sæculari potestate tollente rectè infamiam, directè ab ea tolli nequit; nec ab ullo alio dispensari cum eo ad Ordines præter Papam. 328. 3.

Judæus.

Judæi qui sint, & unde dicantur? 129.

Judæi, etsi absolutè recipi possint, ubi priùs non fuerunt, non tamen id facilè faciendum. 130. 1.

Ubi semel recepti & de protectione assecurati expelli non possunt sint justa causa, & quænam hæ? 130. 2.

Etsi habere Synagogas ad ritus suos externos exercendos permittantur, non tamen erigere novas aut habitas ampliare, sed solùm ruinam minantes restaurare. 130. 3.

Cur Judæis potiùs permissum restaurare Synagogas suas, quàm paganis fana sua. *ibid.*

Cum Judæis communicatio qualis prohibita sit Christianis? 131.

Judæis Christianum locare operas sive intra sive extra domus eorum Judæo absente non est prohibitum. *ibid.*

Judæis, etsi non liceat habere mancipium Christianum, potest habere tamen illum colonum, qui peragat omnia, quæ statuant jura colonis & originarijs. *ibid.*

Potest etiam habere Christianum in servum adscriptitium fundo suo. *ibid.*

Judæis non licet habere servos & mancipia Christiana in domibus suis, licet tamen habere illos non commorantes cum illis ùt suos familiares. 132.

Judæis in provincijs suis concedere non possunt Principes sæculares, ut habeant mancipia Christiana. *ibid.*

Si Judæus emerit Christianum mercimonij gratiâ, redimi is potest à quocunque Christiano 12. Solidis. *ibid.*

Cum Judæis celebrare contractus vendendo & emendo licet Christianis. 134.

Judæi nullo officio publico fungi possunt inter Christianos. 135. 1.

Judæi arcentur ab omni honore, dignitate & administratione publicâ. *ibid.*

Judæus inter Christianos nequit esse Notarius, Procurator, Advocatus, Doctor, Arbiter. *ibid.*

Judæus potest esse Gabellarius, sive recipere Gabellas & Reditus etiam regales sibi fortè locatos, non tamen per se, sed per alium, à Rege vel Domino ad hoc constitutus. *ibid.*

Non tamen potest esse Gabellarius jurium fiscalium. *ibid.*

Judæus nullius prorsus jurisdictionis inter seu in Christianos est capax. 135. 2.

Judæis à Christianis testamento legari quid, multóque minus eos instituere in hæredes non licet. 136.

Judæi inter Christianos dominia & bona habere possunt, eâque illis liberè disponere, tam inter vivos quàm mortis causâ tam inter se, quàm cum Christianis contractus celebrando. 137.

Judæi an & coram quo actiones instituere possint? 138.

Judæi filius conversus & baptizatus, succedit patri & alijs in bonis hæreditarijs sicut antè. 139.

Judæis ad fidem conversis relinquuntur omnia bona etiam ex usuris alióque illicito quæstu acquisita, si personæ, quibus ea restituenda, sint incertæ, *ibid.*

Judæorum filij baptizati liberantus à patria potestate. *ibid.*

Constitutum, ut Judæi & Saraceni ad fidem conversi nullatenus suis juribus & possessionibus spolientur, & spoliati in integrum restituantur. *ibid.*

Judæi filius ad fidem conversus potest à patre petere alimenta, & filia dotem. *ibid.*

Ut iis hæreditatis partem & omnium bonorum faciant exhiberi, mandatur Magistratibus sub pœna excommunicationis. *ibid.*

Judæorum cæmiteria violare sub qua pœna prohibitum? 140.

Judæos aliósque infideles sibi subjectos ad fidem & baptismum directè cogere nequeunt Principes Christiani, bene tamen indirectè. 141.

Ut Judæi utantur habitu distincto à Christianis statutum est, servatúrque in pluribus locis, sed non ubique. 142. 1.

Judæis permittitur observare ritus suos, modò hi non tendant in contemptum & opprobrium fidei Christianæ. 142. 2.

Si Judæi deprehendantur in ritibus suis cedentibus in contemptum Christianorum, nullatenus ferendum, ideóque omni immunitate & privilegio privandi. *ibid.*

Judæorum infantes ante usum rationis parentibus invitis baptizari non possunt; limitandum tamen 141. 2.

Judæi exercendo usuras peccant, idque de jure communi illis prohibitum, nec permittendum ab Ecclesia, etsi etiam in terris Ecclesiæ toleratur 143.

Judæus usuras, quas exercuit in Judaismo, conversus tenetur restituere. *ibid.*

Judæis aliisque infidelibus inferre bellum ob solam infidelitatem, eósque spoliare possessionibus suis, non est licitum. 145.

Judæi de jure communi non sunt subjecti jurisdictioni Ecclesiæ, sed solùm jurisdictioni temporali Principum sæcularium. 146. 1.

Judæi pœnâ spirituali puniri non possunt. *ibid.*

Delinquentes contra Christianos à Principibus Christianis sæcularibus puniri possunt, bene tamen etiam à Principibus ecclesiasticis, etiam à corporaliter, non quà talibus, sed qua pollentibus jurisdictione temporali. *ibid.*

